This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

2 9.46 e. 39

DELECTUS
COMMENTARIORUM

IN

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA,

AD EDITIONEM

JO. AUG. ERNESTI

ACCOMMODATUS.

EX EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

TOM. I.

LONDINI:

TYPIS EXCUDIT J. F. DOVE;

PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXIX.

BODLEIAN
12 JUL 1937
LIBRARY

DELECTUS
COMMENTARIORUM

IN

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA.

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

JOSEPHUS OLIVETUS

LECTORI.

Post impensum a tot ac tantis viris illustrando Ciceroni laborem, quid ego novæ utilitatis afferam, operæ pretium est declarare: ne quis forte aut expectet, quæ dare nolui; aut, quæ volui, non ex æquo æstimet. Res autem erit perspicua, modo id, quod præ se fert titulus, explicetur. Primum indicat Ciceronis *Opera:* deinde *Commentariorum* in ea *delectum*. Quapropter de utrisque dicam..

Ac primo quidem de Ciceronis, ut vulgo loquuntur, *textu:* quem repræsentari quam probatissimum, ut præcipuæ res utilitatis erat, ita difficultatis. Quam multis enim, quam deformibus mendis scateant veterum exemplaria, nemo nescit: et dolendum certe, haud mirandum est, cum toties a librariis exscripta sint, non incuriosis modo, quales jam ætate Tullii, de quibus ipse [1] quadam in epistola queritur; sed, quæ posteriorum fuit temporum infelicitas, etiam imperitis.

Quanquam quid unos accusamus librarios, ubi ab alio hominum genere profecta sunt flagitia, quæ graviori animadversione digna censeas? Abundabant isti quidem ingenio, ac doctrina: sed cum auctoris sensum a suis vel conjecturis vel ariolationibus pendere vellent, quæcumque

[1] Ad Q. Fratrem, III. 5.

non satis probabant, aut minus intelligebant, continuo immutabant: neque aliquando deerat pulverulentæ ac laceræ suffragatio membranæ, qua se tuerentur; quippe nulla est lectio, sive prava, sive recta, quam non fulciat codex aliquis manu exaratus. Vulnera itaque et refricabant vetera, et infligebant nova. Ut quemadmodum moriens quidam de medicis dixit,

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδόι μ' ἀπώλεσαν,

ita, teste Henrico[2] Stephano, de scriptis suis exclamaturus sit Tullius, si reviviscat,

Πολλῶν διορθωτῶν θράσος μ' ἀπώλεσεν.

Ac fuit tempus illud, cum, nisi coerceretur et regeretur hominum istorum audacia, *paucis annis in Cicerone minima*[3] *pars Ciceronis* futura erat. Tum exorti sunt viri, non solum ingenio, verum etiam, quod magis expediret, judicio excellentes: qui, ut in populari motu boni cives ad Capitolii, sic ad Ciceronis tuitionem experrecti, statuerunt eum accuratis editionibus, tanquam propugnaculis esse muniendum. Quod laboris onus maxime susceptum fuit ab egregiis quatuor Criticis, quorum nomina cum Tullio non magis, quam cum æternitate conjuncta sunt.

Princeps habetur, tam operis præstantia, quam superior, Petrus Victorius, qui Ciceronem e Florentinis codicibus ita expressit, ut hæc editio sit etiam nunc aliis, quas tam multas a ducentis annis accepimus, castigatior. *Victorio uni*, si Grævio, ut par est, creditur, *plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo studium posuerunt.* Reliquis *cultum* refert acceptum, sed Victorio[4] *salutem.*

Paulus Manutius, aliis adjutus codicibus, præsertim Venetis, non infeliciter quidem hanc ipsam aliquanto post navavit operam: sed non eodem tamen plausu, quippe non eadem fide. Quamvis enim[5] Mureto dubium videatur, *plusne ipse Ciceroni, an ipsi Cicero debeat*; contra dicunt

[2] In Pseudocicer. pag. 228.
[3] Muret. Var. Lect. IX. 19.
[4] Præfat. in Epist. ad Famil.
[5] Var. Lect. lib. I. cap. 6.

tamen idonei testes, et deprehensam a se in eo clamitant *audaciam valde*[6] *periculosam.*

Audacior certe Dionysius Lambinus, qui, tricesimo post Victorium anno, Ciceronem edidit: veterum non destitutus librorum copia, quanta Parisiensibus tum in bibliothecis erat: sed quorum auctoritatem et consensum haud raro contemneret. Itaque[7] *librariorum errata non tollebat; sed Ciceronem ipsum, quando non satis commode locutus videbatur, corrigebat.* Tamen, cum in eo summa esset vis ingenii, et acutissime, quæ cæteros fugerant, plurima indagare et odorari soleret; non desunt, qui hunc nolint[8] *fuisse minus audacem.*

Janus denique Gruterus, et Ciceronianam adeptus Jani Gulielmii supellectilem e Belgicis maxime bibliothecis collectam, et plura ipse e Palatinis manu scriptis libris, quos ultra ducentos sibi præsto fuisse ait, improbo labore decerpens, Ciceronem edidit *mille amplius locis*[9] *illustratum, correctum, auctum.* Vellem hoc e Criticis quispiam dixisset, non Gruterus ipse. Quod autem Lambino tam sæpe obtrectet, tam raro assentiat, id forsitan arbitratus est pertinere ad aliquod gentis suæ decus. Ut ut est, hoc vere mihi videor dicere, cum ab utroque multa in Ciceronem exstent atque insignia plane merita, potuisse tamen plura existere, si, quod alteri supererat, habuisset alter; plusque veteribus membranis Lambinus tribuisset, Gruterus aliquanto minus.

Quæ cum ita sint, diu multumque dubitavi, quem ex illis quatuor hic ego potissimum sequerer ducem: et ad Victorium inclinabat sane præclara doctorum omnium de solertia ejus ac fide opinio. Quis tamen putet unum illum vidisse omnia; tres alios nihil? Victorio, fateor, salutem debet Cicero: an etiam integritatem, ac valetudinem? Hominesne ingenio præstantes, literis excultos, neque in ve-

[6] H. Stephanus, Pseudoc. p. 59.
[7] Maret. Var. Lect. XVIII. 7.
[8] Pearce, in lib. I. de Orat. cap. 38.
[9] Gruter. Præfat. in Cicer.

teribus illis membranis tirones, persuasisse sibi in exornando illo aliquid posse post Victorium effici; in eam incubuisse curam singulari studio, assidua contentione, immenso doctrinarum apparatu; neque tot vigiliis ac laboribus profecisse quidquam? Itaque non debui applicare memet ad unum aliquem, reliquis omissis: sed posteaquam editiones quatuor summa cura et diligentia recognitæ et collatæ sunt, ego leges mihi duas imposui. Alteram, ut nunquam, ubi congruunt, ab earum consensu vel latum, ut aiunt, unguem[10] recedam. Alteram, ut quotiescumque dissident, nihil in contextum admittam, quod non occurrat in earum aliqua: tum aliarum varietates magna fide lectori annumerem. Qua ratione id mihi consecuturus videor novæ utilitatis ac propriæ, ut principes quatuor, easque laudatissimas editiones una hæc repræsentet.

Atenim, inquies, abstineri a codicibus manu scriptis non oportuit. Equidem, si res mihi sit cum scriptore plebeio, facile adducar ut credam in bibliothecis latere chartas edentulas, quæ sint alicujus pretii. Verum de Cicerone quid esse spei reliquum potest, in quo jam a renascentium literarum seculo, et typographicæ artis exortu, studiosorum oculos ita defixit admiratio, ut quidquid in tenebris jaceret, eruere properaverint? Atqui paucis post annis, et spirante adhuc[11] Victorio, meliores unquam libros inveniri posse vix sperabant: nunc, nè vix quidem.

Quia tamen libris manu scriptis quotidie aliquid detrahit temporis edacitas, idcirco videtur e communi fore literarum bono, si excutiantur semel tandem quotquot ætatem tulerunt, universi, et quidquid illustrandis veterum monumentis opportunum recondunt, typorum ope vulgatum communicetur cum eruditis, ne quid detrimenti respublica in posterum a blattis et pulvere capiat. Hujusmodi

[10] Aut si quando, quod rarissimum, his me legibus solverit necessitas, notatam habebit Lector et confessionem meam, et vulgatam lectionem.

[11] Vide Petri Victorii epistolam, suæ Ciceronis editioni præfixam.

autem id est, ut magis optandum, quam sperandum putem. Quando enim ut fiat, conspirabunt reges, collegia, privati, in quorum thesauris opes illæ delitescunt?

Jam ergo ad id, unde digressus sum, revertor. Primariarum, ut modo pollicebar, quatuor editionum varietates lectori annumerabuntur: sed non eodem in loco, cum generis ejusdem non sint omnes. Aliæ faciunt ad sententiam, quæ, verbis immutatis, et ipsa quoque immutatur. Aliæ, integra sententia, vel in similium electione verborum, vel in diversa eorum collocatione consistunt. Quæ sunt primi generis, occurrunt rarius: quæ secundi, frequentissime. Has igitur, ex quibus parva sit utilitas, vel nulla, curiosis reservatas, in ultimam singulorum voluminum partem amandavi. Illas vero, quæ momenti habent ac ponderis aliquid, ima quælibet pagina exhibebit.

Aliæ sunt etiam lectiones, eæque non contemnendæ, quæ recentioribus Criticis debentur. Quamvis enim quatuor illis principibus, quos nominavi, semper adhæream; nolim certe illorum successoribus quidquam detrahi: neque vero posterorum retardari alacritatem, quos ad laboriosam exercitationem non impellat libido captandæ nescio cujus gloriolæ, reducta vocula, quam priores bene consulti exploserant, aut, quam admiserant, expuncta. Recentiorum igitur Criticorum suspiciones collocabo, non in textu quidem, sed in commentariis: de quorum delectu jam dicendi est locus.

Omnino debuerunt, quoties mecum ea de re deliberavi, versibus Horatianis personare aures meæ:

Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter.
Quod petis, id sane est invisum, acidumque duobus.

Tibi, docto inter paucos, videbor in meridie lucernam accendere: dum clamabit alter, nempe unus multorum, in tenebris errare se sine facula. Quid? hic æstimat histo-

rica, cantilenas e trivio: iste grammatica, rus merum: ille philosophica, nugas difficiliores. Placere omnibus si quis possit in alio quodam opere, certe in hoc, quod aggredior, nemo. Placere me studeo *bonis*, ut ait poeta, *quam plurimis*. Ad bonos igitur me converto, eosque, ut de consilio a me suscepto judicent, etiam atque etiam obtestor. Quid poteram, quod magis, vel tenuitati meæ, vel communi literarum bono conveniret, quam quod institui, nihil * de meo in hunc delectum includere; nihil, inquam, de meo; at selectos duntaxat e doctissimorum ætatis cujusque ac gentis hominum lucubrationibus, illustrando Ciceroni locos utiles? An vero melius de lectoribus merear, si recoctas, ut fere fit, commentationes veterum ostentem, quasi novas, et domi mihi natas? Itaque nihil afferam, quod non prolatum sit ab idoneo et celebri auctore: neque ulla erit annotatiuncula, quæ subscriptum non habeat magnum aliquod nomen, cujus claritas merito allicere lectorem possit.

Primum inter Ciceronis interpretes locum obtinet Asconius Pedianus, cujus vetustati datum est, ut nulla ejus pars a collectione nostra excludatur. Postrema vero ætas, itemque antecedens, innumerabiles tulit, e quibus nobilissimos selegi: neque ex illis arripui omnia, sed illa tantum, quæ ad rem maxime. Aderunt Victorius, Manutius, Lambinus, Gruterus, quippe interpretis munere ipsi etiam functi sunt. Age cæteros, quorum fontibus nostri hortuli probe irrigantur, appellemus jam singulos: nulla quidem ætatis, qua quisque vixit, vel famæ, qua fruitur, habita ratione; sed ordinem secuti, quem prima nominum elementa definiunt.

Nicolaus Abramus, Lotharingus, e Societate Jesu. *Orationes* tredecim ex iis, quæ in tertio illarum volumine leguntur, commentariis illustravit, eruditis quidem certe,

* Præter Commentarium *de Theologia Græcanica*, quem olim exaravi, cum libros de Natura Deorum popularibus nostris interpretarer.

sed ita grandibus, ut in eum vere cadat, quod ait Carolus [12] Ruæus: *Fuit iis hominibus, qui scripta veterum explanarunt, hoc in omni ætate familiare vitium, ut se primum, auctorem deinde suum, illustrandos ornandosque susceperint.*

Simeo Bosius, Lemovicum Prætor, cujus animadversiones in Epistolas *ad Atticum* prodierunt anno M. D. LXXX. *Quamvis*, inquit [13] Grævius, *multi, iique primarii in republica literaria viri, in istis epistolis integritati restituendis, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque præsidiis, elaborarint; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem contulit, nemo plures fœdioresque maculas delevit, et plura dilucidavit obscurissima loca, quam Simeo Bosius*, a quo nusquam Gruterus discessit. Variæ igitur Bosii lectiones a me repræsentabuntur, cum editione scilicet Gruteri, in quam immigraverunt.

Joannes Buherius, in Senatu Divionensi Præses, meusque in Academia Gallica sodalis, cui, pro diuturna animorum studiorumque conjunctione, et multis magnisque officiis, etsi debeo plurimum, nihil de illo tamen dicam quod non cæteri omnes: parem esse Criticorum sagacissimis, plures ab eo superatos, ipsum a nemine. Annotationes illius in *Catilinarias*, in *Tusculanas*, et in libros *de natura Deorum*, quascumque capiet instituti operis modus ac ratio, velim omnes, e Gallico sermone, cujus includebantur angustis finibus, in Latinum translatas hic dabo, ut legantur ubicumque est Latinis pretium literis, et, dum manebit, ipsæ vivant.

Joachimus Camerarius, Bambergensis. Ob singularem doctrinam dictus Gerardo Joanni Vossio, *Phœnix Germaniæ;* Adriano Turnebo, *Europæ ornamentum*. Annotationes scripsit in omnia Tullii opera: sed, ut plurimum, si primam excipias *Tusculanam*, jejunas nimis, ac strigosas.

Sebastianus Corradus, Italus; qui, cum veteris Romæ

[12] Præf. in Virgil. [13] Præf. in Epist. ad Atticum.

familias tam bene nosset, quam suam, multa in *Epistolis* obscura patefecit, et illuminavit; sed maxime in libro *de claris Oratoribus*. Poterit etiam utiliter legi ejus *Quæstura*, sive Dialogus de quatuor Ciceronibus, qui prodiit Bononiæ, anno M. D. LV.

Joannes Davisius, Anglus. His viginti annis pleraque Ciceronis *Philosophica* edidit, operis Græviani perfectorem se professus. Verum, ut erumpat aliquando ex me vera vox, et dicam sine circuitione quod sentio, *Homini homo quid præstat!* Quæ in Grævio modestia! quam ingenuus pudor! In altero quæ confidentia! aut, ne dixerim mollius, quæ procacitas! Tamen fateor, et libenter quidem, fuit in eo ingenium perspicax, acutum, solers: itaque locos aliquot feliciter explicuit. At minime ferendus est, qui antiquis lectionibus e textu exterminatis, suis autem in earum locum somniis, si diis placet, inducendis, novum velit architectari Ciceronem: adeo ut, si qua ejus volumina secundis, tertiisve curis retractata in lucem redierint, ultima editio sit etiam pessima: suscepto quasi certamine cum populari suo Richardo Bentleio, quem suarum ad *Tusculanas* emendationum approbatorem amplificatoremque habuerat, uter esset in contaminandis veterum exemplaribus licentior.

Petrus Faber, Arvernus. Turnebi auditor Lutetiæ, cum esset adolescens. Reliquam ætatem exegit apud Rupellenses, Collegii præfecturam ibi adeptus, et Hebraicæ linguæ magisterium. Admodum senex, commentarios vulgavit in libros *Academicos*, et in orationem *pro Cæcina*, anno M.DC.XI.

Antonius Goveanus, Lusitanus. Præclare et scienter Ciceronis quædam tractavit: *Topica* præsertim, ut hominem decebat antiqui Juris peritia excellentem. *Unus* enim, *communi doctorum suffragio, hoc adsecutus erat, ut et poeta elegantissimus, et summus philosophus, et præstantissimus juris interpres haberetur. Quod cælo Gallico, in quo*

a teneris probe institutus fuerat, vir gratus acceptum referri volebat. Hæc, et longe plura de illo Thuanus, lib. xxxviii, cap. 14.

Joannes Georgius Grævius, ortu Germanus, domicilio Batavus, Trajecti ad Rhenum obiit ineunte anno M.DCC.III. Quam partibus quibusdam Ciceronis adhibuit, si curam adhibuisset eandem omnibus, vix aliam fortassis operam reliquisset posteris, quam edendi commodius, quæ in tomos parum habiles congessit. Verum nullam Rhetoricorum partem attigit, Philosophicorum modicam. Quin videtur in iis, quas tractavit, viam iniisse satietati ac tædio finitimam. Voluit enim colligere annotationes diversorum omnes, easque totas. Quare necesse erat, ut multa lectoribus offerret, quæ diversis verbis, si tamen diversis, unum sonant; multa, quæ sunt primo aspectu falsa; multa, quæ nihil momenti habent. Obsequi modestiæ maluit, quam judicio, vir omni laude præstans: ne scilicet in Criticis illustribus, si non reciperet omnia, damnasse aliqua videretur. Quod mihi fuisset quoque tum facilius, tum jucundius: nisi fecisset sperata multorum utilitas, ut aliquando seligere, non tantum colligere, auderem.

Franciscus Hotomanus, Parisinus; de quo non pauca Historici, nam sic vocantur, Lexicographi. Perite et diligenter primam Ciceronis epistolam *ad Q. fratrem*, sed maxime *Orationes* quinque et viginti, cum Asconii fragmentis in easdem, interpretatus est.

Leonardus Malaspina Florentinus, ex divini Servatoris familia, ut ipse se inscripsit, Canonicus. Prodierunt illius emendationes ac suspiciones in epistolas *ad Atticum*, *Brutum*, et *Q. fratrem*, anno M. D. LXIII. Utrum ab homine docto profectæ sint, nemo doctus dubitet. Plurima enimvero huic fuisse cognita, vel illud argumento est, quod aliqua sibi incognita esse fateatur. Victorius ingenuæ confessionis exemplum illi dederat. Ac, nisi mea me fallit

opinio, quo quisque in Cicerone magis profecerit, eo facilius agnoscet, esse multa quæ non intelligat. Quod velim lectores cogitent iterum atque iterum: qui litem interpreti, nisi plana, aperta, perspicua faciat omnia, magno tumultu inferunt. Aliqua sciant in Cicerone, ut nunc quidem se habet, suspecta esse, manca, depravata, ἀνακόλουθα, quæ sanos torquere non debeant, otiosos exercere possint.

Jacobus Menardus, Burdigalensis: cujus in priores sex *Orationes* commentarii *facile cæteris omnibus*, qui ad easdem spectant, *palmam*, teste [14] Grævio, *præripiunt*. Quo tempore autem vixerit Menardus, etsi nusquam est observatum, colligi tamen inde potest, quod se profitetur auditorem fuisse Francisci Balduini, quem obiisse constat anno M. D. LXXII.

Gulielmus Morelius, Tillianus, in agro Caletensi. Prodiit Lutetiæ, anno M. D. XLV, *Observationum in libros quinque de finibus bonorum et malorum Commentarius*, quem titulus huic Morelio asserit, sed Pithœus Turnebo vindicat. Reclamant certe [15] pro Morelio viri docti. Ac mihi quidem si necesse est sententiam dicere, non videtur inesse in ea lucubratione subtilis et acuta brevitas illa, quæ Turnebi propria est. Verum cujuscumque est auctoris hoc opus, quis neget magni pretii esse, quod Pithœus Turnebo dignum judicavit?

Marcus Antonius Muretus, gente Lemovix. Quam tersus, elegans, concinnus! Vix ipse Cicero magis. Annotationes ediderat ad *Catilinarias*, et ad *Philippicas*, multosque aliorum operum locos enodaverat in aureolis illis, quos confecerunt Musæ et Gratiæ, *variarum lectionum* libris. Pretium autem cum sit fragmentis omnibus viri tam diserti, prodierunt Ingolstadii, eo mortuo, quæ in *Philosophicorum* partes aliquot cursim scripserat. Prodibunt nunc primum

[14] Præfat. in Orat.

[15] *Anti-Baillet*, cap. 68.

breviores et rariores quam tu velis, ejusdem notæ in *Rhetorica*, quas Ciceroniani, quo utebatur, exempli marginibus ipse illeverat; ego pridem, cum Romæ essem, descripsi.

Joannes Passeratius, Trecensis: qui, ut erat Regius Eloquentiæ Professor, legendo in scholis Cicerone diu exercitatus, non pauca in eum congessit. Quæ ad *Orationes* pertinebant, protulit in lucem Grævius: ego, quæ ad *Philosophica*, studiosis non invidebo.

Andreas Patricius, Polonus. *Fragmenta* Ciceronis diligenter collegit, atque illa ipsa docte illustravit, et *Orationes* item aliquot. Reducem ex Italia, ubi ætatem in literis egerat, Polonia sacris infulis honestavit.

Zacharias Pearcius, Anglus: qui tres *de Oratore* libros emendavit, notisque illustravit, anno M.DCC.XVI. Hic vero laude dignissimus, quod facere cum bonis temperantibusque Criticis maluit, quam cum iis, qui Tullium Cantabrigiæ tum decorare voluerunt. Quamvis enim Bentleium suum laudibus videatur ad cælum extollere, non imitatur tamen, neque unquam verecundiæ fines transit: homo excellentis ut ingenii, sic judicii, et a quo non nisi magna expectes.

Dionysius Petavius, Aurelianensis, e Societate Jesu. Ornabunt hunc delectum ea, quæ olim dictaverat in tertium *de Oratore* librum vir ultra humanam sortem eruditus, cum dicendi artem apud Remos profiteretur, anno M.DC.IX. Vindicatas ab indigna oblivione chartas ad me transmisit Franciscus Odinus, ejusdem sodalitii, homo vere Petavianus, antiquis imbutus perinde studiis ac moribus; quem juvenis ut magistrum colui; grandior habui devinctum arctissima necessitudine, et habebo semper.

Jacobus Prusteus, Parisinus: qui, Rhetor in regio Ludovici Magni collegio, Rhetoricos omnes libros edidit in usum Delphini. Ut is majorum gentium non est, ita nec quintæ classis: quod significat tamen Jacobus[16] Grono-

[16] Præfat. in Cicer.

vius; ac, per eam causam, Gallorum gentem universam allatrat, Scioppianæ ferocitatis heres, non latinitatis. At, mi homo, cujates erant Mureti, Hotomani, Bosii, Turnebi? Quo illa tibi Ciceronis editio, in qua te solus jactas? Hausisses saltem ex uberrimo fonte urbanitatis aliquid, ne laudatissimi parentis adeo esses dissimilis!

Carolus Sigonius, Mutinensis, Romanarum antiquitatum indagator sagax, et disertus explicator, insignia reliquit multis consignata voluminibus monumenta præstantis doctrinæ. Quod huc facit; commentariola edidit, tum in *Fragmenta*, tum, usurpato [17] nomine alieno, in *Agrarias*, et in epistolas *ad Familiares*.

Joannes Ludovicus Strebæus, Remensis. *Oratorem*, *Partitiones oratorias*, tres *de Oratore* libros illustravit commentariis bene longis, et qui videantur in tironum scripti gratiam; sed accurate tamen, et ab homine artis rhetoricæ peritissimo.

Adrianus Turnebus, Andelii ad Sequanam natus. Quis eum laudandi erit finis, si pro suis in Ciceronem immortalibus meritis laudetur?

Petrus Valentia, ortu Cordubensis, qui se tamen Zafrensem inscripsit, quod originem e Zafra repeteret oppido in extrema Bætica. Homo non vulgariter doctus, et qui, haud scio an omnium solertissime, in veteris philosophiæ adyta penetraverat. *Academica* Ciceronis, quæ supersunt, mutilata, ideoque obscura, non brevibus quidem, disjunctisque scholiis, at continenti oratione ita explanavit, ut mihi solus ea intellexisse videatur. Opus illud, hactenus rarissimum, paucisque cognitum, prodiit ex officina Plantiniana, M.D.XCVI.

Joannes Voellus, Sequanus, e Societate Jesu. Pauca quædam, sed exquisita sane et limata, in Ciceronem edidit, seculo decimo sexto exeunte. Plura etiam reliquit

[17] Alias *Lauredani*, alias *Ragazonii*.

inedita, quorum e numero laudantur præsertim *Orationum* vel *analyses*, vel *synopses*. Quamvis autem, non rhetoris, sed interpretis partes hic sustineam, specimina nihilominus proponam ejus generis: non multa quidem, ne doctis fastidio sint; aliqua tamen, ut sint futuris oratoribus exemplo.

Fulvius Ursinus, Romanus. Veteribus nummis, aliisque id genus, quibus Roma tum maxime abundabat, monumentis, cum is magnam elegantioris doctrinæ copiam sibi parasset, multa in toto Cicerone explicuit, quæ propter vetustatem a cæteris ignorabantur.

His igitur ad quinque illos [18] principes, quos ante commemoravi, adjunctis; symbolarum collatores habeo, si bene calculos subduxi, omnino triginta, qui lectoribus quæ opus erunt, sine meo sumptu præbeant. Advocabo tamen alios quoque; sed parcius, et quasi subsidiarios.

Jam vero selectis annotationibus quænam erit in hac editione sedes? An fundentur per paginas, textui subjunctæ? An cujusque voluminis extrema in parte seponentur? Placet nunc pluribus prior illa ratio. At placuit altera Victorio, Manutio, Lambino, Grutero. Placuit, ut alios etiam commemorem magnis editionibus insignes, Petavio, Sirmondo, Huetio. Quid? quod maluisset Grævius [19] *notas omnes in finem librorum rejici*, si fas ipsi fuisset animo suo morem gerere, neque impositam a Typographis necessitatem habuisset serviendi novæ consuetudini, quæ apud Batavos invaluit [20] *invitis*, ait ille, *viris doctis*. At mihi sane fortunatiori esse contigit, nacto Typographos, qui gustum habeant elegantiæ, atque intelligant quantum in Græviana editione offendat oculos fœda illa paginarum species, majoribus, minoribus literis absurde variata. Tres, quatuor lineas, si non pauciores, superne occupat Cicero, cujus ut habeas totam sententiam, evoluto, quem appel-

[18] Asconium, Victorium, P. Manutium, Lambinum, Gruterum.
[19] Præfat. in Epist. ad Famil. [20] Ibidem.

lant, quaternione opus est. Tenent media omnia atque infera ambitiosæ annotationes, et nictantem frustra lectorem eludunt parvitate literarum. Quis enimvero non cohorrescit, commovetur saltem, ubi immensum videt illud scholiorum quasi pelagus, in quo demersus Cicero, atque obrutus, vix effert summum caput? Quam multi sunt, in quibus legendi ardorem restinguat objecta illa intelligendi difficultas? Itaque ego, non tantum ut oculis lenocinarer, sed multo magis ut servirem utilitati, *notas omnes* rejeci, quod voluisset Grævius, *in finem librorum:* ubi nullus sit inveniendi labor, quia in fronte cujusque paginæ exstabunt grandi et aspectabili specie numeri monitores, quorum ope, quæ annotatio ad quem textus locum pertineat, statim videbis.

Jaceant[1] illæ auctoris substratæ verbis: pelliciet te aspectus ipse: leges invitus. Atqui adeundi interpretis unum tempus est, cum expediendæ auctoris sententiæ nulla superest alia ratio. Quid Cicero voluerit, Hotomanum interrogas, aut Turnebum: cur non Ciceronem potius? Revolventi iterum atque tertio locos difficiles, et alia cum aliis ejus dicta conferenti, aperiet ipse sese: ita ut Ciceronis interpretem esse nullum agnoscas Cicerone opportuniorem.

An ergo hujus me instituti piget, atque operæ in commentariorum delectu positæ? Nondum quidem. Attamen, si me audient, quibus fruendam hanc editionem offero, erunt cum Cicerone crebro, ac diu; raro, et parce cum interpretibus.

Restat, ut in disponendis ejus operibus dicam quid ausus sim. Rhetorica *ad Herennium*, quæ Ciceroni abjudicat Criticorum consensus, alii atque alii tribuit suspicio, a Ciceronianis segregavi. Illis erit locus aptior in postremo

[1] Jacebunt hic tamen, quandoquidem sic visum pluribus. Quid enim frustra obstinem, aut diutius contra torrentem nitar? Aptius est, quod habet Parisiensis editio: quod habebit ista, multis videtur commodius. Sed loco moveri non potuit Commentarius, quin partes ejus aliquas mutari opus foret: quod me monstrante factum est, non tantum approbante.

volumine, cum aliis quibusdam, vel supposititiis, vel, quod ad res Ciceronis cognoscendas pertineant, in ejus societatem et quasi familiam receptis. Opera enim Ciceronis pollicitus, cur illud ostendam primum, quod ipsius non esse ultro fateor, et admoneo? Aut cur formoso corpori caput præfigam non ejusdem formæ? Atque hoc unum me volente mutatum est.

Typographorum autem postulationi dedi, ut secundum Tullii Rhetorica, primus hic locus esset Philosophicis, quæ tamen in cæteris editionibus nonnisi postremum occupant. Cum enim sua interesse arbitrarentur, ut ab iis, quæ Grævius non divulgavit, initium ducerent; nolui esse, in re satis levi, nimis pugnax contra homines, qui meum ad nutum in reliquis totos se fingunt et accommodant. Quin etiam, si quis Tullii velit scripta omnia, non primoribus, ut aiunt, labris attingere, sed habere penitus cognita, planeque perspecta, debet ea legere hoc eodem, quo disposuimus, ordine. Plurima enim occurrunt in Orationibus, nec pauca etiam in Epistolis, quæ, nisi Philosophicis tinctus, haud satis capias. Philosophia, quæ res dicendæ sint, docet. Rhetorica, quo modo dicendæ. Rhetorem igitur et Philosophum oportet noveris, priusquam ad Oratorem accedas.

Partitio singulorum operum in eas, quas vocant, sectiones, ad citandi inveniendique opportunitatem, alia est Stephano, alia Nizolio, alia Grutero. Verum in Stephanicis et Nizolianis sectionibus, cum breviculæ sint, id vitii est, quod ea sæpissime divellantur, quæ, ut intelligi possint, conjuncta legi oporteat. Ita enim sibi persuadent lectores nimis multi, ubicumque sectionem conspiciunt, novam inchoari sententiam. Quapropter divisio Gruteriana, longioribus distincta intervallis, sic nuperis Criticis arrisit, ut cæteras negligant, eaque idcirco una hic retinenda esse videatur. At ne quid tamen queraris huic editioni deesse, quo fiat utibilis omnibus; progredere ad voluminis calcem,

et collocato ibi laterculo disces, quæ, quibus Nizolii sectionibus, Gruteri capita respondeant.

Omni denique prologi munere videbor mihi defunctus, udi significavero, quæ me auctoritas, et impulerit ad opus istud suscipiendum, et confirmet in exequendo. Res igitur ita se habet. Viri non tam honoribus amplissimis, quam doctrina et sapientia florentes, in quorum disciplinam traditus est SERENISSIMUS DELPHINUS, ut facilius regii alumni manibus versentur Ciceronis opera, hæc novo quasi ornatu comitata prodire voluerunt; atque ut negotium ego in me reciperem, jusserunt. Quidni morem geram? neque enim ut sustineatur id oneris, requiruntur vires ingenii, quas in me scio quam sint exiguæ; sed fides, ac diligentia, quas præstare si quis velit, potest.

Priusquam finem dicendi facio, decet honoris causa nominari scriptores illos, sive interpretes, de quibus in hac præfatione, cum brevitati consulerem, pluribus verbis dicere non licuit, sed in commentariis tamen, ubi erit opus, apparebunt.

Richardus Bentleius.
Isaacus Casaubonus.
Christoph. Cellarius.
Desiderius Erasmus.
Joan. Aug. Ernestus.
Franciscus Fabritius.
Jacobus Facciolatus.
Gabriel Faernus.
M. Ant. Ferratius.
Joan. Fred. Gronovius.
Nicolaus Hortensius.
Carolus Langius.
Petrus Lescaloperius.
Theodorus Marcilius.
Nascimb. Nascimbænius.
Ausonius Popma.
Martialis Rogerius.
Claudius Salmasius.
Andreas Schottus.
Achilles Statius.
Franciscus Sylvius.
Henricus Valesius.
Isaacus Verburgius.
Hieronymus Wolfius

M. TULLII CICERONIS

HISTORIA,

PER CONSULES DESCRIPTA,

ET

IN ANNOS LXIV. DISTINCTA.

PER FRANCISCUM FABRICIUM, MARCODURANUM.

M. TULLIUS, M. F. M. N. COR. CICERO.

HOC modo Orator noster, cujus historiam descripturi sumus, Romanorum more nominatur, atque hæc singula primum explicabimus.

M. id est MARCUS, prænomen ejus est, quod a patre maximus natu filius de more habuit.

TULLIUS proprium et gentile ejusdem nomen est: fuit enim e Tullia gente antiquissima, *lib.* II. *de Legibus cap.* 1. Patrem Ciceronis ex regio Volscorum genere fuisse, in Rubii Chronicis legimus. Ex Plutarchus scribit, nonnullos ejus genus referre ad Tullum Attium, nobilem Volscorum regem. Hinc Silius Italicus lib. VIII. vers. 405.

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto:
Indole proh quanta juvenis, quantumque daturus
Ausoniæ populis ventura in sæcula civem!
Ille super Gangem, super exauditus et Indos
Implebit terras voce: et furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam sperare nepotum.

M. F. Marci filius. Habuit enim Cicero noster patrem M. Tullium, qui cum esset infirma valetudine, in Arpinati villa fere ætatem egit in literis, lib. II. *de Legibus, cap.* 1. Eum fullonium fecisse, ac vites oleasque semper coluisse, Q. Calenus in maledica oratione, *apud Dionem lib.* XLVI, ait. Patrem hunc Cicero in petitione consulatus, annos jam natus XLIII. amisit, ut *Asconius* scribit. Vide *epist.* 6. *lib.* I. *ad Att.*

M. N. Marci nepos: nam et avus ejus M. Tullius Cicero nominatus fuit, eoque vivo se natum ait, *lib.* II. *de Legibus, cap.* 1. De eodem *lib.* III. *cap.* 16. ita scribit, *Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam.* Is quoque est, de quo Cæsar *lib.* II. *de Oratore*, cap. 66. *M. Cicero* inquit, *senex, hujus viri optimi, nostri familiaris, pater, nostros homines similes esse Syrorum venalium dicebat: ut quisque optime Græce sciret, ita esse nequissimum.*

COR. Cornelia. Nomen est tribus, ablativi casus, ut sit, ex Cornelia. Ex tribubus autem XXXV. aliquam necesse erat, cujuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret. Atque a tribu, in qua censebantur, cives etiam significabantur; *Asconius in Verrinam secundam, cap.* 8. Cicero autem cum reliquis Arpinatibus in tribu Cornelia censebatur. *Livius, lib.* XXXVIII. *cap.* 36.

CICERO. Ciceronea a cicere appellatos fuisse satis constat: itaque dictum esse illum, qui primus hoc

nomen invenit, a nasi figura, auctor est Plutarchus. Apud Priscianum quoque Grammaticum *lib.* II. legitur, cum, qui primus hoc nomen habuit, ab habitu faciei nominatum esse. Plinius vero *lib.* XVIII. *cap.* 3. ait, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina prima inde esse, ut quisque aliquod optime genus sereret.

Anno post Romam conditam 647, *ante Christum natum* 103,

Consules fuerunt
Q. SERVILIUS CÆPIO,
C. ATILIUS SERRANUS.

His Consulibus ante diem III. Nonas Januarii M. Cicero natus est. *Gellius lib.* XV. *cap.* 28. His quoque Consulibus, quibus L. Crassus legem Serviliam suaserit, se natum esse ipse Cicero in *Bruto cap.* 43. scribit. Idem III. Non. Januar. natalem suum vocat, *epist.* 5. *lib.* VII. et *epist.* 42. *lib.* XIII. *ad Atticum.* Verba Plutarchi sine causa in dubium vocantur: qui de Ciceronis natali ita scribit: Τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν πρὸ Καλανδῶν. id est, *Editum in lucem Ciceronem ferunt tertio die Kalendarum novarum*, sive, post diem tertium Kalendarum Januarii. Quo genere loquendi non quartus, sed tertius dies Januarii significatur, ut sit, tertio die post Kalendas, connumeratis ipsis Kalendis. Sic Livius, *lib.* XXX. *cap.* 28. ait, Hannibalem post sextum decimum annum ex Italia decessisse: qui venit in Italiam anno, ut Livius numerat, ab U. C. DXXXII, decessit anno DXLVII. Recte igitur Paulus Jurisconsultus in L. Anniculus, D. de Verb. signif. *Ante diem decimum Kalendarum post diem decimum Kalendarum, neutro*, inquit, *sermone undecim dies significantur.* Sic enim legendum ex Pandectis Florentinis, non, *utroque sermone:* ut perperam Alciatus, Budæus, Valla et Corradus legerunt. Apud Plutarchum omnem dubitationem tollit id quod sequitur: Ἐν ᾗ τῶν οἱ ἀρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. Id est, *Quo die nunc magistratus pro Principe faciunt et vota nuncupant.* De quo die Caius in L. Si calvitur, D. de Verb. signif. *Post Kalendas Januarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur.* Ubi tertium diem Januarii intelligendum esse hæc verba Capitolini in Pertinace ostendunt, *cap.* 6: *Denique ante tertium Nonarum diem, Votis ipsis, milites Maternum Lascivium, senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt. Votis ipsis*, id est, ipso votorum die; quomodo *ludis, gladiatoribus*, et similia a Latinis dicuntur. De iisdem votis Spartianus in Hadriano, cap 23: *Ingravescente valetudine per somnum periit ipsis Kalendis Januariis. Quare ab Hadriano votorum causa est lugeri vetitus.* Et Vopiscus in Tacito, cap. 9. *Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ principum bonorum, ita ut iisdem Natalibus suis, Parilibus, Kalendis Januariis, et Votis libamina ponerentur.*

Mater Ciceronis, quæ ipsum, ut Plutarchus scribit, sine ullo dolore peperit, fuit Helvia, ut ab Eusebio et Paulo Diacono in Supplementis Eutropianis recte nominatur: nam apud Plutarchum Ὀλβίαν mendose est pro Ἑλβίαν, quod nomen in ejusdem Quæstionibus Romanis emendate legitur, quo de *in Annotationibus in Orosii lib.* V. *cap.* 15.

Habuit mater Ciceronis sororem, quæ C. Aculeoni equiti R. nupsit: quem L. Crassus dilexit ex omnibus plurimum, ut est *lib.* II. *de Oratore, cap.* 65. ubi Aculeonem Crassus apud M. Perpernam judicem contra Gratidianum defendisse dicitur. De eodem ipse Crassus lib. I. cap. 43: *Nonne*, inquit, *videtis equitem R. hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime cæteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit semperque vixit, ita tenere jus civile, ut ei, cum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur?* Hujus igitur Aculeonis filii Ciceronis conso-

brini fuerunt, quibuscum se in pueritia bonis disciplinis operam dedisse ipse testatur, initio *lib.* II. *de Orat.* Ex his fuit C. Visellius Varro, vir doctus in primis: qui juris civilis a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam; *Brut.* 76. *Prov. Consul.* 17.

Antequam ad sequentem annum transeo, admonebo adolescentes studiosos, his consulibus natum esse Cn. Pompeium pridie Kal. Octobris, quod Velleius *lib.* II. *cap.* 33. et Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* 2. diserte scribunt: cujus rei observatione facillime dijudicari potest, quot annos natus Pompeius res singulas gesserit, honoresve consecutus sit. Id quod tam varie ab auctoribus scriptum est, ut major discrepantia vix inveniatur.

Anno Urbis 648, *Ciceronis* 2,

Consules fuerunt

P. RUTILIUS RUFUS,
CN. MALLIUS.

Hic est P. Rutilius Stoicus, homo doctissimus et Panætii auditor, de quo Cicero *in Bruto cap.* 30. *lib.* III. *de Officiis, cap.* 2. et nos inferius. Alterum consulem Cn. Mallium voco, quoniam sic quoque appellatur in antiquo marmore Neapoli: unde Georgius Fabricius legem sedificantium descripsit: de quo Cic. pro Plancio, cap. 5. *Populus Rom. Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, præposuit Cn. Mallium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta.* Idem scribit *pro Murena, cap.* 17. Sed apud historicos, qui hunc consulem victum a Cimbris scribunt, magna varietas in nomine et prænomine invenitur, de qua Sigonius in fastis.

Hoc anno Q. Servilio Cæpioni proconsuli imperium rogatione C. Norbani Tribuni pl. abrogatum est, qua de causa seditio in urbe excitata fuit, de qua Cicero *lib.* II. *de Orat. cap.* 47. unde L. Cottam et T. Didium Norbani collegas fuisse cognoscimus. Sed Cæpio damnatus est, ejusque bona publicata sunt. Livius *lib.* LXVII. et Asconius *in Cornelianam*, ubi mendose impressum est. *Tulerat autem eam maxime, propter simultates cum Q. Cæcilio.* Est enim legendum, *cum Q. Servilio*, vel, *cum Q. Cæpione.*

Anno Urbis 649, *Ciceronis* 3,

Consules fuerunt

C. MARIUS II.
C. FLAVIUS FIMBRIA.

C. Marius iterum Consul Kalendis Januarii de Jugurtha triumphavit. *Plutarchus in Mario, Sallustius in Jugurthino.* C. Fimbriam Cicero *pro Plancio, cap.* 21. inter eos numerat, qui cum Tribuni pleb. esse non potuissent, Consules facti sunt. De ejus eloquentia idem *in Bruto, cap.* 66.

His consulibus C. Cassius L. F. Longinus Tribunus pleb. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset. *Asconius in Cornelianam.*

Hoc anno C. Lusius Tribunus milit. Marii sorore natus, pudicitiam eum eriperet Trebonio, sive C. Plotio militi, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Quem cum Marius scelere solutum periculo liberasset ac coronasset, non parum adjumenti ea res illi ad tertium Consulatum attulit. Auctor Plutarchus *in Mario et Apophthegmatis.* Cicero *pro Milone, cap.* 4. Valerius *lib.* VI. *cap.* 3. Quintilianus *lib.* III. *cap. ult.*

Anno Urbis 650, *Ciceronis* 4,

Consules fuerunt

C. MARIUS III.
L. AURELIUS ORESTES.

Marius hunc Consulatum in apparatu belli Cimbrici (quod Cicero *de Provinciis Cons. cap.* 8. Gallicum

vocat, et Mario extra ordinem decretum fuisse ait) consumpsit, ut scribit Velleius *lib.* II. *cap.* 12. ubi addit, his Consulibus Cn. Domitium Tribunum pleb. legem tulisse, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. Cujus meminit Suetonius *in Nerone cap.* 2. et Cicero *Agraria secunda, cap.* 7. his verbis: *De sacerdotiis Cn. Domitius Tribunus pl. vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* De eadem lege Domitia idem *in Corneliana* apud Asconium: ubi illud quoque legimus, Domitium tribunum M. Silanum consularem hominem vexavisse. Orestes in magistratu mortuus fuit. Itaque Marius e Gallia Romam profectus comitia consularia habuit, quibus ipse consul quartum creatus est. *Plutarchus in Mario.*

Anno Urbis 651, *Ciceronis* 5,
Consules fuerunt
C. MARIUS IV.
Q. LUTATIUS CATULUS.

Hoc anno Marius Tuetonos et Ambronas ad Aquas Sextias prope Massiliam delevit *Strabo lib.* IV. Orosius *lib.* V. *cap.* 16. ut alios mittam, de quibus in Orosium scripsi. Q. Catulus pater est: de cujus dicendi genere multa Cicero *in Bruto, cap.* 35. Interfectus est a Marianis anno DCLXVI.

Eodem anno M. Antonius Orator, qui triennio post, suo nimirum anno, consul fuit, prætor maritimos prædones in Ciliciam persecutus fuit, ut est in Epitoma Liviana *lib.* LXVIII. Atque hanc rem ipse Antonius intelligens, lib. I. de Oratore, cap. 18. *Cum proconsul,* inquit, *in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus.* Corradus, non animadvertens, *proconsul* dici etiam, qui ante consulatum cum imperio consulari in provinciam mittitur, scripsit M. Antonium post consulatum in Ciliciam profectum. Tu lege commentarium nostrum in Ligarianam. Atque hic est Antonius ille triumphalis vir, cujus filiam a prædonibus captam fuisse Plutarchus in Pompeio tradit. Unde Cicero pro Lege Manilia, cap. 12: *An ignoratis ex Miseno ejus ipsius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus esse sublatos?* In cujus loci interpretatione doctissimus Hotomanus perperam hunc Antonium cum ejus filio, qui curator oræ maritimæ fuit, ut infra demonstrabimus, confundit.

His consulibus Archiam poetam Romam venisse Cicero in oratione pro eo habita scribit; et addit, illum sibi a prima pueritia principem ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem suorum studiorum extitisse. Usus enim fuit Cicero puer Græcis doctoribus, quod ipse in epist. ad M. Titinium, referente Suetonio de claris Rhetoribus *cap.* 2. ita scripsit: *Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere cœpisse L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.*

Anno Urbis 652, *Ciceronis* 6,
Consules fuerunt
C. MARIUS V, M'. AQUILLIUS.

Marii in quinto consulatu collega fuit Manius Aquillius. Hinc Antonius apud Ciceronem *lib.* II. de Oratore, *cap.* 47. ait, se in Aquillii causa, Marium crebro appellando collegam ei suum commendasse. Aquillium Marii in quinto consulatu collegam adversus fugitivos in Siciliam missum, bellumque servile, Athenione duce interfecto, confecisse, Diodorus Siculus lib. XXXVI. scripsit. In

cujus excerpta historia, ab Henrico Stephano Latine edita, hic Consul C. Acilius per mendum vocatur. Apud Ciceronem quoque Agraria II. cap. 30. male scriptum est, *Siciliæ civitatibus bello fugitivorum M. Atilius etiam mutuum frumentum dedit*, ubi *M'. Aquillius* scribendum: ut initio Verrinæ septimæ, *Nos post id bellum, quod M'. Aquillius confecit, sic accepimus; nullum in Sicilia fugitivorum bellum fuisse.* Aquillius deinde causam de pecuniis repetundis dixit: eumque M. Antonius acriter defendit, ut Livius lib. LXX. Cicero lib. II. de Oratore, cap. 47. et Verrina VII. cap. 1. testantur. Idem pro Flacco, cap. 39. *M'. Aquillium patres nostri, multis avaritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt.* Eodem pertinet illud pro Fonteio, cap. 13. *Quam multa M'. Aquillius audivit in suo judicio?* Accusavit Aquillium L. Fusius, ut Cicero in Bruto, cap. 62. scribit. Itaque recte nunc libro II. de Officiis cap. 14. legitur: *In accusando etiam M'. Aquillio L. Fusii cognita industria est.* Ubi prius *Manlio* corrupte scriptum erat.

C. Marius Cos. V. et Q. Lutatius procos. Cimbros in Venetia ad Atheim Veronæ fluvium vicerunt, de qua victoria Orosius noster *lib.* V. *cap.* 16. Sic Marius influentes in Italiam Gallotum maximas copias repressit; ut ait Cicero *de Prov. Consul. cap.* 13. atque Italiam obsidione liberavit. Idem *post Redit. ad Quirit. cap.* 8. Meminit *pro Rabirio, cap.* 10. *et in Catilin.* IV. *cap.* 10. Q. Catulus de manubiis Cimbricis porticum in Palatio in area M. Fulvii Flacci fecit: *Cicero, pro Domo, cap.* 38.

Anno Urbis 653, *Ciceronis* 7,
Consules fuerunt
C. MARIUS VI,
L. VALERIUS FLACCUS.

Horum consulum frequens est mentio apud Ciceronem *pro Rabirio, cap.* 7. *in Bruto, cap.* 62. *in Catilinam* I. *cap.* 2. *et in Antoninum* VIII. *cap.* 5. Quibus L. Appuleius Saturninus seditionem movit. Is enim, cum anno superiore Tribunatûs competitorem A. Nonium (de quo nomine vide Annotationes nostras in *cap.* 17. *lib.* V. Orosii) adjuvante C. Mario occidisset, eaque ratione Tribunus pleb. iterum factus, legem Agrariam per vim tulisset, in quam a singulis senatoribus jurari voluit, Q. Metello Numidico, qui unus in eam jurare noluit, diem dixit. Metellus autem, cui patriæ salus dulcior quam conspectûs erat, de civitate maluit quam de sententia dimoveri: et C. Mario sextum consuli, et ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. *Cicero pro Balbo, cap.* 5. *pro Sextio, cap.* 16. *et in Pisonem, cap.* 9. Sed cum idem Saturninus C. Memmium candidatum consulatus interfecisset, operamque daret, ut C. Servilius Glaucia prætor, consul fieret: S. C. factum est, ut consules viderent, ne quid respublica detrimenti caperet. Itaque Saturninus et Glaucia statim sunt interfecti. *Cicero pro Rabirio, cap.* 7. *in Catil.* I. *cap.* 2. *Philip.* VIII. *cap.* 5. *et in Bruto, cap.* 62. Saturnini caput Rabirium quendam Senatorem per convivia circumtulisse Auctor de Viris Illustribus scribit. Quare postea Cicerone consule C. Rabirius accusatus fuit a T. Labieno, cujus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. *Cicero pro Rabirio, Orosius lib.* V. *cap.* 17. A Saturnino latæ sunt leges Appuleiæ: in quibus fuit illa, qua Saturninus C. Mario tulit, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset, de qua Cicero *pro Balbo, cap.* 21.

Anno Urbis 654, *Ciceronis* 8,
Consules fuerunt
M. ANTONIUS,
A. POSTUMIUS ALBINUS.

De his Cicero *in Orat. post Redi-*

tum ad Quirites, *cap.* 5: *Nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega Senatum aut populum est cohortatus.* Hoc tamen anno Metellus unius tribuni pl. rogatione ab exilio revocatus est; *epist.* 9. *lib.* I. *Fam.* Tribunus fuit Q. Calidius, auctore Valerio *lib.* V. *cap.* 2. Calidii lege Q. Metellum in civitatem restitutum fuisse Cicero quoque *pro Plancio*, *cap.* 28. ait.

Eodem anno Tribunus pl. fuit Sex. Titius, homo seditiosus et turbulentus: cui Antonius Consul restitit, ut ipse narrat *lib.* II. *de Oratore*, *cap.* 11. ubi de testimonio suo in Titium reum agit. Fuit enim hic Titius accusatus et condemnatus, quod L. Saturnini imaginem domi suæ habuisset, ut scribit Cicero *pro C. Rabirio*, *cap.* 9. et Valerius *lib.* VIII. *cap.* 1. qui ait, eum lege Agraria gratiosum fuisse. Est ergo is, de quo Obsequens in Antonii et Albini Consulatu hæc scribit: *Sex. Titius (Sextius* in Obsequente mendose legitur) *tribunus pleb. de agris dividendis populo, cum repugnantibus collegis, pertinaciter legem ferret, corvi duo numero in alto volantes ita pugnaverunt supra concionem, ut rostris unguibusque lacerarentur. Haruspices sacra Apollinis litanda, et de lege, quæ ferebatur, supersedendum pronuntiarunt.* Unde emendandus est locus Ciceronis *lib.* II. *de Legibus*, *cap.* 12. corruptus adhuc in omnibus libris, etiam Manutianis postremis. Sic enim legitur: *Quid religiosius quam cum populo, cum plebe agendi jus, aut dare aut non dare? quid, legem, si non jure, rogata est, tollere? ut etiam decreto collegii, ut Livias, consilio Philippi, consulis et auguris?* In codice manuscripto pro, *ut etiam*, legitur, *ut tetiam*; tu, *ut Titiam*, repone. Nam in eodem libro, *Levias* pro *Livias* scriptum est.

His consulibus C. Claudium Pulchrum eum, qui septimo anno post consul fuit, ædilem curulem fuisse ex Plinii *lib.* VIII. *cap.* 7. cognoscimus. Eum magnificentissima ædilitate functum esse Cicero, *lib.* II. de Officiis, *cap.* 16. ait. De eodem in Verrem VI. cap. 3. *C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum Diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum.*

Anno Urbis 655, *Ciceronis* 9,

Consules fuerunt

Q. CÆCILIUS METELLUS NEPOS,
T. DIDIUS.

Ab his Consulibus lata est lex Cæcilia Didia, ab utriusque nomine dicta. Cujus meminit Cicero *pro Domo*, *cap.* 16. *et* 20. *Philip V. cap.* 3. *epist.* 9. *lib.* II. *ad Attic.* ubi vulgo *Cæliam Didiam*, sicut pro Sextio cap. 64. *Aciliam Didiam*, mendose legitur. Hujus legis duo capita fuerunt: unum, ut diversis de rebus lex ferretur; alterum, ut leges trinundino promulgarentur. Auctor Cicero locis jam citatis.

Manutius in libro de Legibus duas leges Cæcilias Didias fuisse affirmat, quem lege. Hoc ex Asconio addendum, Hujus Metelli consulis filium fuisse Metellum Nepotem eum, qui cum Cicerone inimicitias gessit. Quem Herbestus nescio quis, errore non ferendo, eundem cum patre facit.

Anno Urbis, 656, *Ciceronis* 10,

Consules fuerunt

C. CORNELIUS LENTULUS,
P. LICINIUS CRASSUS.

P. Crassus pater est M. Crassi, de cujus censura ad annum DCLXIV. de interitu ad ann. DCLXVI. infra dicemus. Ejus fuit domus Ciceronis, ut est in Sallustii Invectiva, cap. 2.

Eodem anno Censores in tabulis

Capitolinis inveniuntur, L. Valerius Flaccus et M. Antonius, de quibus Valerius Max. *lib.* II. *cap.* 4. Cicero *cap.* 3. *lib.* III. de Oratore scribit, Antonium Censorem imperatoriis manubiis rostra ornasse.

Anno Urbis 657, *Ciceronis* 11,

Consules fuerunt

CN. DOMITIUS AHENOBARBUS,
C. CASSIUS LONGINUS.

De hoc Domitio Cicero pro Domo, *Cn. Domitium*, inquit, *nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem Max. vidimus.* De ejus Tribunatu dixi ad annum DCL. Censor fuit anno DCLXI. Post Tribunatum pontifex maximus populi suffragio creatus fuit, ut est in Epitoma Liviana, *lib.* LXVII. De eodem Cicero in Bruto, cap. 45. *Hoc*, inquit, *loco ipsum Domitium non relinquo. Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur.* His Consulibus Ptolemæum regem Cyrenarum, cui cognomen Apioni fuit, mortuum testamento heredem populum Romanum reliquisse Obsequens et Cassiodorus scribunt. Cicero *contra Rullum II. cap.* 19. *Adscribit idem auctioni Corinthios agros, opimos et fertiles; et Cyrenenses, qui Appionis fuerunt.*

Anno Urbis 658, *Ciceronis* 12,

Consules fuerunt

L. LICINIUS CRASSUS,
Q. MUCIUS SCÆVOLA.

De his Cic. Verr. IV. cap. 49. *Halesini pro multis et magnis suis, majorumque suorum in rempublicam nostram meritis atque beneficiis, suo jure nuper, L. Licinio, Q. Mucio Cos. cum haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt.* Idem, libro III. de Officiis, cap. 11. *Esse pro cive, qui non sit civis, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi Consules, Crassus et Scævola.* Hanc legem Liciniam et Muciam vocat in Bruto cap. 16. qui acerrimam de civitate quæstionem venisse ait pro Balbo, cap. 21. De eadem *pro Cornelio*, majestatis reo: *Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis duo Consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulerunt.* In quem locum Asconius plura scribit.

Crasso Gallia provincia obvenit, in eaque rem gessit, de qua Cicero *lib.* II. *de Inventione, cap.* 37. *et in Pisonem, cap.* 26. Q. Mucius in Asia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui Consul fuerat anno DCLVIII. et quia publicanis nihil agere in Asia permiserat, eorum conspiratione in judicium vocatus, ab equitibus, qui tum judicabant, damnatus est, ut scripsi, *in cap.* 17. *lib. V.* Orosii. Meminit ejus Cicero passim, *lib. I. de Oratore, cap.* 53. *in Bruto. cap.* 29. *pro Fonteio, cap.* 13. *in Pisonem, cap.* 39. *lib.* III. *de Nat. Deor. cap.* 32. et alibi. His Consulibus Prætor *fuit* suo anno C. Claudius Ap. F. Pulcher, ut est *in Verrina* IV. cap. 49.

Anno Urbis 659, *Ciceronis* 13,

Consules fuerunt

C. CÆLIUS CALDUS,
L. DOMITIUS AHENOBARBUS.

Cælium hunc inter novos homines numerat Cicero *pro Murena cap.* 8. Eundem non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendisse, ut ad summos honores perveniret, ait *in Verr.* VII. *cap.* 70. De eodem Crassus lib. I. de Orat. cap. 25. *Quis non videat, C. Cælio, æquali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcumque assequi potuit in dicendo mediocritatem?* Hac de causa meminit ejus *in Bruto, cap.* 45. Eundem clarissimum ac fortissimum adolescentem Quæstorem non esse factum

sit *pro Plancio, cap.* 21. ubi male *Q. Cæcilius* legitur. L. Domitius prætor Siciliam obtinuerat, atque severitatis exemplum in pastorem, qui aprum venabulo percusserat, ediderat: quod ex Ciceronis *Verr.* VII. *cap.* 3. Valerius *in cap.* 3. *lib.* VI. transtulit.

Anno Urbis 660, *Ciceronis* 14,

Consules fuerunt

C. VALERIUS FLACCUS,
M. HERENNIUS.

M. Herennius is est, qui in consulatus petitione L. Philippum superavit. De quo Cicero in Bruto, cap. 45. *Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus, Latine et diligenter loquentibus, numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia L. Philippum in consulatus petitione superavit.* Et pro Murena, cap. 17. *Quis L. Philippum, summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est?* Totum annum domi forisque tranquillum fuisse Obsequens scribit.

Anno Urbis 661, *Ciceronis* 15,

Consules fuerunt

C. CLAUDIUS PULCHER,
M. PERPERNA.

Hic C. Claudius Ap. F. dicitur a Cicerone *Verrina*, IV. *cap.* 49. Alii non male C. F. appellare videntur: ut sit P. Clodii patruus, quem Consulem fuisse Cicero *in Cæliana cap.* 14. ostendit. Claudii collega in Fragmentis Capitolinorum Fastorum M. Perperna vocatur. Περίφας idem nominatur a Dione *lib.* XLI. ubi de ipsius morte scribit.

Hoc anno Censor cum Cn. Domitio fuit L. Crassus, cujus Censuræ Cicero *in libris de Oratore* aliquoties mentionem facit. Hoc etiam tempore clarissima illa M'. Curii et M. Coponii causa apud Centumviros a duobus consularibus atque æquabilibus L. Crasso et Q. Scævola defensa est, paulo ante quam Cicero in forum venit, ut testatur ipse *pro Cæcina, cap.* 18. Meminit ejusdem *lib.* I. *cap.* 39. *et* 56. II. 32. *de Oratore, et in Bruto, cap.* 39. *et* 52. unde causam talem fuisse cognoscimus. Coponius in testamento postumum heredem scripserat: eique, si ante quam in tutelam suam veniret, mortuus esset, Manium Curium substituerat. Cum postumus natus non esset, M. Coponius heres legitimus ad se hereditatem pertinere contendit, negavitque Scævola, Coponii patronus, nisi postumus, et natus, et antequam in suam tutelam veniret, esset mortuus, heredem eum esse posse, qui postumo et nato et mortuo esset substitutus. Crassus, qui Curium defendebat, contendit, testatorem hac mente fuisse, ut si filius non esset qui in tutelam veniret, Curius heres esset, idque omnibus probavit.

Anno Urbis 662, *Ciceronis* 16,

Consules fuerunt

L. MARCIUS PHILIPPUS,
SEX. JULIUS CÆSAR.

L. Philippus is est, quem a M. Herennio prius superatum fuisse diximus. De eodem Cicero *lib.* II. de Officiis cap. 17. *L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, imprimisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima.*

Hic annus decimus sextus terminus est pueritiæ Ciceronis: in qua, ut Plutarchus scribit, cum eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium ejus ita eluxit, tantumque nominis et gloriæ inter pueros habuit, ut eorum parentes, visendi Ciceronis, cognoscendæque celebratæ celeritatis in discendo gratia, ad ludum venirent. Pueri quoque honoris gratia,

Ciceronem medium deducebant. De quo honore Plutarchus in Præceptis Civilibus, et Ovidius *lib.* V. Fastorum, vers. 67.

Et medius juvenum, non indignantibus ipsis
Ibat: et interior, si comes unus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipsum ejusmodi naturæ fuisse ait, qualem Plato lib. V. de Rep. in Philosopho et homine docili requirit. Ubi Socrates ita concludit. Οὐ κοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι οὐ τῆς μιᾶς, τῆς δ' οὐ, ἀλλὰ πάσης. Id est, *igitur et philosophum dicemus sapientiæ amatorem esse, non unius alicujus, sed universæ.*

Puer Cicero, cum poesi imprimis delectaretur, *Pontium Glaucum* tetrametris composuit, quem sua etiamnum ætate extitisse Plutarchus ait. Æschylus ἐν τῷ Ποντίῳ Γλαύκῳ a Strabone, Athenæo et aliis citatur.

Hoc anno tribunus pleb. M. Livius Drusus, cum senatui priscum restituere cuperet decus, et judicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia judicabant, ad eum transferre ordinem, in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, inquit Velleius *lib.* II. *cap.* 13. Cum igitur vehementius inveheretur in causam Principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi jam ac debilitari videretur, ludorum Romanorum diebus, quos a pridie Non. usque ad Idus Septemb. fuisse ex veteri Kalendario cognoscitur, Crassus se cum C. Cotta et P. Sulpicio in Tusculanum contulit. Quo cum primum Q. Scævola et M. Antonius, deinde Q. Catulus et C. Julius Cæsar venissent, habita fuit disputatio de Oratore, quam Cicero postea tribus libris complexus est, seque tum adhuc puerum fuisse ait, *lib.* XIII. *ad Att. ep.* 19.

Idibus Septembris senatus frequens vocatu Drusi in Curiam venit: ibique permulta vehementissima contentione animi, ingenii, virium a L. Crasso dicta sunt: dicenti latus condoluit, sudorque multus consecutus est: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum redit, dieque septimo lateris dolore consumptus est. *Cicero de Oratore lib.* I. *cap.* 7. *et* III. *cap.* 1. *et* 2. Drusus quoque, sociis et Italicis populis spe civitatis Romanæ sollicitatis, cum e foro cinctus immensa multitudine revertisset, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. *Velleius lib.* II. *cap.* 14. *et Livius lib.* LXX. Cicero quoque *lib.* III. *de Nat. Deor. cap.* 32. 33. ait, Drusum domi suæ ferro a Q. Vario interfectum esse. Et pro Milone cap. 7. *Tribunus pl. M. Drusus occisus est: nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta a senatu est.*

Petiit eodem tempore tribunatum pleb. C. Cotta is, qui anno post Rom. cond. DCLXXVIII. Consul cum L. Octavio fuit. Sed paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus ejectus est e civitate, *lib.* III. *de Oratore cap.* 3. Reus enim lege Varia factus, venit in judicium: cumque res suas extulisset, et equites palam insectatus esset, antequam sententiæ de ipso ferrentur, urbe cessit. *Appianus lib.* 1.

Crasso mortuo, Cotta pulso, Cicero in forum venit, ut ipse testatur in *Bruto cap.* 88. Unde cognoscitur, M. Tullium anno sequente, cum judicia bello Italico intermissa essent, sumpta virili toga, in forum venisse. Deducebantur enim tunc in forum adolescentes a patre, vel a propinquis, ut essent fori auditores, et sectatores judiciorum. Qua de re Tacitus in *Dialogo de Oratoribus cap.* 34. meminit Cicero *pro Cælio cap.* 4. *et ep.* 10. *lib.* XIII. *Famil.* Filius etiam, qui togam virilem sumebat, a patre et propinquis in forum deducebatur, ut Plutarchus in Bruto de Cassi filio scribit, et togam virilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον

appellat. *Dio lib.* XLV. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν vocat. Hanc togam Latini etiam puram, et Græci ἀπήρτυον nominant. Dabant etiam suis liberis Romani decimo sexto fere anno. Sic enim Suetonius in Augusto, cap. 8. *Quadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit: quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quanquam expers belli propter ætatem.* Sic M. Tullius suo filio, quo auctus fuit Cæsare et Figulo coss. anno DCLXXXIX. togam puram dedit Lentulo et Marcello coss. anno DCCIV. *ep.* 2. *lib.* I. *et ep.* 20. *lib.* IX. *ad Att.* Adolescentes eo ipso die, quo togam virilem sumebant, in Capitolium ascendisse argumento est, quod Valerius *lib.* V. *cap.* 4. de M. Cotta scribit, de quo Dio *lib.* XXXVI. Hoc anno multis prodigiis bellum Italicum significatum fuit: quæ Sisenna initio belli Marsici exposuit, auctore Cicerone, *lib.* I. *de Divinat. cap.* 44. Eadem referuntur ab Obsequente et Orosio *lib.* V. *cap.* 18. Tum Haruspices Italici belli funesta illa principia non obscure prædixerunt. *Cicero de Harusp. Resp. cap.* 9.

Anno Urbis 663, *Ciceronis* 17,

Consules fuerunt

L. JULIUS CÆSAR,
P. RUTILIUS LUPUS.

Horum Consulum Cicero *lib* I. *de Divinat. cap.* 2. his verbis meminit: *Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio Consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio.* Et *cap.* 44. *Cæciliæ, Q. filiæ, somnio modo, Marsico bello, templum est a senatu Junoni Sospitæ restitutum.* Nam his consulibus, ut Paterculus scribit, ortum est bellum, quod, quia a Marsis primum commotum fuit, *Marsicum* est dictum, ut Strabo lib. V. scribit: atque ita vocatur a Cicerone etiam Philip. VIII. cap. 10. et orat. II. contra Rullum cap. 33. ubi idem, sicut et Verrina IV. cap, 2. pro Cluentio, cap. 7. pro Archia, cap. 4. et de Harusp. Resp. cap. 9. *Italicum* nominatur. Idem a Cicerone pro Fonteio cap. 14. *Sociale*, a Diodoro, Plutarcho et Appiano Μαρσικὸς et συμμαχικὸς πόλεμος dicitur. Defecerunt eo bello finitimi ac vicini, ut Cicero *pro Sylla* ait *cap.* 20. Tu vide Orosium nostrum *cap.* 18. *lib.* V. Gestum est hoc anno et proximo sequente ab ipsis Consulibus. Hinc Cicero pro Fonteio cap. 15. *Recordamini quos legatos nuper in bello L. Julius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit.* Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero *in Bruto cap.* 89. scribit: *Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum.* Hoc tempore, ut ibidem Cicero ait, judicium exercebatur una lege Varia. Tulerat eam Q. Varius adversus intercessionem collegarum annitentibus equitibus, ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum R. arma sumpsissent. *Asconius in orat. pro Scauro, Valerius lib.* VIII. *cap.* 6. *Appianus lib.* I. Cujus libri mendose Κόϊντον Οὐαλέριον pro *Q. Vario* edunt. Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob ejus tristitiæ occasionem senatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur, inquit Asconius *pro Cornelio.*

Tum Cicero, ut ipse *in Bruto cap.* 89. ait, quotidie et scribens, et legens, et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non erat. Quare, cum idem, auctore Quintiliano *lib.* X. *cap.* 3. in disputationibus de Oratore judicium suum cum Crassi auctoritate conjunxerit, non dubium est, quin ipse Tullius suas exercitationes *lib.* I. *de oratore cap.*

34. sub Crassi persona ita significaverit: *In quotidianis commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut nonnorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova nostris essent, dummodo essent idonea.*

Tum igitur Cicero admodum adolescentulus, ut est *lib.* II. *de Nat. Deor. cap.* 41. Arati carmina de cœlo stellisque convertit; quorum fragmenta extant. *Marium* quoque illis temporibus cum Scævola viveret, qui de eo dixit, *Canescit sæclis innumerabilibus*, scripsit. Cujus a se scripti meminit *lib.* I. *de Legib. cap.* 1. *lib.* I. *de Divinat. cap.* 47. *et lib.* XII. *ad Att. ep.* 49. De Mario aliter Corradus: quem *lib.* I. *de Legibus* refellit. Extremo hoc anno L. Julius Cæsar cos. legem Juliam de civitate tulit: qua lege civitas est sociis et Latinis data, ut Cicero *pro Balbo* ait, *cap.* 8. eodem hoc anno Cicero in Bruto cap. 89. *Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus, excesserat. Ego autem, juris civilis studio, multum operæ dabam Q. Scævolæ, P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Atque hic est Q. Mucius Augur, ad quem sumpta virili toga Cicero a patre ita erat deductus, ut, quoad posset et liceret, a senis latere nunquam discederet; quod ipse *in Lælio cap.* 1. scribit.

Sed cum Q. Scævola Augur, qui cum L. Metello Consul fuit anno Urbis DCXXXVI. in monumentis antiquis Q. F. dicatur, videndum, an patris prænomen in Ciceronis libris sit depravatum. Nam Scævolam Pontificem, quem Corradus et alii viri docti significari putant, intelligi non posse inde constat, quod Cicero se ad Pontificem non nisi augure mortuo contulit. Augur autem non solum hoc, verum etiam sequente anno superstes fuit, ac tum Ciceroni sermonem Lælii de Amicitia exposuit, ut *e Lælio* M. Tullii perspicuum est. De eodem Augure Cicero hæc, Philippica VIII. cap. 10. *Ego Q. Scævolam Augurem memoria teneo, bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simulatque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto: senexque et debilis primus veniebat in curiam.* Plutarchus scribit, Ciceronem bello Marsico aliquandiu sub Sylla militasse. Apud Syllam legatum se fuisse, cum ille hoc anno ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit, ipse Cicero *lib.* I. *de Divinatione cap.* 33. scribit. De hac sua militia etiam *Philipp.* XII. *cap.* 11. hæc memoriæ prodidit: *Cn. Pompeius Sex F. Consul, me præsente, cum essem tiro in ejus exercitu, cum P. Vettio Catone, duce Marsorum, inter bina castra collocutus est.*

Hoc anno censores fuerunt P. Li-

Anno Urbis 664, *Ciceronis* 18,

Consules fuerunt

C. POMPEIUS STRABO,
L. PORCIUS CATO.

Hoc anno primum senatores cum equitibus Rom. lege Plotia judicarunt, cujus Cicero *pro Cornelio* meminit; et Asconius, eum locum interpretans, scribit, his consulibus M. Plautium Silvanum tribunum pl. eam legem tulisse.

Tulit idem legem Plotiam de vi, de qua Cicero pro Milone cap. 13. de Harusp. Respons. et alibi. De

cinius Crassus et L. Julius Cæsar, quibus censoribus nullam populi partem ese censam Cicero ait *pro Archia, cap.* 5.

Anno Urbis 665, *Ciceronis* 19,

Consules fuerunt

L. CORNELIUS SYLLA,
Q. POMPEIUS RUFUS.

De hoc anno Cicero in Bruto cap. 89. *Atque huic anno proximus Sylla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Sulpicium ab optima causa profectum, Caioque Julio, consulatum contra leges petenti, resistentem, longius, quam voluit, popularis aura provexit,* ait idem *de Harusp. Resp. cap.* 20. Dissidebat enim capitali odio a Q. Pompeio, consule quocum conjunctissime et amantissime vixerat, *in Lælio cap.* 1. cumque, auctore Mario, perniciosas leges (quas per vim latas Sylla dicebat, ut est *Philipp.* VIII. *cap.* 2.) promulgaret, ac Pompeii consulis filium, Syllæ generum, occidisset, Sylla cum exercitu in urbem venit, ex eaque Sulpicii et Marii factionem expulit. *Livius lib.* LXXVII. *et alii* Tum Sylla P. Sulpicium oppressit, eique ferro erepta vita est. *Cicero in Catil.* III. *cap.* 10. *et lib.* III. *de Orat. cap.* 3. Marius primo senile corpus paludibus demersus occultavit: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugit: inde navigio perparvo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas pervenit, ait Cicero *pro Sextio, cap.* 22. Historiam pleniorum apud *Plutarchum. Appianum, Velleium lib.* II. *cap.* 19. *et in Epitoma Livii* invenies. De eodem Cicero post Reditum ad Quirites c. 8. *C. Marium egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, cum caret patria, quam obsidione liberavisset: cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi audiret: cum adolescentem filium videret ejusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium, corpus ac vitam suam conservasset: cum parva navicula trajectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset.* Et in Pisonem, cap. 19. *C. Marium Italia servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa devicta ab eodem, expulsum et naufragum vidit.*

Dum hæc in Italia geruntur, interim Mithridates, rex Ponti, Ariobarzane et Nicomede amicis populi Rom. exactis Cappadocia atque Bithynia, Asiam intravit, unaque die, tota Asia tot in civitatibus uno nuncio atque una litterarum significatione cives Roman. necandos trucidandosque denotavit, inquit Cicero *in Maniliana cap.* 3. scribit Livius, *lib.* LXXVIII. Valerius *lib.* IX. *cap.* 2. Plutarchus *in Sylla,* Appianus *in Mithridatico.* Atque hæc est illa universorum civium Romanorum per tot urbes uno puncto temporis misera crudelisque cædes, quam Cic. *pro Flacco cap.* 25. nominat.

Hanc vero crudelitatem Mithridatis in togatos P. Rutilius Rufus, cum a rege Mytilenis oppressus esset, vestis mutatione vitavit, ut est *in orat. pro Rabirio Postumo cap.* 10. Idem *in Maniliana cap.* 5. ait, Mithridatem tum *legatum populi Rom., consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necasse.* Intelligit autem M'. Aquillium consulem anni DCLII. de quo præter Appianum Justinus *lib.* XXXVIII. *cap.* 3. et Athenæus *lib.* V. *Dipnosoph.* Cicero etiam hac de causa M'. Aquillii mentionem facit *Tuscul.* V. *cap.* 5. Urbs Rhodus sola tum in fide mansit, atque oppugnata fuit, ut est in Epitoma Livii *lib.* LXXVIII. Unde Cicero *in Verr.* IV. *cap.* 65. ait; *Rhodios prope solos bellum illud superius cum Mithridate gessisse, omnesque ejus copias accerrimumque im-*

petum mœnibus, litteribus, classibusque suis excepisse.

Eodem tempore, cum princeps Academiæ Philo cum Atheniensium optimatibus, Mithridatico bello, domo profugisset, Romamque venisset, totum ei se Cicero tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, ut ipse *in Bruto, cap.* 89. ait. Hinc Plutarchus scribit, Ciceronem, cum e pueris excessisset, Philonem Academicum audivisse: quem inter Clitomachi discipulos Romani imprimis et propter doctrinam admirabantur, et propter morum mansuetudinem diligebant. Philonem igitur Cicero *lib.* I. *de Nat. Deor. cap.* 3. inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit. De eodem in Lucullo cap. 6. *Jam Clitomacho Philo noster operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiæ non defuit.* Phædrus quoque Ciceroni, cum puer esset, antequam Philonem cognovisset, valde ut philosophus probatus fuit. *Ep.* 1. *lib.* XIII. *Famil.* Merito igitur *lib.* I. *de Nat. Deor. cap.* 3. scripsit, non mediocrem se a primo tempore ætatis in philosophiæ studio operam curamque consumpsisse, in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod sublata jam esse in perpetuum ratio judiciorum videbatur, ut ait *in Bruto cap.* 89.

Hoc etiam anno, ut jam retulimus, Q. Mucius Augur Lælii de Amicitia sermonem, habitum ab illo paucis diebus post mortem Africani, Aquillio et Tuditano consulibus, anno DCXXIV. Ciceroni exposuit. Augure mortuo Cicero se ad Q. Scævolam pontificem contulit. Cui Reip. et senatus principi cum operam daret, peritus juris evasit, ut Plutarchus scribit. Unde Atticus *lib.* I. *de Legib. cap.* 4. Tullium his verbis affatur: *Nam a primo tempore ætatis juri studere te memini, cum ipse etiam ad Scævolam ventitarem: neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.* Et Brutus de Claris Orat. cap. 40. *Tu mihi videris tantum juris civilis scire voluisse, quantum satis esset Oratori.* Q. Scævola pontifex, seu, ut Appianus eum nominat, Μούκιος Σκαιόλας ὁ τὴν μίστην Ῥωμαίοις ἱερωσύνην ἱερούμενος, is est, quem supra consulem cum L. Crasso fuisse anno ab. U. C. DCLVIII. scripsimus, de cujus morte dicemus ad annum DCLXXI.

Anno Urbis 666, *Ciceronis* 20,

Consules fuerunt

CN. OCTAVIUS,
L. CORNELIUS CINNA.

Hoc anno Cinna consul, cum perniciosas leges per vim ferret, urbe a Cn. Octavio collega pulsus est. *Livius lib.* LXXIX. Unde Cicero in Catil. III. cap. 10. *Cn. Octavius, consul, armis ex urbe collegam suum expulit: omnis hic locus acervis corporum, et civium sanguine redundavit.* Atque ita bellum Octavianum commotum est: cujus meminit Cicero, *lib.* I. de Divinat. cap. 2. *et lib.* II. de Nat. Deor. cap. 5. *Tum*, inquit, *stellis iis, quas Græci* cometas, *nostri cincinnatas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ.* Vide Plinium *lib.* II. *cap.* 25. Dissensionis inter Octavium et Cinnam meminit Cicero etiam *de Harusp. Resp. cap.* 25.

Cinna urbe pulsus corruptum App. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, ut Livius *lib.* LXXIX. scripsit. App. Claudio, P. Clodii patri, imperium hoc tempore abrogatum fuisse Cicero *pro Domo* ait *cap.* 31. Tum Marius cum reliquis exulibus ex Africa accersitus, cum in urbem recepti essent, eam velut captam cædibus et rapinis vastarunt, qua de re Orosius *lib.* V. *cap.* 19. et ego in eum locum. Hinc Cicero *post Red. in Senatu cap.* 15. ait, C. Marium reditu suo senatum cunctum pene delevisse. Tum Q. Catulus, M. Antonius, C. Julius trium ætatum oratores tres sunt crudelissime interfecti. *Cicero in Bruto cap.* 89. Et Marius quidem Cimbricæ victo-

riæ gloriam cum collega Catulo communicavit: postea vero civili bello victor iratus, necessariis Q. Catuli deprecantibus non semel respondit, moriatur. Idem, *Tuscul.* V. *cap.* 19. et Cotta *lib.* III. de Nat. Deor. cap. 32. *Cur tot civitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus, C. Marius, Q. Catulum, præstantissima dignitate virum, mori potuit jubere?* M. Antonii in iis ipsis rostris, in quibus ille Remp. constantiss ne consul defenderat, quæque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita conservata: lib. III. de Orat. cap. 3. et Tuscul. V. cap. 19. *Cinna, collegæ sui, consulis Cn. Octavii, præcidi caput jussit, P. Crassi, L. Cæsaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiæque cognita: M. Antonii, omnium eloquentissimi, quos audierim: C. Cæsaris, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis.* De his omnibus vide procemium *lib.* III. *de Orat.* De P. Crasso Cicero pro Sextio, cap. 21. *In qua civitate ipse meminissem, patrem hujus M. Crassi, fortissimum virum, ne videret victorem vivus inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem sæpe hostibus obtulisset?* De eodem *pro Scauro*, et ibi Asconius.

Hoc anno M. Tullius Moloni Rhodio Romæ dedit operam, et actori summo causarum, et magistro, ut ait *in Bruto cap.* 89. de quo Molone Plutarchus *in Cic.* et *Cæsare*, Strabo *lib.* XIV. Quintilianus *lib.* III. *cap.* 1. et Suetonius *in Julio Cæsare cap.* 4. Molonem Rhetorem studia M. Ciceronis acuisse ait etiam Valerius Max. *lib.* II. *cap.* 2. Circa hoc tempus Cicero adolescens commentarios Rhetoricos de Inventione inchoatos et rudes edidit. Quod ipse initio *lib.* I. *de Oratore* et Quintilianus *lib.* III. *cap.* 1. significant.

Post hunc annum triennium fere urbem sine armis fuisse Cicero *in Bruto cap.* 90. ait, quo Sylla bellum Mithridaticum gerente, de quo Plutarchus et Appianus, Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsederunt, ut scribit Velleius, *lib.* II. *cap.* 24.

An. igitur ab U. C. 667, *Cic.* 21,

Consules fuerunt

C. MARIUS VII.
L. CORNELIUS CINNA II.

Marius, quem Cicero *pro Plancio, cap.* 21. duabus ædilitatis acceptis repulsis, septies consulem esse factum ait, editis multis sceleribus Idibus Januarii decessit. *Livius lib.* LXXX. De ejus morte sic Cic. *lib.* III. de Nat. Deor. cap. 32. *Cur Marius tam feliciter, septimum consul, domi suæ senex est mortuus?* Mario suffectus est L. Valerius Flaccus, pater illius Flacci, pro quo Ciceronis oratio extat. Huic, cum a Cinna missus, ut Syllæ ad Bellum Mithridaticum succederet, in Asiam trajecisset, consuli portas tota Asia clausit. *Cicero pro Flacco, cap.* 25.

Anno sequente idem a C. Fimbria legato suo consularis interfectus est. *Velleius lib.* II. *cap.* 24. Livius LXXXII. *Strabo* XIII.

Hoc anno censores in tabulis Capitolinis inveniuntur L. Marcius Philippus, M. Perperna, quorum *Verrina* I. *cap.* 55. in lege Verris mentio fit ita: *Qui de L. Marcio, M. Perperna censoribus redemerit, eum socium ne admittito &c.* De Marcio item Cicero *pro Domo cap.* 32. ait: *L. Philippus censor avunculum suum præteriit in recitando senatu. Nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quæ erant acta in ea Rep. in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset.* Hi sunt superiores illi censores, quibus Archiam cum L. Lucullo quæstore fuisse in Asia Cic. *pro Archia, cap.* 5. ait. Lucullus enim hoc tempore quæstor in Asia per multos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit, ut Cic. in *Luculli* principio scribit. Lucullum vero in Græcia fuisse ante quam Sylla eo veniret, ex *Plutarchi Sylla* cognoscitur. Sylla quoque ex Asia dec-

dente, Lucullus ibi mansit, ut infra dicemus.

Proximo biennio, quo comprehenditur annus urbis 668, et 669, Ciceronis 22, et 23,

Consules a se creati Remp. tenuerunt

L. CORNELIUS CINNA,
CN. PAPIRIUS CARBO.

Qua ratione M. Tullius hoc triennium, quo urbs fere fuit sine armis, traduxerit, ipse in *Bruto, cap.* 90. his verbis exponit: *Ego,* inquit, *hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitavisset apud me, mecumque vixisset, nuper est domi meæ mortuus; a quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quæ quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est: sine qua etiam tu, Brute, judicavisti, te illam justam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse.* Hactenus Cicero qui hunc Diodotum *lib.* I. *de Nat. Deor. cap.* 3. primo loco numerat inter eos philosophos, a quibus institutus fuit. De eodem in Lucullo, cap. 36. *Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo.* Et ep. 16. lib. XIII. Fam. *Domi meæ cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multum a puero fuit.* Ejusdem meminit *ep.* 4. *lib.* IX. *Fam.* de quo loco etsi Adriani Turnebi et Petri Rami, præceptorum meorum, quos, ut ipsorum dignitas poscit, honoris gratia nomino, sententiæ aliquando nonnihil discreparunt: res tamen ipsa ex vera hujus nominis scriptura, quam Victorius, Manutius et Lambinus, viri doctissimi, e vetustis libris ediderunt, jam extra controversiam est. De eodem Cicero, Tuscul. V. cap. 39. *Diodotus Stoicus, cæcus, multos annos nostræ domi vixit. Is vero, quod credibile vix esset, cum in Philosophia multo etiam magis assidue quam antea versaretur, et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur, cumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, unde, quo, quamque lineam scriberent.*

Mortuus fuit Cæsare et Bibulo coss. anno ab U. C. DCXCIV. Cornelius Tacitus in *Dialogo de Oratoribus. cap.* 30. ait, Ciceronem apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum, omnes philosophiæ partes penitus hausisse. Addit Cicero in Bruto, cap. 90: *Huic ego doctori, et ejus artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans sæpe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius: vel quod Græca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat: vel quod a Græcis summis doctoribus, nisi Græce dicerem, neque corrigi possem, neque doceri.* Ciceronem ad Prætura usque Græce declamasse auctor est Suetonius *de Claris Rhetoribus cap.* 1.

Circa hoc tempus Cicero, cum *Aratum* jam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Œconomico lusit, ut scribit Hieronymus, in *præfatione in Euseb. Chron.* Ipse Cicero, secundo libro extremo *de Officiis* ad filium, viginti annos natum, ita scribit: *Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Œconomicus inscribitur: quem nos ista fere ætate cum essemus, qua et tu nunc, e Græco in Latinum convertimus.* Divisit autem Cicero unum Xenophontis librum in tres, ut Servius *in primum Georgicorum* testatur.

Quin etiam libros Platonis Cicero hoc genere tralatos edidit, inquit Fabius *lib.* X. *cap.* 5. Timæi pars cum maximo bono studiosorum utriusque linguæ extat.

Protagoram ab eo conversum fuisse Hieronymi, Prisciani et Donati testimoniis tantummodo scimus. Id tamen Ciceronem potius extremo tempore ætatis quam hoc fecisse putamus. Carbonis in secundo consulatu quæstor fuit C. Verres. Cic. *Verrina* I. *cap.* 4. et 13. Tum Sylla, pace cum Mithridate facta, Asiam in quadraginta quatuor regiones distribuit, auctore Cassiodoro. Cum autem Sylla omnes Asiæ civitates pro portione in provincias descripsisset, vectigal quoque iis, quod æqualiter penderent, descripsit. *Cic. pro Flacco, cap.* 14. et *ep.* 1. *lib.* I. *ad Q. Fratrem.* Sed Syllam in Italiam revocavit Resp. ait *pro lege Manilia, cap.* 3.

Anno Urbis 670, *Ciceronis* 24,

Consules fuerunt

L. CORNELIUS SCIPIO ASIATICUS,
C. NORBANUS FLACCUS.

Horum Consulum meminit Cic. *pro Quintio, cap.* 6. ubi etiam (cap 7.) C. Valerium Flaccum imperatorem hoc anno in Gallia ulteriore fuisse ait. Cujus Flacci mentionem Cæsar *lib.* I. *de Bello Gallico, cap.* 47. facit. Scipionis quæstorem M. Pisonem, de quo paulo ante, fuisse, ex *Verrina* I. *cap.* 14. cognoscitur.

Hoc tempore tumultus ille pro recuperanda Rep. ortus est, de quo *Cic. in Bruto cap.* 90. Nam Sylla, compositis transmarinis rebus, in Italiam venit et C. Norbanum prælio vicit, de quo diximus in *cap.* 20. *lib.* V. Orosii. Tum Cn. Pompeius adolescentulus, privatus, exercitum difficili Reip. tempore confecit, eique præfuit, et rem optime ductu suo gessit. *Cicero in Maniliana, cap.* 21. Eodem pertinet illud in Phil. V. cap. 16. *Pompeius ad L. Syllæ maximum imperium victoremque exercitum accessit.* Vide Plutarchum et alios.

Sylla vero cum Scipione inter Calos et Theanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi et de jure civitatis, legis inter se conditiones contulerunt, inquit Cicero *Phil.* XII. *cap.* 11. Sed cum res convenire non posset, et Sylla Scipionis castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis signa ad Syllam transtulit: Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Hæc Livius *lib.* LXXXV. Itaque Scipio fluctibus Reip. expulsus, Massiliæ postea in exilio vixit. *Cic. pro Sextio, cap.* 3. Hoc anno Capitolium incensum fuit, cujus meminit Cic. *in Catil.* III. *cap.* 4. et Dionysius Halicarnasseus *lib.* IV. Tu lege Plutarchum in *Sylla*, et August. *cap.* 24. *lib.* II. *de Civit. Dei.*

Anno Urbis 671, *Ciceronis* 25,

Consules fuerunt

CN. PAPIRIUS CARBO III,
C. MARIUS C. F.

Horum consulum mentio est apud Ciceronem *contra Rullum*, III. *cap.* 2. Hoc anno, cum a Marianis urbs etiamnum teneretur, L. Damasippus prætor ex voluntate C. Marii consulis, cum Senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit. Livius *lib.* LXXXVI. Tunc interfectus fuit C. Carbo consulis frater, de quo Cicero *ep.* 21. *lib.* IX. *Famil.* Periit tum quoque P. Antistius, Cn. Pompeii socer, de quo Cicero *in Bruto, cap.* 90. et Q. Scævola pontifex maximus, quem Livius *lib.* LXXXVI. scribit in vestibulo sedis Vestæ occisum fuisse. Hinc Cicero lib. III. de Nat. Deor. cap. 32. *Temperantiæ prudentiæque specimen, ante simulacrum Vestæ, pontifex maximus est Q. Scævola trucidatus.* Meminit ejusdem *lib.* III. *de Orat. cap.* 3. Tandem Sylla, fuso Carbonis exercitu, in urbem venit, eoque tempore ejus immanis crudelitas in cives extitit, de qua Cicero *lib.* II. *de Officiis, cap.* 8. et Orosius *lib.* V. *cap.* 21. Tum Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a Senatu missus Carbonem con-

sulem captum interfecit, *Livius lib.* LXXXIX. *Plutarchus in Pompeio, et alii.* De quo Cicero, ep. 21. lib. IX. Fam. *Hoc vero, qui Lilybæi a Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit.* Atque ita Pompeius Siciliam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit. *Cic. in Maniliana, cap.* 11.

Eodem tempore L. Licinius Murena, pater ejus, quem Cicero defendit, a Sylla cum duabus legionibus in Asia relictus, bellum Mithridaticum renovavit: de quo Appianus *in Mithridatico.* Murena vero Mithridatem *vehementissime vigilantissimoque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit,* ut ait Cicero *pro Murena, cap* 15. et addit, *cap.* 5. filium, *viro fortissimo, parenti suo, magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria* fuisse. Lucullum autem *quæsturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpsisse,* idem *in Lucullo* scribit *cap.* 1.

Extremo hoc anno Sylla effecit, ab interrege ut Dictator diceretur, ait Cicero *ep.* 15. *lib.* IX. *ad Att.* Quomodo id effecerit copiose *Appianus* et *Plutarchus* scribunt. Interrex fuit L. Valerius Flaccus, de quo Cic. orat. III. contra Rullum, cap. 2. *Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis, esse arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex, de Sylla tulit, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata.* De eadem lege lib. I. de Legibus cap. 15. *Nihilo, credo, magis illa justa est, quam Interrex noster tulit, ut Dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere.* Itaque Sylla Dictator, qui tum sine dubio habuit regalem potestatem, ut est in orat. *de Harusp. Resp. cap.* 25. omnes, quos oderat, morte multabat, *pro Ligario cap.* 4. De proscriptione Syllana *Orosius noster cap.* 21. *lib.* V. Etsi autem Sylla Dictator post C. Marium et Cn. Papirium fuit, ut sit Cicero, *orat.* III. *contra Rullum, cap.* 2. consules tamen creari permisit.

Anno Urbis 672, *Ciceronis* 26,

Consules fuerunt

M. TULLIUS DECULA,
CN. CORNELIUS DOLABELLA.

De his consulibus Cicero, orat. II. contra Rullum, cap. 14. *De quibus vendendis S. C. facta sunt, M. Tullio, Cn. Cornelio coss.* Sylla Dictator hoc tempore rebus (legibus) novis Reip. statum confirmavit, ut est *in epitoma Liviana lib.* LXXXIX. Recuperata Rep. et legibus atque judiciis constitutis, Cicero ad causas et privatas et publicas adire coepit, *in Bruto cap.* 90. Itaque his consulibus, ut Gellius *lib.* XV. *cap.* 28. scribit, *M. Cicero causam privatam pro Quintio apud Aquillium Gallum judicem dixit.* Præterea in Eusebii Chronico ita legitur: 26. *anno ætatis Cicero Quintium defendit.* Idem cognoscitur ex ipsa causæ expositione, quæ talis est. Sex. Nævius ante biennium, Scipione et Norbano coss. cum P. Quintius pridie Kal. Febr. in Galliam profectus esset, a P. Burrieno prætore possessionem bonorum Quintii, a quo sibi pecuniam deberi, et vadimonium desertum dicebat, ex edicto postulavit. Missus in possessionem Nævius, cum bona absentis Quintii dies XXX. possedisset, ea proscribi jussit. Tum Sex. Alphenus procurator Quintii auctionem impedire conatur, seque paratum esse judicio absentem defendere profitetur. Nævius postulat, ut Alphenus judicatum solvi satisdet; quod cum ille recusaret, eoque nomine Tribunos appellasset, convenit, ut Idibus Septemb. Quintium sisti Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius ad vadimonium. Nævius annum et sex menses, hoc est, ab Idibus Septemb. Scipione et Norbano coss. usque ad Idus Martias hujus anni nihil petit. Tum demum in jus ventum ad P. Dolabellam Prætorem Ibi Nævius petiit, ut Quintius judicatum

solvi satisdaret; quod cum is recusaret, Dolabella decrevit, ut Quintius aut satisdaret, aut sponsionem faceret, Ni bona sua ex edicto possessa non essent. Sponsione facta C. Aquillius Judex datus est, apud quem Cicero contendit, Quintii bona ex edicto a Nævio possessa non esse.

Vides igitur aperte Quintii causam hoc anno a M. Tullio defensam esse post Idus Martias. Nam quod Cicero ait, rem jacuisse in controversiis biennium, Oratorum more elate dictum est, et si quis velit calumniis Nævii rem in biennium ductam fuisse, hoc quidem certe omnes fateri necesse est, post Idus Sept. quæ hoc anno, non quæ Sylla et Metello coss. anno insequente fuerunt (ut Corradus res nescio quas agens scripsit) hanc causam actam esse.

Quod vero et Corradus opinatur, et nonnemo affirmat, Quintium defensum post Dictatorem Syllam, eo quod Cicero dicat, *Emisti bona Sex. Alpheni L. Sylla Dictatore vendente*, leve admodum est. Cur enim in judicio privato hoc eloqui ausus non fuisset? aut quis præstabit, ab Oratoribus omnia dicta vel eo modo acta fuisse, quo postea scripta sunt et edita?

Sylla dictatore Cicero iterum se Moloni, qui legatus ad senatum de Rhodiorum præmiis venerat, operam dedisse ait *in Bruto, cap.* 90.

Hoc quoque tempore Cn. Pompeius, bello in Africa maximo confecto, victorem exercitum deportavit, ut ait Cicero *pro lege Manilia cap.* 21. Intelligit autem bellum gestum cum Domitio et Hierta, Numidiæ rege, quo de Orosius *lib.* V. *cap.* 21. atque ex Africa Pompeius adhuc eques triumphavit.

Miror autem Eutropium *lib.* V. *extr.* scribere, Pompeium tunc quartum et vigesimum annum egisse, cum M. Tullii æqualis fuerit, ut ex Ciceronis Bruto, *cap.* 68. et Velleio, *lib.* II. *cap.* 53. notum est, et nos supra admonuimus.

Eodem tempore L. Sylla Murenam ex Asia revocavit, ut ait Cic. *in Maniliana, cap.* 3. Murena reversus amplissime atque honestissime ex prætura triumphavit, *in Orat. pro Murena, cap.* 7.

Anno Urbis 673, *Ciceronis* 27,

Consules fuerunt

L. CORNELIUS SYLLA FELIX II.
Q. CÆCILIUS METELLUS PIUS.

Horum Consulum meminit Cicero *Verrina* I. *cap.* 50. et Gellius *lib.* XV. *cap.* 28. ubi scribit, Ciceronem his consulibus Sex. Roscium parricidii reum defendisse. Et addit, Fenestellæ errorem notatum fuisse a Pediano, quod scripsisset Ciceronem sexto et vigesimo ætatis anno pro Sex. Roscio dixisse. Quem Fenestellæ errorem Corradum aliosque viros doctos potius amplecti, quam Asconii et Gellii auctoritatem sequi, equidem miror: cum præsertim Quintilianus *lib.* XII. *cap.* 6. scribat Ciceronem sex et xx. annos natum pro Sex. Roscio dixisse; eos vero ante III. Nonas Januarii hujus anni natus non fuit. Egit tamen, opinor, hanc causam in principio anni. Nam, ut ex oratione ipsa intelligitur, *cap.* 44. in lege de proscriptione erat, ut anno superiore ad Kal. Junias proscriptiones venditionesque fierent: Roscius autem pater aliquot post menses Romæ occisus est: eaque res quatriduo ad Chrysogonum in castra Syllæ Volaterras (quod oppidum obsessum Sylla in deditionem accepit; *Livius lib.* LXXXIX.) delata est. Bona Roscii tanquam proscripti ideoque occisi, ut Plutarchus tradit, Sylla hastæ subjecit; et Chrysogonus ejus libertus duobus millibus nummûm emit, cum jam proscriptionis mentio nulla fieret, cum etiam, qui antea metuerant, redirent, ac jam defunctos sese periculis arbitrarentur. Sed cum filius idemque heres Roscii bona patris ita vendita esse ægre ferret, eaque sexagies ésse demonstraret, Sylla coargui se graviter tulit, et

Roscii filii nomen opera Chrysogoni de parricidio deferendum curavit. Cum Roscii patrocinium ob Syllæ metum nemo susciperet, adolescens ab omnibus desertus ad Ciceronem confugit: quem amici quoque ad reum defendendum cohortabantur, cum aliud splendidius aut præclarius gloriæ initium habere non posset. Cicero igitur adolescens contra L. Syllæ dominantis opes Sex. Roscium Amerinum defendit, *lib.* II. *de Offic. cap.* 14.

Defensionis capita tria sunt: in primo parricidii crimen falso objectum fuisse Roscio multis argumentis convincit: secundum est de audacia duorum Rosciorum, Capitonis et Magni, in quos crimen ita confert, ut eos multis suspicionibus arguat: tertium est de Chrysogoni potentia, quam invidiose insectatur.

Victor in causa, magna in admiratione fuit, ut Plutarchus ait. Ipse vero *in Bruto, cap.* 90. sic scribit: *Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, qua non digna nostro patrocinio videretur.*

Roscio contra Chrysogonum defenso, Ciceronem Athenas secessisse, atque inde post triennium Romam revertisse, *in Eusebii Chronico* scriptum est. Unde illud Caleni apud Dionem *lib.* XLVI. manasse videtur; Καίκιλος τρία ἐν Ἀθήναις ἔτη κατατρίψας: quibus verbis significat, M. Tullium eloquentiæ gratia triennium Athenis vixisse. Et certe si Roscio defenso statim in Græciam profectus esset, quod Plutarchus quoque putavit, triennium ibi vixisset. Jam vero, cum secus ipse *in Bruto, cap.* 91. scribat, nos etiam hæc temporibus aliter dividemus.

Mitylenas hoc tempore in Asia expugnatas fuisse in Liviana epitoma *lib.* LXXXIX. scriptum est. Expugnavit eas M. Thermus: in qua expugnatione Julius Cæsar, auctore Suetonio, *in Cæsare cap.* 2. corona civica donatus est. Atque ita *urbs et natura, et situ, et descriptione ædificiorum, et pulchritudine, in primis nobilis, belli lege ac victoriæ jure pop. Rom. facta est. Cic. Or.* II. *contra Rullum, cap.* 16.

Anno Urbis 674, *Ciceronis* 28,

Consules fuerunt

P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS,
AP. CLAUDIUS PULCHER.

Hos Consules in hunc annum Sylla contra voluntatem populi, qui ipsum creabat, renuntiandos curavit, et Dictatura se abdicavit. *Appianus lib.* I. *Orosius lib.* V. *cap.* 22. Ap. Claudius P. Clodii inimici Ciceronis pater fuit, unde *in Orat. de Harusp. Resp. cap.* 1. P. Servilius collega patris ejus nominatur.

Hoc tempore Cicero antequam in Græciam profectus fuit, Arretinæ mulieris libertatem contra Cottam hominem disertissimum defendit, Sylla adhuc vivo, ut ait *pro Cæcina, cap.* 38.

Erat eo tempore in Cicerone summa gracilitas et infirmitas corporis; procerum et tenue collum: qui habitus et quæ figura non procul abesse putatur a vitæ periculo, si accedit labor, et laterum magna contentio. Eoque magis, ut ipse *in Bruto, cap.* 91. scribit, hoc eos, quibus erat carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione dicebat. Itaque cum eum et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisteret; ipse autem quodvis periculum adire quam a sperata dicendi gloria discedere mallet; censeret tamen remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, se et periculum vitare posse, et temperatius dicere; ut consuetudinem dicendi mutaret, eam sibi causam in Græciam proficiscendi fuisse ait *in Bruto.* Itaque cum esset biennium versatus in causis, Roma est profectus hujus anni æstate, ut ex sequentibus cognoscetur.

Cum venisset Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ

noblissimo et prudentissimo philosopho, fuit: studiumque philosophiæ nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore, et doctore renovavit, ut ipse *in Bruto* testatur. Ideoque *lib.* I. *de Nat. Deor. cap.* 3. Antiochum inter eos philosophos numerat, a quibus institutus fuit. De eodem *lib.* I. de Legibus, cap. 21. *Vir iste fuit prudens, et acutus, et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris.* Plutarchus quoque in *Cicerone* a nobis converso ita scribit: *Cum Athenas venisset, Antiocho Ascalonitæ operam dedit: ejusque copia quidem et lepore dicendi delectabatur: sed quæ ab ipso in philosophia novabantur, ea minime probabat. Jam enim Antiochus a nova Academia defecerat; et relicta Carneadis secta, commutatoque instituto, vel evidentia et sensibus victus, vel, ut nonnulli aiunt, ambitione et contentione cum Philonis et Clitomachi discipulis adductus, Stoicorum decreta fere defendebat.* Antiochus igitur, ut Cicero in *Lucullo cap.* 43. testatur, appellabatur quidem Academicus, sed erat, si perpauca mutavit, germanissimus Stoicus. Didicerat apud Philonem tandiu, ut constaret diutius didicisse neminem: et scripserat de Academica secta acutissime, eamque non acrius accusavit in senectute, quam antea defensitaverat. Plura in *Lucullo* Ciceronis, et Plutarchi. Athenis Cicero Epicureos quoque, Phædrum et Zenonem, frequenter cum Attico audivit, ut ait *lib.* I. *de Finib. cap.* 5. Meminit *Tuscul.* III. *cap.* 17. et *Acad.* 1. *extr.* Hic annus XX. est post M. Antonii et A. Postumii consulatum: ad quem Lucullorum ædilitas a Plinio *lib.* VIII. *cap.* 7. refertur. Eam vero magnificentissimam fuisse *Cic. lib.* II. *de Officiis* scribit. *cap.* 16. Hac ego conjectura ductus, L. Luculli magistratus, quos Cic. initio *Luculli* recenset, ita constituto, ut hoc anno ædilis, Bruto et Mamerco coss. prætor fuerit, sequenti Africam obtinuerit, atque inde Octavio et Cotta coss. ad consulatus petitionem redierit.

Anno Urbis 675, *Ciceronis* 29,

Consules fuerunt

M. AIMILIUS LEPIDUS,
Q. LUTATIUS CATULUS.

His consulibus Sylla in agro Cumano mortuus ac Romam perlatus cum magna pompa in campo Martio sepultus est, quod præter cæteros *Appianus lib.* I. copiose narrat. Primum autem e patriciis Corneliis Sylla igni voluit cremari; *lib.* II. *de Legibus cap.* 22.

Post Syllæ mortem dissensio inter consules orta est, cum Lepidus Syllæ acta rescindere tentaret, et Catulus ei resisteret. Vide Orosium nostrum *lib.* V. *cap.* 22. Hinc Cicero in Catil. III. cap. 10. *Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo. Attulit non tam ipsius interitus reip. luctum, quam cæterorum.*

Ubi vero M. Tullio de Syllæ morte Athenas allatum est, ut Plutarchus scribit, cum jam corpus ejus exercitationibus confirmatum meliore habitu esse cœpisset, et vox ita conformata esset, ut cum auditu suavis ac plena, tum ad corporis constitutionem moderate accommodata esset, motus et precibus litterisque amicorum, quæ Roma frequentes ad ipsum afferebantur, et cohortatione Antiochi, ut rempubl. capesseret, dicendi vim ceu instrumentum rursus excoluit, civilemque facultatem excitavit.

Itaque primum, ut ipse *in Bruto, cap.* 91. scribit, Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exercebatur. Post totam Asiam peragravit cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur ipsis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, quem Plutarchus Menippum Carem nominat, Cicero eum tota Asia illis temporibus disertissimum fuisse judicat. Unde Strabo *lib.* XIV. Κάρταῦθα δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται ῥήτωρ Μένιππος κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν,

Κατόκας ἐπικαλοὺ μενος. ὃν μάλιστα ἐπαινεῖ τῶν κατὰ τὴν Ἀσταν ῥητόρων, ὧν ἠκροάσατο, Κικέρων, ὥς φησιν ἔν τίνι γραφῇ, αὐτοῦ συγκρίνων Ἡσκλεῖ καὶ τοῖς κατ' ἐκεῖνον ἀκμάζουσι. Id est, *Fuit ibi patrum nostrorum memoria nobilis magister dicendi Menippus, cognomento Catocas: quem Cicero ex Asiaticis oratoribus, quos audivit, maxime laudat, ut est in quodam ipsius libro: ubi eum cum Xenocle atque illius ætatis oratoribus comparat.*

De Xenocle Adramyteno, cui Cicero quoque operam dedit, idem Strabo *lib.* XIII. Erat cum Cicerone tum etiam Æschylus Cnidius, assiduissime autem Dionysius Magnes. Quibus non contentus, Rhodum venit, seque ad eundem, quem Romæ audiverat, Molonem applicavit, cum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, ut nimis redundantem Oratorem nostrum, et superfluentem juvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentem coerceret, auctor ipse *in Bruto.* De Appollonio Molone, inquit Plutarchus, traditum est memoriæ, eum Latinæ linguæ rudem rogasse Cicero ut Græce declamaret. In quo cum ideo illi obtemperasset; quod putaret, se ita melius corrigi posse, cæteri omnes admiratione obstupefacti, certatim de Cicerone, aliusque alio gloriosius prædicabat. Apollonius neque orante Cicerone lætitiam præ se tulit, et cum perorasset, defixus in cogitatione diu sedit. Quod ubi Ciceronem ægre ferre sensit, hæc ejus vox erupit: Te equidem, M. Tulli, collaudo et admiror: sed me Græcorum fortunæ miseret, cum videam doctrinæ et eloquentiæ laudem, quæ sola nobis reliqua erat, per te ad Romanos translatam esse.

Rhodi Cicero Posidonium Philosophum etiam audivit, ut Plutarchus scribit. Posidonius enim cum esset Apamiensis e Syria, Rhodi vixit, teste Strabone *lib.* XIV. Hunc familiarem suum vocat Cicero *lib.* I. *de Finib. cap.* 2. Eundem *lib.* I. *de Nat. Deor. cap.* 3. inter eos numerat, a quibus in Philosophia institutus fuit. Præterea in libro *De Fato, cap.* 3. ita scribit: *Quædam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur.*

Anno Urbis 676, *Ciceronis* 30,

Consules fuerunt

D. JUNIUS BRUTUS,
MAN. AIMILIUS LEPIDUS LIV.

Hos consules ex interregno iniisse argumento est oratio Philippi *apud Sallustium*, de quibus Cicero in Bruto, cap. 47. *Iisdem fere temporibus D. Brutus, is, qui consul cum Mamerco fuit, homo et Græcis doctus litteris et Latinis.* Mamerci Æmilii Lepidi consulis meminit Valerius *lib.* VII. *cap.* 7. Hoc anno, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, Pompeius adhuc eques contra Sertorium ad bellum maximum formidolosissimumque, suasu L. Philippi, pro consule missus est. Quo quidem tempore, cum esset nonnemo in Senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem privatum pro consule, Philippus dixisse dicitur, Non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. *Cicero in Maniliana, cap.* 21. Idem Philipp. XI. cap. 8. *Pompeio Sertorianum bellum a Senatu privato datum est: cum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule.* Scribit idem Plutarchus *in Pompeio.* Comparato exercitu, hostes in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam submovit, Galliamque recepit; ut ipse *apud Sallustium, Fragm. lib.* III. *Histor.* ad Senatum scribit. Unde Cicero *in Maniliana, cap.* 11, ait, Pompeium per Galliam legionibus Romanis in Hispaniam iter Gallorum internecione patefecisse.

Hoc quoque anno M. Tullius se recepit e Græcia biennio post quam eo profectus erat, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis resederat, et

quasi deferbuerat oratio, lateribusque vires, et corporis mediocris habitus accesserat, ut ipse *in Bruto* testatur, *cap.* 91.

Cum autem Cicero, auctore Plutarcho, magna spe erectus, ad remp. summo studio raperetur, ardor ejus oraculo quodam repressus est. Nam cum Delphos profectus Apollinem consuluisset, quanam via ad summam gloriam pervenire posset, oraculum editum est, Suam naturam, non multitudinis opinionem ducem vitæ sequeretur. Quapropter Romam reversus primo timide vixit, et dubitanter ad honores accessit, nec ullo in numero habitus, sed Græculus atque otiosus appellatus fuit: quæ nomina infimis et sordidis hominibus in promptu esse atque in ore consueverunt.

Ut vero et innata honorum cupiditate ductus, et patris atque amicorum cohortatione incitatus, se totum patrociniis tradidit, non jam pedetentim principem locum petiit, sed statim eluxit, cæterisque oratoribus longe præstitit. Hactenus Plutarchus, ut a me ante annos octo conversus fuit, ubi quod Græculum atque otiosum dixi, qui Plutarcho est γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, secutus sum auctoritatem nostri oratoris, qui *pro Sextio*, *cap.* 51. *Græculum*, inquit, *se atque otiosum putari voluit*: *studio litterarum se subito dedit.* Solent autem Romani uti appellatione Græci probri loco, cum ignobilitatem objiciunt, ut *Zonaras* scribit.

Anno Urbis 677, *Ciceronis* 31,

Consules fuerunt

CN. OCTAVIUS,
C. SCRIBONIUS CURIO.

De his Cicero in Bruto, cap. 60. *Cn. Sicinius, cum tribunus pl. Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset, sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus: Nunquam*, inquit, *Octavi, collegæ tuo gratiam referes; qui nisi se suo more jactavisset, hodie te istic muscæ comedissent.*

Videntur autem consules a Sicinio producti fuisse, cum id egit, ut tribunitia potestas populo redderetur. *Asconius in Divinat. in Verrem, cap.* 3. Cn. Octavium M. filium optimum atque humanissimum virum, familiarem suum, nominat *Cicero lib.* II. *de Finib. cap.* 28.

His consulibus Cicero, ut ipse in eodem *Bruto, cap.* 92. ostendit, cum unum annum reversus ex Asia causas nobiles egisset, quæsturam petiit, cum C. Cotta, qui anno insequenti consul fuit, consulatum, Hortensius ædilitatem peteret. Quæstoriis comitiis, quæ Tributa fuisse *ep.* 31. *lib.* VII. *Famil.* cognoscitur, Cicero quæstor in primis cunctis suffragiis est factus; *in Orat. in Pisonem, cap.* 1. Idem, *Verrina* V. *cap.* 14. ait, se ita quæstorem factum fuisse, ut sibi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putaret.

In causis iis, quas Cicero ex Asia reversus ante quæsturam egit, numero orationem pro Q. Roscio Comœdo: id quod proposita constitutione causæ planum faciam. Res igitur, ut ex orationis fragmento colligitur, ita se habet.

C. Fannius Chærea servum suum Panurgum communem cum Roscio ea lege fecit, ut is a Roscio arte histrionica institueretur, quæstusque inter eos communis esset. Institutum artificio comico Panurgum Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor a Roscio datus fuit, qui Flavium judicio *DAMNI INJURIA DATI* Roscii nomine persequeretur, non secus atque si res sua esset. Lite contestata Roscius sine Fannio cum Flavio decidit H-S. centum millibus. Deinde C. Pisone teste et arbitro, Roscius Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obiisset, certam pecuniam dedit hac conditione, ut si quid Fannius pro sua parte servi interempti a Flavio exegisset, partem ejus dimidiam

Roscio dissolveret. Post triennium Fannius, qui diceret se a Flavio nihil abstulisse, Roscium cum eo de tota re pro societate decidisse, Roscium in jus vocavit, et H-S. quinquaginta millia, dimidiam scilicet partem ejus pecuniæ, quam Roscius a Flavio abstulerat, petiit, et sponsione Roscium lacessivit, Ni sibi ille H-S. ɔɔɔɔ. deberet. Datus igitur judex a Prætore fuit C. Piso cum hac formula, Si paret Roscium Fannio H-S. ɔɔɔɔ. debere. Quod Cicero enumeratione causarum debitionis falsum esse docet: neque societatis nomine quidquam a Roscio peti posse probat.

Corradus Ciceronem hanc causam egisse Cn. Pompeio et M. Crasso coss. anno post hunc sexto inde putat, quod tum C. Piso prætor fuerit. Sed fallitur, qui ex judice privato prætorem facit.

Falluntur quoque illi, qui Roscium Comœdum ante Amerinum defensum inde putant, quod post Amerini defensionem Cicero in Græciam statim fuerit profectus. Hoc tempore Q. Roscium fuisse defensum ex oratione, *cap.* 12. *et* 13. cognoscitur, in qua Roscium Syllano tempore cum Flavio decidisse, et quadriennio post causam actam esse, aperte significatur.

Hoc anno in Hispania adversus Sertorium acerrima illa prælia et maxima, Sucronense et Duriense, commissa sunt, quorum meminit Cicero *pro Balbo, cap.* 2. Tu vide Plutarchum *in Pompeio.*

Anno Urbis 678, *Ciceronis* 32,

Consules fuerunt

L. OCTAVIUS,
C. AURELIUS COTTA.

De his Cicero in Verrem. I. cap. 50. *Cum L. Octavius, C. Aurelius coss. ædes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere; neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, M. Cæsius: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitum et judicatum non esset, uti C. Verres, P. Cælius prætores cognoscerent et judicarent.* Ubi vides, C. Sacerdotem, cui Verres in prætura urbana et Siciliensi successit, hoc anno prætorem urbanum fuisse: qui cum sequenti Siciliam obtinuerit; et Cicero ante eum Quæstor in Sicilia fuerit, prætore Sex. Peducæo, suspicionem Corradi, qui Ciceronem hoc anno Quæstorem urbanum et insequenti in Sicilia fuisse putavit, falsam esse omnes vident.

Hic est igitur Siciliensis annus, qui M. Tullium quæstorem excepit, ut ipse *in Bruto* scribit, *cap.* 92. Cum autem bini quæstores in Sicilia singulis prætoribus essent, Lilybætanus et Syracusanus: Cicero Lilybætanus quæstor fuit, ut Asconius scribit, et Cicero ipse *pro Plancio, cap.* 26. ostendit. Idem Asconius scribit, Ciceronem quæstorem in Sicilia fuisse prætore Sex. Peducæo. Ipse vero *in orat. post Reditum in Senatu* ait, *cap.* 8. se patri M. Curtii quæstorem fuisse. Accidebat autem sæpe, ut unus quæstor duorum prætorum esset, ut Gruchius *lib.* II. *de Comitiis* docet. De quæstura Ciceronis Plutarchus ita scribit: *Quæstor creatus et sortitus provinciam Siciliam, cum in difficultate annonæ atque inopia rei frumentariæ magnus frumenti numerus Romam esset mittendus, Siculos initio offendit: post, ubi diligentiam, justitiam et comitatem ejus experti fuerunt, majores illi honores quam ulli unquam prætori tribuerunt.* De eadem ipse in oratione pro Plancio, cap. 26. *Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturum, aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negociatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi.* Et in Verr. V. cap. 14. *Sic obtinui quæsturam in provincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum conjectos arbitrarer; ut me quæsturamque me in quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem: ut omnia sem-*

per, quæ jucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ, ac necessitati, denegarem. Idem Act. 1. *Verr.* ait, *cap.* 12. Siculos in quæstura suæ innocentiæ abstinentiæque periculum fecisse.

Eo tempore, ut Plutarchus scribit, multi Romani adolescentes, claris parentibus atque honesto loco nati, apud Siciliæ prætorem accusati sunt intemperantiæ et neglectæ disciplinæ militaris, quos Cicero magna commendatione defendit et conservavit.

Anno Urbis 679, *Ciceronis* 33,

Consules fuerunt

L. LICINIUS LUCULLUS,
M. AURELIUS COTTA.

His Consulibus Cicero, annuo munere quæsturæ expleto, e Sicilia provincia decessit. Habuit tum orationem Lilybæi, in qua Siculis multa benigne promisit, ut Asconius *in Argum. Verr.* I. scribit. Decedebat autem ea spe, ut sibi populum Rom. ultro omnia delaturum putaret. Ac cum casu diebus iis itineris faciendi causa Puteolos forte venisset, concidit pene, cum ex eo quidam quæsisset, quo die Roma exisset, et numquid in ea esset novi, quod ipse *pro Plancio* narrat, *cap.* 26. et Plutarchus *in vita* scribit. Cum e Sicilia se recepisset, jam videbatur facultas illa dicendi esse perfecta, et habere maturitatem quandam suam, ut ait *in Bruto, cap.* 92.

Fuit hoc anno Tribunus pleb. L. Quintius, homo maxime popularis et ad inflammandos animos multitudinis accommodatus: qui conciones quotidie seditiosas et turbulentas habebat. *Cicero pro Cluentio, cap.* 28. 29. 34. *et* 37.

Hunc, acta Syllæ rescindere ac reipublicæ statum movere et perturbare conantem, Lucullus consul ab incepto deduxit, auctore Plutarcho *in Lucullo.* Hinc Macer apud Sallustium, Fragm. lib. III. Hist. *Lucullus quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis.* Idem Quintius patronus fuit Oppianici, qui hoc anno, Verre prætore urbano, condemnatus est. *Cicero pro Cluentio, cap.* 33. et *Asconius in Verrin.* II. *cap.* 1. *et* 10. Verrem his consulibus prætorem urbanum fuisse cognoscitur etiam Verrina V. cap. 13. ubi Cicero inquit: *Nemo tam rusticanus homo, L. Lucullo, et M. Cotta coss. Romam ex ullo municipio vadimonii causa venit, quin sciret, jura omnia prætoris urbani nutu, atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari.*

Hoc etiam tempore M. Antonius gratia Cottæ Consulis et Cethegi factione in senatu, curationem nactus totius oræ maritimæ, Siciliam et provincias omnes depopulatus est; et ad extremum inferens Cretensibus bellum, re male gesta, morbo interiit; *Asconius in Verr. cap.* 3. *Livius lib.* XCVII. *Florus lib.* III. *cap.* 7. Meminit Velleius *lib.* II. *cap.* 31. et Cicero *Verr.* II. *cap.* 3. ubi M. Antonii infinitum imperium dicit. Hic Antonius pater fuit M. Antonii Triumviri, qui in Plutarchi *Antonio* κρητικὸς mendose pro Κρητικὸς nominatur.

Tum quoque Metellus et Pompeius in Hispania ab obsidione Calagurii oppidi depulsi, coacti fuerunt diversas regiones petere, Metellus ulteriorem Hispaniam, Pompeius Galliam, auctore Livio *lib.* XCIII. Itaque tum exercitus Pompeii hiemavit in Gallia, cum M. Fonteius prætor eam provinciam obtineret, ut Cicero *pro Fonteio* ostendit, *cap.* 3.

Anno Urbis 680, *Ciceronis* 34,

Consules fuerunt

M. TERENT. VARRO LUCULLUS,
C. CASSIUS VARUS.

De his Cicero pro Cluentio, cap. 49. *Sed quæro a vobis, num istam legem ex isto S. C. L. Lucullus consul, homo sapientissimus, tulerit? num anno post M. Lucullus et C. Cassius?* Eosdem *Verrina* I. *cap.* 23. M. Terentium et C. Cassium nominat, a quibus lex frumentaria Terentia et Cassia lata fuit,

de qua Cicero *Verrina* III. *cap.* 70. *et* V. *cap.* 21. Fuit enim M. Lucullus, frater L. Luculli, in Terentiorum familiam adoptatus. Eidem Macedoniam evenisse Eutropius lib. VI. scribit, *cap.* 6. Hinc Cicero in Verr. II. cap. 8. *Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, jam ante cognosse. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romæ fuisti?*

Hoc anno bellum in Italia a gladiatoribus duce Spartaco excitatum est, quod Cicero in Maniliana, *cap.* 10. Servile vocat: de quo scripsi *in ult. cap. lib.* V. *Orosii.* Eodem tempore L. Lucullus, qui consul anno superiore contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum urbem exercitum ejus fame ferroque delevit, *auctore Livio lib.* XCV. Nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, qua effracta et revulsa tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, ut omnes copiæ regis diuturnitate obsidionis consumerentur, ait Cicero *pro Murena, cap.* 15. Eandem rem *pro lege Manilia, cap.* 8. et *pro Archia, cap.* 9. commemorat.

Anno Urbis 681, *Ciceronis* 35,

Consules fuerunt

L. GELLIUS POPLICOLA,
CN. CORNELIUS LENTULUS CLODIANUS.

De his Cicero in Verr. II. cap. 39. *Itaque in Senatu continuo Cn. Lentullus et L. Gellius Consules faciunt mentionem, placere statui, si Patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium.* Iidem in orat. *pro Balbo* aliquoties nominantur. In secunda vero in Verrem, *cap.* 41. M. Lollium Palicanum Tribunum pleb. hoc anno fuisse cognoscimus. Quem laborasse, ut Tribunitia potestas populo restitueretur, Asconius *in Verrinam* I. *cap.* 3. scribit. De eodem Cicero in Bruto, cap. 62. *Aptior*, inquit, *etiam Palicanus auribus imperitorum.*

Hoc anno Lucullus Mithridatem in Pontum persecutus, eum legionibus Romanis patefecit, qui ante pop. Rom. ex omni aditu clausus fuerat, ut ait Cicero *pro lege Manilia, cap.* 8. *et pro Archia, cap.* 9.

Anno Urbis 682, *Ciceronis* 36,

Consules fuerunt

CN. AUFIDIUS ORESTES,
P. CORNELIUS LENTULUS SURA.

Orestes gentis Aureliæ cognomen est: sed hic Orestes a Cn. Aufidio adoptatus, ut Cicero *pro Domo* ait, *cap.* 13. Cn. Aufidius Orestes dictus fuit. Cn. Oresten, cum Tribunus pleb. esse non potuisset, consulem factum ait Cicero *pro Plancio, cap.* 21. Idem prætor urbanus fuit anno urbis DCLXXVI. ut ex *Valerio lib.* VII. *cap.* 7. apparet. P. Lentulus cum Catilina conjuravit, atque a Cicerone Consule in carcere strangulatus fuit, ut inferius dicemus.

Unde Suræ cognomen invenerit, Plutarchus in Cicerone hoc modo exponit: *Cum Syllanis temporibus quæstor magnam vim pecuniæ publicæ consumpsisset atque perdidisset, Sylla id ægre ferens, rationem ab eo in Senatu exegit. Tum ille negligenter et cum contemptu progressus, rationem se redditurum negavit, suram autem præbiturum, ita ut pueri consuessent, cum in pilæ lusione deliquissent. Hinc Sura cognominatus fuit. Sura enim Romanis est ea, quæ Græcis κνήμη dicitur.* Hactenus Plutarchus.

Bellum servile jam tertium annum cum Spartaco gerebatur, cum M. Crasso prætori id mandatum et sex mensibus confectum fuit, ut Appianus *lib.* I. extremo scribit. Itaque Crasso tum permissum Plutarchus ait, ut ovans urbem iniret. Hinc Cicero in Pisonem cap. 24. *Crasse, pudet me tui. Quid est, quod con-*

facto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni voluerit a senatu? Exercitum eodem tempore ex Hispania in Italiam Pompeius reduxit, et quinque millia fugitivorum, qui e prælio aufugerant, interfecit, atque ad senatum, auctore Plutarcho, scripsit, Crassum acie gladiatores fudisse, se bellum radicitus sustulisse. Hinc Cicero *in Maniliana, cap.* 11. *Testis est iterum et sæpius Italia, quæ cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum expectatione Pompeii attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.*

Hujus belli confecti gloriam Cicero *pro Sextio, cap.* 31. quoque ad Pompeium his verbis transfert: *Qui etiam servitia virtute victoriaque domuisset.* Ultimo hujus anni die, pridie quam consulatum iniret, Pompeius etiamnum eques Romanus ex Hispania procos. triumphavit, ut Velleius *lib.* II. *cap.* 30. scribit. De quo triumpho Cicero pro lege Manilia, *cap.* 21. *Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex Senatus-consulto triumpharet?*

Anno Urbis, 683, *Ciceronis* 37,
Consules fuerunt
M. LICINIUS CRASSUS,
CN. POMPEIUS MAGNUS.

Pompeium ex S. C. legibus solutum, consulem ante factum, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset, Cicero *in Maniliana* testatur *cap.* 21. Numerus de ætate Pompeii *apud Appianum*, mendo caret: respicit enim tempus anni superioris, quo Pompeius ante natalem suum consulatum petivit.

M. Tullius jam post quæsturam in plurimis causis, et in principibus patronis quinquennium fere versatus erat, ut ipse *in Bruto* scribit, *cap.* 92. faitque in admiratione, quod ab iis, quorum causas agebat, nulla dona aut munera, *auctore Plutarcho*, accipiebat. In iis causis fortasse fuerunt M. Tulli et L. Vareni, quas Cicero scriptas edidisse testimonio Quintiliani et Prisciani cognoscitur.

In primis autem, ut *Plutarchus* ait, Cicero enituit, cum C. Verrem hoc anno in judicium vocavit. Nam in patrocinio Siciliensi maxime in certamen venit designatus Ædilis, cum designato consule Hortensio, quod ipse *in Bruto* scribit.

Tenuerat Verres ex prætura Siciliam provinciam per triennium, atque in ea fuerat libidinose, avare, crudeliterque versatus. Quare, cum tandem hoc anno L. Metellus ei succederet, repetundarum reus a Siculis postulatus est: qui omnes, præter Syracusanos et Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt, jampridem illis necessitudine copulatum, quod quæstor in Sicilia fuisset, et decedens multa iis benigne promisisset, ut Asconius ait, *in Argum. Verr.* I.

Natus jam erat Cicero annos XXXVI. quod tempus legitimum erat ædilitatis petendæ. Certe P. Scipio Africanus minor, cum annos natus XXXVI. ædilitatem peteret, consul a populo dictus est; *Livius lib.* L. *Velleius lib.* I. *cap.* 12. Ædilitatem igitur suo anno petens Cicero, prior designatus est cunctis suffragiis populi, *in orat. in Pisonem cap.* 1.

Suscepto patrocinio Siciliensi, extitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, ut Asconius scribit: Plutarchus ait hominem libertinum fuisse et Judaicæ religioni obnoxium. Unde Cicero in eum dixit, *Quid Judæo cum Verre?* Romani autem porcum non castratum Verrem nominant. In Plutarchi libris, in quibus legitur, Βέρρον δὲ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι, negatio deest et restitui debet, τὸν μὴ ἐκτετμημένον. Alioqui falsum esset, quod Plutarchus scribit, idque duos interpretes viros doctissimos non animadvertisse miror.

Cæcilius igitur contendebat, se potius accusatorem constitui oportere, has afferens causas: unam,

quod a Verre læsus, jure illi inimicus esset: alteram, quod cum quæstor ejus fuisset, crimina sciret: tertiam, quod Siculus pro Siculis ageret. Hinc, quia in publicis quæstionibus, ut est *lib.* I. *ad Herennium, cap.* 12. legibus cavetur, ut ante, si reo commodum sit, judicium de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare, necne, divinatio accusatorum Ciceronis et Cæcilii facta est.

Tum Cicero primam Verrinam de accusatore constituendo dixit, in qua hac usus est divisione: spectandum, a quo maxime agi velint ii, quorum de ultione quæritur, a quo minime velit is, qui accusatur: auctor Quintilianus *lib.* VII. *cap.* 5.

Victo Cæcilio, et accusatione ad se delata, Cicero, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies CX. et cum L. Tullio fratre patruele totam provinciam colligendis litteris in Verrem et denuntiandis testimoniis peragrasset diebus quinquaginta: Romam reversus, cum videret id agi ut a M'. Glabrione prætore, et ab iis judicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque prætorem res tota transiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc Consules futuri erant, hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos daret, inquit Asconius *in Argum. Verr.* II. Unde Quintilianus lib. VI. cap. 6. *Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse, quam in eum annum, quo erat Q. Hortensius consul futurus, incidere.*

Consilium suum ipse Cicero Act. I. *Verr.* copiose exponit; quæ præterea exhortationem continet judicum ad vere judicandum: minæ quoque in adversarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum judicium. Qua oratione ipse *Verrina* I. *cap.* 7. hoc se assecutum fuisse ait, ut una hora, qua cœpit dicere, reo spem judicii corrumpendi præcideret. Primo autem die magno testium numero citato, alter diea amicis Verris et defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis abstulit. Nam, ut *Asconius* scribit, arte Ciceronis ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret. Itaque *mobis*, ait Cicero in Oratore cap. 37. *pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius.* Dicendi enim facultatem Cicero Hortensio nullam dedit nihil ipse dicendo, ait Asconius. Et Plutarchus, τοῦτον οὐλον οὐκ εἰπεῖν, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τοῦ μὴ εἰπεῖν, ubi aliquando ἐξ αὐτοῦ corruptum esse, atque pro eo ἐξευρὼν commodius legi posse putavi. Sed Adrianus Turnebus (cujus nomen, ut magistri de me optime meriti, mihi nunquam nisi honoris causa usurpandum est) anno superiore litteris significavit τρόπον τινὰ ἐξ αὐτοῦ τοῦ μὴ εἰπεῖν, esse quodam modo abdicata eloquentia.

Hæc prima actio, cujus quasi procemium tantum littéris mandatum est, quæ Verrina, actione prima, numeratur, novem diebus transacta est. *Verrina* I. Eaque Verres convictus, sua sponte in exilium decessit; *Asconius.* In quo exilio illum consenuisse, donec a Triumviris post Ciceronis mortem proscriptus periit, auctor est Lactantius *lib.* II. *cap.* 4. et Seneca *in Suasoriis, lib.* I.

Proscriptum Verrem ab Antonio traditur, quod Corinthiis se ei cessurum negavisset. *Plin. lib.* XXXIV. *cap.* 2.

Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit: sed, cum vellet omnem vim et rationem accusandi in uno reo ostendere, quinque hos libros domi scriptos edidit: quos pro qualitate criminum dividens, anteactis unum dedit; crimini repetundarum quatuor; unum de jure dicendo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartum de suppliciis. *Asconius.*

Hi sunt quinque contra Verrem secundæ actionis libri, de quibus Fa-

bius *lib.* XI. *cap.* 2. et Tacitus *in Dialogo de Oratoribus, cap.* 20. Cicero etiam *in Oratore*, cap. 62. Verrinam quartam *quartum accusationis* appellat.

Itaque in primo accusationis libro, quæ est Verrina prima, Cicero anteacta, id est ea crimina, quæ Verres ante præturam Siciliensem in quæstura, legatione, et prætura urbana commisit, exponit.

In secundo accusationis libro, quæ est Verrina secunda explicantur crimina in Sicilia, in jure dicendo, commissa.

Tertius liber est de frumenti criminibus, eaque oratio *frumentaria* a veteribus Grammaticis nominatur.

Quartus liber, seu Verrina quarta, est de signis. Quintus et ultimus de suppliciis.

Verre damnato, ut Plutarchus tradit, cum Cicero litem ei tricies H-S. æstimasset, male audivit, quasi pecunia accepta, de multa remisisset. Apud Plutarchum ἑξακόσιοντα πέντε μυριάδας est tricies sestertiûm: siquidem πέντε μυριάδες est decies H-S. ut idem in Antonio testatur. Verum Budæus *in libris de Asse et in Commentariis*, censet in Plutarchi libris verbum τριακοσίων aut aliud deesse. Sestertiûm quadringenties a Verre tantum repetitum esse Asconius scribit.

His coss. tribunitiam potestatem restitutam esse, Sallustius *in Catil. cap.* 38. scribit, idem est in Livii epitoma *lib.* XCVII. apud Velleium *lib.* II. *cap.* 30. et Plutarchum in *Pompeio.* Hinc Q. Cicero lib. III. de Legib. ait, cap. 9. *Pompeium nostrum cæteris rebus omnibus, semper amplissimis summisque effero laudibus: de tribunitia potestate taceo: nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.*

Post judicia a Sylla constituta, senatus jam ex lege Cornelia per decem annos turpiter judicaverat, ita ut judiciorum levitate ordo quoque alius ad res judicandas postularetur.

Hoc igitur anno L. Aurelius Cotta Prætor legem ad populum tulit, ut senatores cum equitibus et tribunis ærariis judicarent. *Cicero, Div. cap.* 3. *et Asconius in eandem. Livius lib.* XCVII. *et Vellius* II. *cap.* 32.

Eodem anno Censores fuerunt Gellius Poplicola et C. Cornelius Lentulus, de quibus Cicero *pro Cluentio, cap.* 42. Lentuli censoris meminit etiam *Verrina* V. *cap.* 7. *pro Flacco, cap.* 19. *et pro Domo, cap.* 47.

Anno Urbis 684, *Ciceronis* 38,

Consules fuerunt

Q. HORTENSIUS,
Q. CÆC. METELLUS CRETIGUS.

De his consulibus Cicero pro Cluentio, cap 64. *Tum interim Hortensio, Metello coss. ut hinc Oppianicum aliud agentem, ac nihil ejusmodi cogitantem, ad hanc accusationem detraheret, invito despondit ei filiam suam.*

Hoc anno Cicero ædilis curulis fuit. Ædiles autem ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται, id est, ab una parte sui muneris quasi curatores ædium dicti sunt, *Dionysius Halicarnasseus lib.* VI. ubi addit eos a Græcis ἀγορανόμους dici, quod magnam illis partem similes sunt. De ædilitate sua Cicero, *Verrina* V. *cap.* 14. ita scribit: *Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem, quid a populo Romano accéperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo, plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendæ.*

Hinc etiam *pro Murena, cap.* 19.

se ædilem trinos ludos fecisse, ait. Idem *lib.* II. *de Officiis, cap.* 17. pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adeptus esset suo anno, exiguum sumptum ædilitatis sua fuisse tradit.

Advexerunt tum et attulerunt Siculi multa ex insula ad Ciceronem ædilem, quorum ille nihil in suum quæstum contulit: tantum liberalitate hominum ad annonam levandam usus est, auctore Plutarcho. Collega Ciceronis in ædilitate fuit M. Cæsonius, ut ipse *Verrina* II. *cap.* 10. et Asconius *in eum locum* testantur. Scio Paulum Manutium *in Asconium* scribere, hunc magistratum cum Tullio non Cæsonium, sed C. Antonium gessisse. Verum unde id didicerit equidem ignoro.

Hoc anno Lucullus urbem ex Tigranis regno cepit, cujus meminit *in Maniliana* Cicero, *cap.* 9. Cum enim pridie Nonas Octobris magnum numerum hostium exigua manu ad Tigranocertam vicisset, deinde urbem cepit. *Plutarchus in Lucullo; Dio lib.* XXXV. Eodem anno M. Pupius Piso de Hispanis triumphavit; *Cicero in Pison. cap.* 26. et *Asconius.* His quoque consulibus templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumptum ac refectum erat, Q. Catulo dedicatum est. *Cassiodorus,* et *Livius lib.* XCVIII. *Tacitus Hist. lib.* III. *cap.* 72. *Plinius lib.* VII. *cap.* 43. Cicero etiam, *Verrina* IV. *cap.* 31. Q. Catulum appellans, Capitolium magnificentius esse restitutum quam fuerit, ait.

Circa idem tempus M. Tullius pro Fonteio dixisse videtur. Tenuerat is provinciam Galliam prætor per triennium, ut supra ad annum DCLXXIX. annotavi. Reversus autem Romam, repetundarum reus factus est a Gallis, quod Fonteio prætore oppressa ære alieno provincia fuisset: quæstum ipse ex viarum munitione fecisset, et portorium vini instituisset. Accusavit eum M. Plætorius, subscriptore M. Fabio: defendit M. Cicero circa hoc tempus, cum jam equites cum senatoribus ex lege Aurelia judicarent, quod orationis verba ostendunt. Vide cap. 12.

Sequitur oratio pro A. Cæcina: cujus tempus incertum, argumentum vero tale est. M. Fulcinius Tarquiniensis Cæsenniæ uxori moriens, usumfructum omnium bonorum suorum legavit, ut frueretur una cum filio herede instituto. Filio mortuo, et auctione bonorum constituta, Cæsennia fundum ex iis bonis emere de sententia amicorum constituit. Idque negotium Sex. Æbutio dedit. Cui fundus, pecunia Cæsenniæ emptus, fuit addictus. Cæsennia cum non multo post A. Cæcinæ nupsisset, eumque heredem fecisset, decessit. Tum Æbutius fundum illum, quem mandato Cæsenniæ emerat, suum esse dixit. Itaque constitutum fuit, quo die in rem præsentem veniretur, ut cum Cæcina de fundo esset dejectus, interdictum a prætore postularet. Verum Æbutius, fundo occupato, Cæcinam, in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu ingressuque prohibuit. Repulsus Cæcina interdictum de armatis hominibus a Dolabella prætore impetravit, ut unde dejectus esset, eo restitueretur. Æbutius restituisse se dixit: in eamque rem sponsio facta est. De qua Recuperatores a prætore dati cognoverunt.

Tota quæstio definitionis est; An interdicto de vi teneatur etiam is, qui non dejecit de fundo, sed ab ejus ingressu prohibuit? de qua re Cicero in Oratore, cap. 29. *Tota mihi causa pro Cæcina, de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus: jus civile laudavimus: verba ambigua distinximus,*

Anno Urbis 685, *Ciceronis* 39,

Consules fuerunt

L. CÆCILIUS METELLUS,
Q. MARCIUS REX.

De his consulibus Cicero in Pisonem, cap. 4. *Aude nunc o furia de tuo dicere; cujus fuit initium ludi*

Compitalitii, tum primum facti post L. Metellum et Q. Marcium coss. contra auctoritatem hujus ordinis. Ita enim recte Paulus Manutius nomina mendosa restituit. Idem Manutius hoc anno epistolam 5. lib. I. ad Atticum scriptam putat: in qua de L. Ciceronis morte agit.

Hoc anno P. Clodius Luculli exercitum in Nisibis urbis obsidione sollicitavit, auctore Dione *lib.* XXXV. unde Cicero, de Harusp. Resp. cap. 20. *Post, exercitu L. Luculli sollicitato, fugit illinc.*

Anno Urbis 686, *Ciceronis* 40,

Consules fuerunt

C. CALPURNIUS PISO,
M. ACILIUS GLABRIO.

Hi consules nominantur a Cicerone *lib.* XII. *ad Att. ep.* 21. et *Philippica* II. *cap.* 5. quibus C. Triarius legatus Luculli a Mithridate victus fuit, ut Dio, Plutarchus et Appianus scribunt, qui addunt, cecidisse tum centuriones CL. tribunos XXIV. et castra Romanorum a Mithridate capta fuisse.

Hæc est illa calamitas, quam Cicero *in Maniliana, cap.* 9. tantam fuisse ait, ut eam ad aures L. Luculli imperatoris non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferret. *Hic in ipso illo bello, gravissimaque belli offensione, L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui jam stipendiis confecti erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit.* Hactenus Cicero. Confectis stipendiis erant milites Valeriani, Οὐαλέριοι οἱ τῆς στρατιᾶς ἀφεθέντες, ut Dio loquitur, qui addit, turbam etiam tum factam, cum milites Acilium consulem, qui ut Lucullo succederet missus erat, adventare audiverunt. Atque Acilius Glabrio est, quem Cicero *in Maniliana* Lucullo successisse ait.

Huc pertinent verba illa Sallustii, quæ ex libro V. Histor. apud Priscianum lib. XVIII. leguntur: *Legiones Valerianæ, comperto lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam, se missos esse.* Fuit enim hoc anno tribunus pl. A. Gabinius: qui, cum piratæ non solum maria, verum etiam oras maritimas suis latrociniis infestas redderent, ut præter historicos Cicero *in Maniliana* ait, *cap.* 19. de uno imperatore contra prædones constituendo legem initio sui tribunatus promulgavit. Unde idem post Reditum in Senatu, *cap.* 5. de Gabinio, *Qui in magistratu,* inquit, *nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto et egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset.*

Tum Hortensius in senatu contra Gabinium graviter ornateque dixit. Q. Catulus, cum ex populo Romano quæreret, si in uno Pompeio omnia ponerent, si quid eo factum esset, in quo spem essent habituri, cepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso se spem habituros esse dixerunt. Hæc Cicero *pro lege Manilia, cap.* 20. ubi ait etiam, *cap.* 12. Pompeium hoc bellum piraticum, quod ipse cum Sallustio maritimum nominat, extrema hyeme apparasse, ineunte vere suscepisse, media æstate confecisse.

Inter Gabinii collegas fuit L. Roscius Otho, quem Cicero, *pro Murena, cap.* 19. ait restituisse equestri ordini non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Tulit enim hoc anno tribunus plebis legem, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur, auctor Livius *lib.* XCIX. et Dio *lib.* XXXVI. de eadem lege Asconius in Cornelianam ita scribit: *Roscia est, qua L. Roscius Otho biennio ante confirmavit, ut in theatro equit. Rom.* XIV. *ordines spectandi gratia darentur.* Meminit ejusdem Tacitus *lib.* XV. *cap.* 32. Horatius *in Epodo* 4. et *Ep.* 1. *lib.* 1. *vers.* 62. et Juvenalis *Sat.* III. *vers.* 159. et XIV. 324. Tu vide Xylandrum in Annotationibus

in Plutarchi Ciceronem, in quas ea transtulit, quæ ante biennium ad ipsum pro nostra amicitia miseram.

Eodem anno, cum magnus ambitus esset, C. Cornelius tribunus plebis, is, qui biennio post majestatis reus a Cicerone defensus est, legem de ambitu tulit: in qua gravissimis pœnis crimen hoc sanxit: quare senatus consulibus mandavit, ut huic rei moderarentur: qui tum legem tulerunt, auctore Dione, ut eorum, qui ambitus convicti essent, nemini aut magistratum gerere, aut in senatu esse liceret, addita etiam multa pecuniaria. Hæc est lex Calpurnia de ambitu, quam severissime scriptam fuisse Cicero *pro Murena*, ait *cap.* 23. Indicta erant tum comitia, ante quæ, ut Dio scribit, nihil sciscere licebat: sed cum interim candidati multa nefaria facerent, cædesque fierent, senatus decrevit, ut antequam lex de ambitu lata esset, comitia ne haberentur, et consulibus præsidium daretur. Excitavit etiam turbas Cornelius, ut Dio et Asconius scribunt.

Ob quas cum dilata comitia essent, Cicero ter prætor primus centuriis cunctis renuntiatus est, ut ipse *in Manilianą* testatur, *cap.* 1. Licebat autem ei præturam petere hoc tempore biennio post ædilitatem. Vide *ep.* 25. *lib.* X. *Famil.* In prætura petitione competitores illustres multos cum haberet, prætor primus designatus est, auctore Plutarcho. Ipse præterea *in Bruto cap.* 93. se et prætorem primum et incredibili populari voluntate ease factum ait. Idem *in Pisonem* confirmat, *cap.* 1. Cicero igitur prætor primus, id est primo loco factus fuit ex octo illis, qui tum fiebant.

Prætores cum Cicerone designati septem hi fuerunt, Q. Voconius Naso, M. Plætorius, C. Flaminius, C. Orchinius, C. Aquillius Gallus, P. Cassius, et C. Antonius. *Cicero pro Cluentio, cap.* 34. *et* 53. et *Asconius.* De comitiis prætoriis agit Cicero *ep.* 10. *et* 11. *lib.* I. *ad Att.* quæ hoc anno scriptæ fuerunt. In undecima, candidatos omnibus iniquitatibus exercitos fuisse testatur.

Extremo hujus anni mense, a. d. IV. Id. Decemb. (quem diem tribunis plebis ineundo magistratui solemnem fuisse ex Livio, *lib.* V. *cap.* 9. et Dionysio, *lib.* VI. *cap.* 89. patet;) C. Manilius tribunatu inito, post pauculos dies subnixus libertinorum et servorum manu legem tulit, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, auctor Asconius *in Cornelianam et Milonianam.* Atque hoc Dio, *lib.* XXXVI. ita scribit: τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἐν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὄμιλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. Quorum verborum sententia, a docto interprete non satis bene expressa, hæc est: *Manilius libertinis extremo anni die sub vesperam, comparatis nonnullis e multitudine, lege lata dedit, ut, cum patronis suis suffragia ferrent.*

Anno Urbis 687, *Ciceronis* 41,

Consules fuerunt

C. AIMILIUS LEPIDUS,
L. VOLCATIUS TULLUS.

Hos consules nominat Cicero *in Catilin*, I. *cap.* 6. et *pro Sylla, cap.* 4, quibus ipse Kal. Jan. præturam iniit, quam hoc anno gessit. Indicat Asconius in Cornelianam, *Sequenti*, inquiens, *anno M. Lepido, L. Volcatio Coss. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt.* Indicat idem Cicero pro Cælio. cap. 4. *Fuit assiduus mecum, prætore me: non noverat Catilinam. Africam tum prætor ille obtinebat. Secutus est annus. Causam de pecuniis repetundis Catilina dixit.* Quare si Catilina causam de pecuniis repetundis anno sequente, Cotta et Torquato coss. dixit, ut ex Asconio et oratione pro Sylla cognoscitur: hoc anno, quo ille Africam obtinuit, Cicero prætor Romæ fuit. Quod Dio exponens res gestas hujus anni diserte scribit.

Prætor Cicero questioni de pecu-

niis repetundis præfuit, ut ipse *pro Rabirio Postumo, cap.* 4. ita confitetur: *Accusavi de pecuniis repetundis: judex sedi: prætor quæsivi.* Et pro Cornelio, princ. *Postulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis.* Idem ostendit *pro Cluentio, cap.* 53. ubi quæstionem de pecuniis repetundis suam vocat.

Judicia Cicero, ut Plutarchus scribit, visus fuit caste integreque exercere. De Licinio Macro idem memoriæ proditum ait, eum, qui et ipse multum in civitate poterat, et Crasso patrono utebatur, cum de pecuniis repetundis apud Ciceronem prætorem accusatus esset, et judices adhuc sententias ferrent, fretum sua potentia et studio amicorum domum abiisse, et caput statim totondisse, sumtaque veste pura tanquam victorem in forum revertisse. Sed cum Crassus, in vestibulo occurrens, eum omnibus sententiis damnatum esse dixisset, reversum decubuisse, atque ita decessisse aiunt. Quæ res Ciceroni, ut qui judicia magna cum diligentia exerceret, gloriam peperit. Hactenus Plutarchus. Valerius Maximus, *lib.* IX. *cap.* 12. rem paulo aliter narrat. Cicero autem, *ep.* 4. *lib.* I. *ad Att.* quam hoc anno prætor scripsit. *Nos,* inquit, *hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus. Cui cum æqui fuissemus, tamen multo majorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* Meminit in eadem epistola comitiorum Q. Fratris, quibus ille ædilitatem petiisse videtur.

Kal. Jan. hujus anni C. Manilii lex de libertinis S. C. damnata fuit, auctore Dione. Tum Manilius, ut Pompeii gratiam colligeret, legem promulgavit, ut Pompeio, qui tum in Cilicia belli maritimi reliquias persequebatur, Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor cum omni apparatu belli piratici et copiis omnibus, quæ sub Lucullo meruerant, bellumque Mithridaticum, quod Lucullus jam annis septem gesserat, committeretur. *Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridatico, Dio lib.* XXXVI. Hanc legem promulgatam Q. Catulus et Hortensius viri consulares de more dissuaserunt, Cicero prætor suasit oratione, quæ pro lege Manilia extat, qua bellum Mithridaticum, et genere necessarium, et magnitudine periculosum, Cn. Pompeio, in quo summa esset scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas, transmittendum esse persuasit.

Eodem anno A. Cluentius Avitus, veneficii a T. Atio accusatus, a Cicerone prætore apud Q. Voconium defensus fuit. Veneno sustulisse cum alios nonnullos, tum Oppianicum vitricum suum arguebatur. Sed Cicero antequam ad hoc crimen veniat, Cluentium longa defensione primum de falsa infamia purgat. Cum enim Oppianicus ante annos octo, Lucullo et Cotta coss. ut supra demonstravimus, a Cluentio accusatus et condemnatus esset, defensor ejus L. Quintius rem in invidiam adduxit, cum diceret, pecuniam in judicio fuisse versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit, ut scribit Asconius *in Verr.* II. *cap.* 10.

Hoc tempore Ciceronem etiam pro M. Fundanio et Q. Gallio dixisse Car. Sigonius in Fragmentis Ciceronis annotavit: sed de oratione Gallio dissentio.

M. Ciceronem etiam, cum prætura fungeretur, scholam M. Antonii Gniphonis frequentasse, Tranquillus *de illustribus Grammaticis, cap.* 7. auctor est. Cum P. Vatinius, patronus asper et magistratuum contemptor, strumis oppletum collum haberet, ac coram a Cicerone prætore aliquid peteret, idque ille non concederet, sed diu deliberaret; dixit, ea de re se, si prætor esset, nihil dubitaturum. Cui Cicero: *At ego tantas cervices non habeo.*

Extremo mense hujus anni, cum Ciceroni jam biduum aut triduum

præturæ superesset, Manilium quidam furti apud ipsum postulavit. Studebat Manilio populus, quod propter Pompeium, cui amicus erat, accusari videretur. Cum igitur Manilius unum diem petiisset, ac Cicero tantum insequentem dedisset, populus indigne tulit: quod mos esset, ut decem minimum dies prætores reis darent. Quare productus in concionem a tribunis plebis, ibique accusatus, cum rogasset, ut audirent, dixit, Se, qui in reos semper, quantum leges permitterent, comis et humanus fuisset, indignum judicasse, non eundem se Manilio præstare: itaque ei diem, quem unum prætor in sua potestate haberet, dedita opera præfinivisse: cum non sit ejus, qui rei causam adjuvare velit, ad alium magistratum judicium rejicere. Hac oratione animi populi ita commutati sunt, ut Ciceronem lætis acclamationibus prosecuti, rogarent, ut Manilii patrocinium susciperet, quod ille præsertim ob Pompeium absentem cupide recepit: magnaque vi orationis in studiosos potentiæ paucorum, et Pompeii invidos invectus est. Hactenus Plutarchus.

Dio autem de eadem re in hanc sententiam scribit: *Cum homines nobiles Manilio accusationem comparassent, isque in hoc incumberet, ut dies sibi prorogaretur, Cicero prætor et quæstionis judex, præter alia, quæ contra Manilium fecit, vix in posterum diem judicium distulit, anni et prætura exitum prætexens. Quod cum multitudo indigne ferret, in concionem venit, coactus a tribunis plebis, senatumque insectatus, Manilii causam defensurum se promisit.* Sed quo minus hoc judicium fieret, Dio tumultum in causa fuisse ait. Quem brevi expediam.

Comitia consularia hoc anno habente L. Volcatio Tullo, consules designati fuerunt P. Autronius Pætus et P. Cornelius Sylla. Designatos jam L. Cotta et L. Torquatus lege Calpurnia de ambitu, de qua diximus, accusarunt et damnarunt, atque ad se magistratum transtulerunt, ut Cicero *in orat. in Toga candida:* Asconius *in eam;* Sallustius, *Cat. cap.* 18. et Dio testantur. Cicero quoque *lib.* II. *de Finibus, cap.* 19. ait, L. Torquatum adolescentulum eripuisse P. Syllæ consulatum, et ad patrem suum retulisse.

Eodem tempore Catilina, cum de provincia Africa decessisset petiturus consulatum, pecuniarum repetundarum reus factus, prohibitus fuit petere, *auctore Sallustio et Asconio.* Tum contra rempublicam conjuraverunt pauci, in quibus a Sallustio P. Autronius, L. Catilina et Cn. Piso numerantur. Dio, et Suetonius *in Cæs. cap.* 9. illis addunt P. Syllam, nec dissentit Livius *lib.* CI. quo nomine Sylla post annos quatuor a L. Torquato accusatus, ab Hortensio et Cicerone defensus fuit. Hi circiter Nonas Decemb. consilio communicato, parabant in Capitolio Kalend. Jan. Cottam et Torquatum coss. interficere. Ea re cognita, in Nonas Februar. consilium cædis transtulerunt. Sed neque tum cædes facta est, quod Catilina signum conjurationis prius quam parati essent dederit; *Sallust. et Asconius.*

Anno Urbis 688, *Ciceronis* 42,

Consules fuerunt

L. AURELIUS COTTA,
L. MANLIUS TORQUATUS.

Horum consulum meminit Cicero *Agraria* II. *cap.* 17. *et in Catil. cap.* III. 8. his verbis: *Memoria tenetis, Cotta, et Torquato coss. complures in Capitolio turres de cælo esse percussas, cum et simulacra Deorum immortalium depulsa sunt, et statuæ veterum hominum dejectæ, et legum æra liquefacta: tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, etc.* Eadem prodigia Cicero in secundo de consulatu Uraniam Musam narrantem fecit versibus elegantissimis, qui extant *lib.* I. *de Divinat. cap.* 12. de iisdem Obsequens, et Dio *lib.* XXXVII.

M. Tullius ex prætura in provin-

cium ire noluit, ut ipse pro Murena testatur: sed cum anno sequente consulatum petere cogitaret, hoc tempore prensabat. Qua de re ait in ep. 1. lib. I. ad Att. quam hoc anno ante comitia consularia Attico scripsit.

His consulibus Cicero C. Cornelium de majestate apud Q. Gallium prætorem quatriduo defendit, quas actiones in duas orationes collatas edidit, auctore Asconio, apud quem reliquiæ orationum extant. Eodem anno, ut Dio lib. XXXVII. scribit, C. Papius tribunus plebis legem tulit, ne quis peregrinus in urbe esset. Hinc Cic. lib. III. cap. 11. de Officiis. *Male etiam, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud Patres nostros, Papius nuper.* Hanc legem Papiam nominat idem pro Archia, cap. 5. eandem intelligit in Agraria I. cap. 4. cum inquit: *Simillime atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur.* Hoc quoque anno Catilina accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, Cicero pro Cælio, cap. 4. et Asconius. Reo de pecuniis repetundis Catilinæ advocatus fuit Torquatus consul, pro Sylla, cap. 29. Clodius accusator a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur, de Harusp. resp. cap. 20.

Anno Urbis 689, *Ciceronis* 43,

Consules fuerunt

L. JULIUS CÆSAR,
C. MARCIUS FIGULUS.

Hos consules nominat Cicero pro Sylla, cap. 20. Iisdem se filiolo auctum scribit ep. 1. lib. I. ad Att. Quia vero annus XLIII legibus Romanis consularis fuit, ut Cicero Philip. V. cap. 17. ostendit, ideo Cicero hoc anno consulatum petivit, de quo pro Cælio inquit cap. 4. *Deinceps fuit annus, quo ego consulatum petivi.* In consulatus petitione sex competitores Cicero habuit, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Cassium Longinum, Q. Cornificium, et C. Licinium Sacerdotem, de quibus Asconius in orat. in Tog. cand. et Q. Cicero de Petit. Cons. cap. 2. In his patricii duo fuerunt, P. Galba et L. Catilina. De quibus Cicero pro Murena, cap. 8. *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo; altero modestissimo atque optimo viro, peterem: superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.*

Cum autem in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. Cui rei cum Q. Mucius Orestinus tribunus plebis intercessisset, graviter senatu intercessionem ferente, Cicero surrexit, atque in coitionem Catilinæ et Antonii invectus est, habita oratione in toga candida. Utebatur enim hoc tempore magistratum petens candida toga, quam Polybius lib. X. τήβωνα λαμπρὸν nominat. Eam orationem, cujus fragmenta apud Asconium extant, Quintilian. lib. III. cap. 9. vocat librum in competitores, quem vituperationem continere ait, et tamen in senatu esse habitum loco sententiæ.

Catilina jam convocatis iis, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciæ inerat, consilium suum exposuerat, quod per Fulviam in vulgus prolatum, in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, ut Sallustius, Cat. cap. 13. scribit. *Itaque*, ait Asconius in Orat. in Toga cand. *Cicero consul omnium consensu factus est: Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit.* Et ipse in Pisonem, cap. 1. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declaravit.* Item Agraria II. cap. 2. *Est illud amplissimum, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis: quod prima petitione; quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, sed vocem vivam præ vobis indicem vestrarum erga me*

voluntatum ac studiorum tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; neque singulæ voces præconum, sed una voce universus populus Rom. consulem declaravit.

Hoc anno Ciceronem Q. Gallium de ambitu defendisse ut putem, Asconius facit: qui *in orat. in toga candida* scribit, postea defensum esse Gallium. Prætor fuerat anno superiore: hoc vero tempore de ambitu accusatus fuit, quod præturæ candidatus cum esset, gladiatorium dedisset, *auctor Asconius.*

Eodem anno illud memoria dignum accidisse Dio scribit, quod is, qui Syllæ jussu Lucretium occiderat, et alius, qui multos proscriptos interfecerat, rei inter sicarios facti et condemnati sunt, auctore in primis Julio Cæsare: ubi L. Bellienum et L. Luscium significari ex Asconio *in orat. pro Ligario, cap.* 4. scripsi. Ubi Cicero ait, Syllanam crudelitatem a C. Cæsare esse vindicatam. Cæsar enim hoc anno in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, *auctore Suetonio, in Cæs. cap.* 11. Eas vero pecunias M. Catonem quæstorem anno superiore, Cotta et Torquato coss. etiam exegisse, Plutarchus in Catone scribit. Neque solum hoc præter opinionem multitudinis accidisse Dio ait, verum etiam quod Catilina, qui permultos a Sylla proscriptos occiderat, in judicium adductus et absolutus fuit. Atque hoc est illud judicium, in quo Catilinæ Torquatum non adfuisse, cum adessent cæteri, Cicero *pro Sylla* dicit, *cap.* 29. Catilinam a L. Lucullo reum inter sicarios factum post repulsam Asconius scribit.

Fuit hoc anno censor L. Aurelius Cotta, ut Plutarchus *in Cicerone* ostendit. Itaque L. Cotta homo censorius dicitur, *pro Domo sua, cap.* 32.

Extremo hujus anni mense P. Servilius Rullus tribunus plebis inito magistratu legem agrariam promulgavit, ut decemviri summo cum imperio crearentur, qui in sua potestate Italiam totam, Syriam universam, eaque omnia, quæ virtute Pompeii recens imperio Romano adjecta erant, haberent; venderent quidquid publicum populi Rom. esset; judicarent de omnibus, de quibus ipsi vellent, exules ejicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites, quot opus haberent, conscriberent et alerent. Hæc capita legis agrariæ Plutarchus *in Cicerone* recenset: ipse in Orationibus plura habet, sed quæ ad hæc pertineant.

Anno Urbis 690, *Ciceronis* 44,

Consules fuerunt

M. TULLIUS CICERO,
C. ANTONIUS.

Kal. Januarii Cicero se Rempubl. accepisse plenam sollicitudinis, plenam timoris, in qua nihil esse mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent, ait *Agrar.* II. *cap.* 3. Nam tribuni pl. ut Dio scribit, nacti Aantonium cos. moribus sibi simillimum, partim liberos eorum, qui a Sylla proscripti, honorum petitione privati erant, ad magistratus adducebant; partim P. Pæto et Cornelio Syllæ, qui cum ipso damnatus fuerat, senatoriam dignitatem restituebant, atque ut magistratus gerere possent permittebant; alii novas tabulas proponebant, alii legem ferebant de agris dividendis per Italiam, et ditiones, quæ pop. Rom. imperio parebant. Hactenus Dio.

Multa Antonius, collega Ciceronis, in Repub. moliebatur, favebat legi agrariæ; et Catilinæ familiaris ab ejus consiliis non erat alienus. Quod Cicero *pro Sextio cap.* 3. *et in Pisonem, cap.* 2. Sallustius, Plutarchus, et Dio significant. Erat enim inflatus Catilina Antonii promissis, *pro Murena, cap.* 24. Hunc igitur Cicero patientia et obsequio suo primum mitigavit, atque ita de lege agraria cœpit agere. Kalendis Januarii inito

consulatu, senatum et bonos omnes legis agrariæ maximarumque largitionum metu liberavit, ut ipse *in Pisonem* ait. Tum primam orationem consularem habuit in senatu, *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.* atque hæc est oratio prima contra Rullum, cujus pars extat, in qua disputat contra venditionem rerum publicarum, emptionem agrorum et deductionem coloniarum.

Hac oratione, Plutarchus, auctores legis ita perterritos fuisse, ait, ut nihil contra dixerint. Cum deinde iidem consules in concionem vocarent, Cicero populo Rom. disceptatore uti non dubitavit: sed, cum senatum se sequi jussisset, progressus, secundam orationem consularem ad populum de lege Agraria dixit, in qua legem Serviliam antiquandam esse suadet, quod per eam Rullus simulatione largitionis tyrannidem constituat: cum et decemviris creandis libertatem populo eripiat, et in agrorum venditione atque emptione, coloniarumque deductione tyrannicam potestatem ipsis permittat. Hac oratione Plutarchus ait, Ciceronem non modo legem ejecisse, verum etiam tribunos in desperationem reliquorum, quæ moliebantur, conjecisse.

Huc accesserunt duæ orationes breves, quasi ἀντιπαραβάσεις legis Agrariæ, ut scribit *ad Att. ep.* 1. *lib.* II. harum una, quæ contra Rullum ad populum tertia legitur, brevissima extat. Qua se defendit contra accusationem tribunorum, qui Ciceronem gratificantem Syllanarum assignationum possessoribus, Agrariæ legi obsistere criminati erant.

Ita factum est, ut Cicerone dicente, legem Agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverint tribus, ut Plinius *lib.* VII. *cap.* 30. ait. Quanta vis dicendi et eloquentia in Cicerone fuerit, Plutarchus in eo quoque declaratum fuisse ait, quod in illius consulatu circa spectacula evenit. L. Roscius Otho legem Theatralem Pisone et Glabrione coss. tulerat, ut supra demonstravimus. Quam plebs ad ignominiam suam pertinere censuit: ideoque Roscium in theatro sibilis consectata est, cum equites contra illum plausu exceperunt. Sublato deinde majore hinc sibilo, inde plausu, convicia et tumultus tota cavea consecutus est. Quo audito, M. Tullius in theatrum venit, et populum in ædem Bellonæ evocatum reprehendendo et admonendo castigavit.

Hanc orationem consularem tertiam de Othone appellat ep. 1. *lib.* II. *ad Att.* qua affectum est, ut Roscio theatralis auctori legis plebs ignoverit, et notatam se discrimine sedis æquo animo tulerit, ut Plinius *lib.* VII. *cap.* 30. testatur. Plutarchus vero scribit, plebem ex æde Bellonæ in theatrum reversam, Othoni magnum plausum dedisse, et de ornando viro equestri ordini nihil concessisse.

Quarta oratio consularis *pro Rabirio* extat, sed imperfecta. Unde orta hæc causa fuerit diximus supra ad annum DCLIII. quo Saturninus occisus fuit. Hoc vero tempore C. Julius Cæsar T. Labienum subornavit, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, ut Suetonius *in Cæs. cap.* 12. scribit, et Dio pluribus verbis *lib.* XXXVII. Est autem perduellio summum imminutæ majestatis crimen, de quo Duumviri a populo creati quærere solebant: quod vetus lex apud Livium *lib.* I. *cap.* 26. ostendit. Itaque C. et L. Cæsares Duumviri in hac causa creati, non a populo ut moris erat, sed a prætore, quod non licebat, Rabirium condemnarunt, ut Dio scribit. C. Cæsar, auctore Suetonio, *sorte judex in reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit.* Populo appellato, comitia centuriata, quibus de perduellione judicari solebat, in campo Martio habita sunt: ubi consul Cicero C. Rabirium defendit, tum quod senatus imperio paruisset, tum quod fidem publicam non violasset, quam Marius sine S. C. dare non potuisset. De hac causa *in Pisonem, cap.* 2. hæc dixit: *Ego in C. Rabirio perduellionis reo* XL. *annis ante me consulem interpositam senatus*

auctoritatem sustinui contra invidiam, atque defendi. De eadem in Oratore, cap. 29. *Jus omne retinendæ majestatis Rabirii causa continebatur; ergo in omni genere amplificationis exarsimus.*

Quinta oratio consularis fuit de proscriptorum filiis. Hi sunt, quos Plutarchus *in Cic.* scribit, lege Cornelia honoribus exclusos, cum neque infirmi, neque pauci essent, populum concitasse: ac juste quidem Syllæ tyrannidem accusasse, verum alieno tempore rempub. perturbasse. Dictator enim Sylla non solum inimicos suos proscripsit, sed eorum etiam filios petendorum honorum jure lege lata, privavit. Auctores sunt Plutarchus *in Sylla*, Peterculus *lib.* II. *cap.* 28. et Dionysius Halicarnasseus *lib.* VIII. qui addit illis etiam aditum in senatum obstructum fuisse. Itaque petentibus illis, ut, lege Cornelia abrogata, capessendorum honorum potestas sibi fieret, Cicero consul restitit, qua de re Quintilianus *lib.* XI. *cap.* 1. et Cicero in Pisonem, cap. 2. *Ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunæ, ut, si essent magistratus adepti, reip. statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi.* Hinc Plinius *lib.* VII. *cap.* 30. Ciceronem appellans: *Te erunte*, inquit, *proscriptorum liberos honores petere puduit.*

Sextam orationem consularem M. Tullius, *ad Atticum*, numerat, quam habuit, cum provinciam in concione deposuit. Provincias senatus consulibus lege Sempronia decreverat Macedoniam et Galliam Cisalpinam. Macedoniam, ut Dio scribit, Cicero, Galliam Antonius erat sortitus. Commutatis deinde provinciis, Cicero pro illa hanc recepit, acceptamque in concione deposuit. Hinc in Pisonem, cap. 2. *Ego*, inquit, *provinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio communicavi* [*commutavi* fortasse rectius] *quod ita existimabam tempora reip. ferre, in concione deposui, reclamante populo Rom.*

Interim L. Sergius Catilina arma per Italiam locis opportunis parabat, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam, Fæsulas ad C. Manlium centurionem portabat. Denique plurimos cujusque generis homines adsciscebat, et in proximum annum consulatum petebat, ut Sallustius scribit, *cap.* 24. *et* 26. Cum omnia, ut consul designaretur, Catilina moliretur, nihilque intentatum relinqueret, M. Tullio referente placuit senatui, ut ad pœnam, quæ ambitus crimini constituta erat, decem annorum exilium lege ad populum lata, adderetur. Hæc Dio. Legem de ambitu se consulem tulisse, Cicero quoque *pro Murena* aliquoties significat. Item in Vatinium, cap. 15. *Atque illud etiam audire a te cupio: quare, cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege Ælia et Furia, tu eam esse legem non putes?* Vetabat eadem lex biennio, quo quis peteret, petiturusve esset, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die, ut ibidem *et pro Sextio* ait *cap.* 64.

Cum Catilina, ut Dio tradit, hanc legem Tulliam contra se ex S. C. latam putaret, manum quandam comparavit, et Ciceronem cum aliis nonnullis principibus in campo comitiis interficere conatus est, ut ipse confestim designaretur. Edicta comitia consularia fuisse videntur in ante diem XII. Kal. Novemb. qui nominatur *in Catil.* I. *cap.* 3. sed, cum pridie ejus diei Cicero Catilinæ consilia ad senatum detulisset, factum est S. C. ne postero die comitia haberentur, ut de iis rebus in senatu agi posset. *Itaque postridie*, inquit Cicero pro Murena, cap. 25. *frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, quæ ad me allatæ essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit, atque induit. Tum enim dixit, duo corpora esse Reip.: unum debile, infirmo capite: alterum firmum, sine capite: huic, cum ita de se meritum esset, caput, se vivo non defuturum.*

Hactenus Cicero. Idem est apud Plutarchum.

Eo die, id est, decimo octavo ante quam primam Catilinariam Cicero dixit, ut Asconius *in orat. in Pisonem, cap.* 2. scribit, factum est S. C. ut viderent consules, ne quid respub. detrimenti caperet. De quo Sallustius, *cap.* 29. et Plutarchus, qui addit, hoc S. C. facto, Ciceronem res externas Q. Metello commisisse, ipsi urbem curæ fuisset; idem Cicero *ep.* 2. *lib.* V. *Famil.* significat, Comitiis, quod homines jam tum conjuratos, ut *pro Murena, cap.* 26. testatur, in campum deduci sciebat, descendit in campum cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica, ut omnes boni animadverterent, et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem præsidiumque ejus concurrerent.

Tectus igitur præsidio firmo amicorum, Catilinæ tum et Autronii copias et conatum repressit, ut ait pro Sylla, cap. 18. et in Catil. I. cap. 5. *Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus, amicorum præsidio, et copiis, nullo tumultu publice concitato.* Loricæ, quo tectus Cicero in campum descendit, meminerunt *Plutarchus*, et *Dio*,

His comitiis Catilina repulsam iterum tulit: consules declarati sunt D. Junius Silanus et L. Licinius Murena. *Cum igitur nihil*, inquit Dio, *Catilinæ procederet, jussit conjuratos noctu in domum quandam convenire.* Fuit ea domus M. Porcii Leccæ, in quam conjuratos nocte ea, quæ consecuta est posterum diem Nonarum Novembr. Catilinæ denuntiatione, convenisse Cicero pro Sylla ait, *cap.* 18.

Tum Catilinæ dies exeundi, tum cæteris manendi conditio, tum descriptio totam per urbem cædis atque incendiorum constituta est. Quod a *Cicerone Orat.* I. *et* II. *in Catil.* et a *Sallustio* explicatur. Dixit ibi Catilina, paululum esse sibi etiam tum moræ, quod Cicero viveret, reperti sunt duo equites Romani, qui sese illa ipsa nocte paulo ante lucem Ciceronem in suo lectulo interfecturos pollicerentur. *Orat.* I. *in Catil. cap.* 4. Alter eorum C. Cornelius a *Sallustio, cap.* 28. *et Cicerone pro Sylla, cap.* 6. nominatur. Ei Sallustius L. Vargunteium addit, qui senator, non eques fuit. Plutarchi libri Marcium et Cethegum habent. Dio neutrius nomen expressit.

Cum autem Cicero per Fulviam de dolo, qui parabatur, vixdum etiam cœtu illo dimisso, certior factus esset, domum suam majoribus præsidiis munivit atque firmavit: exclusit eos, quos Catilina mane ad ipsum salutatum miserat. *Cic. in Catil. I. cap.* 4. *Sallustius, Plutarchus, Appianus et Dio.*

VI. Idus Novemb. Cicero senatum in Jovis Statoris ædem, quæ erat initio Viæ Sacræ, qua ad Palatium ascenditur, convocavit. Venit eodem Catilina, eique nullus senator assidere voluit, ut Plutarchus scribit. Cicero *in Catil.* I. *cap.* 7. *et* II. *cap.* 6. ait principes ordinis senatorii partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquisse.

Tum M. Tullius consul sive præsentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipub. quam postea scriptam edidit, ait *Sallustius, cap.* 31.

Hæc est prima oratio in Catilinam et septima consularis, qua Catilinam emisit, *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.* *Ego*, inquit in Pisonem, cap. 2. *L. Catilinam, cædem senatus, interitum urbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex urbe jussit: ut a quo legibus non poteramus, mœnibus tuti esse possemus.* Plutarchus: *Cicero eum urbe exire jussit: oportere enim inter se, qui verbis, et illum, qui armis remp. gereret, murum interesse.*

Catilina igitur nocte intempesta cum trecentis armatis, lictoribus et fascibus imperii insignibus adhibitis,

ex urbe in Manliana castra profectus est.

Postridie quam Catilina profugit, Cicero orationem ad populum habuit, quam octavam consularem numerat *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.* et est secunda Catilinaria, in qua Orator gratulatur populo et reipubl. quod Catilina ex urbe sit profectus: atque ad confirmandos animos bonorum civium, et infringendos conjuratos utriusque partis copias inter se comparat.

Postquam Romæ compertum fuit, Catilinam in castra Manliana profectum esse, senatus Catilinam et Manlium hostes judicavit. Decrevit præterea, uti consules delectum haberent, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturaret, Cicero urbi præsidio esset, *auctore Sallustio, cap.* 36.

Catilina jam bellum gerente, cum ejus socii in urbe relicti nondum essent deprehensi, Cicero Murenam consulem designatum defendit, ut ex ipsa oratione, *cap.* 27. et pro Flacco, *cap.* 39. apparet. Accusarunt eum de ambitu Ser. Sulpicius, M. Porcius Cato et Cn. Postumius. Sulpicius competitor ejus fuerat, et repulsam tulerat. Catonem Plutarchus in ejus vita scribit jurasse, accusaturum se quemcunque pecuniam populo dare cognovisset: ideoque Murenæ nomen ab eo delatum esse, quod is pecunia effecisset, ut consul cum Silano designaretur.

Defenderunt Murenam Q. Hortensius, M. Crassus et M. Cicero, qui, cum Hortensium eloquentiæ laude tum florentem superare contenderet, nullam partem noctis conquievit, usque eo ut nimiis curis et vigiliis afflictus, inferior quam ille in actione visus fuerit. Hæc Plutarchus *in Cicerone*, ut ego jampridem converteram, ubi quod alii μὰ addunt, alii ἀυτῶ, pro αὐτοῦ, legunt, nullo modo probare possum.

Interim P. Lentulus Sura legatos Allobrogum, qui Romam questum de avaritia magistratuum venerant, sollicitavit, eosque in Galliam ad suos cives cum litteris misit. Cicero omni re, opera Q. Fabii Sangæ patroni civitatis Allobrogum cognita, L. Valerio Flacco et C. Pomptinio prætoribus imperavit, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehenderent. Igitur IV. Nonas Decembr. cum advesperasceret occulte eo profecti, tertia fere vigilia exacta, Allobroges cum comitatu et litteris comprehenderunt, atque ad Ciceronem, cum jam dilucesceret, deduxerunt.

III. Nonas Cicero principes conjurationis ad se venire jussit, et senatum in sedem Concordiæ vocavit. Ibi T. Vulturcii et Allobrogum indiciis conjuratio omnis patefacta est. Introductis in senatum indicibus, Cicero constituit C. Cosconium, M. Messalam, P. Nigidium, Ap. Claudium, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. Quod ipse *pro Sylla* refert, *cap.* 14. Tum Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius et Cæparius ex S. C. in custodiam sunt traditi, Quæ *Cicero in Catil.* III. *Sallustius, cap.* 40. *Plutarchus, Appianus et Dio* pluribus verbis exponunt.

Eo die senatus Ciceroni togato, non, ut multis, bene gestæ, sed ut nemini, conservatæ reipub. testimonium dedit, et singulari genere supplicationis Deorum immortalium templa patefecit, *in orat. in Pisonem, cap.* 3. Ejusdem supplicationis mentio est *Catil.* III. *cap.* 10. *et.* IV. *cap.* 3. *Philip.* II. cap. 1. *et* XIV. *cap.* 8. *pro Sylla, cap.* 30, *et ep.* 4. *lib.* XV. *Famil.*

Sub noctem progressus in concionem Cicero, populo, qui frequens aderat, quidquid in senatu actum erat exposuit ea oratione, quæ tertia in Catilinam extat et nona Consularis numeratur, *ep.* 1. *lib.* II. *ad. Attic.*

E concione Cicero, ut Plutarchus scribit, in domum vicini a populo deductus fuit, eo quod domi ejus in operto sacra Bonæ deæ a mulieribus V stalibus fierent. Ibi tum peracto

sacrificio, cum ignis in ara jam extinctus putaretur, magna flamma e cineribus in altum sublata fuit. Quo ostento aliarum mentes perculsæ fuerunt: Vestales Terentiam Ciceronis conjugem maritum adire atque dicere jusserunt, quæ de patriæ salute agere instituisset, ea exequi ne dubitaret. Ostenti hujus mentio est quoque in Dionis Historia *lib.* XXXVII.

Postero die, pridie nonas Decembr. indicibus præmia constituta fuerunt, ut Cicero *in Catilin.* IV. indicat, *cap.* 3. Nonis Decembr. cum Cicero consul intelligeret, paratos esse, qui Lentulum et Cethegum eriperent, dispositis præsidiis et senatu convocato, retulit, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam traditi erant.

Primus D. Junius Silanus, quia consul designatus erat, sententiam rogatus, extremum supplicium in eos decrevit. Ei assensi sunt deinceps multi, donec ad Ti. Neronem sententiæ dictio pervenit. Hunc censuisse *Appianus* ait, ut comprehensi in vinculis haberentur, quoad Catilina bello profligatus esset.

Cæsar deinde prætor designatus censuit, eos publicatis bonis in vinculis per municipia habendos. Huic sententiæ, ait *Plutarchus*, cum et æquitatis plena, et ab homine eloquentissimo dicta esset, momenti Cicero non parum addidit; surrexit enim atque in utramque partem disseruit; partim illam Silani, partim hanc Cæsaris sententiam defendens. Quibus verbis summam quartæ orationis in Catilinam comprehendit. In qua Cicero de duabus sententiis contrariis ita disputat, ut non obscure in severiorem Silani inclinet. Atque hæc est decima oratio Consularis: quam in senatu Nonis Decemb. habitam fuisse ipse *ep.* 1. *lib.* II. *ad. Att.* scribit; ut satis mirari nequeam, Silvium et Curionem, affirmare, illam orationem VII. Idus dictam fuisse.

Cæsari deinceps omnes assensos esse usque ad Catonem *Appianus* et *Dio* tradunt. *Plutarchus* ait, Q. Lutatium Catulum primum contradixisse.

Inde M. Porcius Cato tribunus pl. designatus, adhuc admodum adolescens, pene inter ultimos rogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem ut ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consilii suspectam fecerit; sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit; ita consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam transiret. Hæc Velleius *lib* II. *cap.* 35. tu lege Ciceronem *pro Sextio, cap.* 28.

Facto igitur S. C. in Catonis sententiam, supplicium de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario in carcere sumptum est. Atque ita M. Cicero suis consiliis, suis laboribus, suis capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis aque confossis, incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempubl. liberavit, *in orat. pro Sylla, cap.* 11.

Ad vesperum, cum Cicero, ut *Plutarchus* scribit, per forum se domum suam reciperet, non jam silentio cives, neque ordine illum deducebant: sed quocunque accesserat, omnes eum vocibus et plausu excipiebant, et servatorem ac conditorem patriæ appellabant. In foribus lampades et faces accensæ vicos et angiportus clarissima luce collustrabant, pro tectis mulieres stabant, ut eum virum honorarent et spectarent, qui clarissimis viris comitatus tanto splendore per forum ascenderet. Atque hæc facta sunt Nonis Decembr. quas Cicero semper in ore habebat, ut scribit *Brutus ad Att.* Vide *ep.* 9. *lib.* I. *Fam. ep.* 16. *lib.* I. *et ep.* 1. *lib.* X. *ad. Att.* In consulatu M. Tullius legem quoque de legationibus liberis tulit, ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus earum esset, *lib.* III. *de Legibus cap.* 8. Quæstor Ciceronis cos. fuit T. Fadius; *post Re-*

dit. in Senatu, cap. 8. Antonii quæstor fuit P. Sextius, *pro Sextio, cap.* 3. Eodem anno Cicero consul L. Luculli currum triumphalem pene in urbem introduxit, *in Lucullo, cap.* 1. itaque Murenæ consulatum petenti exercitus totus Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat, præsto fuit, *pro Murena, cap.* 18. Eodem consule referente, primum decem dierum est supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, *in orat. de Prov. Consul. cap.* 11.

Hactenus consulatum Ciceronis descripsimus. De quo M. Crassus ita dixit, *Se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, Ciceroni acceptum referre. Quoties conjugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium ejus videre*, ep. 14. lib. I. ad Att.

Maxime vero consulatum hunc Cn. Pompeius probavit, qui, ut Ciceronem primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, ejus beneficio patriam se visurum esse dixit, *Philip.* II. *cap.* 5. Idem vir abundans bellicis laudibus, Ciceorni, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi ejus in rempubl. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus, *lib.* I. *de Officiis, cap.* 22.

Ciceronem præterea Q. Catulus princeps senatus et auctor publici consilii frequentissimo senatu parentem patriæ nominavit, *in Pisonem, cap.* 3. Neque solum Catulus, verum etiam multi alii sæpe in senatu Ciceronem patrem patriæ nominarunt, ut ipse testatur *pro Sextio, cap.* 57. In his *Plutarchus* numerat Catonem. De quo Appianus: *Cum Cato Ciceronem patrem patriæ appellasset, populus acclamavit: atque, ut quibusdam placet, hæc appellatio primum Ciceroni tributa, inde ad Imperatores pervenit.* Hinc Juvenalis Satyra VIII. ver. 243.

Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Et Plinius *lib.* VII. *cap.* 10. M. Tullium sic affatur: *Salve primus omnium parens patriæ appellate.*

De Cicerone L. Gellius, vir clarissimus, in concione dixit, si ille consul, cum fuit, non fuisset, rempubl. funditus interituram fuisse, *post Red. ad Quirites, cap.* 7. Idem civicam coronam Ciceroni deberi a republ. dixit, *in Pisonem, cap.* 3. Vide *Gellium lib.* V. *cap.* 6.

Cum extremis diebus anni hujus novi tribuni pl. quia a. d. IV. Id. Decembr. magistratum inibant (ut supra ad annum DCLXXXVI. demonstravimus) res eas, quas Cicero consul gesserat, vexare cuperent, illo P. Sextium Capua arcessivit cum eo exercitu, quem tum secum habebat: cujus adventu tribunorum conatus sunt retardati; *Cicero pro Sextio cap.* 4. Hos tribunos Plutarchus Metellum et Bestiam nominat: sed L. Calpurnius Bestia tribunatu jam v. Id. abierat, quod Manutius et Corradus ex Sallustio monuerunt.

Quintus autem Metellus Nepos novus tribunus pridie Kalend. Januarii Ciceronem consulem abeuntem magistratu concionis habendæ potestate privavit. Cujus injuria Ciceroni tamen honori summo fuit. Nam cum ille nihil ei nisi ut juraret, permitteret, magna voce juravit verissimum pulcherrimumque jusjurandum: quod populus idem magna voce ipsum vere jurasse juravit; *ep.* 3. *lib.* V. *Fam.* Juravit autem se patriam conservasse, ut Plutarchus et Dio scribunt; et ipse Cicero in Pisonem, cap 3. *Ego*, inquit, *cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quæ constitueram, cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret; sine ulla dubitatione juravi, rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus Rom. universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit, cum meum jusjurandum tale atque tantum, juratus ipse una voce et consensu approbavit. Quo quidem tem-*

pore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esse, civium esse in numero videretur. Hujus frequentiæ, qua abiens consulatu domum fuit reductus, mentio est *in ep.* 16. *lib.* I. *ad Att.*

Anno Urbis 691, *Ciceronis* 45,

Consules fuerunt

D. JUNIUS SILANUS,
L. LICINIUS MURENA.

Ab his Consulibus lata fuit lex Junia Licinia, qua, ut leges trinundino die promulgarentur, pœna adjecta cavebatur. Cic. Philip. V. cap. 3. *Ubi lex Cæcilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœna recenti lege Junia et Licinia?* Ejusdem legis meminit *in Vatinium cap.* 14. *et ad Atticum ep.* 9. *lib.* II. *et ep.* 16. *lib.* IV.

Initio hujus anni Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus est; *Sallustius Catil. cap.* 57. *Dio lib.* XXXVII. *Livius lib.* CIII. Vicit eum prælio M. Petreius, Legatus Antonii, de quo Cicero *pro Sextio, cap.* 5. Victo Catilina Antonius laureatos fasces, ut Obsequens scribit, in Macedoniam provinciam tulit, cui per triennium deinde præfuit. Quia vero Antonius in fascibus insignia laureæ præferebat, imperator appellatus erat. Qua de re scripsi in Ligarianam. Itaque *Cicero ep.* 5. *lib.* V. *Fam.* qua Antonio T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem hoc anno commendavit, *Imperatori* adscribit, quod Paulus Manutius sine causa miratur. Nam et Dio *lib.* XXXVII. aperte tradit, Antonium ob victoriam de Catilina, quamquam cæsorum numerus infra legitimum esset, Imperatorem appellatum fuisse.

Metellus tribunus pleb. a. d. III. Non. Januar. ut est *ep.* 2. *lib.* V. *Famil.* cum agere cœpisset, non in senatu, ut vir doctus annotavit, sed ad populum, ἐν τῷ ὁμίλῳ, ut *Dio* loquitur (fuisse autem diem comitialem vetus Kalendarium ostendit) tertio quoque verbo orationis suæ Ciceronem appellabat, cum clamaret, non licuisse ei, Lentulum, Cethegum et reliquos cives indicta causa necare: atque hoc crimen verbo Ciceroni, re senatui intendebatur, auctore Dione. Cicero Metello forti animo restitit, et orationem Metellinam contra concionem Metelli scripsit, cum ille prior scripsisset, *ep.* 13. *lib.* I. et *ep.* 12. *lib.* III. *ad Att.* Meminit Quintilian. *lib.* IX. *cap.* 3. *Gellius lib.* XVIII. *cap.* 17. *Priscianus lib.* IX. *et* X. Tunc etiam Metellus Celer, qui Galliam provinciam pro consule obtinebat, ad Ciceronem misit *ep.* 1. *lib.* V. *Famil.* querens Nepotem fratrem suum ab eo oppugnatum: cui Cicero *ep.* 2. respondet.

Hoc anno ex indicio L. Vettii equitis R. qui de Catilinæ sociis in urbe remanserant partim præsentes, partim cum citati non respondissent, damnati sunt, ut *Dio* scribit. In his fuerunt P. Autronius, Ser. Sylla, L. Vargunteius, M. Porcius Lecca, C. Cornelius, quos Cicero *in orat. pro Sylla, cap.* 2. nominat. Damnati sunt lege Lutatia de vi publica: quod indicant hæc verba Ciceronis pro Cælio, cap. 29. *Quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, reip. pene extremis temporibus tulit: quæque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias conjurationis extinxit.*

Tum L. Torquatus, qui P. Cornelio Syllæ consulatum ante triennium eripuerat, ejusdem nomen de duplici conjuratione detulit. De priore, quæ L. Tullo, M'. Lepido coss. inita fuit, Q. Hortensius; de posteriore Cicero, qui illam anno superiore oppresserat, defendit oratione illa, quæ pro P. Sylla extat. Quam hoc tempore, condemnatis aliis conjuratis, habitam esse illa verba, *cap.* 32. argumento sunt: *Severitatem judiciorum, quæ per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate.* Huc accedit, quod homines docti tribunum illum quem Cicero ad lugendos conjuratos ex illis relictum videri ait, *cap.* 10. Me-

telium Nepotem esse non sine causa putant.

Eodem tempore, cum Sylla reus esset, domum Cicero in Palatio emit, ut Gellius scribit *lib.* XII. *cap.* 12. Domus emptæ a se meminit *ep.* 13. *lib.* I. *ad Att.* quam scripsit mense Januario anni sequentis. Quare non dubito, quin extremo hujus anni mense, cum Q. Fufius Calenus tribunatum pl. inivisset, Cicero scripserit *ep.* 6. *lib.* V. *Famil.* ad P. Sextium, qui, cum anno superiore C. Antonii consulis quæstor fuisset, hoc anno pro quæstore cum eodem in Macedonia erat. Vide *orat. pro Sextio, cap.* 5.

Cn. Pompeius, confecto jam bello Mithridatico, litteras publice miserat: in quibus, quod gratulationem de rebus a se in urbe gestis prætermiserat, Cicero cum eo expostulat *ep.* 7. *lib.* V. *Famil.*

P. Clodius Ap. F. adolescens audax et insolens, Pompeiæ uxoris C. Cæsaris amore captus, extremo hoc anno, cum Bonæ Deæ in domo Cæsaris pro populo fieret, in opertum cum veste muliebri venit; sperans se, quod imberbis esset, clam ingressum, ad Pompeiam perventurum. Sed dum in amplis et laxis ædibus oberrat, ab Aureliæ matris Cæsaris ancilla conspicitur, nomenque rogatus, cum se Auram pedisequam Pompeiæ quærere dixisset, ex voce agnoscitur, et a mulieribus in cubiculo ancillæ; cum qua domum ingressus erat, deprehenditur atque foras ejicitur, ut Plutarchus *in Cicerone et Cæsare* scribit. Cicero *in orat. de Harusp. Resp.. cap.* 21. ait illum ancillarum beneficio emissum esse. Tu vide *ep.* 12. et sequentes *lib.* I. ad Atticum.

Anno Urbis 692, *Ciceronis* 46,

Consules fuerunt

M. PUPIUS PISO,
M. VALERIUS MESSALA.

P. Clodii facinore patefacto, a Virginibus et Pontificibus id nefas est decretum: Cæsar deinde uxori nuntium remisit, et Clodium tribunus pl. accusavit, auctore Plutarcho in Cæsare. Accusatorem Clodii Cicero *de Harusp. Resp. cap.* 17. Lentulum nominat. Clodium incesti crimine a tribus Lentulis accusatum fuisse *Valerius lib.* IV. *cap.* 2. tradit, De Clodii judicio vide *ep.* 16. *lib.* I. *ad Att.* In eo M. Tullius testis productus, cum Clodius crimen ita refelleret, ut diceret, se illa nocte non Romæ, sed longe ab urbe Interamnæ apud Cassinium Scholam fuisse, Cicero contra pro testimonio dixit; illum ad se domum venisse et de quibusdam rebus egisse. Id quod verum erat. *Plutarchus, Cicero pro Domo et Milone,* ibidemque *Asconius, Quintilianus, lib.* IV. *cap.* 2. *Valerius lib.* VIII. *cap.* 5.

Absoluto Clodio, Cicero cum eo Idibus Maii in senatu contendit, *ep.* 16. *lib.* I. *ad Att.* Hoc anno Q. Tullius Cicero, M. frater, prætor fuit: cumque prætores provincias sortirentur, Q. Ciceroni Asia obtigit, *ep.* 15. *lib.* I. *ad Att.* Obtinuit eam provinciam per triennium, cum L. Valerio Flacco successisset, ut ex orat. *pro Flacco, cap.* 14. intelligitur.

Eodem anno censores creatos fuisse, et lustrum condidisse, ex *lib.* I. *ad Att. et Dionis lib.* XXXVII. satis notum est. Hi Onuphrio sunt P. Servilius Isauricus et Mam. Æmilius Lepidus.

Ante hos Censores Ciceronem pro Archia dixisse, hæc verba orationis, *cap.* 5. quæ ex tanto numero interpretum nemo adhuc exposuit, arguunt: *Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo, apud exercitum fuisse: superioribus, cum eodem quæstore fuisse in Asia; primis, Julio et Crasso, nullam populi partem esse censum.*

L. Julium Cæsarem et P. Licinium Crassum censores fuisse primos post datam civitatem Archiæ anno DCLIV. diximus. Tertio anno post L. Marcius Philippus et M. Perperna censores lustrum LXVI. fecerunt, quo

tempore Archias in Asia fuit cum Lucullo quæstore, qui per multos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit; *Cicero in Lucullo, cap.* 1. Censura deinde intermissa fuit usque ad annum urbis DCLXXXIII. quo L. Gellius, Cn. Lentulus lustrum LXVII. fecerunt, cum Lucullus in Asia bellum contra Mithridatem administraret. Atque hi Censores proximi ante Ciceronis consulatum censum egerunt. Nam qui Cotta et Torquato coss. creati fuerunt, propter dissensionem abdicarunt: illi autem, qui anno insequenti iis successerunt, intercedentibus tribunis pl. nihil agere potuerunt. Auctor Dio *lib.* XXXVII.

Itaque M. Tullius post consulatum ante censores, qui hoc anno creati fuerunt, A. Licinium Archiam, cui Gracchus quidam civitatis controversiam moverat, defendit illa oratione, quæ extat. In qua primo eum civem esse probat: deinde reliqua oratione ornat, ut civitate Romana dignum esse demonstret. Corradus *ex ep.* 16. *lib.* I. *ad Att.* putat, Ciceronem pro Archia dixisse Metello et Afranio coss. sed qui, quod inchoavit, nondum perfecit, nihil scripsisse videri potest.

Hoc anno Pompeius tertium triumphum de Mithridate, Tigrane, plurimisque regibus ac gentibus per biduum III. et prid. Kal. Octobr. ut est in Fastis, Capitol. egit. Trium triumphorum Pompeii mentio est *lib.* II. *de Divinat. cap.* 9. De iisdem Cicero pro Balbo, *cap.* 6. *Cujus tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri.* Eodem anno C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, populum Gaditanum summis ornamentis affecit, controversias sedavit, jura ipsorum permissu statuit, et inveteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delevit, ut Cicero in eadem oratione, *cap.* 19. testatur.

Tum quoque C. Pontinius, qui anno superiore in Galliam ulteriorem ex prætura missus erat, Allobrogas domuit, ut copiose Dio *lib.* XXXVII. narrat. Meminit Cicero *in orat. de Provinciis Cons. cap.* 13. et Livius *lib.* CIII. Nonis Decemb. Cicero *ad Att.* scripsit *ep.* 17. *lib.* 1.

Anno Urbis 693, *Ciceronis* 47,

Consules fuerunt

Q. CÆCIL. METELLUS CELER,
L. AFRANIUS.

De his consulibus Cicero *lib.* I. *ad Att.* Primis hujus anni mensibus Tullius in urbe fuit, *ep.* 18. et 19. *lib.* I. *ad. Att.* effecitque, ne Q. fratri in Asia succederetur, *ep.* 1. *lib.* I. *ad Q. Fratr.*

L. Flavius tribunus pl. legem Agrariam auctore Pompeio promulgavit de agris dividendis militibus Pompeii et plebi, de qua Cicero *lib.* I. *ad Att. ep.* 19. et Dio *lib.* XXXVII. qui scribit, Metellum consulem tum a Flavio in carcerem ductum fuisse: unde Cicero, ep. 1. lib. II. ad Atticum, *Nunc consule in carcere incluso.* P. Clodius, ut idem *Dio* scribit, tribunatus cupidus, primum tribunos quosdam submisit, qui legem ferrent, ut patriciis quoque ejus magistratus capiundi potestas esset. Quod ubi non persuasit, patriciatum ejuravit, atque in concionem progressus ad plebem transiit. In hanc sententiam *Dio.* Cicero vero *ep.* 15. *lib.* I. *ad Att.* ita scribit: *C. Herennius tribunus pleb. ad plebem P. Clodium traducit: idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat.* Addit *Dio: Clodius tribunatum statim petiit: sed creatus non est, Metello ei resistente: qui et propinquus Clodii erat, et ea, quæ ille agebat, non probabat. Prætendebat vero adoptionem more majorum non esse factam: quia plebeius, nisi lege curiata, fieri nemo posset.* Apud Dionem *ἐν τῇ εἰσφορᾷ τοῦ στρατιωτικοῦ νόμου*, mendose est pro *τοῦ φρατριατικοῦ*, quod *ex lib.* XXXIX. cognoscitur, ubi, *τὴν εἰσφορὰν τοῦ φρατριατικοῦ* de Clodii adoptione agens dicit.

Clodio igitur tum frater Metellus

et concors senatus principi Cn. Pompeio sententiam dicenti acerime una voce ac mente restitit. *Cicero de Harusp. Resp. cap.* 21. Metellus etiam consul incipientem furere Clodium atque conantem, sua se manu interfecturum, audiente senatu dixit, *pro Cælio cap.* 24.

Idibus Martiis hujus anni Cicero Commentarium consulatus sui Græce compositum ad Atticum misit, *ep.* 19. *lib.* I. Misit eundem Rhodum ad Posidonium, ut ornatius de iisdem rebus scriberet. Ille vero rescripsit, se illud ὑπόμνημα cum legeret, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum, *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.* Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας Plutarchus in Cæsare adducit. Scripsit etiam Cicero de consulatu suo versibus tres libros. *Tertium poema expectato*, inquit *ep.* 19. *lib.* I. *ad Att. et ep.* 3. *lib.* II. *Sed me κατάστασις mea illa commovet, quæ est in libro tertio.* Libro etiam primo *de Divin. cap.* 12. Q. frater plures versus ab Urania Musa *in secundo de consulatu* pronuntiatos commemorat, quorum tres ex libris Consulatus Ciceronis Lactantius adducit *lib.* III. *cap.* 17.

De Prognosticis, quæ Atticum propediem expectare jubet, *ep.* 1. *lib.* II. quid dicam non habeo. Certe quæ *lib.* I. *de Divin. cap.* 12. Ciceronis Prognosticis adducuntur, Aratea sunt, atque Διοσημείοις Græce extant. Priscianus quoque lib. X. XVI. et XVIII. Ciceronem *in Prognosticis* citat: verum, quos adducit versus, ex Arato expressi sunt.

Post Idus Martii hujus anni Cicero aliquandiu ruri fuit. Romam autem e Pompeiano se recepit a. d. IV. Id. Maii, *ep. ult. lib.* I. *ad Att.* Kal. Junii Antium profectus fuit, *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.*

Hoc anno Q. Metellus Nepos prætor portoria Italiæ lege lata sustulit, auctore Dione. De portoriis Italiæ sublatis Cicero *ep.* 16. *lib.* II. *ad Att.* Sub idem tempus, ut *Dio* scribit, Faustus Syllæ F. in honorem patris munus gladiatorium, et magnificum epulum populo dedit: balneas etiam cum oleo gratuito præbuit. Hoc munus Faustum testamento patris debuisse Cicero *pro Sylla* ait, *cap.* 19. Hoc est Fausti adolescentis nobilissimi epulum magnificentissimum, ex quo Vatinium famem suam explesse Cicero *in Interrogatione* ait, *cap.* 13.

Hoc anno conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum et C. Cæsarem, de qua Cicero lib. II. *ad Atticum.*

Anno Urbis, 694, *Ciceronis* 48,

Consules fuerunt

C. JULIUS CÆSAR,
M. CALPURNIUS BIBULUS.

Cum C. Antonio C. Octavius in Macedonia anno superiore successisset, ut cognoscitur *ep.* 1. *lib.* II. *ad Att.* Antonius hoc anno lege Lutatia de vi accusatus est a M. Cælio, ut est in orat. *pro Cælio, cap.* 19. *et.* 31.

Antonium apud Cn. Lentulum Claudianum (sic lego ex libris olim impressis) reum factum esse a Q. Fabio Maximo Cicero *in Vatinium, cap.* 11. demonstrat; sed, an de eodem crimine Cælius et Maximus accusarint, mihi non constat. Hoc *Dio lib.* XXXVIII. scribit, Antonium de Catilinæ conjuratione in judicium adductum, propter male administratam provinciam condemnatum fuisse. Cicero vero *pro Cælio* ait, *cap.* 31. Antonio nocuisse opinionem maleficii cogitati. Antonius condemnatus in Cephalenia exulavit, auctore Strabone *lib.* X. nec a M. Antonio fratris filio cum aliis exulibus restitutus fuit, *Philipp.* II. *cap.* 23.

De sua defensione Cic. *pro Domo, cap.* 16. ita inquit: *Hora fortasse sexta diei questus sum in judicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quædam de republ. quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere; hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt: hora nona,*

illo ipso die, tu es adoptatus. Hinc Suetonius in Julio, cap. 20. *Cicerone in judicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus, frustra jampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die horaque nona traduxit.*

Transiit Clodius ad plebem adoptione, quæ arrogatio dicitur. Adoptatus fuit a P. Fonteio. Contra quam adoptionem Cicero *pro Domo sua* disputat. De eadem Sueton. in Tiberio, cap. 2. *P. Clodius ob expellendum urbe Ciceronem plebeio homini atque etiam natu minori in adoptionem se dedit.* In hac adoptione Cæsar legem Curiatam tulit, Pompeius in auspicio fuit, *ep.* 7. *et* 12. *lib.* II. *ad Att. de Harusp. Resp. cap.* 23. Tullius menso Aprili et Maio extra urbem Antii, in Pompeiano, Formiano et Arpinati in litteris vixit: ibique *ep. quartam et seqq. usque ad* 18. *lib.* II. ad Atticum misit.

Attico deinde in Epirum profecto, Cicero se Romam recepit, et ea, quæ in sequentibus epistolis leguntur, ad Atticum scripsit. Consiliis publicis nullis, ut est *ep.* 23. intererat, totumque se ad forensem operam laboremque contulerat.

Tum A. Thermus bis Cicerone defendente absolutus est, *pro Flacco, cap.* 39. Tum quoque L. Valerius Flaccus, qui ex prætura, quam Cicerone consule gesserat, Asiam provinciam obtinuerat, a D. Lælio repetundarum accusatus, a Q. Hortensio et M. Cicerone defensus est. Ciceronis orafio extat: de Hortensii defensione vide *ep. ult. lib.* II. *ad. Att.*

Hoc anno P. Vatinius, qui in Dionis libris Πούβλιος Ἀτίνιος non sine mendo nominatur, tribunus plebis Cæsari consuli in omni re obsecutus est, eaque gessit, quæ a Cicerone in interrogatione *in Vatinium* reprehenduntur.

Lege Vatinia Cæsari data in quinquennium fuit Gallia citerior cum Illyrico, et tribus legionibus, quibus Senatus Galliam ulteriorem cum alia legione adjecit. *Dio, lib.* XXXVIII. *Plutarchus, Sueton. in Jul. cap.* 22. *et Orosius, lib.* VI. *cap.* 7.

In hoc imperio Cæsar Ciceronem sibi legatum esse volebat, lib. II. ad Att. ep. 19. et ep. 18. *A Cæsare*, inquit, *valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus.* Et de Provinciis Cons. cap. 18. *Me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, rerum etiam rogavit.*

Consul Cæsar leges multas tulit, quæ ab ipso Juliæ sunt appellatæ. De quibus Dio, *lib.* XXXVIII. et Cicero de Harusp. Resp. cap. 23. *Tum leges Julias, contra auspicia latas, et hic, et in concionibus dicere.*

Tulit præterea, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur. *Suetonius in Jul. cap.* 20. et *Velleius, lib.* II. *cap.* 24. Curatores etiam, qui agros dividerent, constituit vigintiviros ex iis, qui plurimos honores gessissent, atque ad eam rem quam maxime idonei essent, auctore Dione initio *libri* XXXVIII. Suetonius quoque *in Augusto, cap.* 4. vigintiviros agrum Campanum plebi Julia lege divisisse ait. In his fuit Cosconius. Quo mortuo Cicero in ejus locum invitatus fuit, *ep.* 19. *lib.* II. *ad Att.* In iisdem fuit Cn. Tremellius Scrofa, quo de Varro, *lib.* I. *de Re Rust. cap.* 2. Nominat eosdem *Frontinus* et *Plinius, lib.* VII. *cap.* 52. Sed Cicero viginti-viratum repudiavit, quod Quintilianus, *lib.* XII. *cap.* 1. scribit, et ipse, *ep.* 2. *lib.* IX. *ad Attic.* de Cæsare inquit, *Repudiari se totum, magis etiam quam olim in viginti-viratu putabit: ac solet, cum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem.* Paterculus quoque *lib.* II. *cap.* 45. in commemoratione exilii Ciceronis addit: *Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter vigintiviros dividendo agro Campano esse noluisset.*

Hic scrupulum injicit oratio *de Provinciis Cons.* in qua. *cap.* 17. Ci-

cero ait, se a Cæsare fuisse rogatum, ut quinque-viratum acciperet, eumque se obstinatione quadam sententiæ repudiasse. Præterea quinque viri nominantur *ep.* 7. *lib.* II. *ad Att.* Sunt viri doctissimi, in rebus Romanis cognoscendis diu multumque versati, qui scribunt Cæsarem ad æstimationem agri Campani viginti viros creasse, ac præterea quinque, qui æstimatum dividerent. Dant illi quidem testem in hanc rem *Dionem:* sed verba, quibus hoc demonstretur, in Græca ejus historia invenire equidem adhuc nulla potui.

Comitiis tribuniciis P. Clodius Pulcher tribunus plebis factus fuit opera Cæsaris, ut scribit *Dio*, et *Plutarchus in Cæsare.* Etsi autem Pompeius Clodium omni cautione, fœdere, execratione devinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem esse facturum, ut est *pro Sextio, cap.* 7. ille tamen in fide non mansit: sed tribunus plebis factus, continuo se in Ciceronem convertit. Qua de re dicemus, si prius illud admonuerimus, hunc tertium fuisse annum imperii Q. Ciceronis in Asia. Quo ad duos priores adjuncto, M. Cicero epistolam illam pulcherrimam, quæ est prima *lib.* I. *ad Q. Fratrem*, misit, in qua omnia præcepta bene administrandæ provinciæ ita persequitur, ut amplius nihil requiri possit. Ejusdem anni ultimis mensibus scripsit *epistolam secundam ad Fratrem*, ut ex ipsa cognoscitur.

Anno Urbis 695, *Ciceronis* 49,

Consules fuerunt,

L. CALPURNIUS PISO CÆSONIUS,
A. GABINIUS.

Prætores hujus anni a Suetonio *in Julio, cap.* 23. nominantur duo, C. Memmius et L. Domitius. C. Memmium prætorem ex lege Licinia et Junia edidisse, ut Vatinius adesset die tricesimo, Cicero *in Vatinium* ait. Piso et Gabinius sunt duo funesti, non consules, sed latrones, atque eversores reipublicæ, quos suis coloribus Cicero multis locis depinxit: ut in orat. II. post Reditum, *cap.* 4. pro Domo, *cap.* 9. pro Sextio, *cap.* 7. de Provinc. Cons. *cap.* 3. in Pisonem, *cap.* 4. et alibi. His consulibus sedentibus, inspectantibus atque adeo adjuvantibus, M. Tullius conservator patriæ a sceleratissimo tribuno plebis in exilium ejectus est.

Clodius enim, ut Dio, *lib.* XXXIII. scribit, sperans, facile se Ciceronem oppressurum, si prius senatum, equites et plebem sibi conciliasset, quatuor leges, populares illas quidem, sed reipublicæ perniciosas, initio hujus anni, quod Cicero *in Pisonem, cap.* 4. significat, tulit: unam, ut frumentum populo gratis daretur: alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret: tertiam de collegiis restituendis, novisque instituendis: quartam, ne quem Censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque Censoris sententia damnatus esset. Hæc Asconius in *Pisonianam*, Dio, *lib.* XXXVIII. et Cicero passim.

Alias deinde rogationes idem Clodius uno eodemque tempore promulgavit, alteram de provinciis consulum nominatim, unam de Ciceronis pernicie, ut ait *pro Sextio, cap.* 10. Pactus enim cum consulibus, Gabinio Syriam, Babylonem, Persas; Pisoni Achaiam, Thessaliam, Græciam, Macedoniam, omnemque Bœotiam dedit: *Cicero de Provinciis*, et *in aliis Orationibus.*

Ad Ciceronis perniciem lex illa pertinebat, qua tulit, Qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur: *cujus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur*, inquit Paterculus, *lib.* II. *cap.* 45. Idemque scribit Dio, *lib.* XXXVIII. atque idcirco Tullius hoc privilegium appellat, vide orat. *pro Domo cap.* 17. Reus igitur Cicero, ut *Plutarchus* scribit, vestem mutavit, et sordidatus populo supplicavit. Tum Clodius illi omnibus vicis occurrebat stipatus homi-

nibus contumeliosis et temerariis; qui petulanter mutationem vestis et habitum Ciceronis exagitantes, multisque locis luto et lapidibus in eum conjectis, supplicationes impediebant.

Cum Cicerone tamen primum omnis fere ordo equester vestem mutavit: eumque nobilissimi adolescentes numero ad viginti millia sordidati, deprecatores ejus salutis, comitabantur. Deinde cum senatus frequens convenisset, ut vestem tanquam in publico luctu mutandam censeret, idque consules vetarent, et Clodius cum armis ad curiam versaretur, senatores non pauci e senatu, vestibus discissis et clamore sublato, se proripuerunt. Hactenus Plutarchus. Dio, *lib.* XXXVIII. tradit, equites in Capitolium tunc convenisse, atque ad consules et senatum misisse legatos non solum e suo ordine, verum etiam senatores duos, Q. Hortensium et C. Curionem, qui pro Cicerone deprecarentur. Unde Cicero *pro Sextio, cap.* 11. ait: *Cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes, meque omni ratione defendendum putarunt.*

Erat tum senatus in æde Concordiæ, et Gabinium consulem, Pisone absente, orabat. Equites quoque Romani, et omnes boni veste mutata se pro Ciceronis capite ad pedes Gabinii projecerunt: quorum precibus ab illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Mummius, ad senatum de republica retulit, senatusque frequens vestem pro Ciceronis salute mutandam censuit, *pro Sextio, cap.* 11. *Dio* hunc Mummium vocat L. Ninnium Quadratum, et scribit, eum populo auctorem fuisse, ut tanquam in aliqua publica calamitate vestem pro salute Ciceronis mutaret. *Pro me*, inquit Cicero *post Reditum ad Quir. cap.* 3. *senatus, hominumque præterea viginti millia, vestem mutaverunt.* Sed consules edixerunt, ut ad suum vestitum senatores redirent. Vide *orationes post Reditum, pro Domo, pro Sextio, et in Pisonem.*

Tum Gabinius L. Ælium Lamiam equestris ordinis principem relegavit, quod Dio *lib.* XXXVIII. dicit, ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε. Meminit Cicero post Reditum in Senatu, pro Sextio, in Pisonem, et ep. 16. lib. XI. Famil.

Itaque Cicero, non solum a consulibus, verum etiam a Cn. Pompeio proditus et derelictus, maluit urbe cedere, quam bonorum vitam servis armatis objicere, quod ipse *in Orationibus* non semel testatur. Habebat domi suæ Minervæ signum, idque longo tempore religiosissime coluerat. Cum autem ex urbe discessurus esset, hoc signum in Capitolium delatum ibi dedicavit et subscripsit, MINERVÆ CUSTODI URBIS. *Plutarchus*, et *Dio*. Hæc est illa Minerva custos urbis, de qua Cicero, *ep.* 25. *lib.* XII. *Famil.* et *lib.* II. *de Legibus cap.* 17. *Dio, lib.* XLV. Ἀθηνᾶν φρουραίαν nominat.

Discedentem M. Tullium omnes boni flentes prosecuti sunt, ut ipse *pro Domo*, ait *cap.* 22. Cessisse urbe Ciceronem puto mense Martio extremo. Nam, ut ex Plutarchi *Cæsare*, et primo Commentario *de Bello Gallico, cap.* 6. intelligitur, cum Helvetios a. d. v. Kal. Apr. de finibus suis exire constituisse Cæsar cognovisset, maturavit ab urbe proficisci. Atque octavo die ad Rhodanum pervenit. Neque tamen prius Cæsar ad exercitum abiit, quam Ciceronem per Clodium Italia expulisset, *auctore Plutarcho.*

Ubi compertum fuit Ciceronem discessisse, Clodius de exilio ejus ad populum tulit, atque edictum proposuit, ut illi aqua et igni interdiceretur, et ne intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperetur. Hæc Plutarchus *in Cicerone*, quibus gemina scribit *Dio, lib.* XXXVIII. in eo tamen dissentit, quod Ciceroni lege Clodia irrogatum fuisse ait, ne intra stadium tria millia septingenta quinquaginta, id est, millia passuum CCCLXIX. fere, ab urbe illi esse lice-

ret. Cicero, *ep.* 4. *lib.* III. *ad Att.* in lege hoc correctum fuisse ait, ut sibi ultra quadringenta millia liceret esse. *Dio* hoc quoque legi adjectum fuisse tradit, ut si Tullius intra spatium definitum visus fuisset, et qui eum recepissent, impune interficerentur. Hinc Cicero *pro Domo*, cap. 20. *Pœna est, qui receperit: quam omnes neglexerunt.* Pœnam neglectam fuisse, omnibus reverentibus M. Tullium, comiterque excipientibus et prosequentibus, *Plutarchus* quoque scribit.

Clodius præterea villas Ciceronis ejecti inflammavit, et domum in Palatio incendit, atque in area templum Libertatis extruxit, *Plutarchus*, *Dio* et *Cicero pro Domo*, *cap.* 42. Bona diripiebantur atque ad consules deferebantur Columnæ marmoreæ ex ædibus ad socrum Pisonis portabantur: in fundum autem Gabinii vicini consulis, non modo instrumentum aut ornamenta villæ Tusculanæ sed etiam arbores transferebantur. Hæc Cicero *pro Domo*, *cap.* 24. *post Reditum in Senatu*, *cap.* 7. *pro Sextio*, *cap.* 24. *et in Pisonem*, *cap.* 11. Templum Libertatis, νεὼν ἐλευθέριας, Cicero, *lib.* II. *de Legibus*, *cap.* 17. templum Licentiæ vocat.

Pulsum M. Tullium pedibus iter per Lucaniam Siciliam versus fecisse *Plutarchus* scribit. Naryce Locridis fuit VI. Idus Aprilis, ibique scripsit epistolam 2. *lib.* III. *ad Att.* Inde Cicero Vibonem venit, quod est oppidum Lucaniæ ad fretum, et a Locris conditum prius Hipponium appellatum fuit, *Strabo lib.* VI. *Cæsar* III. *de Bello Civili*, *cap.* 101. Ibi, ut Plutarchus scribit, Vibius homo Siculus, qui cum alia multa commoda ex Ciceronis amicitia perceperat, tum eo consule præfectus Fabrum fuerat, illum in ædes quidem non recepit, sed fundum se ipsi adsignaturum denunciavit. Sic illa Plutarchi verba, χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο, ego jam pridem converteram: cum præsertim alibi quoque verbum καταγράφειν pro attribuere et assignare usurpatum notassem, ut περὶ φιλαδελφίας· ἕτεροι δὲ, παλλακίσι καὶ πόρναις οἰκίας καὶ ἀγρους καταγράφοντες, ὑπὲρ οἰκόπεδου καὶ γωνίας πρὸς ἀδελφοὺς διαμονομαχοῦσι. Merito igitur Xylander noster a Bocchii et Corradi falsis interpretationibus discessit.

Cicero se ad Vibonem in fundo Sicæ fuisse ad Atticum scribit *ep.* 2. 3. *et* 4. *lib.* III. Siciliam, quam Cicero petebat, eo tempore obtinebat C. Virgilius (Γάιος Οὐεργῖννος est apud Plutarchum) prætor is Ciceroni scripsit, ne in Siciliam veniret. Quare consilio repente mutato iterum a Vibone Brundusium terra petere contendit, ut ipse *pro Plancio cap.* 40. enarrat. In eo itinere III. Idus Apr. Thurii scripsit *ep.* 5. *lib.* III. *ad Att.* et XIV. Kal. Maii Tarenti sequentem. Eodemque die se Brundusium venisse *ep.* 7. ejusdem libri scribit. Urbem ipsam ingressus non est: sed in hortos M. Lenii Flacci se contulit, *pro Plancio*, *cap.* 41. meminit etiam *in Sextiana*, *cap.* 63. Apud M. Lenium dies XIII. fuit, *ep.* 4. *lib.* XIV. *Famil.*

Pridie Kal. Maii, cum Brundusio proficiscens Dyrrachium vento secundo transmitteret atque adversus ex alto reflasset, rejectus est: deinde iterum in altum provectus Dyrrachium pervenit. Ubi, cum e navi in terram egressurus esset, terræmotum et maris convulsionem extitisse ferunt; unde haruspices conjiciebant, illius exilium non fore diuturnum, quod hæc mutationis signa essent. Hæc *Plutarchus*. Dyrrachio aliquorum dierum viam in Macedoniam ad Planciumque perrexit, et cum eo Thessalonicam X. Kalend. Junii venit, *pro Plancio*, *cap.* 41. et *ep.* 8. *lib.* III. *ad Att.* Thessalonicæ Cn. Plancius sua liberalitate Ciceronem per menses septem retinuit. Quo tempore plures epistolas ad Atticum scripsit, quæ *lib.* III. *ab octava usque ad* XXII. leguntur.

Interim Q. Cicero, cum jam Asiam per triennium obtinuisset, de pro-

vincia ante Kal. Maii decessit, *ep.* 9. *lib.* III. *ad Att.* Fratrem aliquanto post suum discessum ex provincia venisse ait *pro Domo, cap.* 23. meminit quoque *in Sextiana, cap.* 31. Itaque M. Cicero Idib. Junii ad eum misit *ep.* 3. *lib.* I. et *deinceps sequentem.* Tertio Non. Octob. Thessalonica ad Terentiam uxorem misit *ep.* 2. *lib.* XIV. *Fam.*

Redeamus nunc ad acta urbana. Cicerone expulso Clodius legem promulgavit de Ptolemæo rege Cypri, ut bona ejus publicarentur, et regnum in provinciæ formam redigeretur: idque negotium M. Catoni mandatum est, quo de Cicero sæpe, *Plutarchus in Catone, Appianus l.* II. *Diol.* XXXVIII. Kal. Junii, ut est *in orat. pro Sextio, cap.* 31. decrevit Senatus frequens de Ciceronis reditu, dissentiente nullo, referente L. Mummio tribuno pl. intercessit Ælius Ligus. Pompeius quoque illo tempore se accusans, ut *Plutarchus* scribit, quod Ciceronem prodidisset, de illius reditu, amicorum opera adjutus, agere coepit.

Resistente Clodio placuit Senatui, nihil in rep. decernere, nulla de re agere, nisi Cicero ab exilio revocaretur. Hinc Cicero pro Sextio, cap. 31. *Omnia senatus rejiciebat, nisi de me primum consules retulissent.* Et in Pisonem, cap. 13. *An tum eratis consules, cum, quacunque de re verbum facere coeperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat: ostendebatque, nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis?* De eadem re vide ep. 24. lib. III. ad Att.

Initur deinde consilium de interitu Cn. Pompeii, ait Cicero *pro Sextio, cap.* 32. quam rem Asconius *in Milonianam, cap.* 14. sic exponit: *Cum* III. *Idus Sext. Pompeius in senatum venisset, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit, ex eo domi tenus, &c.* Et Cicero pro Milone, cap. 7. *Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro Pompeius postea: caruit senatu: caruit publico.* Huc pertinet illud Paradoxo IV. *Ante senatum tua sica deprehensa est.* Et in Pisonem, cap. 12. *Deprehensus cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat.* Meminit etiam *pro Domo, cap.* 25.

Quarto Kalend. Novembris octo tribuni pl. de Ciceronis reditu legem promulgarunt, iisdemque referentibus P. Lentulus, cos. designatus, præstantissimam de Cicerone sententiam dixit, *pro Sextio, cap.* 32. *post red. in Senatu, cap.* 4. et *ep.* 23. *lib.* III. *ad Att.* Thessalonica Cicero se Dyrrachium recepit: ibique VI. Kal. Decembr. scripsit ad Terentiam *ep.* 1. *lib.* XIV. *Famil.* et partem *ep.* 22. *lib.* III. *ad Att.* Pridie Kal. Decemb. inde misit ad Terentiam *ep.* 3. *lib.* XIV. et *ad Atticum ep.* 23. *lib.* III. et deinceps *quatuor reliquas ejusdem libri.* Exierunt deinde paludati in provincias consules, Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam, *Cicero pro Sextio, cap.* 33.

IV. Idus Decemb. novi tribuni pl. T. Annius Milo, P. Sextius, C. Sestilius, M. Cispius, T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabricius, Sex. Atilius Serranus et Numerius Quintius, magistratum inierunt, *pro Sextio, cap.* 33. et *post Reditum in Senatu, cap.* 8.

Anno Urbis 696, *Ciceronis* 50,

Consules fuerunt

P. CORN. LENTULUS SPINTHER,
Q. CÆCIL. METELLUS NEPOS.

Prætores eodem anno fuerunt L. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Crassus, Sex. Quintilius, C. Cornutus et Ap. Claudius Pulcher, *Cicero post Reditum in Senatu, cap.* 9.

---

* *Domi tenus.*] Forte, *Domitenus.*

Kalendis Januarii P. Lentulus simulac de solenni religione retulerat, nihil humanarum rerum sibi priusquam de Cicerone agendum judicavit. Cum princeps rogatus sententiam L. Cotta dixit, nihil de Cicerone actum esse jure, nihil more majorum, nihil legibus, propterea que lege illi opus non esse: verum Pompeius censuit, ut ad Senatus auctoritatem populi beneficium adjungeretur. Atque eo die confecta res esset, nisi Sex. Atilius tribunus plebis non ausus intercedere, noctem sibi ad deliberandum postulasset. Hæc Cicero *post Reditum ad Quirites, cap.* 5. *pro Domo, cap.* 26. *pro Sextio, cap.* 34. et *lib.* III. *de Legibus, cap.* 19.

Postea res acta est in Senatu alia nulla, et cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta senatus, causa ad populum VIII. Kal. Feb. fuit delata, quo die Clodiani, cæde in foro maxima facta, flumine sanguinis reditum Ciceronis intercludendum putaverunt, *post Reditum ad Quirites, cap.* 5. et *pro Sextio, cap.* 35.

Clodius enim, ut *Dio lib.* XXXIX. scribit, illo die cum lex ad populum ferretur, acceptis a fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui sui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos vulneravit multosque occidit. Tum in foro tribuni plebis vulnerati fuerunt, et Q. Cicero inter cadavera tanquam occisus jacuit, *Plutarchus* et *Cicero pro Sextio, cap.* 35. Crudelissimæ cædis eo tempore in foro factæ mentio est etiam *in Miloniana, cap.* 14.

Clodium Milo tum de vi postulavit: sed in judicium non adduxisse *Dio* scribit, quod nondum creati essent Quæstores, per quos judicum sortitionem fieri oporteret, Neposque Prætori edixisset, ne quod judicium ante, quam judices sorte deligerentur, fieri pateretur. Quæstores autem, nisi habitis prius comitiis ædilitiis, quibus hac de causa mora potissimum afferebatur, creari non poterant. In hanc sententiam *Dio:* Cicero vero *in Sextiana* ait *cap.* 41. consulem, prætorem, tribunum plebis nova novi generis edicta proposuisse: ne reus adesset, ne citaretur, ne quæreretur, ne mentionem omnino cuiquam judicium, aut judiciorum facere liceret. Quo pertinet illud de Harusp. Respons. cap. 24. *Restiterunt etiam, ne causam diceret.*

Quare, cum Milo videret judicia esse sublata, ne Clodius omnia vi posset efficere, curavit, inquit idem *post Redit. in Senatu, cap.* 8. Emit enim gladiatores, ut Dio scribit. De quibus Cicero lib. II. de Officiis, cap. 17. *Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis reipublicæ causa, quæ salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit.* Senatus autem multo ante quam lex de Ciceronis reditu fuit lata, gratias agendas censuit civitatibus iis, quæ M. Tullium civem optime de republica meritum recepissent, *pro Domo, cap.* 32. *in Pisonem, cap.* 15. *Parad.* IV. et *Plutarchus.* Idem decrevit, ut qui provincias cum imperio obtinerent, qui quæstores legatique essent, salutem et vitam Ciceronis custodirent, *pro Sextio, cap.* 60. Idem ad M. Tullii salutem auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rempublicam salvam esse vellent, imploravit, *in Pisonem, cap.* 15.

Factum enim S. C, fuit, ut litteris consularibus cuncta ex Italia omnes, qui rempublicam salvam vellent, convocarentur, *pro Sextio, cap.* 60. *post Redit. in Senatu, cap.* 9. *et pro Domo, cap.* 28. Cum igitur Ciceronis capitis servandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenisset, Lentulus consul senatum frequentissimum in Capitolium convocavit, *in Pisonem cap.* 15. et *post Redit. in Senatu, cap.* 10. Ibi tum in templo Jovis Opt. Max. Q. Metellus Nepos consul, qui Ciceroni vel maxime ex magnis contentionibus reipublicæ fuerat inimicus, per-

motus cum auctoritate senatus, tum P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens cum M. Tullio rediit in gratiam, *post Redit. in Senat. cap.* 10. *pro Sextio, cap.* 33. *et* 62. et *de Provinciis Cons. cap.* 9. Hic cum mitissimam orationem in senatu habuisset, Cicero ad eum misit *ep.* 4. *lib.* V. *Fam.* in qua studium et auxilium ejus implorat.

Illo vero die, cum CCCCXVII. senatores magistratusque omnes in Capitolio adessent, Cn. Pompeius de scripto sententia dicta, uni Ciceroni patriæ conservatæ testimonium dedit: cujus sententiam frequentissimus senatus, uno P. Clodio dissentiente, secutus, M. Tullium ab exilio revocavit, *post Redit. in Senatu, cap.* 10. *pro Sextio, cap.* 61. et *pro Milone, cap.* 15. De hoc S. C. in æde Jovis Mariana facto, *Cic. lib.* I. *de Divinat. cap.* 28. et *Valerius, lib.* I. *cap.* 7. Faciebat eodem die ludos in theatro consul, quo cum ipse et senatores spectatum e senatu venissent, S. C. illud, de Ciceronis reditu factum, frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum est, *pro Sextio. cap.* 55. et *lib.* I. *de Divinat. cap.* 28.

Postridie de Ciceronis salute P. Lentuli consulis, Cn. Pompeii cæterorumque principum, in his P. Servilii et L. Gellii, celeberrimæ et gravissimæ conciones fuerunt, *post Redit. ad Quirites, cap.* 6. et *in Senatu, cap.* 11. *pro Sextio, cap.* 50. *in Pisonem, cap.* 15. Eodemque die decretum in Curia fuit, populi ipsius Romani et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu; ne quis de cœlo servaret; ne quis moram ullam afferret. Si quis aliter fecisset, eum plane eversorem Reipublicæ fore, idque senatum gravissime laturum: et ut statim de ejus facto referretur. Addidit etiam senatus illud: nisi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuisset, esset actum, rediret in patriam dignitate omni recuperata.

Decrevit eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis M. Tullii causa convenerant, agerentur gratiæ, atque ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur, *pro Sextio, cap.* 62. *post Redit. in Senatu, cap.* 9. et 11. et *in Pisonem, cap.* 15. Legem deinde omnes magistratus, præter Appium prætorem, duosque tribunos plebis N. Quintium et Sex. Atilium, ex S. C. promulgarunt, *in Pisonem, cap.* 15. Cum ferendæ legis dies, qui fuit pridie Non. Sextil. venisset, et Lentulus consul idemque lator legis comitia centuriata in campo Martio haberet, P. Clodius legem de more dissuasit, quod Dio *lib.* XXXIX. plane scribit, et Cicero *pro Domo, cap.* 33. ita significat: *Illa fuit pulchritudo populi Romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi contra senatus, totiusque Italiæ auctoritatem, et studium, dicendi potestas fuit.* Et in Sextiana, cap. 50. *Cedo nunc ejusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem.* Verum, cum et alii, et Pompeius in primis legem suaderet, ut Dio scribit, summo consensu omnium centuriarum accepta fuit, cum nemini civi ulla quo minus adesset, justa excusatio esset visa, nullis comitiis unquam multitudo hominum tanta, neque splendidior fuisset, *in Pisonem, cap.* 15. Constat enim, ut idem *pro Domo sua* ait *cap.* 28. nullis unquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. Idem est *in orat. post Reditum ad Quirites, cap.* 8. *in Sen. cap.* 11.

Pridie Non. Sextil. ipso illo die, quo lex est lata, Cicero Dyrrachio profectus Brundusium venit Non. Sext. *ep.* 1. *lib.* IV. *ad Att.* Adveniente Ciceroni tanquam totius Italiæ atque ipsius patriæ dexteram porrexerunt Brundusini; cum ipsis Nonis Sextil. idem dies adventus M. Tullii fuisset, qui natalis idem Tulliæ filiæ, quæ ibi patri fuit præsto, idem etiam ipsius coloniæ Brundusinæ, idem Salutis, quæ res animadversa a multitudine, summa Brun-

dusinorum gratulatione celebrata est, *pro Sextio, cap.* 63. et *lib.* IV. *ad Att. ep.* 1.

Brundusii, cum esset in domo optimorum et doctissimorum virorum Lenii Flacci, et patris et fratris ejus, ante diem VI. Id. Sext. cognovit litteris Quinti Fratris, mirifico studio omnium ætatum atque ordinum, incredibili concursu Italiæ, legem comitiis centuriatis esse perlatam, *ibid.*

Inde a Brundusinis honestissimis ornatus, iter via Appia Romam versus fecit. In itinere XXIV. dies consumpsisse videtur, cum Sextilis tum XXIX. dierum esset. Brundusio profectus Neapolim, inde Capuam, Sinuessam, Minturnas, Formias, Terracinam et demum Ariciam, pridie Non. Septemb. Romam venit, *ep.* 1. *lib.* IV. *ad Att.*

Toto autem illo itinere a Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ vidit. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publice ad Ciceronem venerint gratulatum. Magnæ erant effusiones hominum ex oppidis, maximi concursus ex agris patrumfamilias cum conjugibus ac liberis. Cumque viæ multitudine legatorum undique missorum celebrarentur: urbes Italiæ festos dies agere adventus ejus videbantur, *in Pisonem, cap.* 22. et *pro Sextio, cap.* 63.

Ad urbem ita venit, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui ipsi obviam non venerit, ep. 1. lib. IV. ad Att. itaque in Pisonem, cap. 22. ait: *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cum senatum egressum vidi, populumque Rom. universum: cum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa est.* Cum venisset ad portam Capenam, qua via Appia ducit in urbem, gradus templorum (in quibus fuit Martis et Camenarum) ab infima plebe completi erant; a qua plausu maximo cum esset Ciceroni gratulatio significata, similis et frequentia, et plausus eum usque ad Capitolium celebravit; in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit, ep. 1. lib. IV. ad Att. *Itaque ille unus dies,* ait pro Domo, cap. 28. *quo die me populus Rom. a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate lætitiaque comitatum honestavit, tanta mihi jucunditati fuit, ut tua mihi consecerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur.* Plutarchus scribit, revertenti Ciceroni tanta lætitia civitates, tanto studio homines obviam venisse, ut infra veritatem sit, quod postea dixit, se humeris Italiæ Romam reportatum fuisse. Dixit autem hoc in extrema oratione *post Reditum in Senatu.*

Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Septemb. senatui gratias egit ea oratione, quæ, *post Reditum in Senatu* inscripta, extat. Egit etiam populo Rom. gratias altera oratione, quæ *post Reditum ad Quirites* inscribitur. De utraque Dio ita scribit; *κατῆλθέ τε οὖν ὁ Κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, παρασχόντων, αὐτῷ τῶν ἐνάντων, καὶ κατὰ τὸ συνέδριον, καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, ἔγνω.* Id est, *Rediit igitur Cicero, et gratias tum Senatui, tum populo, concione a Consulib. data, in senatu et in concione egit.*

Eo biduo, cum esset annonæ summa caritas, homines primo ad theatrum venerunt: ubi L. Cæcilio Rufo prætore ludos Apollinares faciente, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur: deinde iidem ad Capitolium, ubi tum senatus habebatur, concurrerunt, cumque cædem et incensionem Capitolii senatoribus minarentur, atque idcirco per eos dies, quibus senatus de annona habebatur, consulares plerique abessent, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, in Ciceronis sententiam factum est S. C. atque ex eo lex promulgata, ut Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum dare-

tur: *Cicero pro Domo, cap.* 3. et *ep.* 1. *lib.* IV. *ad Att. Asconius in Milonianam, cap.* 14. *Plutarchus in Pompeio* et *Dio lib.* XXXIX.

Secuta est deinde magna contentio de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati consecraverat. Populus eam comitiis centuriatis eodem jure esse jusserat, quo fuisset. Verum senatus decreverat, ut de ejus religione ad Pontificum collegium referretur, ut est in *orat. de Harusp. Resp. cap.* 6.

Apud pontifices pridie Kal. Octobris Cicero pro Domo dixit eam orationem, quæ extat. In qua primum respondet Clodio, qui actionem ejus de potestate rei frumentariæ Pompeio danda reprehenderat: deinde suam domum, propter Clodii consecrationem, sacram non esse; sed ab omni religione vacuam atque puram docet. Nam, ut *Dio lib.* XXXIX. scribit, lationem legis Curiatæ, qua e patriciis ad plebem Clodius transierat, criminans, quod ex instituto majorum per trinundinum promulgata non fuisset, omnem ejus tribunatum, in quo de domo Ciceronis etiam constituerat, evertit; affirmans, nihil ab eo tribuno pl. jure fieri potuisse, qui ipse contra omne jus plebeius factus esset. Atque ita Pontificibus persuasit, ut sibi aream, quæ ab omni religione vacua et pura esset, restituerent. Hactenus Dio. Itaque Cicero *in Pisonem, cap.* 22. ait; *Me consequentibus diebus, in ea ipsa, domo, qua tu me expuleras, quam expilâras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Patres conscripti collocaverunt, mihique, quod ante me, nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt.* In quem locum Asconius legendus.

Superficiem ædium consules de consilii sententia æstimarunt H-S. vicies, Tusculanam villam H-S. quingentis millibus, Formianum H-S. ducentis quinquaginta millibus, *ep.* 2. *lib.* IV. *ad Att.*

Eodem anno Ptolemæus, rex Ægypti, cum ingenti pecunia consumpta, ut rex atque socius populi Rom. appellaretur, eam vi ab Ægyptiis extorqueret, et cum hoc nomine, tum quod Cyprum a Romanis repetere, aut amicitiam eis renunciare nollet, apud suos offendisset, regno pulsus Romam venit, P. Lentulo etiam tum consule, cui Cilicia obtigerat, petens, ut in regnum restitueretur. Ægyptii quoque legatos, qui Regis crimina pugnarent, miserunt. De quibus Dio et Cicero *de Harusp. Resp. cap.* 16.

Ante diem tertium Non. Novembr. expulsi fuerunt fabri de area Ciceronis. Quinti fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area Marci, deinde inflammata jussu Clodii, *ep.* 3. *lib.* IV. *ad Att.* hæc est vis illa nefaria, qua se cum fratre domo expulsum fuisse ad Lentulum *ep.* 9. scribit. Cum autem Clodius, saxis et ignibus, et ferro vastitatem ædibus Ciceronis intulisset, decrevit senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos, qui universam Remp. oppugnassent, teneri, *in orat. de Harusp. Resp. cap.* 8.

Quæ deinde usque ad VIII. Kal. Decembr. acta sunt, vide *ep.* 3. *lib.* IV. *ad Att.*

IV. Idus Dec. novi tribuni pl. magistratum inierunt, e quibus a Cicerone *lib.* I. *Famil. lib.* II. *ad Fratrem, et Dione lib.* XXXIX. hi nominantur, P. Rutilius Lupus, C. Porcius Cato, C. Caninius, L. Racilius, Cn. Plancius, A. Plautius, Sex. Antistius Vetus, & Cassius.

Cum tribuni magistratum inissent, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli paranti jam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, cœpit. Quod ex *lib.* XXII. *Annal. Fenestellæ Nonius Marcellus* refert. In quindecim legatis quos Pompeius sibi rei frumentariæ causa legaverat, fuit Q. Cicero; qui cum esset in Sardinia, M. Cicero ad eum scripsit, quæ extremo hujus anni mense in senatu acta fuerunt, *ep.* 1, *lib.* II. *ad Q. Fratr.*

Anno Urbis 697, *Ciceronis* 51,

Consules fuerunt

CN. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS,
L. MARCIUS PHILIPPUS.

In collegio prætorum hujus anni fuerunt, Cn. Domitius, Q. Ancharius et C. Claudius Pulcher, ut *pro Sextio, cap.* 53. *lib.* II. *ad Frat.* et. *in Cicerone* Plutarchi cognoscitur. M. Tullius initio hujus anni omni studio in id incubuit, ut P. Lentulo, qui Ciliciam pro consule obtinebat, Ptolemæi regis reductio decerneretur. Argumento sunt epistolæ, quæ hoc tempore ad Lentulum missæ *lib.* I. *Famil.* extant. Tum quoque orationem *de rege Ptolemæo*, cujus apud Aquilam et Fortunatianum mentio est, habuisse videtur, cum regis Alexandrini restitutionem Lentulo sua sente tia decerneret.

XIV. Kalend. Februarii Cicero scripsit ad Q. Fratrem *ep.* 2. *lib.* II. ubi ait, Comitia ædilitia, quibus Clodius ædilitatem petebat, edicta esse a. d. XI. Kal. Feb. Clodius ædilis factus Miloni diem dixit, et de vi ad populum accusavit, *pro Sextio, cap.* 44. *in Vatinium, cap.* 17. et *lib.* II. *ad Frat.* qua de re Dio ita scribit: *Clodius simul atque ædilitatem Marcellino et Philippo coss. iniit, Miloni diem dixit, quod gladiatoribus remp. obsedisset: quæ enim ipse commiserat, quorumque nomine reus erat, ea illi crimini dabat; non quod Milonem condemnatum iri speraret, qui patronos magnos, in iis Pompeium et Ciceronem, habebat; sed ut per hanc causam et Milonem oppugnaret, et patronos ejus vexaret.* IV. Non Febr. Milo affuit: ei Pompeius advocatus venit: producta dies est in VIII. Idus: quo die Pompeius, cum pro Milone apud populum diceret, clamore convicioque jactatus est, Clodiusque diem in Quirinalia, id est, XII. Kal. Mart. produxit; *ep.* 3. *lib.* II. *ad Frat.* et *ep.* 5. *lib.* I. *Famil.* Cicero autem jam ante diem tertium Kal. Febr. *ad Atticum* ex Epiro in Italiam reversum miserat *ep.* 4. *lib.* IV.

A. d. IV. Id. Februar. P. Sextius a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus fuit, propter cædem, quam anno superiore, VIII. Kal. Febr. cum de Ciceronis reditu ageretur, in foro factam diximus. Defensus fuit cum ab aliis, tum a Q. Hortensio et M. Cicerone: cujus oratio *pro Sextio* extat. Sextius absolutus fuit a. d. II. Id. Mart. *ep.* 4, *lib.* II. *ad Frat.* Oppugnaverat Sextium maxime P. Vatinius, qui etiam testimonium in illum dixerat. Itaque Cicero Vatinium testem perpetua interrogatione accusavit, quæ *oratio* separatim edita extat, de qua Fabius lib. V. cap. 7. Et Cicero ep. 9. lib. I. Fam. *Tota vero interrogatio mea* (orationem in Vatinium sic appellat) *nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo, de vi, de auspiciis, de donatione regnorum.*

III. Id. Feb. Cicero dixit pro Bestia de ambitu, apud prætorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conventu. Prid. Id. T. Pomponius Atticus Pilia uxore ducta nuptias celebravit, in quibus Cicero cœnavit, *ep.* 3. *lib.* II. *ad. Frat.* Tulliam filiam Cicero anno proximo ante consulatum suum desponderat C. Pisoni L. F. Frugi *ep.* 3. *lib.* I. *ad Att.* ejus amor, virtus, pietas in Ciceronem exulantem tanta fuit, ut supra nihil posset, *ep.* 1. *et* 3. *lib.* XIV. *ad Fam.* et *in orat. post Redit.* Ei vero fructum pietatis suæ ferre non licuit: decessit enim anno superiore, ut *ex Sextiana, cap.* 31. *et orat. in Vatinium, cap.* 11. cognoscitur. Quem cum Tullia hoc anno extulisset, Cicero pridie Non Apr. eam Furio Crassipedi despondit, eique VIII. Idus sponsalia præbuit, *lib.* II. *ad Quint. Frat. ep.* 5. ut Manutius nunc distinxit. Unde scribit *ad Att. lib.* IV. *ep.* 5. *Viaticum Crassipes præripit.* De hac conjunctione gratulatus quoque Lentulus Ciceroni fuit: cui Cicero respondet *ep.* 7. lib. I. *ad Famil.*

Non. April. factum fuit S. C. in Ciceronis sententiam, ut de agro Campano frequenti senatu Idib. Maii referretur, *ep.* 9. *lib.* I. *Fam.* Cum autem Miloni dies in Nonas Maii prodita esset, Cicero Roma exivit villasque lustravit, *ep.* 6 et 7. *lib.* II. *ad Frat.* Prodigia interim facta, *ut Dio lib.* XXXIX. scribit. Nam et in Albano monte sacellum Junonis, quod in mensa dedicatum orientem solem spectabat, ad septentriones conversum est; fax a meridie ad aquilonem porrigi visa: lupus urbem intravit, terra movit, cives quidam fulmine icti sunt, et in agro Latiniensi auditus fuit strepitus sub terra cum fremitu. Quæ cum haruspices expiari vellent, iratos Deos esse, quod loca sacra et religiosa, profana haberentur, responderunt.

Hanc occasionem arripiens Clodius ædilis, habuit concionem de sacris et religionibus; atque Ciceronis domum inter ea loca esse dixit, quæ consecrata, profana haberentur. Itaque postridie Cicero defendens se in senatu, qui ex haruspicum responso decreverat, ut de locis sacris et religiosis consules ad senatum referrent, orationem habuit *de Harusp. Responsis*, quæ extat, in qua haruspicum responsa contra Clodium interpretatur.

Tum quoque Cicero, ut Dio scribit, Milone et quibusdam tribunis plebis adhibitis, in Capitolium venit, et tabulas de exilio suo a Clodio tribuno plebis fixas dejecit. Sed Clodius cum fratre Caio, qui prætor erat, interveniens, eas tum eripuit: postea vero, observata Clodii absentia, rursus in Capitolium ascendit, et tabulas inde ablatas domum suam asportavit. Quod factum, a Clodio reprehensum, cum Tullius in senatu, ut Plutarchus narrat, sic defenderet, ut diceret, Clodium contra leges e patriciis ad plebem transiisse, ideoque nihil eorum, quæ gessisset, ratum habendum esse; Cato indignatus illi contradixit: non quod Clodium laudaret, cujus acta oderat; sed grave et violentum esse confirmabat, tot decreta et res gestas senatus-consulto tolli; in quibus essent etiam ea, quæ ipse in Cypro et Byzantii gessisset. De quibus rebus præter historicos Cicero *pro Domo*, *cap.* 8. *in Sextiana*, *cap.* 28. et *alibi*.

Hoc etiam tempore actum in senatu fuit de stipendio exercitus Cæsaris. Idque Cicero se non solum decrevisse, sed etiam, ut alii decernerent, laborasse ait *in orat. de Provinciis Cons. cap.* 11. Stipendii decreti meminit *ep.* 7. *lib.* I. *Famil.* ubi et de decem legatis, de quibus sic in oratione de Provinciis: *Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quærebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicæ causa sentirem, facere uberius propter ipsius Cæsaris dignitatem.* Et pro Balbo, cap. 27. *Idem in angustiis ærarii victorem exercitum stipendio affecit; Imperatori decem legatos decrevit.* Hos decem legatos a Dione intelligi puto, cum de honoribus Cæsari habitis inquit, ὥς τε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας, ὡς καὶ ἐπὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς Γαλάταις ἀποστεῖλαι. Nam re bene gestà, dispensandæ cohonestandæque victoriæ, ut Manlius apud Liv. *lib.* XXXVIII. *cap.* 47. ait, Imperatoribus decem legati decernebantur.

A. Gabinius, qui Syriam proconsul tenebat, in Palæstina re bene gesta contra Aristobuli filium, Alexandrum ipsumque Aristobulum, ut Josephus *lib.* XIV. *Antiquitatum* scribit, litteras Romam misit, quibus et rem bene gestam in bello nuntiavit, et supplicationem a senatu postulavit. Idibus Maii senatus frequens supplicationem Gabinio denegavit, *ep.* 8. *lib.* II. *ad Quintum Fratrem, de Provinciis Cons. cap.* 6. et *in Pisonem*, *cap.* 17. Deinde, cum provinciæ consulares futuris consulibus lege Sempronia essent decernendæ, ut in argumento *orat. de Provinciis* scripsi,

et de quatuor provinciis sententiæ dictæ essent, de Syria, Macedonia et duabus Galliis: M. Tullius rogatus sententiam, orationem, quæ *de Provinciis Cons.* extat, in senatu habuit, in qua suadet, ut Syria et Macedonia futuris consulibus decernantur, et Galliæ Cæsari non adimantur.

Ante orationem de Provinciis in libris Ciceronis legitur *Corneliana*, pro *L. Cornelio Balbo*, quam hoc anno a M. Tullio dictam esse ex eo suspicor, quod de supplicatione, stipendio et decem legatis extrema fere oratione dicitur. Ea enim hoc anno Cæsari decreta esse, non solum oratio *de Provinciis* docet, verum etiam, *ep.* 7. *lib.* I. *ad Lentulum*, quam tametsi docti quidam ad secundum consulatum Pompeii et Crassi referant, tamen hoc anno scriptam esse arguit, quod L. Racilius inter magistratus nominatur, quem Marcellino et Philippo coss. tribunum plebis fuisse supra diximus.

Igitur Balbus, cum esset Gadibus in Hispania natus, ac bello Sertoriano Imperatoribus Romanis probatus, bello confecto a Cn. Pompeio civitate Romana donatus, et quia per L. Cornelium hoc beneficium consecutus fuit, L. Cornelius Balbus vocatus est. Ei inimici Cæsaris et Pompeii accusatorem compararunt, qui Balbo hoc tempore civitatis controversiam movit: negans eum jure et recte civitate donatum, cum ex fœderato populo, quo in numero Gaditanus erat, nemo posset, nisi is populus factus esset fundus, id est, auctor obstringendi se jure civium Romanorum, in civitatem venire.

Defenderunt Balbum M. Crassus, Cn. Pompeius et M. Cicero. *De Planciana*, quæ suo loco non legitur, dicemus infra. Nunc de *Cæliana* dicendum.

Hoc anno Ciceronem pro M. Cælio apud Cn. Domitium prætorem dixisse Corradus scribit. Manutius cum in Commentario in *ep.* 6. *lib.* II. *ad Q. Fratrem*, orationem pro Cælio habitam, Marcellino et Philippo coss. scripsisset, exponens deinde *ep.* 13. *ejusdem libri*, diem illi in biennium prodit, atque L. Domitio et Appio Claudio coss. Cælium de vi accusatum et defensum a M. Tullio facit.

Res est non levis, quæ et tanti viri animum in scribendo distraxerit, et aliis ancipitem curam cogitandi afferre possit. Quare, an certi quid eruere queamus, experiamur.

Quæstionem illam Cn. Domitium exercuisse ipsa oratio demonstrat. Fuit autem Cn. Domitius prætor hoc anno, apud quem Ciceronem pro Bestia dixisse indicavimus. Fuit quoque alius Domitius prætor biennio post, apud quem Cælius causam dicere debebat, *ep.* 13. *lib.* II. *ad Fratrem*.

Cur autem Cælium lege Lutatia de vi reum factum apud Domitium, qui his coss. non eum, qui biennio post prætura gessit, putem, illa me causa maxime movet, quod M. Crassus una cum Tullio Cælium defendit. (Nam interpretum inscitia, qui Crassum Cælii accusatorem faciunt, ridenda, seu miseranda potius quam refutanda.) Crassus vero cum anno insequenti consul paludatus exierit, Appio et Domitio coss. ne Romæ quidem fuit, nedum causas ibi orare potuit. Huc accedit, quod Alexandrinæ legationis princeps Dio Academicus, cujus interficiendi causa Cælium aurum a Clodia sumpsisse adversarii arguebant, anno superiore fuerit occisus, auctore Dione, *lib.* XXXIX. et Strabone in XVII. nec verisimile sit, accusatorem hujus cædis crimen et accusationem in annos plures distulisse.

Si quis objiciet, Cn. Domitium, hujus anni prætorem, de ambitu quæsivisse; Cælium de vi accusatum fuisse; is si probaverit, singulos prætores tantummodo uni quæstioni præfuisse, magnum fecerit. Nec me movet, quod Cælius Appio et Domitio coss. reus invenitur. Quid enim obstat, quæso, quo minus hoc tempore absolutus, a gente Clodia in judicium retrahi potuerit?

Quod Latomus putat, hanc oratio-

nem Appio et Domitio coss. ideo habitam, quod Cn. Domitius, qui post illos consul fuit, in eorum consulatu præturam gessisse videatur, tempori, quo ista scripsit, attributo.

Hoc ergo maneat, Cælium lege Lutatia de vi propter seditiones Neapolitanas et alia crimina accusatum: de seditionibus Neapolitanis et Alexandrinorum pulsatione Puteolana a M. Crasso; de auro, quod a Clodia sumpsisse, et veneno, quod ejusdem Clodiæ necandæ causa parasse dicebatur, a M. Cicerone hoc tempore esse defensum.

Q. Metellus Nepos, ex consulatu in Hispaniam profectus eam provinciam hoc tempore pro consule obtinebat, unde τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατος a Plutarcho in Cæsare nominatur. Videturque ex Hispania ad Ciceronem misisse *ep.* 3. *lib.* V. *Famil.* in qua de contumeliosis concionibus Clodii ædilis conqueritur. Clodius frater Nepotis appellatur etiam *in orat. post Red. in Senatu, cap.* 10. et *pro Domo cap.* 27. non propter affinitatem, ut vulgo interpretes sibi persuaserunt, verum quia ἐν γενέει αὐτῷ ἦν, ut Dio de Metello Celere ait, quem etiam Cicero *de Harusp. resp. cap.* 21. et *pro Cælio, cap.* 24. Clodii fratrem nominat. Fuerunt autem fratres patruelés, seu, ut jurisconsulti vocant, amitini. Cæcilia enim mater Clodii Metellorum amita fuit.

Metellum Nepotem hoc tempore in Hispania decessisse, eumque a Cicerone intelligi, *ep.* 7. *lib.* IV. *ad Att.* viri docti putant. Quod si verum esset, Dionem, *lib.* XXXIX. ubi res ab eo in provincia gestas exponit, prætermissurum fuisse non arbitror. Immo si jam in Hispania periit, est quod Pediano gratiam referat, qui illum mortuum in vitam reduxit, atque in choro novem consularium, qui biennio post Scaurum reum laudaverunt, collocavit. Ut ut sit, M. Tullius quinque ep. *lib.* IV. *ad Att.* nempe 4. 5. 6. 7. et 8. his consulibus scripsit. In sexta meminit epistolæ ad Lucceium missæ, quæ est 12. *lib.* V. *Famil.* qua, ut res à se in consulatu gestas scribat, eum rogat.

C. Julius Cæsar, gestis hoc anno rebus illis, quas *lib.* III. *Commentariorum* perscripsit, exercituque in Aulercis Lexobiisque, reliquis item civitatibus, quæ proxime bellum fecerant, in hibernis collocato, discedens in Italiam Lucæ hiemavit, auctore Plutarcho *in Pompeio, Cæsare* et *Catone.* Eoque Pompeium et Crassum extractos compulit, ut detrudendi L. Domitii causa, (qui palam minabatur, consulem se effecturum, quod prætor nequisset, adempturumque Cæsari exercitus) consulatum alterum peterent; *Suetonius in Julio cap.* 24. Ita factum, ut Domitius, qui tot annos, quot habebat, designatus consul fuerat, consul fieri non potuerit, *ep.* 8. *lib.* IV. *ad Att.*

Cum autem Pompeius et Crassus intra legitimum tempus professi non essent, effecerunt cum per alios, tum per C. Catonem tribunum plebis, ne eo anno comitia haberentur: ut c[illegible] res ad interregnum rediisset, legiti consulatum et peterent et capes rent. *Dio, lib.* XXXIX.

Anno Urbis 698, *Ciceronis* 52

Consules fuerunt

CN. POMPEIUS MAGNUS II.
M. LICINIUS CRASSUS II.

Consulatum ex interregno i runt, (*Dio, lib.* XXXIX.) reliqu que magistratus suo arbitratu c runt, quo tempore M. Cato in p turæ petitione repulsam tulit, et Vatinius in locum ejus creatus e *Plutarchus* et *Dio.* Cicero me Aprili fuit ruri, ibique scripsit *ep lib.* IV. *ad Att.* cum Puteolis mag esset rumor, Ptolemæum esse in r no. Eum A. Gabinius hoc anno ju Pompeii in regnum restituit. *Plut chus in Pompeio, Dio, lib.* XX *Strabo, lib.* XII. et XVII. Memi Cicero *in Pisonem, cap.* 21. qu orationem his consulibus dixit, a tore Asconio, cum Piso revocatu

Macedonia, sententia Ciceronis, quam anno superiore de provinciis consularibus dixerat, de insectatione ejus in senatu conquestus, atque in eum invectus esset.

Pisoni Cicero respondit oratione illa, quæ extat et continet Pisonis vituperationem, quamvis in senatu sit habita loco sententiæ, ut testatur Quintilianus *lib.* III. *cap.* 9. Dicta fuit oratio, *Auctore Asconio*, ante paucos dies quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicavit. Magnificentissima vero Pompeii munera secundo consulatu fuerunt, ait Cicero *lib.* II. *de Officiis*, *cap.* 16. et demonstrat *ep.* 1. *lib.* VII. *Famil. ad Marium.* De theatro et ludis Pompeii Plutarchus *in ejus vita*, *Dio lib.* XXXIX. Tacitus *Annalium lib.* XIV. *cap.* 20. Plinius *lib.* VIII. *cap.* 7.

Hoc anno Cicero *ad Quintum Fratrem* scripsit *ep.* 8. 9. *et* 10. *lib.* II. *et ad Atticum ep.* 9. 10. 11. 12. *et* 13. *lib.* IV. In decimatertia facit mentionem profectionis Crassi in Syriam; antequam vero paludatus exiret, coenavit apud Ciceronem in hortis Crassipedis generi, *ep.* 9. *lib.* I. *Fam.* Proficiscentem Ateius Capito Tribunus pl. diris cum ominibus retinere conatus est; ille vero, dirarum obnunciatione neglecta, in Syriam contendit, atque exercitu deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit. *Cicero lib.* I. *cap.* 16. *et* II. *cap.* 9. *de Divinat. Plutarchus*, *Appianus*, *Dio*, *Velleius*, *lib.* II. *cap.* 46. et alii. Cicero etiam hoc tempore scripsit tres libros *de Oratore*, de quibus sic *ad Atticum* ep. 13. lib. IV. *De libris oratoriis factum est a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt; describas licet.* Vide quoque procemium *lib.* II. *de Orat.*

Anno Urbis 699, *Ciceronis* 53,

Consules fuerunt

L. DOMITIUS AHENOBARBUS,
AP. CLAUDIUS PULCHER.

Cum Crassus hoc tempore in Syriam iter haberet, Cicero ejus absentis causam in senatu defendit, et cum consulibus atque consularibus magna contentione decertavit, ut scribit ipse ad Lentulum *ep.* 9. *lib.* I. et ad Crassum *ep.* 8. *lib.* V. Famil. Quæ initio hujus anni mense Februario in senatu acta sunt, Cicero ad Fratrem scribit *lib.* II. *ep.* 11. et 12. ut in libris Manutianis distinguuntur.

Misit deinde in Galliam ad Cæsarem pro cos. C. Trebatium Testam Jurisconsultum cum litteris, quibus eum studiosissime commendat, *ep.* 5. *lib.* VII. *Famil.* Tum etiam Q. Tullius Cicero legatus Cæsari in Galliam profectus est, de quo Cæsar *lib.* V. *Comment. cap.* 24. M. Cicero item Roma profectus, ruri scripsit ad Atticum *ep.* 14. *lib.* IV. Fuit autem in Cumano et Pompeiano: atque in Cumano instituit scribere πολιτικὰ, de optimo statu civitatis et de optimo cive, *ep.* 14. *lib.* II. *et* 5. *lib.* III. *ad Fratr. et ep.* 14. *lib.* IV. *ad Att.*

IV. Non. Junii Cicero Romam rediit, *ep.* 15. *lib.* II. *ad Fratr.* IV. Non. Quintil. Suffenas et Cato absoluti sunt, *ep.* 15. *lib.* IV. *ad Att.* de C. Catone absoluto *Asconius pro Scauro.* His rebus actis Cicero a Reatinis in eorum agrum eductus, apud Ap. Claudium consulem et decem legatos Reatinorum causam contra Interamnates egit, *ep.* 15. *lib.* IV. *ad Att. Varro de Re Rust. lib.* III. *cap.* 2. VII. Id. Romam rediit. Eoque tempore se a causis et judiciis districtissimum fuisse ait *ep.* 16. *lib.* II. *ad Fratr.* Defendit tum Messium, item Drusum, de quibus *ep.* 15. *lib.* IV. *ad Att.* ubi hoc quoque scribit, se ex Quinti fratris litteris suspicari, jam eum esse in Britannia.

Illo tempore ad Trebatium scripsit *ep.* 6. 7. 8. 9. *et* 10. *lib.* VII. *Famil.* Ex Britannia Quintus ad Marcum litteras misit, quibus ille mense Sextili respondit eodem die, quo P. Vatinium defendit, *ep. ult. lib.* II. *ad Fratr.* De Vatinio in gratiam recepto et defenso scribit epistola longa ad Lentulum. Pro Vatinio Ciceronem dix-

isse, L. Domitio Ap. Clodio coss. Asconius testatur. Valerius quoque *lib.* IV. *cap.* 2. scribit M. Ciceronem P. Vatinium dignitati suæ semper infestum duobus publicis judiciis tutatum esse. Itaque Vatinius se clientem Ciceronis appellat, *ep.* 9. *lib.* V. *Famil.*

M. Æmilius Scaurus a C. Triario repetundarum postulatus apud M. Catonem prætorem a M. Tullio defensus est a. d. IV. Nonas Septembr. vide *Asconium.* Hanc orationem una cum *Planciana* mense Septembri se absolvisse scribit *ep.* 1. *lib.* III. *ad Fratr.* Plancium his Coss. a M. Juventio Laterense accusatum et a Cicerone defensum esse *Latomus* et *Corradus* putant, recte meo quidem judicio. Fuerat enim Plancius tribunus pleb. biennio ante, ut diximus, atque in hunc annum ædilitatem recte petiit.

Quod autem *Sylvius* per Consulem, quem Cicero comitia ædilitia habuisse ait, M. Crassum intelligi, nulla probabili ratione nititur. Nec potuit Plancius in tribunatu ædilitatem petere. Huc accedit, quod hunc fuisse legitimum annum ædilitatis Laterensis ex prætura ejus perspicuum fit: quam triennio post, Ser. Sulpicio, M. Marcello coss. gessit, *ep.* 8. *lib.* VIII. *Famil.* Illud autem, quod Corradus pro certissimo argumento affert, quod C. Alfius, qui præturam hoc anno gessit, quæsitor in causa Planciana fuerit, nullum est. Nam primum ex peroratione cognoscitur, non C. Alfium, sed C. Flavium quæsitorem fuisse, quem eundem præturam tum gessisse affirmare non ausim: arbitror enim tam quæsitorem quam consilium editicium fuisse: editos autem fuisse ab accusatore: quæ potestas si rei fuisset, ait Cicero, *cap.* 17. eum sine dubitatione C. Alfium tribulem suum quæsitorem, atque e Terentina et Voltinia tribubus judices fuisse editurum.

Pridie Nonas Septembr. ludi Romani, qui per novem continuos dies fiebant, commissi sunt. Ludorum diebus Cicero in Arpinati fuit, et XIII. Kalend. Octobr. Romam venit, *ep.* 1. *lib.* III. *ad Fratr.* A. d. VI. Kalend. Octobris, cum æquinoctium subesset, Cæsar exercitum e Britannia reportavit. *Cicero ep.* 16. *lib.* IV. *ad Att.* et *Cæsar lib.* V. *Comment. cap.* 23. Cum Cæsar Britanniam peragraret, audivit decessisse filiam. *Seneca de Consolatione ad Marciam, cap.* 14. Hinc Cæsaris luctus *ep.* 1. *lib.* III. *ad Fratr.* de morte Juliæ, quæ Pompeio nupta erat, *Dio lib.* XXXIX. *Plutarchus in Pompeio* et *Cæsare.*

Cum M. Crassus a Gabinio in Syria successisset, ille in Italiam reversus XII. Kalend. Octob. ad urbem accessit, et IV. Kal. urbem noctu intravit, et de majestate accusatus est, *ep.* 1. *lib.* III. *ad Fratr.* In eo judicio Ciceronem Gabinium gravissime accusasse Dio *lib.* XXXIX. auctor est. Sed Cicero se testimonium secundum fidem et religionem gravissime in eum dixisse testatur *ep.* 4. *lib.* III. *ad Fratr.*

Gabinio absoluto M. Tullius VIII. Kal. Novembr. in Tusculanum profectus fuit. Ita extremis mensibus hujus anni Cicero omnes epistolas *lib.* III. *ad Fratr.* et postremas *lib.* IV. *ad Att.* et longam ad Lentulum scripsit.

Gabinius, de majestate absolutus, de repetundis accusatus et condemnatus fuit, quamvis Tullius rogatu Pompeii eum defendisset, Dio lib. XXXIX. Valerius lib. IV. cap. 2. *Sed hujusce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit: A. namque Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat.* Cicero *pro Rabirio Postumo* ait, *cap.* 12. sibi causam defendendi Gabinii fuisse reconciliationem gratiæ. Ibidem, *cap.* 7. testatur, se Gabinium ex maximis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defendisse. Meminit hujus defensionis *D. Hieronymus in Apologia adversus Rufinum.*

Gabinio condemnato C. Memmius

lege Julia de repetundis accusavit C. Rabirium Postumum, qui, cum post mortem patris sui C. Curtii natus esset, a C. Rabirio avunculo adoptatus, C. Rabirius Postumus dictus fuit. Defendit eum Cicero hiberno tempore, ut oratio indicat. Claudius Cæsar apud *Suetonium* refert, Rabirio Postumo, Ptolemæum Alexandriam crediti servandi causa secuto, crimen majestatis apud judices motum fuisse.

Hoc ad extremum admonebo, quatuor prætores hujus anni a Cicerone in Epistolis nominari, M. Catonem, Domitium, Servilium et C. Alfium, quibus *Dio* addit Ser. Sulpicium Galbam. Tribuni pl. apud Ciceronem sunt, Q. Mucius Scævola, Terentius et C. Memmius; his apud *Valerium lib.* VIII. *cap.* 1. additur Lælius.

Anno Urbis 700, *Ciceronis* 54,

Consules fuerunt

CN. DOMITIUS CALVINUS,
M. VALERIUS MESSALA.

Hi consules non statim initio anni, ut moris erat, sed septimo tandem mense magistratum inierunt, *auctore Dione lib.* XL. Cum enim anno superiore comitiorum consularium singuli dies obnuntiationibus sublati essent, ut scribit Cicero *ep.* 3. *lib.* III. *ad Quint. Fratrem*, et ob id mense Januario nulli dum consules essent, interreges de more proditi fuerunt, qui rempublicam per sex menses administrarunt: cum, quod propter auspicia, quæ secunda interregibus non eveniebant, comitia habere non possent; tum quod tribuni plebis, qui rempublicam tractabant, ne magistratus crearentur, impedirent, ut *Dio* scribit.

Plura igitur hoc tempore interregna fuerunt: de quibus Cicero, *ep.* 1. *lib.* VII. *Fam.* quam hoc tempore scriptam esse res ipsa indicat, sicut et sequentes. Quarum *decima tertia* data est IV. Nonas Mart. *decima octava* VI. Idus April. Sed, cum tribuni plebis comitia omni ratione impedirent, ac primum ut tribuni militum pro consulibus, deinde ut Pompeius dictator crearetur, ad populum ferrent, M. Catonis cohortatione adductus Pompeius effecit, ut Cn. Domitius et M. Messala coss. tandem fuerint creati, Plutarchus *in Pompeio*, et Dio, *lib.* XL.

His coss. M. Crassus, interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore periit, ait Cicero, *lib.* II. *de Divinat. cap.* 9. et scribit præter alios Orosius noster, *lib.* VI. *cap.* 18.

Periisse Crassum mense Junio Ovidius, *lib.* VI. *Fastorum* indicat, *vers.* 465. In locum P. Crassi M. F. Cicero Augur factus fuit, ut Plutarchus scribit. In auguratus petitione competitorem habuit C. Hirrum, de quo *lib.* II. et VIII. *Famil.* Sed M. Tullium augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominavertunt, *Philip.* II. Ab Hortensio se cooptatum in collegium et inauguratum ait *in Bruto, cap.* 1.

Quo tempore Cicero augur factus est, C. Scribonius Curio filius in Italia non fuit, ut ipse ait *Philip.* II. *cap.* 2. erat autem in Asia, eoque Cicero ad illum misit sex primas epistolas *lib.* II. *Famil.*

Anno Urbis 701, *Ciceronis* 55,

Consul fuit

CN. POMPEIUS MAGNUS III,
sine Collega.

Petebant in hunc annum consulatum summis contentionibus T. Annius Milo, P. Plautius Hypsæus et Q. Metellus Scipio. Petebat in eundem annum præturam P. Clodius, cui summæ inimicitiæ cum Milone intercedebant. Itaque a. d. XIII. Kal. Feb. cum Milo Lanuvium proficisceretur, et Clodius Aricia rediens ei occurrisset, rixa et pugna forte commissa, Clodius interfectus fuit, quod Asconius in argumento orat. *pro Milone* pluribus verbis narrat.

Pompeius deinde ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Mart. consul creatus

est, statimque consulatum iniit et novas leges tulit: duas ex S. C. alteram de vi, qua nominatim cædem Appia via factam, et incendium Curiæ, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit: alteram de ambitu, pœna graviore et forma judiciorum breviore proposita. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur, auctore Asconio. Hinc Tacitus in Dialogo de Oratoribus, *cap.* 38. ait Pompeium primum adstrinxisse et imposuisse veluti frænos eloquentiæ.

De hac lege Pompeii Cicero in Bruto, cap. 94. *Maxime*, inquit (de se et Hortensio agens) *perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie.* Et initio lib. IV. de Finibus. *Ain' tandem, cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere, et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas?*

Perlata lege Pompeii, et L. Domitio Ahenobarbo quæsitore suffragio populi creato, Milo de vi, et de ambitu, et de sodalitiis postulatus fuit. Accusarunt de vi Milonem III. Idus Apr. Appius major, M. Antonius et P. Valerius Nepos: respondit illis unus M. Cicero. Qui cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, ita ut non ea, qua solitus erat, constantia diceret. Sed oratio illa quoque excepta fuit, ut Asconius scribit. Meminit Quintilianus *lib.* IV. *cap.* 3. Eam vero, quam nos habemus, Cicero postea scripsit, cum Milo esset Massiliæ, quo condemnatus in exilium intra paucissimos dies profectus fuit; *Ascon.* et *Dio, lib.* XL.

Accusatus deinde M. Saufeius, defendente Cicerone et M. Cælio, absolutus fuit. Sex. autem Clodius magno consensu damnatus est, *Asconius.* Pompeius in hoc consulatu Corneliam, Q. Metelli Scipionis filiam, uxorem duxit, et socerum sibi in quinque menses extremos collegam subrogavit; *Plutarchus in Pompeio. Dio, lib.* XL. *Appianus, lib.* II. Eundem Scipionem Censoriam potestatem, quam Clodius imminuerat, lege restituisse, *Dio* scribit.

Hoc anno fingitur, habitus sermo de *Finibus Bonorum et Malorum*, quem Cicero libris quinque postea perscripsit. Argumento sunt verba illa, quæ de libro quarto modo adduxi, et illa, lib. II. cap. 18. *Ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda.*

Extremo hujus anni mense, cum T. Munacius Plancus Bursa magistratu abiisset, a Cicerone accusatus et Cn. Pompeio defensus, condemnatus fuit; *Dio, lib.* XL. et *Cicero ep.* 2. *lib.* VII. *Famil.* quam hoc tempore scripsit. Plancus omnibus sententiis maximo populi plausu condemnatus fuit, quod curiam incendisset, *Philippica* VI. *cap.* 4. et XIII. *cap.* 12.

Anno Urbis 702, *Ciceronis* 56,

Consules fuerunt

SER. SULPICIUS RUFUS,
M. CLAUDIUS MARCELLUS.

Hoc tempore, certe post Clodii cædem, M. Tullius *de Legibus*, scripsit, ut ex *lib.* II. *cap.* 17. cognoscitur. Cum autem plures libros de Legibus scripsisset, ad nos tres tantum, iique mutilati, pervenerunt.

Factum anno superiore senatusconsultum erat, ne quis prætorius, aut consularis intra quinquennium in provinciam ire posset, ut Dio, *lib.* XL. scribit. Hoc senatus-consulto ire in provincias coacti sunt, qui in eas ex prætura aut ex consulatu non iverant. In his erat M. Tullius: cujus sors cum dejecta esset, Cilicia provincia consularis cum exercitu peditum XII. mil. equitum duûm mil. DC. ei obvenit, auctore Plutarcho. Cicero se nomen tantum duarum legionum habuisse ait, *ep.* 15. *lib.* V. *ad Att.* et *ep.* 6. *lib.* III. *Famil.* ait in

tanta militum paucitate abfuisse tres cohortes.

Tenuit Cicero pro cos. etiam Cyprum insulam Ciliciæ oppositam, et præterea tres diœceses Asiaticas, Cibyraticam, Synnadensem et Apamensem, ut *lib.* V. *ep.* 21. et VI. 2. *ad Att.* perspicitur. Itaque *lib.* I. *de Divinat. cap.* 1. ait, se nationibus Cilicum, Pisidarum et Pamphyliæ præfuisse.

Successit M. Tullius Ap. Claudio, quem de successione certiorem facit *ep.* 2. *lib.* III. *Famil.* cum *epistolam primam* prius ad ipsum in Ciliciam misisset. Legatos habuit Cicero Q. Tullium fratrem, C. Pomptinium, L. Tullium et M. Anneium: quæstorem L. Messinium, cui C. Cælius postea successit.

Profectus Cicero ex urbe mense Maio, Nonis cum Attico in Tusculano fuit, inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano et Trebulano peragratis, Beneventum venit v. Id. Maii. Tarentum xv. Kalend. Jun. et triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuit, *ep.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. et 7. *lib.* V. *ad Att.* Brundusium venit a. d. XI. Kal. Jun. *ep.* 3. *lib.* III. *Famil.* ibi plures dies mansit. Pridie Non. Jun. se etiam tum Brundusii fuisse scribit ad Appium *ep.* 4. *lib.* III. *Famil.*

Interim M. Cælius ad eum misit *ep.* 1. *lib.* VIII. cui Athenis rescripsit *ep.* 8. *lib.* II. *Famil.* Brundusio profectus Actium venit XVII. Kalend. Athenas VII. Kalend. Quint. *ep.* 9. *et* 10. *lib.* V. *ad Att.* Exulabat tum Athenis C. Memmius de ambitu condemnatus, *ep.* 2. *lib.* III. *ad Frat.* et *ep.* 19. *lib.* XIII. *Fam.* et *Appianus lib.* II. Is pridie quam Cicero Athenas venit, Mitylenas profectus erat, *ep.* 11. *lib.* V. *ad Att.* tum Cicero ad eum misit *ep.* 1. *et seq.* ut videtur, *lib.* XIII. *Famil.*

Cum Athenis decem ipsos dies fuisset, pridie Non. Quintil. inde profectus Ephesum venit a. d. XI. Kal. Quintil. *ep.* 11. 12. et 13. *lib.* V. *ad Att.* et *ep.* 8. *lib.* II. *Famil.* Tralles venit a. d. VI. Kal. Sextil. atque ad Appium misit *ep.* 5. *lib.* III. *Famil.* Laodiceam in provinciam venit pridie Kalendar. Sextil. *ep.* 15. 20. *et ult. lib.* V. *ad Att. ep.* 2. et 4. *lib.* XV. *Fam.* M. Cælius interim ad Ciceronem plures epistolas scripsit, quæ *lib.* VIII. *Famil.* extant. In quarta Kal. Sextil. data meminit C. Marcelli cos. designati: habita ergo comitia consularia fuerunt ante Sextilem. Quibus creati consules sunt L. Paulus et C. Marcellus: qua re cognita Cicero non solum ipsis, verum etiam C. Marcello patri et M. Marcello fratri patrueli C. Marcelli cos. des. gratulatus est, *ep.* 7. 8. 9. et 12. *lib.* XV. *Famil.*

Triduum moratus Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade, VII. Kal. Septemb. in Lycaoniam ad Iconium in castra venit, *ep.* 16. et sequentibus *lib.* V. *ad Att.* et *ep.* 4. *lib.* XV. *Fam.* C. Cassius, qui quæstor M. Crassi fuerat, atque ex clade, quæ ad Carrhas accepta erat, cum parte exercitus se in Syriam receperat, eo tempore, quo Cicero in Ciliciam venit, Antiochia tenebatur; Pathosque cedentes ab oppido insecutus rem bene gessit, Osace duce occiso, *Cicero ep.* 10. *lib.* II. *Famil.* et *ep.* 20. *lib.* V. *ad Atticum, Dio, lib.* XL. *Justinus* XLII. *cap.* 4. Unde Cicero Philipp. XI. *cap.* 14. de Cassio: *Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri adventum, cum Pacori nobilissimos duces maximasque copias fudit, &c.*

In castra Ciceronis ad Iconium ante diem III. Kalend. Septembr. venerunt legati missi ab Antiocho Commageno, iique nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse, ut scribit *ep.* 1. et 3. *lib.* XV. *Famil.*

Pridie Kalend. Septemb. Cicero castra ab Iconio movit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens, in Cappadociâ extrema, non longe a Tauro, apud oppidum Cybistra, castra posuit, *ep.* 6. *lib.* III. et *ep.* 2. et 4. *lib.* XV. *Fam.* et *ep.* 18. *lib.* V. *ad Att.* Ibi cum dies quinque esset commoratus, regem Ariobarzanem, cujus

salutem a senatu commendatam habebat, præsentibus insidiis liberavit, ut scribit *ad Catonem*, et copiose exponit magistratibus *ep.* 2. *et* 4. *lib.* XV. *Fam.* Inde confestim iter in Ciliciam fecit per Tauri pylas, et Tarsum venit a. d. III. Non. Octobr. *ep.* 20. *lib.* V. *ad Att.* Non. Octobr. in senatu recitatæ sunt Ciceronis litteræ, quas publice de Parthico tumultu miserat, *ep.* 1. *lib.* XV. *Fam.* et *ep. ult. lib.* V. *ad Att.* eodemque die Cicero Tharso Amanum versus profectus est, *ep.* 8. *lib.* III. *Fam.* qui mons erat hostium plenus sempiternorum.

Hic a. d. III. Id. Octob. magnum numerum hostium cecidit, castella munitissima cepit, incendit, imperatorque appellatus est, *ep.* 20. *lib.* V. *ad Att. ep.* 10. *lib.* II. et 4. *lib.* XV. *Fam.* vide quoque Commentarium nostrum *in Ligarianam.* His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuit, ea ipsa quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander, ut est locis jam citatis. Inde Pindenissum oppidum munitissimum Eleutherocilicum, diu omnibus machinis oppugnatum, septimo et quinquagesimo die cepit, Saturnalibus mane, *ep.* 20. *lib.* V. *ad Att.* et *ep.* 4. *lib.* XV. *Fam.* Pindenisso capto exercitum in hiberna dimisit, iisque Quintum fratrem præposuit, *ep.* 4. *lib.* XV.

Extremo hoc anno Cicero ad Curionem misit *ep.* 7. *lib.* II. *Fam.* in qua illi de tribunatu pl. gratulatur, quem a. d. IV. Id. Decemb. iniit.

Anno Urbis 709, *Ciceronis* 57,

Consules fuerunt

L. AIMILIUS PAULUS,
C. CLAUDIUS MARCELLUS.

Ad hos consules extant Ciceronis litteræ: quibus petit, ut quam honorificentissimum S. C. de rebus a se gestis faciendum curent, *ep.* 10 et 13. *lib.* XV. *Famil.* hac de re scripsit etiam ad Catonem *ep.* 4. *ejusdem libri*; tum Ciceroni pro re bene gesta supplicationes sunt decretæ, *ep.* 11. *lib.* VIII. *Famil.* et *ep.* 1. *lib.* VII. *ad Att.* pro quibus Marcello cos. gratias agit *ep.* 11. *lib.* XV. *Famil.*

Nonis Jan. Cicero Tarso profectus fuit in Asiam, ut ibi suarum dioecesium hominibus jus diceret, *ep. ult. lib.* V. *ad Att.* quam Idib. Febr. se dedisse ait. Quo tempore Cicero Ciliciam, et M. Bibulus Syriam obtinuerunt, eodem tempore Q. Thermus pro prætore in Asia, et P. Silius in Bithynia, ut videtur, fuerunt, indicat *ep.* I. *lib.* VI. *ad Att.* Itaque e Cilicia Cicero ad *Thermum et Silium* misit *ep.* 53. *et alias*, quæ deinceps *lib.* XIII. *Fam.* leguntur.

Laodiceæ M. Tullius ex Idib. Februarii ad Kalend. Maii forum egit omnium dioecesium Asiaticarum, *ep.* 1. et 2. *lib.* VI. *ad Att.* Eo venit M. Fabius, commendatus ei a C. Cassio. Commendat eundem ipse Cælio, Paeto et Curtio, *ep.* 14. *lib.* II. *ep.* 25. *lib.* IX. *ep.* 59. *lib.* XIII. *et ep.* 14. *lib.* XV. *Famil.* Eodem tempore Cicero aliquot epistolas ad Cælium et Appium misit, quæ *lib.* II. *et* III. leguntur. In quibus cum de aliis rebus, tum de Appii accusatione et Tulliæ nuptiis agitur.

Accusavit Appium reversum e provincia P. Cornelius Dolabella: eidemque Tullia, M. Ciceronis filia, hoc tempore nupsit. De affinitate hac gratulatur Ciceroni Cælius *ep.* 13. *lib.* VIII. Fuit quoque Appius hoc anno, ut Dio scribit, censor cum L. Pisone. Appii censuræ meminit Cic. in epistolis ad ipsum, *ep.* 10. 11. et *ult. lib.* III. de eadem Q. frater lib. I. de Divin. cap. 16. *In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter, virum bonum et civem egregium, censor P. Ateium notavit, omentitum auspicia subscripserit.*

Ex Asia Cicero in Ciliciam Nonis Maii profectus, *ep.* 13. *lib.* II. *Famil.* et *ep.* 2. *lib.* VI. *ad Att.* Tarsum venit Nonis Jun. *ep.* 4. *lib.* VI. *ad Att.* Ciceroni interim Quæstor C. Cælius obtigit, ad quem scribit *ep. ult. lib.* II. *Fam.* eundemque de provincia decedens III. Kal. Sextil. provinciæ præ-

fecit, *ep.* 6. *lib.* VI. *ad Att. ep.* 15. *lib.* II. *Famil.* et *ep.* 14. *lib.* III.

Epheso proficiscens Kal. Oct. Athenas venit pridie Idus, *ep.* 8. et 9. *lib.* VI. *ad Att.* et *ep.* 5. *lib.* XIV. *Fam.* Athenis Ciceronem libenter commoratum esse, πάθος τῶν πάλαι διατριβῶν, *Plutarchus* scribit. Athenis Imperatorem se apud Aristonem diversatum esse *Tuscul.* V. ait, *cap.* 8.

Tironem libertum Cicero e Cilicia in Italiam revertens Patris ægrum reliquit, *ep.* 2. *lib.* VII. *ad Att.* ad eumque plures ex itinere epistolas misit, quæ *lib.* XVI. *Fam.* leguntur, et totius itineris rationem continent. Brundusium venit VII. Kal. Decemb. eodemque tempore uxor Terentia ad portam Brundusinam accessit, quo Tullius in portum, *ep.* 1. *lib.* VII. *ad Att.* et *ep.* 9. *lib.* XVI. *Fam.* Inde Romam versus proficiscens, ex itinere scripsit *ad Atticum ep.* 3. 4. 5. 6. 7. et 8. *lib.* VII.

Anno Urbis 704, *Ciceronis* 58,

Consules fuerunt

C. CLAUDIUS MARCELLUS,
L. CORNELIUS LENTULUS CRUS.

His consulibus M. Tullio pridie Non. Januar. ad urbem accedenti sic est obviam proditum, ut nihil potuerit fieri ornatius, *ep.* 11. *lib.* XVI. *Famil.* ubi addit, se incidisse in ipsam flammam civilis discordiæ, vel potius belli. Quod etiam *Plutarchus* scribit.

Nam Kalend. Januar. cum in Q. Metelli Scipionis sententiam S. C. fieret, uti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus remp. facturum videri: eique S. C. M. Antonius et Q. Cassius tribuni pl. intercessissent: Senatus consulibus, prætoribus, tribunis pl. et iis, qui pro consulibus ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid resp. detrimenti caperet. Tum Antonius et Cassius ad Cæsarem ex urbe cum Curione profugiant, *Cæsar lib.* I. *de Bello Civili, cap.* 5. *Cicero ep.* 11. *lib.* XVI. *Famil.* et *Philip.* II. *cap.* 21. Cicero ut venit ad urbem, non destitit omnia et sentire, et dicere, et facere, quæ ad concordiam pertinerent, *ep.* 12. *lib.* XVI. *Famil.* fuitque semper auctor pacis, ut testatur in orationib. *pro Marcello, cap.* 5. *Ligario, cap.* 9. *et Deiotaro, cap.* 10. item *ep.* 6. *lib.* VI. *et ep.* 3. *lib.* VII. *Famil.* eaque de re, ut *Plutarchus* tradit, privatim multa ad Cæsarem scripsit, et Pompeium coram precatus est, utrumque placans et deliniens. Sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habebantur, Cicerone clamante, nihil esse bello civili miserius, *ep.* 12. *lib.* XVI. *Famil.*

Itaque Italiæ regiones descriptæ fuerunt, quam quisque partem tueretur. Cicero Capuam sumpsit, quod pridie Idus Jan. ad Tironem scripsit *ep.* 12. *lib.* XVI. Cum interim Cæsar, trajecto Rubicone, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasset, urbem consules atque optimates omnes reliquerunt. *Cicero ep.* 12. *lib.* XVI. *Famil. Dio lib.* XLI. *et alii.* M. Tullius tum quoque ab urbe discessit, *ep.* 10. et *sequent. lib.* VII. *ad Att.* Discessisse eum XIV. Kal. Febr. cognoscitur ep. 12. lib. IX. ad Att. Fuit Cicero ἐπίσκοπος totius oræ maritimæ a Formiis, *ep.* 12. *lib.* XVI. *Famil.* et *ep.* 11. *lib.* VII. *ad Att.* VIII. Kal. Februarii Cicero Minturnis fuit, *ep.* 13. *lib.* VII. *ad Att.*

Reliquerat uxorem Terentiam et filiam Tulliam Romæ, *ep.* 12. *lib.* XVI. *Famil.* quarum curam sæpius Attico mandat: ipsas quoque de hac re monet ep. 14. et 18. lib. XIV. Famil. VI. Kal. Febr. Cicero Calibus Capuam proficiscens ad Atticum misit ep. 14. lib. VII. et postridie sequentem. IV. Kalend. Capua ad Tironem dedit ep. 12. lib. XVI. Famil. Capua profectus est Formias a. d. III. Kalend. eo quarto Non. Febr. Tullia et Terentia venerunt.

M. Tullius postridie cum fratre Capuam versus profectus est, *ep.* 16. et 17. *lib.* VII. et *ep.* 11. *lib.* VIII.

ad Att. Capuæ cum triduum fuisset VII. Id. Febr. inde discedens se Formias recepit, *ep.* 18. *lib.* VII. et 11. *lib.* VIII. *ad Att.* Formiis quotidie fere litteras *ad Atticum* dedit, quæ extremo *lib.* VII. et primo VIII. leguntur.

Reddita interim Ciceroni est a Pompeio *ep.* 11. *lib.* VIII. *ad Att.* qua in Apuliam evocatur, eam se XV. Kal. Mart. Formiis accepisse Pompeio rescribens ait *ep.* 11. *lib.* VIII. *ad Att.* meminit *ep.* 1. ejusdem libri.

Profectus deinde ad Pompeium cum Theanum Sidicinum venisset, ex C. Messio aliisque compluribus cognovit, in iis locis esse Cæsarem, ut tuto ad Pompeium venire non posset. Itaque Cales progressus ibi constitit. Et cum esset incertum iter Cæsaris, Leptam ad Pompeium misit et litteras. Ipse Formias revertit, *ep.* 3. et 11. *lib.* VIII. *ad Attic.* Ibi aliquandiu manens *plures epist. ad Atticum* misit, quæ *lib.* VIII. *et* IX. extant.

VIII. Kal. Mart. Pompeius Canusio Brundusium profectus fuit, *ep.* 1. *lib.* IX. *ad Att.* eo Ciceronem vocavit missa *ep.* 11. *lib.* VIII. *ad Att.* quam Cicero accepit III. Kal. *ep. seq.* et mansit in Formiano. A. d. VII. Id. Mart. Cæsar Brundusium cum legionibus sex pervenit, atque ad murum castra posuit, cum jam consules Dyrrachium profecti cum magna parte exercitus essent, et Pompeius Brundusii cum cohortibus XX. remaneret, *ep.* 13. *lib.* IX. *ad Att.* et *lib.* I. *de Bello Civili, cap.* 25.

Cicero illo tempore etiam ad Tironem scripsit *ep.* 13. 14. et 15. *lib.* XVI. *Fam.* Pompeius XVI. Kal. April. Brundusio cum omnibus copiis, quas habuerat, profectus est. Cæsar postero die oppidum ingressus et concionatus Romam contendit, *ep.* 15. *lib.* IX. *ad Att.* Eo itinere M. Cicero illum convenit, et quid egerit Attico scribit *ep.* 19. *lib.* IX. Cicero deinde Arpinum profectus, ibi Tullio filio suo togam puram dedit, *ep.* 19. et *ult. lib.* IX. *ad Att.* mansitque in villis mense Aprili et Maio, atque ad Atticum misit epistolas, quæ *lib.* X. extant.

VII. Idus Junii ad Pompeium in Græciam proficiscens navim conscendit, ep. 7. lib. XIV. Famil. *Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te,* ait ipse *pro Ligario, cap.* 3. et nos in Commentario exposuimus. Adventus ejus, ut Plutarchus scribit, cæteris gratus fuit; Cato autem illum conspicatus multis verbis reprehendit, quod Pompeium secutus esset. Nam se non potuisse honeste eam sectam deserere, quam ab initio in republica delegisset; illum, qui magis prodesse patriæ et amicis potuerit, si in Italia mansisset, et æqualiter se ad eventum comparasset, nulla ratione et absque necessitate hostem Cæsari factum esse, atque in tanti periculi societatem venisse.

Cum hæc verba Ciceronis animum flexerunt, tum quod nulla magna in re Pompeius illius opera utebatur. In causa erat ipse, non negans se facti sui pœnitere. Hactenus Plutarchus. Ipse quoque ep. 3. lib. VII. Famil. ait: *Cujus me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quam propter vitia multa, quæ ibi offendi, quo veneram.*

Cæsar in Hispaniam profectus, ea potitus est, et Dictator a M. Lepido prætore dictus comitia habuit, quibus ipse cum P. Servilio consul creatus est, ut scribit *lib.* III. *de Bello Civili, cap.* 1.

Anno Urbis 705, *Ciceronis* 59,

Consules fuerunt

C. JULIUS CÆSAR II,
P. SERVILIUS VATIA ISAUR.

His consulibus pridie Nonas Januar. Cæsar Brundusio in Epirum contra Pompeium trajecit, *lib.* III. *de Bello Civili, cap.* 6. Post Non. Febr. Cicero e Græcia ad Atticum dedit ep. 2. *lib.* XI. Obsesso a Cæ-

sare et circumvallato Pompeio apud Dyrrachium P. Dolabella ad Ciceronem misit *ep.* 9. *lib.* IX. *Famil.*

Nonis Junii in castris fuit: e quibus ad Atticum dedit *ep.* 3. *lib.* XI. et sequentem: in qua scribit se confici sollicitudine, ex qua etiam summa infirmitas corporis consecuta sit. Itaque cum Pompeius, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam media æstate, ut Plutarchus *in Bruto* tradit, a Cæsare victus est, Cicero in acie non fuit, ut scribit ad Pætum *ep.* 18. *lib.* IX. *Famil.* sed remansit in castris, ut Livius *lib.* CXI. scripsit: unde Plutarchus *in Cicerone* ait: τῆς μάχης οὐ μετέσχε δι' ἀῤῥωστίαν, id est, *prælio propter infirmitatem corporis non interfuit.*

Erant cum Cicerone M. Varro et M. Cato, *lib.* I. *de Divinat. cap.* 32. Catonem Dyrrachii, ut impedimentis præsidio esset, cum XV. cohortibus a Pompeio relictum fuisse Plutarchus *in Pompeio* et *Catone* auctor est. Victo Pompeio, Cato (inquit Plutarchus *in Cicerone*) qui copias magnas classemque magnam Dyrrachii habebat, ad M. Tullium, qui et lege et dignitate consulari præstaret, imperium deferebat. Quod cum ille recusaret, militiamque subterfugeret, propius factum est nihil quam ut occideretur, cum et Pompeius filius, et amici eum proditorem appellarent, gladiosque stringerent; sed Cato resistens vix illum cædi eripuit, et ex castris removit atque ablegavit. Hæc Plutarchus. Q. Cicero, *lib.* I. *de Divinat. cap.* 32. refert Labienum ex Pharsalica fuga in castra venisse, interitumque exercitus nuntiavisse, atque ita ipsos subito perterritos metu naves conscendisse.

Victoriam igitur Cæsaris Cicero belli finem sibi fecit. Nec putavit, cum integri pares non fuissent, fractos superiores fore, *ep.* 3. *lib.* VII. *Famil. Dio lib.* XLII. scribit Ciceronem cum nonnullis aliis senatoribus continuo Romam profectos esse: ipse *ep.* 6. *lib.* XI. *ad Att.* ait, se in Italiam venisse non arcessitum. Terentiæ uxori, quæ ipsi de adventu gratulata erat, pridie Non. Novembr. Brundusio rescripsit, *ep.* 12. *lib.* XIV. *Fam.*

Brundusii Cicero diu moratus est, Cæsarem expectans, dum is post prælium Pharsalicum in Ægyptum profectus, bellum Alexandrinum gessit, et Pharnacem in Ponto superavit.

Brundusium quoque M. Antonius post victoriam cum legionibus venit, et Ciceroni pepercit. Quod beneficium Cicero *Philippica* II. *cap.* 3. et 24. agnoscit. Scripsit tum Cæsar ad Antonium, prohiberi omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset. Quare, cum Antonius petiisset a Cicerone per litteras, ut sibi ignosceret: facere se non posse, quin Cæsaris litteris pareret: misit Cicero ad eum L. Lamiam, qui demonstraret, Cæsarem Dolabellæ dixisse, ut ad Ciceronem scriberet, ut in Italiam quam primum veniret. Itaque Antonius edixit ita, ut M. Tullium exciperet nominatim. Hoc XIV. Kalend. Jan. Cicero *ad Atticum* scripsit *ep.* 7. *lib.* XI. Affligebat Ciceronem eodem tempore Tulliæ morbus: cujus meminit *ep.* 7. *lib.* XI. *ad Att.* de eodem scribit ad Terentiam *ep.* 19. *lib.* XIV. *Famil.* scribit etiam per Leptam et Trebatium *ep.* 17. *ejusdem lib.* vide *ep.* 8. *lib.* XI. *ad Att.*

Anno Urbis 706, *Ciceronis* 60,

C. JULIUS CÆSAR II,

Dictator fuit;

M. ANTONIUS,

Mag. equit.

Hanc dictaturam Cæsar extra Italiam iniit, *auctore Dione, lib.* XLII. De Antonio magistro equitum Cicero Philipp. II. cap. 25. *Accessit, ut, Cæsare ignaro, cum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum ejus magister equitum constitueretur.*

III. Nonas Januar. die natali suo M. Tullius *ad Att.* dedit *ep.* 9. *lib.* XI. *et sequentem* XII. Kalend. Februar. VIII. Idus Martii ad eundem

scripsit *ep.* 11. et 12. Romæ illo tempore seditiones a P. Cornelio Dolabella tribuno plebis et Tulliæ marito, legem ferente de novis tabulis, excitatæ sunt. De quibus *Livius, lib.* CXII. *Dio lib.* XLII. Hæ sunt generi actiones, de quibus Cicero *ep.* 12. 14. 15. et 23. *lib.* XI. *ad Att.* Pridie Idus Maii Cicero ad Atticum dedit *ep.* 15. et 111. Nonas Junii sequentem ejusdem libri. Pridie Idus Jun. Tullia ad patrem Brundusium venit, *ep.* 11. et 15. *lib.* XIV. *Famil.* et *ep.* 17. *lib.* XI. *ad Atticum.*

Constituerat eo tempore M. Tullius Ciceronem filium cum Cn. Sallustio obviam Cæsari mittere: sed cum de ejus adventu nihil afferretur, consilium mutavit, *ep.* 17. et 18. *lib.* XI. *ad Att.* et *ep.* 11. et 15. *lib.* XIV. *Famil.* Pridie Idus Sextil. Cicero accepit litteras Cæsaris, quas ille ex Ægypto ad eum miserat, ut esset idem, qui fuisset, *ep. penult. lib.* XIV. *Famil.* et *pro Ligario, cap.* 3. ubi C. Pansam nuntium de concessis fascibus pertulisse ait. Dedit tum Cicero ad Att. epistolas, quæ extremo *lib.* XI. extant.

Cum Cæsar ad Kal. Septembr. Athenis fore diceretur, Cicero propter moras Asiaticas secus putabat, *ep.* 21. *lib.* XI. *ad Att.* Venit tamen in Italiam celerius omnium opinione, ut Hirtius auctor est. Ubi ad Ciceronem allatum est, eum Tarentum navibus appulisse, atque inde Brundusium pedibus contendere, obviam illi processit, non equidem valde diffidens, sed tamen veritus in tanta multitudine hostis et victoris periculum facere. Verum non fuit opus quicquam dicere aut facere præter dignitatem. Cæsar enim, ut eum longe ante alios occurrere vidit, descendit et salutavit, cumque eo solo colloquens multa stadia processit. Hæc Plutarchus in *Cicerone.*

Kal. Octobr. Cicero ad Terentiam de Venusino dedit *ep.* 20. *lib.* XIV. *Fam.* mandans, ut in Tusculano omnia essent parata ad hospites excipiendos. Deinde in urbem venit, et rediit cum libris in gratiam, *ep.* 1. *lib.* IX. *Fam.* Extremo anno Q. Fufius Calenus et P. Vatinius coss. fuerunt; *Dio lib.* XLII.

Anno Urbis 707, *Ciceronis* 61,

Consules fuerunt

C. JULIUS CÆSAR III,
M. AIMILIUS LEPIDUS.

Cæsar cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, ut Cicero *lib.* II. *de Divinat. cap.* 24. ait, VI. Kal. Jan. Lilybæi conscendit, ac post diem quartum in conspectum Africæ venit, ibique hoc anno bellum Africanum adversus P. Scipionem, et Jubam Mauritaniæ regem, administravit, de quo Hirtius et alii.

Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus prætor, ut Hirtius scribit *de Bello Afr. cap.* 2. Misit tum ad eum in provinciam Cicero *ep. penult. et ult. lib.* XIII. *Famil.* Cæsar, cum ad bellum Africanum proficisceretur, M. Brutum Galliæ Cisalpinæ præfecit, auctor *Appianus lib.* II. et Cicero *ep.* 6. *lib.* VI. *Fam.* eo tempore Cicero ad illum scripsit *quinque epistolas,* quæ *lib.* XIII. *Famil.* leguntur. Græciæ idem Cæsar præfecit Ser. Sulpicium, *ep.* 4. *lib.* IV. item 1. et 6. *lib.* VI. *Famil.* Ad eum quoque plures Ciceronis epistolæ extant *lib.* XIII. *Famil.*

Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romæ, nec fere exibat, propter varias hominum suspiciones, quas Varroni exponit *ep.* 2. *lib.* IX. *Famil.* Fuit etiam ruri in villis, *ep.* 1. *lib.* XII. *ad Att.* ubi Hirtii et Balbi Cæsarianorum meminit, qui hoc bello Africano Romæ fuerunt, ut permultæ *epistolæ* ad *familiares* tum scriptæ ostendunt. In quibus sunt *ad Varronem et Pætum pleræque lib.* IX. *Famil.*

Conquiescebat M. Tullius in studiis, *ep.* 6. *lib.* IX. *Famil.* Scripsisse illum eo tempore *Partitiones Oratorias* Corradus putat. Et de *Bruto,*

qui est de *Claris Oratoribus*, vere affirmat, eum vivo adhuc Catone scriptum esse, quamvis procemium anno sequenti editum fuisse ostendat.

Cæsar initio mensis Aprilis, ut *Hirtius* scribit, Jubam et Scipionem vicit: ac paucis diebus post M. Cato sibi Uticæ mortem conscivit. Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet, ait Cicero *Tuscul.* I. *cap.* 30.

Africano bello confecto Cæsar Idib. Jun. classem conscendit, et post diem tertium in Sardiniam pervenit. Inde a. d. III. Kal. Quint. naves conscendens duodetrigesimo die ad urbem Romam venit. *Hirtius.* Fuerat cum Cæsare in Africa P. Dolabella, ut docet Cicero *Philip.* II. *cap.* 30. qui cum Cæsarem ab Africano bello redeuntem antecederet, *ep.* 7. *lib.* IX. *ad Famil.* Cicero ei Tironem obviam misit, *ep.* 5. *lib.* XII. *ad Att.* Cæsari senatus multos honores decrevit: in iis, ut præfectus moribus, τῶν τρόπων ἐπιστάτης per triennium esset, *Dio lib.* XLIII. meminit Cicero, *ep.* 15. *lib.* IX. *Famil.*

Erat Cicero in urbe, atque a Cæsare, ut Plutarchus scribit, honore afficiebatur, adeo ut laudi Catonis a Cicerone scriptæ respondens orationem ejus et vitam, ceu Periclis et Theramenis maxime geminam, collaudaret. Atque Ciceronis liber *Cato*, Cæsaris *Anticato* inscribitur. Cicero anno sequente ad Atticum, ut est *epistola* 40. *lib.* XII. ita scripsit: *Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.*

Tribus statibus usum C. Cæsarem in vituperando Catone est apud Quintilian. lib. III. cap. 9. Cæsarem in Anticatone citat Gellius *lib.* IV. *cap.* 16. C. Cæsar in Anticatone priore adducitur a Prisciano *lib.* XIII. Juvenalis Satyra VI. vers. 338. *Duo Cæsaris Anticatones.* Cicero sub finem *lib.* XIII. *ad Att.* Cæsaris libros contra Catonem nominat. Cremutius Cordus apud Tacitum lib. IV. Annal. cap. 34. *M. Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquavit, quid aliud Dictator Cæsar, quam rescripta oratione velut apud judices respondit?* Gellius lib. XIII. cap. 18. *M. Cato Nepos pater fuit M. Catonis prætorii viri, qui bello civili Uticæ necem sibi gladio manu sua conscivit: de cujus vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur, Laus M. Catonis.* Cæsarem laudationem a Cicerone scriptam non agre tulisse, sed librum, sive βιβλίον τι scripsisse, ὃ καὶ Ἀντικάτων ἐκάλεσεν, ait *Dio lib.* XLIII.

Catone absoluto Cicero statim est aggressus *Oratorem*, ut ipse *in Oratore* ad M. Brutum, qui tum Galliæ præerat, scribit, *cap.* 10. De Oratore, lege *ep.* 18. *lib.* VI. *Fam.*

M. Claudius Marcellus, qui ante annos quinque in consulatu Cæsarem palam oppugnaverat, bello civili partes Pompeii secutus, eo victo Cæsarem veterem suum inimicum metuens Mitylenas concessit, ibique in studio bonarum artium hoc tempore beatissime, quantum modo natura hominis patitur, vivebat, ut ex Bruto refert Seneca in Consolatione ab Albinam, *cap.* 8. tum M. Tullius ad eum dedit *ep.* 7. et 8. *lib.* IV. *Fam.* hortans illum, ut Cæsari se summitteret. Cum autem in senatu a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus senatus consurrexit et ad Cæsarem supplex accessit. Tum Cæsar, accusata acerbitate Marcelli, repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Itaque, cum omnes ante M. Tullium rogati gratias Cæsari præter L. Volcatium Tullum egissent, Cicero, qui statuerat in perpetuum tacere, sententiam rogatus pluribus verbis egit Cæsari gratias, quæ oratio *pro Marcello* extat. Vide *ep.* 4. *lib.* IV. *Fam.* Cicero quoque Marcello persuasit, ut Romam redire vellet, *ep.* 9. 10. et 11. ejusdem libri. *Hoc anno*, ut *Dio* testatur, *Cæsar fastos correxit, annumque ad cur-*

sum solis accommodavit, ut CCCLXV *dierum esset, et intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex Kalend. Januar. temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interjecit duos alios: fiatque hic annus* XV. *mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Hæc Suetonius *in Cæs. cap.* 40. lege præterea Macrobium, Plinium, Dionem et Plutarchum.

Pridie Kalend. intercalares priores Tullius rogatu fratrum Q. Ligarii, qui, post victos in Africa Pompeianos, vita a Cæsare impetrata, extra Italiam in exilio vivebat, mane ad Cæsarem venit: cumque fratres et propinqui Ligarii jacerent ad pedes, Cicero ea est locutus, quæ causa, quæ tempus postulabat, *ep.* 14. *lib.* VI. *Fam.* Ligarius deinde a Q. Ælio Tuberone reus factus est, ejusque patrocinium Cicero suscepit. Tum Cæsarem dixisse ferunt, Quid est causæ, cur Ciceronem orantem aliquandiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum et hostem esse jampridem certum est. Ubi vero Cicero ingressus dicere, mirificos motus concitavit, et oratio progressa cum affectibus varia, tum venustate admirabilis fuit: perspicuo cognitum aiunt, varios colores Cæsaris vultum subire, ejusque animum omnibus modis commutari: ac tandem, cum Pharsalici prælii mentionem facere Orator cœpisset, immodicis perturbationibus incitatum corpore contremuisse, et libellos quosdam e manu ejecisse. Victus igitur Cæsar orationis vi, Ligarium crimine liberavit. Ita nos locum Plutarchi de hac causa a nobis conversum in fine Commentarii Ligariani ad ornatiss. virum Gerhardum Juliacensem jam dudum edidimus.

Confecto bello Africano, T. Quintius Scapula novum in Hispania commovit: cujus meminit Cicero *ep.* 13. *lib.* IX. *Famil.* Tu lege Dionem *lib.* XLIII. ubi Cn. Pompeium, Magni filium, Hispaniæ partes plerasque in suam ditionem redegisse tradit. Cæsar igitur extremo hoc anno ad bellum Hispaniense profectus, XXVII. diebus in Hispaniam pervenit, ut Appianus *lib.* II. scribit.

Hoc anno M. Tullius cum Terentia uxore divortium fecit, quæ Vibio Rufo deinde nupta fuit, auctore Dione *lib.* LVII. atque tertium et centesimum explevit annum, ut scribit *Val. Max. lib.* VIII. *cap.* 13.

Anno Urbis 708, *Ciceronis* 62,

C. JULIUS CÆSAR III,

Dictator fuit,

M. AIMILIUS LEPIDUS,

Mag. equit.

EODEM ANNO

C. JULIUS CÆSAR IV,

Consul sine collega fuit.

Hæc ex Capitolinis lapidibus recte a viris doctis probantur, vide Fastos Sigonii et Onuphrii. Cicero Terentia dimissa virginem uxorem duxit; ut quidem Terentia dictitabat, formæ gratia; ut autem Tiro Ciceronis libertus scripsit, divitiis ejus adductus, ut æs alienum dissolveret. Erat enim puella dives, et bona ejus Cicero fideicommissarius heres relictus custodiebat. Quare cum permagnum æs alienum haberet, amicorum et familiarium impulsu puellam uxorem præter ætatem duxit, ut illius facultatibus creditoribus satisfaceret. Hæc Plutarchus, ut quidem nos convertimus, aliis interpretibus nihil præjudicantes, e quibus verba illa Plutarchi: Καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν; quæ nos vertimus, *Et bona ejus Cicero fideicommissarius heres relictus custodiebat:* Bocchius sic expressit, *Et ejus substantias sub tutoris fide servabat;* Xylander noster: *Ejusque bona fidei suæ commissa Cicero heres ab ea scriptus servabat:* Corradus: *Et ejus facultates Cicero sua fidei commissas, ut heres relictus, servabat.* Non erat Cicero ut heres relictus, neque secundus heres, ut Corradus scribit:

sed Publilius, sive Popillius moriens Ciceronem heredem instituerat et rogaverat, ut hereditatem redderet suæ filiæ. Hujusmodi heredem fideicommissarium dici a Jurisconsultis etiam in Græcis Justiniani Constitutionibus notum est iis, qui libros illos non aspernantur. Sic P. Sextilius Rufus heres a Q. Fabio Gallo scriptus rogatus fuit, ut omnis hereditas ad filiam perveniret, ut est *lib.* II. *de Finibus, cap.* 17. Verum ad institutum.

Calenus apud Dionem *lib.* XLVI. ait; M. Tullium exacta ætate virginem duxisse, ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀνοίσῃ, *ut illius facultatibus se ære alieno liberaret.* Quintilianus lib. VI. cap. 4. *Cicero objurgantibus, quod sexagenarius Popilliam virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit.* Lib. XII. ad Att. ep. 32. Publilia nominatur, quam secundam Ciceronis uxorem fuisse homines docti affirmant. De his nuptiis cum Ciceroni Cn. Plancius gratulatus esset, Cicero ita respondit ep. 14. lib. IV. Famil. *Quod mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle certo scio: sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas quam remp. offendissem,* &c.

Non ita multo post quam Cicero Publiliam duxerat Tullia filia apud Lentulum pariens decessit, ut Plutarchus scribit. Asconius quoque *in Pisonem,* filiam Ciceronis apud P. Lentulum ex partu decessisse, ait. Propter Tulliæ partum Cicero se Romæ teneri initio belli Hispaniensis scribit ad Leptam *ep.* 18. *lib.* VI. *Famil.* Lentulus, apud quem Tullia decessit, est P. Cornelius Dolabella, qui cum Cæsare in Hispania erat, ut Cicero *Philipp.* II. *cap.* 30. et epistolarum ad Atticum *lib.* XIII. ostendit. Itaque deplorans Tulliæ mortem ad illum scripsit *ep.* 11. *lib.* IX. *Fam.* Quanto dolore propter interitum filiæ carissimæ exarserit, ipse ostendit in epistolis, quas tum ad Atticum misit, et extant *lib.* XII. et XIII. *ad Att.* Undique tum philosophos ad Ciceronem consolandi gratia convenisse, Plutarchus auctor est. Misit ad Tullium consolatorias litteras M. Brutus, *ep.* 13. *lib.* XII. *ad Att. in Bruto, cap.* 3. *et ep.* 9. *ad M. Brutum.* Ser. Sulpicii consolatio extat *ep.* 5. *lib.* IV. *Famil.* cui Cicero *ep. sequenti* respondet. L. quoque Lucceius Ciceronem per litteras consolatus fuit: eique respondet *ep.* 13. *lib.* V. *Famil.* Præterea Cæsar litteras consolatorias pridie Kal. Maii Hispali dedit, *ep.* 19. *lib.* XIII. *ad Att.* Sed, cum omnem consolationem vinceret dolor, se ipse per litteras consolatus est, scripsitque librum, quem *Consolationem* vel *de Luctu minuendo* inscripsit, *lib.* XII. *ep.* 15. *ad Att.* Ex hoc libro *Lactantius lib.* I. *cap.* 5. et 15. et III. 20. multa adducit. Consolationis suæ meminit etiam Cicero *in Tusculanis* aliquoties et *in secundo de Divinat. cap.* 1. sic: *Nam quid ego de Consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur: cæteris item multum profuturam puto.*

Plutarchus addit, Ciceronem Publiliæ nuntium remisisse, quod visa esset Tulliæ morte lætari. Unde negotium, quod cum Publilio habuit, de solutione dotis fuisse videtur *lib.* XIII. et XVI. *ad Att.*

Post Tulliæ mortem Cicero domo abfuit, et Asturæ atque in cæteris villis maximam partem anni in philosophiæ studiis consumpsit. Cum enim dominatu unius omnia tenerentur, ad philosophiam, cui multum adolescens, discendi causa, temporis tribuerat, se retulit, et sapientiæ studium, longo intervallo intermissum, revocavit, *Tuscul.* I. *cap.* 1. et *de Offic.* II. *cap.* 1. Quare cum, quæ a Græcis summis auctoribus memoriæ prodita erant, ea Latinis litteris illustrare vellet: Hortensium scripsit, quo in libro philosophiam ab Hortensio accusatam et vituperatam ipse defendit et collandavit, ut testatur *primo de Finibus, cap.* 1. ejusdem mentio est *Tuscul.* III. *cap.* 3. et *lib.*

II. *de Divinat. cap.* 1. his verbis: *Cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius.* Hujus libri lectione D. Augustinus se ad veræ, hoc est, Christianæ, philosophiæ contemplationem incensum fuisse aliquot locis fatetur. Deinde, ut est *secundo de Divin. cap.* 1. *quod genus philosophandi minime arrogans, maximeque et constans, et elegans* arbitraretur, quatuor Academicis libris ostendit.

Scripserat autem primum duos libros Academicos, et unum Catulum, alterum Lucullum appellavit. Quorum posterior adhuc extat: de quo Plutarchus in vita Luculli. Deinde quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀναιδευσία, sed in iis rebus ἀτρυφία, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtulit. Sed admonitus ab Attico totam illam Academicam σύνταξιν ab hominibus nobilissimis abstulit transtulitque ad M. Varronem, et ex duobus libris contulit in quatuor, *lib.* XIII. *ad Att. ep.* 12. 13. et 15. atque ex his quatuor libris primi tantum particula extat. Scripsit tum etiam, ut ex iisdem epistolis cognoscitur, *de Finibus.* Cumque fundamentum esset philosophiæ positum *in Finibus Bonorum et Malorum*, perpurgatus est is locus quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque Philosophum diceretur intelligi posset, *lib.* II. *de Divinat. cap.* 1. Ita autem confecit quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni daret, *ep.* 18. *lib.* XIII. *ad Attic.* Scripsit eodem tempore *Laudationem Porciæ, sororis M. Catonis* et uxoris L. Domitii Ahenobarbi, *ep.* 37. et 48. *lib.* XIII. *ad Att.* Jam a scriptis alio transeamus.

Post Tulliæ mortem Tullius, M. filius Athenas cum L. Tullio Montano profectus est; in fine *lib.* XII. *ad Att.* Ser. Sulpicius adhuc Achaiæ præerat, atque pridie Kal. Jun. Athenis ad Ciceronem dedit *ep.* 12. *lib.* IV. *Famil.* in qua eum certiorem facit de M. Marcello, qui a P. Magio Chilone occisus erat. *Livius lib.* CXV. *Cicero ep.* 10. et 22. *lib.* XIII. *ad Att.* A. Torquatus eo tempore Athenis exulabat, ad quem sunt Ciceronis epistolæ *lib.* VI. *Famil.* In quarta ep. Servius Athenis discessisse dicitur.

Cæsar interim liberos Pompeii in Hispania vicit: e quibus Sextus profugit, Cneus pridie Id. April. interfectus est, auctore Hirtio, *de Bello Hisp. cap.* 32. et 39. Dolabella inde in Italiam profectus ad Ciceronem Maio mense venit, *ep.* 8. *lib.* XIII. *ad Att.* Cæsar deinde in urbem mense Octobri revertit, ut Paterculus *lib.* II. scribit *cap.* 56. Initio ejus mensis eum revertisse, ex iis, quæ sequuntur, disces.

In Triumphalibus fragmentis Tabularum Capitolinarum scriptum est, Q. Fabium Maximum cos. an. DCCVIII, ex Hispania III. Idus Octob. triumphasse. Fabius autem consul non fuit, nisi post Cæsaris reditum ex Hispania. Cæsar enim in urbem reversus consulatu se abdicavit, et in reliquum anni Q. Fabium et C. Trebonium suffecit, auctore Dione *lib.* XLIII. atque hi sunt consules, quos Cæsarem in quarto consulatu sibi in ternos novissimos menses substituisse Suetonius ait *in Cæs. cap.* 76. Jam Cæsarem ante Q. Fabium triumphasse non modo ex Dionis Historia cognoscitur, sed a Quintiliano, *lib.* VI. *cap.* 3. diserte scribitur.

Quæ cum ita sint, considerandum, quomodo Cæsar ex Hispania revertens a Cicerone tertiis Saturnalibus potuerit hospitio accipi, ut videtur significari *ep. ult. lib.* XIII. *ad Att.*

Post reditum Cæsaris ex Hispania Cicero apud eum dixit *pro Deiotaro*, quæ oratio extat. Fuerat is tetrarcha Gallogræciæ pene totius, et Armeniæ minoris rex a senatu constitutus. Sed quia bello civili Pompeii partes secutus fuerat, Cæsar, Pharnace devicto, eum parte tetrarchiæ multaverat, Armeniamque abstulerat: *Cicero Phi-*

lipp. II. *cap.* 37. *Hirtius de Bello Alexandrino, cap.* 78. Cum deinde Cæsar litteris Tarracone datis eum bene sperare et bono animo esse jussisset; hoc tempore Castor, nepos Deiotari ex filia, Philippum medicum, servum regis corruptum præmiis, ad accusandum dominum Deiotarum impulit. Crimini dedit, regem domi suæ Cæsarem inserficere voluisse.

Accusatum domi Cæsaris Cicero hospes ejus defendit, causamque licet tenuem et inopem, tamen scripsit atque ad Dolabellam misit, *ep.* 12. *lib.* IX. *Famil.*

Extremo hujus anni die, Q. Fabio Maximo consule mortuo, C. Caninius Rebilus consul hora septima renuntiatus est, qui usque ad Kal. Jan. esset, quæ erant futuræ mane postridie. Itaque Cicero dixit, eum mirifica vigilantia fuisse, qui suo toto consulatu somnum non viderit, *ep.* 30. *lib.* VII. *Famil. Macrobius lib.* II. *et* VII. *Pollio in libro de* XXX. *tyrannis, cap.* 8. *Plinius, lib.* VII. *cap.* 53. *Plut. in Cæs.* et *Dio. lib.* XLIII.

Anno Urbis 709, *Ciceronis* 63,

Consules fuerunt

C. JULIUS CÆSAR V,
M. ANTONIUS.

Eodem anno, ut monumenta vetusta ostendunt, C. Julius Cæsar Dictator IV. fuit, et M. Æmilius Lepidus magister equitum. Cicero post libros quinque *de Finibus*, totidem *Tusculanarum Quæstionum*, sive *Disputationum* edidit, iisque res ad beate vivendum maxime necessarias aperuit: primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de ægritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam, *lib.* II. *de Divin. cap.* 1. Utrum vero hi libri ad hunc, an ad superiorem annum referendi sint, nondum decerno, nec multum refert. De reliquis philosophicis libris deinceps dicemus, si prius acta urbana exposuerimus.

Initio hujus anni M. Tullius Romæ fuit. Kal. quidem Januarii affuit in senatu, cum Cæsar P. Cornelium Dolabellam subrogare sibi, resistente Antonio, voluit, ut cognoscitur *Phil.* II. *cap.* 32. vide Plutarchum *in Antonio.*

Lupercalibus, id est, XV. Kalend. Martii, cum Cæsar in Rostris sedens in sella aurea, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos: Antonius unus e Lupercis ad sellam accessit et capiti ejus diadema imposuit: quod Cæsar cum plausu populi rejecit: *Cicero Philipp.* II. *cap.* 34. III. 5. et XIII. 8. *Plutarchus, Appianus, Dio* et *alii.*

Idibus Mart. Cæsar a conjuratis in Pompeii curia tribus et XX. plagis confossus est. Ejus conjurationis, ut Plutarchus scribit, Cicero particeps non fuit, quamvis M. Bruto familiarissime uteretur. Verum, quia, Cæsare interfecto, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus, Antonius Ciceronis consilio Cæsarem interfectum postea in senatu dixit, *Phil.* II. *cap.* 11. *Dio lib.* XLIV. ait, percussores Cæsaris, cum e curia in forum se conferrent, crebro Ciceronem exclamasse.

Receperunt illi se e foro in Capitolium, eoque Cicero etiam cum aliis permultis ascendit, neque tamen adduci potuit, ut ad Antonium iret atque ad defendendam remp. hortaretur: sed, cum ceteri consulares irent, redirent, ipse in sententia mansit, neque Antonium illo die neque postero vidit, ut ipse in II. *Philip. cap.* 35. testatur: nec verum est, quod *Plutarchus, Appianus, Dio* et interpretes Philippicarum scribunt, postridie Idus senatum in æde Telluris habitum fuisse: nam et in II. *Philipp. cap.* 35. se post diem tertium in ædem Telluris venisse ait, et *ep.* 10. *et* 14. *lib*

XIV. *ad Atticum*, id Liberalibus factum fuisse ostendit, id est, a. d. XVI. Kalend. April.

Eo die M. Tullius, quantum in ipso fuit, jecit fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavit vetus exemplum: Græcum etiam verbum usurpavit, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit, *Philip.* I. *cap.* 1. Plura scripsi *in cap.* 2. *lib.* XII. Orosii. Habuit ibi Antonius quoque orationem de concordia, ejusque parvus filius, in Capitolium missus, pacis obses fuit, *Philipp.* I. *cap.* I. et II. *cap.* 36. itaque interfectores, ut Plutarchus *in Bruto* scribit, e Capitolio descenderunt, et Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceteri apud alios cœnarunt. Postero die provinciæ iisdem in senatu decretæ fuerunt; Bruto Creta: Cassio Africa: Trebonio Asia: Cimbro Bithynia: D. Bruto Gallia citerior.

Sed, cum Cæsar funere elatus et a M. Antonio laudatus esset, plebs cum facibus ad domum Bruti, Cassii et aliorum tetendit, atque ægre vi manuque repulsa fuit. Quod historici prope omnes scribunt, et cum illis Cicero *lib.* XIV. *ep.* 10. *ad Att.* et *Philipp.* II. *cap.* 36. Tum M. Brutus et Cassius urbem reliquerunt, et Antium atque Lanuvium profecti diu ibi otiosi fuerunt, ut *lib.* XIV. et XV. *ad Atticum* videmus.

Cicero quoque initio Aprilis ex urbe rus profectus villas suas lustravit, ut indicant epistolæ illæ, quæ initio *lib.* XIV. *ad Att.* hoc tempore scriptæ leguntur: nec quidquam eo tempore malebat quam rusticari, *ep.* 23. *lib.* XVI. *Famil.* Hæc autem rusticatio nobis dedit *tres libros de Natura Deorum et duos de Divinatione*, et præterea *dialogum de Senectute*, ut puto. Quamvis enim ante *libros de Divinatione* sit scriptus, ut procemium *lib.* II. ostendit: tamen hoc anno eum ad Atticum missum arbitror, cum is timidior φαντασίαις quibusdam commoveretur, et Cicero senectutem contemneret; *ep.* 23. *lib.* XVI. *Famil.* Ante Idus Maii scriptum fuisse cognoscitur extremo *lib.* XIV. *ep. ad Att.*

Eodem tempore Cicero, cum omnes cogitationes suas in concordia civium defixas haberet, atque omnium, etiam Antonii, amicitiam retinere vellet, *ep.* 23. *lib.* XVI. *Famil.* scripsit *Lælium, sive de Amicitia.*

Romæ interim a consulibus M. Antonio et P. Dolabella, qui Cæsaris locum ceperat, uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat, et in Liviana epitoma *lib.* CXVI. Chamaces, ab *Appiano lib.* III. Ἀματιος ὁ ψευδομάρειος, a Valerio Max. *lib.* IX. *cap.* 16. Herophilus equarius medicus dicitur. De hujus supplicio Attici litteras Cicero accepit XVII. Kalend. Maii, *ep.* 8. *lib.* XIV. *ad Att.* Mense Aprili et Maio Antonius Italiam percursavit; Dolabella, absente collega, bustum in foro evertit, *Philip.* II. *cap.* 42. Plebs enim solidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro in busto Cæsaris statuerat et inscripserat, PARENTI PATRIÆ: atque apud eandem sacrificabat, vota suscipiebat, et controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahebat, ut Suetonius *in Cæs. cap.* 85. scribit. Dio *lib.* XLIV. βωμὸν fuisse ait, ad quam Cæsari plebs sacrificia fecerit. Ara nominatur quoque *ep.* 2. *lib.* XI. *Famil.* Cicero columnam vocat, quam Dolabella sustulit, et homines seditiosos, qui illam eversionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de saxo dejecit, *ep.* 15. *lib.* XIV. *ad Att.* et *Philipp.* I. *cap.* 2. Meminit ejusdem rei Lactantius *lib.* I. *cap.* 15. ubi ait, Dolabellam Cæsaris columnam, id est titulum, evertisse. De hoc facto gratulatur Cicero Dolabellæ consuli, *ep.* 14. *lib.* IX. *Famil.*

C. Octavius, qui deinceps imperium tenuit et Augustus dictus est, cum Cæsar, ejus avunculos magnus, Romæ interficeretur, Apolloniæ erat. Factus autem certior de Cæsaris cæde, in Italiam transiit et Neapolim venit XIV. Kalend. Maii, *ep.* 10.

lib. XIV. *ad Att.* Fuit etiam ruri cum Cicerone perhonorifice et amice, *ep.* 12. *ejusdem lib.* Romam cum venisset, ab Antonio cos. superbe exceptus est. Adiit tum invidiosam Cæsaris hereditatem, quamvis id neque Atiæ matri, neque L. Marcio Philippo vitrico placeret. Quod cum aliis historicis Velleius *lib.* II. *cap.* 60. et Suetonius *Aug. cap.* 8. scribunt.

Adita hereditate Cæsaris, nomen quoque ejus tulit, cumque prius C. Octavius nominaretur, deinceps C. Julius Cæsar Octavianus de more dictus est. Quamquam lex curiata de adoptione ejus anno demum sequente, cum jam consul esset, perlata fuerit, auctore Dione *lib.* XLVI. itaque Cicero eum modo Octavianum, modo Octavium nominat. *Deinde aperte* (inquit Velleius) *Antonii ac Dolabellæ Consulum erupit furor. Sestertiûm septies millies, depositum a C. Cæsare ad eadem Opis, occupatum est ab Antonio.* Hinc Cicero in Phil. II. c. 37. *Ubi est septies millies sestertiûm, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat?* Mentionem ejusdem pecuniæ facit Philip. I. *cap.* 7. *et* V. 4. et ep. 14. lib. XIV. ad Att. *Rapinas*, inquit, *scribis ad Opis fieri.*

Quibus in villis et locis M. Cicero mensem Aprilem et Maium rusticando posuerit *ep. lib.* XIV. *ad Att.* demonstrant, quas illis mensibus scripsit. Hoc quoque ex iisdem et ex *ep.* 1. *lib.* XV. cognoscitur, A. Hirtium cos. designatum mense Maio cum Cicerone in Puteolano fuisse. Ibi tum sermonem *de Fato* habitum fuisse ipse initio libri *de Fato* testatur.

De Timæo Platonis, qui liber *de Universitate* inscribitur, certo sciri non potest, quo tempore scriptus fuerit: quare in Corradi conjecturam, cui liber ille temporibus hisce videtur conversus, non invitus descendo: cum præsertim constet, Ciceronem, nisi extremo hoc tempore, Græcos scriptores non vertisse. Vide proœmium *lib.* I. *de Finib.*

Extremo mense Maio Tullius Romam versus proficiscens, ut Kalend. Junii in senatu, sicut Antonius edixerat, adesset, scripsit epistolas, quæ initio *lib.* XV. *ad Attic.* leguntur. Kalendis, cum Antonius Romam se, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisset, senatores metu perterriti repente diffugerunt, *Philip.* II. *cap.* 42. IV. Nonas igitur Cicero ab urbe abfuit, *ep.* 9. *lib.* XV. *ad Att.* nec in urbem rediisse, nisi pridie Kalend. Septembr. videtur.

Eo tempore de Officiis scribere aggressus est, *ep.* 13. *lib.* XV. *ad Att.* sed post reditum e cursu Achaico absolvit. Hoc vero tempore, cum haberet jus legationis liberæ, ea mente iter in Græciam ingressus est, ut Romæ adesset Kalend. Januariis, quibus Hirtius et Pansa consulatum erant inituri, *Philip.* I. *cap.* 2. et *in Cicerone* Plutarchus. VI. Nonas Quintil. ex Arpinati scribens Attico, *ep.* 26. *lib.* XV. ait, se itinera sic composuisse, ut Nonis Puteolis esset, sicut fuit, *ep.* 1. *lib.* XVI. *ad Atticum.* Cum autem Brundusium, iterque illud, quod tritum in Græciam est, Cicero vitaret, ut ait *Philip.* I. *cap.* 3. Veliæ fuit XIII. Kalend. Sextil. *ep.* 20. *lib.* VII. *Famil.* eumque diem ibi constitit, *ep.* 6. *lib.* XVI. *ad Att.* Velia proficiscens *Topica ad Trebatium*, cum secum libros non haberet, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsit, et Rhegio librum ad Trebatium misit V. Kalend. Sextil. *ep.* 19. *lib.* VII. *Famil.* et *in Proœmio Topicorum.*

Miserat etiam paulo ante ad Atticum duos libros de Gloria, *ep.* 27. *lib.* XV. et 6. *lib.* XVI. *ad Att.* Meminit horum librorum ipse *lib.* II. *de Officiis cap.* 9. et Gellius *lib.* XV. *cap.* 6. Scribit in epistolis Franciscus Petrarcha, se hos libros habuisse, qui jam nusquam apparent.

Cicero deinde in Siciliam transgressus Kal. Sext. venit Syracusas. Cum autem postero die venti ipsum ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, detulissent; eb eo loco conscendit, ut trans-

mitteret; et stadia circiter ccc. provectus rejectus Austro vehementi est ad eandem Leucopetram. Cumque intempesta nox esset, mansissetque in villa P. Valerii, comitis et familiaris sui, postridieque apud eundem, ventum expectans, maneret, Rhegini quidam illustres eo venerunt Roma, qui summam spem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, Cæsaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam, Ciceronem desiderari et subaccusari. Quæ cum audisset, sine ulla dubitatione abjecit consilium profectionis. Itaque celeriter Veliam devectus convenit Brutum, qui cedens Italia cum suis navibus erat apud Haletem fluvium circa Veliam. *Philip.* I. *cap.* 3. *et ep.* 7. *lib.* XVI. *ad Att.* Inde ventis remisque in patriam omni festinatione properavit, *ep.* 25. *lib.* XII. *Famil.* Accedenti ad urbem tanta multitudo, ut *Plutarchus* scribit, obviam processit, ut dum ad portas ingredientem excipiunt adventumque gratulantur, dies fere consumptus fuerit.

Videtur autem verisimilius, eum pridie Kal. Septemb. Romam revertisse, quod Plutarchi narratio ostendit, quam Kalendis, ut ipse significare videtur *ep.* 25. *lib.* XII. *Famil.* Kal. Septemb. Antonius senatum habuit de supplicationibus Cæsari decernendis, et Ciceronem in curiam vocavit. Qui cum e via langueret, et sibimet displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret, *Philipp.* I. *cap.* 5. et V. 7. Plutarchus ait, Ciceronem languoris causam opposuisse, cum re insidias metuere ex quadam suspicione et indicio, quod inter viam ei factum erat, videretur. Antonius id ægre ferens, palam in senatu, nisi veniret, fabros se missurum, et domum ejus disturbaturum dixit, *Philipp.* I. *cap.* 5. et V. 7. Plutarchus scribit, Antonium milites misisse, quos Ciceronem adducere, vel domum ejus incendere jusserit: sed, cum multi intercederent et deprecarentur, pignoribus captis quievisse.

Venit postridie in senatum Cicero, cum Antonius non venisset, locutumque se de republica minus quidem libere quam sua consuetudo, liberius tamen quam pericula mintæque postulabant, ait *Philipp.* V. *cap.* 7. At *ep.* 25. *lib.* XII. *Famil.* scribit, se postridie in summa reliquorum servitute liberum unum fuisse.

Habuit tum in senatu primam *Orationem Philippicam*, in qua primum itionis et reditionis suæ causam exponit: deinde de Antonii injuria et Cæsaris actis disputat: ad extremum Antonium et Dolabellam coss. ad rempublicam moderate regendam cohortatur. Tum Antonius ira incensus inimicitias Ciceroni denuntiavit, atque adesse in senatu jussit XIII. Kal. Oct. ipse interea septendecim dies de Cicerone in Tiburtino Scipionis declamitavit, et XIII. Kal. agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in Ciceronem absentem orationem ex ore impurissimo vomuit, omnibusque visus fuit suo more vomere, non dicere. Ciceroni autem cupienti in senatum venire, per amicos non licuit; eo quod Antonius a Cicerone cædis initium quæreret, facturusque putaretur, *Philipp.* III. *cap.* 12. et V. 7. et *ep.* 25. *lib.* XII. *Famil.*

Antonio M. Tullius respondit scripta nobili et *divina*, ut Juvenalis ait *Sat.* X. *vers.* 125. Philippica secunda, in qua primum crimina sibi objecta refutat, et deinde totam Antonii vitam a pueritia exorsus reprehendit. Nec verum est, quod interpretes ad unum omnes putaruut, Ciceronem illam orationem in senatu præsente Antonio habuisse, sed ita Cicero eam scripsit, quasi in præsentem Antonium XIII. Kal. Oct. habita esset. Argumento sunt verba illa *cap.* 43. *Quæro deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores: nescis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse?* quartum diem ludorum Romæ in circo fuisse XIV. Kal. Octob. ex Kalendario vetere notum est.

Antonius deinde obviam profectus est legionibus quatuor, quæ in Ma-

cedoniam a Cæsare missæ, post ejus cædem in Italiam reverterunt, ut eas pecunia sibi conciliaret, et ad urbem vel potius in urbem adduceret: Brundusiumque venit VII. Idus Octob. *ep.* 29. *lib.* XII. *Famil.* et *Philipp.* V. *cap.* 8. Profecto Antonio, Octavianus primum a Calatia, mox a Casilino veteranos paternos excivit: quorum exemplum secuti alii brevi in formam justi exercitus coiere; *Velleius lib.* II. *cap.* 61. *Cicero ep.* 11. *lib.* XVI. *ad Att.* Cum autem Antonius Brundusii militibus centenas drachmas promitteret, fortissimæ legiones ejus promissis reclamarunt, et congiarium hoc accipere noluerunt. Itaque centuriones domum ad se venire jussit, eosque ante pedes suos uxorisque suæ jugulari coegit. *Cicero Philipp.* III. *cap.* 2. *et* 4. V. 8. XIII. 8. *et ep.* 8. *lib.* XVI. *ad Att. Dio lib.* XLV. *Appianus lib.* III.

Cicero tum rusticabatur, atque libros de Officiis perficiebat, ut cognoscitur *ep.* 8. et sequent. *lib.* XVI. *ad Att.* Sunt etiam, qui eo tempore *Paradoxa* scripta fuisse existiment, quod secundo Paradoxo in Antonium invehi videatur: quamvis in proœmio de Catone quasi vivo loquatur.

Antonius, cum edixisset, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kal. Decemb. eumque diem obire neglexisset, in ante diem quartum Kal. distulit, adesse in Capitolio jussit. Quo cum de legione Martia et Quarta, quæ relicto Antonio ad Cæsarem Octavianum transierant, nuntius esset allatus, mente concidit, et paludatus in Galliam citeriorem, quam a populo obtinuerat, cum ea D. Bruti provincia esset, properavit, *Dio, Appianus, Velleius, Cicero ipse Philippica* III. *cap.* 8. *et* 9. *et sequentibus.* Sed Antonium Brutus provincia exclusit, atque exercitu obsistens edictum proposuit, quo promittebat, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Romani protestate, *Philipp.* III. *cap.* 4. et 15. Quare cum Cicero V. Idus Decembr. Romam venisset, ut scribit *ep.* 5. *lib.* XI. *Fam.* tribuni pl. edixerunt, ut senatus adesset a. d. XIV. Kal. Jan.

Statuerat Cicero ante Kal. Jan. in senatum non venire, sed cum eo die ipso edictum D. Bruti propositum esset, mane in senatum venit. Quod ubi est animadversum, frequentissimi senatores convenerunt, *ep.* 6. *lib.* XI. *Famil.* Retulerunt tribuni plebis ad senatum de præsidio consulum designatorum Pansæ et Hirtii, ut senatus Kal. Jan. tuto haberi, sententisque de summa republica libere dici possent.

Tum M. Tullius rogatus sententiam censuit, ut et præsidium decerneretur, et quæ Octavianus Cæsar egisset, publica auctoritate confirmarentur, et milites, qui ab Antonio ad Cæsarem transiissent, præmiis afficerentur; item ut D. Brutus cæterique provincias suas retinerent, neque cuiquam traderent, nisi cui ex senatusconsulto successisset. Quam sententiam Cicero *Philippica tertia* complexus est, factoque senatusconsulto in ejus sententiam, progressus in concionem, quid in senatu actum esset, populo exposuit, quæ est *Philippica quarta.* Hujus senatusconsulti meminit etiam *Dio lib.* XLV.

Anno Urbis 710, *Ciceronis* 64,

Consules fuerunt

C. VIBIUS PANSA,
A. HIRTIUS.

Kal. Jan. consules statim post solemnem religionem senatum in Capitolio de Antonio, qui tum Matinam circumsedebat, et D. Brutum oppugnabat, habuerunt, ut Appianus *lib.* III. scribit. Ibi L. Piso et alii nonnulli mitiorem sententiam de Antonio dixerunt, legatosque ad eum mittendos censuerunt. Cicero eum suis id egit, ut hostis Antonius judicaretur. Habuit tum Cicero in senatu *quintam Philippicam*, in qua non modo legationem dissuadet, verum etiam bello Antonium persequendum esse censet: agit etiam de honoribus decernendis iis, qui rempub-

licam adversus Antonium defendant. Eo die nihil in senatu confectum est: sed, controversia usque ad noctem ducta, senatum esse dimissum Appianus scribit. Postridie Antonius hostis, ita ut Tullius censuerat, judicatus fuisset, nisi Salvius tribunus plebis intercessisset. Decrevit tamen senatus, ut D. Brutus laudaretur, quod Galliam Antonio non concessisset: item, ut Cæsar una cum Hirtio et Pansa exercitu illo, quem haberet, bellum administraret, atque statua illi poneretur: ut sententiam loco consulari diceret, consulatumque decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret: quantamque pecuniam militibus earum legionum, quæ Antonium reliquissent, parta victoria pollicitus esset, tanta publice daretur.

Hæc *Appianus lib.* III. ubi addit, insequenti die fuisse decretos legatos ad Antonium cum mandatis, quæ Ciceronem scribere senatus voluerit. *Dio lib.* XLV. et XLVI. eadem fere narrat, et senatum a Kal. Jan. per triduum habitum, sententiasque dictas, et tandem legationem ad Antonium missam fuisse ait.

Itaque pridie Nonas Jan. factum senatus-consultum fuit, ut Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur. Quam rem M. Tullius eodem die in concione exposuit habita oratione, quam *sexta Philippica* comprehendit. De legatis vide *ep.* 8. *lib.* XI. 4. et 24. *lib.* XII. *Famil.*

Cum legati ad Antonium missi expectarentur, ejusque amici responsa illius confingerent, M. Tullius, metuens, ne senatorum animi ad pacem inclinarent, habuit in senatu *Philippicam septimam*, in qua pacem tribus de causis dissuadet: Primum, quia sit turpis, deinde, quia periculosa; postremo, quia esse non possit. In legatione Ser. Sulpicius mortem obiit. Piso et Philippus Romam reversi ab Antonio ad senatum intolerabilia postulata retulerunt, *ep.* 4. *lib.* XII. *Fam. Dio lib.* XLVI.

Tumultus interim a senatu fuit decretus, cum belli nomen in sententia poni quibusdam non placeret. Id quod Cicero *Philippica octava* reprehendit, quam ante Idus Martias in senatu dixit, graviter invehens in Q. Fufium Calenum, qui Antonio studebat. Deinde, cum de ornando Ser. Sulpicio in senatu ageretur, Cicero *nonam Philippicam* dixit; suadens, ut Sulpicio statua pedestris senea in Rostris poneretur. Quam sua ætate pro Rostris Augusti extitisse Pomponius de *Origine Juris* testatur.

M. Brutus anno superiore ex Italia in Græciam profectus, cum Athenas venisset, adolescentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium causa erat, sibi adjunxit. In his fuit M. Ciceronis filius: quem Brutus, ut *Plutarchus* scribit, summis laudibus efferebat, inquiens, se illum, sive vigilaret, sive dormiret, admirari, quod animus in eo tam generosus, tantumque odium tyrannorum esset. Brutus inde in Macedoniam transgressus Ciceronem filium secum duxit, eoque legato usus multa feliciter gessit, ut Plutarchus *in Bruto* testatur: et Brutus *in epistola* ad Ciceronem patrem, quæ nunc est *tertia* libri, qui *ad Brutum* extat, ita scribit: *Cicero filius tuus sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cujus sit filius.*

Ut vel hinc eorum imperitia (ne quid gravius dicam) arguatur; qui verum esse non putant, quod Cicero *lib.* II. *de Officiis, cap.* 13. ait, filium, bello civili a Pompeio alæ alteri præfectum, magnam laudem et a summo viro et ab exercitu consecutum fuisse equitando, jaculando, omnique militari labore tolerando. Sed ad propositum.

Venit M. Brutus in Macedoniam, cum Q. Hortensio decedenti C. Antonius, Marci frater, succederet. Sed Hortensius exercitum, quem delectu habito conscripserat, Bruto tradidit.

Legio etiam, quam L. Piso, legatus Antonii, ducebat, Ciceroni filio se tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum quæstorem, a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens a legato Syriaco, qui a *Plutarcho* Cinna vocatur, abduxit. P. Vatinius, qui Dyrrachium occupaverat, portas Bruto aperuit, et exercitum tradidit. C. Antonius se Apolloniam recepit; *Cicero Philipp.* X. *cap.* 5. et 6. *Plutarch. in Bruto*, et *Dio lib.* XLVII.

His de rebus Brutus litteras publice misit, quas C. Pansa consul coacto senatu recitavit, et Brutum oratione sua ornavit. Sed Q. Fufius, rogatus sententiam, Brutum oppugnavit. Contra quem Cicero tum *Philippicam decimam* dixit, quam Brutus *ep.* 3. de litteris suis habitam esse contra Calenum ait.

Erat Apolloniæ adhuc C. Antonius cum septem cohortibus, *Philippica* X. *cap.* 6. Inde Buthrotum contendens in itinere primum tres cohortes amisit, quas Brutus concidit: deinde prælio cum Cicerone filio ad Byllidem commisso, victus in Bruti potestatem venit, ut Plutarchus *in Bruto* scribit.

Antonium Brutus secum diu honorifice habuit, usque eo ut magistratus insignia illi non adimeret. Quam ejus clementiam Cicero in epistolis ad eum scriptis sæpe accusat. Sed, cum Antonius Apolloniam teneret, ante Kal. April. Romam allatum fuit de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnæ verberibus ac tormentis quæstione publicæ pecuniæ per biduum habita, interfecit: *Cicero Philippica* XI. *cap.* 2. et Dio *lib.* XLVII. Itaque Dolabella a senatu hostis judicatus fuit.

Postridie, cum in senatu ageretur de imperatore deligendo, qui bello Dolabellam persequeretur, L. Cæsar censuit, P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandandum esse: aliis nonnullis placuit, ut consules, Dolabellæ persequendi causa, Asiam et Syriam sortirentur. Cicero sententiam rogatus *Philippicam* XI. dixit: in qua primum Trebonii casum deplorans, Dolabellæ et Antonii crudelitatem accusat, deinde duabus illis sententiis refutatis, censet, ut Dolabellam C. Cassius bello persequatur. Quam sententiam se, repugnante et irascente Pansa, dixisse, ad Brutum scribit *ep.* 4. Ea sententia dicta, quæ facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset, productus fuit in concionem a tribuno plebis M. Servilio, eandemque rem ad populum summa contentione egit; *ep.* 7. *lib.* XII. *Famil.*

Extremo anno superiore turbinis vi simulacrum, quod M. Cicero ante cellam Minervæ, pridie quam in exilium iret, posuerat, dissipatum membris pronum jacuit fractis humeris, brachiis, capite, mortem Ciceroni portendens, ut Obsequens et Dio *lib.* XLV. scribunt.

Quinquatribus, id est XIV. Kal. Apr. senatus decrevit, ut hæc Ciceronis Minerva, custos urbis, restitueretur, *ep.* 25. *lib.* XII. *Fam.* Deinde illata pacis mentione ab Antonii amicis, senatus legatos ad eum decrevit M. Ciceronem et P. Servilium. Sed, cum eam legationem frustra fore Cicero videret, habuit in senatu *Philippicam* XII. in qua legationem dissuadet, seque ad eam obeundam idoneum non esse demonstrat. Meminit hujus legationis Dio quoque *lib.* XLVI.

Pansa deinde initio mensis Aprilis, ut arbitror, ad bellum profecto, M. Æmilius Lepidus (qui, auctore Paterculo *lib.* II. *cap.* 63. pontifex Max. in C. Cæsaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur) Romam ad senatum misit, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans. Ea de re cum in senatu ageretur, multi pacem suasserunt, quod incertus exitus belli esset, et quod Lepidus ad pacem hortaretur, qui exercitu cogere posset.

Tum M. Tullius, rogatus sententiam, Philippicam XIII. in senatu

dixit. In qua adversariorum rationes confutans, pacem cum Antonio et Antonianis esse non posse docet: et Antonii animum ex litteris ad Hirtium et Octavianum missis declarat. Cicero tum quoque ad Lepidum misit *ep.* 27. *lib.* X. *Fam.* in qua illum, ne se in istam pacificationem interponat, hortatur.

Post profectionem Pansæ consulis turbulentissimum tempus fuit, cum D. Brutus Mutinæ vix jam sustineret. Itaque cum tristis a Mutina fama manaret, omnesque aut fœdissimam mortem, aut miserabilem fugam cogitarent, inflati lætitia atque insolentia impii cives famam dissipaverunt, Ciceronem pridie Vinalia cum fascibus descensurum esse.

Interim XVII. Kalend. Maii, ut Galba ad Ciceronem scribit *ep.* 30. *lib.* X. *Famil.* seu, ut Ovidius *lib.* IV. *Fast. vers.* 627. indicat, XVIII. Kalend. Maii, Antonius prælio ad Mutinam superatus est.

Habuit paucis diebus post concionem Romæ P. Appuleius tribunus pl. in qua cum liberare Ciceronem suspicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a M. Tullio unquam de republica nisi optime cogitatum. Duabus tribusve horis post optatissimi nuntii et litteræ de victoria Mutinensi venerunt. Quo tempore tantæ multitudinis, quantam urbs capiebat, ad Ciceronem concursus est factus, a qua ille maximo clamore atque plausu in Capitolium deductus et in Rostris collocatus, domum inde reductus est. Hæc sunt apud Ciceronem *Philip.* XIV. *cap.* 6. *ep.* 3. 6. *et* 7. *ad Brut.* et *ep.* 30. *lib.* X. et 6. *lib.* XII. *Famil.*

Pridie Vinalia, id est x. Kalend. Maii, Cicero habuit *Philippicam* XIV. in qua supplicationem dierum quinquaginta, trium Imperatorum Pansæ, Hirtii et Cæsaris nomine ob Antonium hostem superatum decernit: atque ad extremum eos, qui in prælio ceciderant, laudat, eorumque proximos consolatur. De supplicatione L. dierum vide Appianum lib. III.

Cum Hirtius in prælio cecidisset, et Pansa ex vulneribus paucis diebus post Bononiæ mortuus esset, rumor percrebuit, Ciceronem consulem factum esse, *ep.* 8. *ad Brut.* Plutarchus et Appianus scribunt, M. Tullium ab Octaviano ad consulatus petitionem inductum fuisse. v. Kalend. Maii senatus habitus fuit de iis, qui hostes judicati erant, bello persequendis, *ep.* 5. *ad Brut.*

Dedit eo tempore Cicero plures litteras ad D. Brutum et L. Plancum, ut fasum Antonium persequerentur, quæ *lib.* X. *et* XI. *Fam.* extant. Interim Antonius fuga transgressus Alpes, primo spe colloquii repulsus a M. Lepido, mox sæpius in conspectum veniens militum, per aversa castrorum proruto vallo a militibus receptus est; *Paterculus lib.* II. *cap.* 63. *Plutarchus in Antonio, Appianus lib.* III. Lepidus se cum Antonio conjunxit a. d. IV. Kal. Jun. *ep.* 23. *lib.* X. *Famil.*

Pridie Kalend. Quint. Lepidus sententiis omnibus hostis a senatu judicatus est, ceterique, qui una cum illo a republ. defecerant. Quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kalend. Septemb. potestas facta fuit, *ep.* 10. *lib.* XII. *Famil. ep.* 13. et 12. *ad Brut.* et *Dio lib.* XLVI. Octavianus Cæsar, ut cognovit Antonium a Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis, dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque jactassent; *Suetonius in Augusto, cap.* 12. *Paterculus lib.* II. *cap.* 62. *Brutus ep.* 20. *lib.* XI. *Famil.*

Tum inter eum et Antonium commercia epistolarum et conditionum facta mentio, quod *Paterculus* scribit. Cumque effecisset, ut milites inter se jurejurando sancirent, cum nullo exercitu, qui C. Cæsaris fuisset, bellum se gesturos, quadringentos

milites Romam ad senatum misit, qui consulatum sibi nomine exercitus deposcerent: cum quidem, cunctante senatu, Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto sagulo ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: Hic faciet, si non feceritis vos. *Suetonius in Aug. cap.* 26. et *Dio lib.* XLVI. ubi addit, Ciceronem subjecisse: Si ita consulatum petieritis, eum accipiet.

Militibus re infecta ad Octavianum reversis, Antonium et Lepidum in Italiam accersivit, atque ipse legiones ad urbem hostiliter admovit *Suetonius*, *Dio*, et *Appianus*: qui scribit Ciceronem tum ad Octavianum venisse, ac paulo post lectica ex urbe fugisse. C. autem Cæsar Octavianus consul cum Q. Pedio statim factus est, ut omnes annales testantur. Consulatum Cæsarem iniisse pridie quam XX. annos impleret, X. Kal. Octobris, Patereulus *lib.* II. *cap.* 65. auctor est. In Liviana epitoma *lib.* CXIX. legitur, Cæsarem consulem creatum esse, cum annos XIX. haberet. Plutarchus *in Bruto* ex Octaviani commentariis refert, ipsum vigesimum annum egisse, cum consul primum est factus. Eutropius initio *lib.* VII. ait, Cæsarem Romam cum exercitu profectum extorsisse, ut sibi vigesimo anno consulatus daretur. Suetonius *in Augusto, cap.* 31. scribit, eum in ordinatione anni Sextilem mensem e suo cognomine nuncupasse, quod eo sibi et primus consulatus et insignes victoriæ obtigissent. Similiter Dio *lib.* LVI. tradit, Octavianum XIX. die Augusti, eodem, quo primum consulatum ceperat, decessisse.

Cæsar Octavianus cos. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset; *Livius lib.* CXX. *Appianus lib.* III. *Dio lib.* XLVI. Auctor legis fuit Octavianus, tulit Q. Pedius collega: unde lex Pedia nominatur; eaque omnibus, qui Julium Cæsarem interfecerant, aqua ignique interdictum est: *Velleius lib.* II. *cap.* 69. *Suetonius in Nerone, cap.* 3. Consul factus Octavianus Ciceronem, ut *Plutarchus in ejus vita* scribit, valere jussit, et pace cum Antonio Lepidoque facta copias omnes in unum locum contraxerunt, ibique imperium Rom. quasi possessionem aliquam inter se diviserunt.

Partiti sunt autem provincias inter se hoc modo, ut Cæsar utramque Africam cum Sicilia et Sardinia, Lepidus Hispanias et Galliam Narbonensem, Antonius reliquas Gallias haberet. *Appianus lib.* IV. *Dio lib.* XLVI. Inter hos etiam convenit, ut ipsi triumviri reipubl. constituendæ per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberet. In qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, ut est *in epitoma lib.* CXX. Tu vide Orosium nostrum *lib.* VI. *cap.* 18. Cæsarem restitisse aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuisse, Tranquillus *in Aug. cap.* 27. ait.

Maximam vero contentionem, inquit Plutarchus, Ciceronis proscriptio præbuit, cum Antonius nullam conditionem acciperet, nisi primus ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, et Cæsar utrique repugnaret. Congressus horum trium occultus in triduum fuit apud Bononiam, in loco remoto a castris et flumine circumfuso, ut *Plutarchus* non solum in Cicerone, sed et in *Antonio* tradit. *Dio* quoque *lib.* XLVI. scribit, triumviros convenisse in parva insula fluminis, quod Bononiam præterlabitur. Appianus initio *lib.* IV. ait, eos congressos esse ad Mutinam in Lavinii fluvii insula. Sed triumvirum copias ad Bononiam contractas fuisse, Suetonius etiam *in Augusto cap.* 96. auctor est, et Florus, *cap.* 6. *lib.* IV. tradit pacem inter tres duces factam apud confluentes inter Perusiam et Bononiam. Ibi aiunt Cæsarem primis diebus, ut Plutarchus narrat, pro Ciceronis salute cum aliis concertasse, ac tertio die concessisse, ejusque vitam prodidisse,

fuitque permutatio ita facta: Ciceronem Cæsar, L. Paulum fratrem Lepidus, L. Cæsarem avunculum Antonius proscribi permisit. *Sed nihil,* ait Paterculus lib. II. cap. 66. *tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, et ab illo Cicero proscriptus est.*

Cesserat ille sub adventum Triumvirorum urbe, ut ex Livio Seneca *lib.* I. *Suasoriarum* 7. refert, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus proficisceretur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis cœco volvente fluctu pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit: regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest, *Moriar,* inquit, *in patria sæpe servata.* Hactenus Liv.

Plutarchus vero ita: " Erat Cicero " in Tusculano cum Quinto fratre. " Cognita vero proscriptione, Astu- " ram in maritimum Ciceronis fun- " dum proficisci, atque inde in Mace- " doniam ad M. Brutum, de cujus " victoria læti rumores afferebantur, " transire constituerunt. Ferebantur " lectitis confecti mœrore, atque in " itinere subsistentes junctis lecticis " inter se casum suum deplorabant. " Quintus vero magis angebatur ani- " mo, atque inopiæ illi in mentem " veniebat: nihil enim secum se do- " mo extulisse dicebat: Marco etiam " perexiguum viaticum erat: satius " igitur esse affirmabat, Marcum fuga " antecedere, se convasatum domum " recurrere. Hoc consilio probato, " complexi inter se multisque lacry- " mis profusis digressi sunt. Quin- " tus non ita multis diebus post a " servis proditus inquisitoribus una " cum filio suo interfectus, est." Ita quidem de Q. Cicerone Plutarchus.

Appianus in hanc sententiam: " Q. Cicero cum filio comprehensus " percussores orabat, ut se ante filium " necarent. Quod cum filius contra " fieri obsecraret, illi se eorum con- " troversiam composituros dixerunt. " Itaque alii hunc, alii illum arripi- " entes eodem signo ambos simul " occiderunt."

Dio lib. XLVII. ita: " Q. Cicero- " nem M. fratrem filius de medio re- " movit, et quantum in ipso fuit ser- " vavit. Nam et patrem occultavit, " ut inveniri non posset, et ea de " causa tormentis omnibus excrucia- " tus indicium nullum fecit. Sed pa- " ter, re intellecta, cum admiratione " filii, tum misericordia adductus ul- " tro prodiit, seque ipse percussori- " bus tradidit."

Redeamus nunc ad Plutarchum, " Cicero," inquit ille, " Asturam de- " latus, navem, quam nactus fuit, su- " bito conscendit, et oram legens Cir- " cæum usque vento pervenit. Inde " solvere gubernatores cum pararent, " vel maris metu permotus, vel Cæ- " saris fidem non plane desperans, in " terram egressus est: et millia pas- " suum XIII. fere pedibus Romam " versus progressus, animi pendere " cœpit, sententiaque mutata rursus " ad mare descendit, ibique noctem " gravibus et incertis cogitationibus " traduxit: adeo, ut in animo habe- " ret Cæsaris domum clam ingredi, " sibique ante lares ejus manus in- " ferre, atque ita furiales intemperias " illi impingere. Sed ab ea ratione " cruciatus metu depulsus, alia rursus " tumultuosa consilia in pectus insti- " tuit. Et servis se ad Caietam de- " portandum navigio commisit: ubi " prædia habebat, et blandum æstate " Etesiarum diebus perfugium. Est " ibidem supra mare sacellum Apol- " linis: unde corvi cum clangore ad " Ciceronis navem, quæ ad littus ap- " pellebatur, confertim advolarunt, " atque ex utraque parte antennæ in- " sidentes partim crocitarunt, partim " rudentum capita rostris tutude- " runt: idque signum omnibus in-

" faustum est visum. Cicero tamen " egressus in villam se recepit et " quieti dedit. Ibi corvorum magna " pars tristi voce ad fenestram asse- " dit: unus in lectum devolavit, et " rostro vestem, qua Cicero tectus " erat, paulatim ab ore ipsius re- " movit."

De eadem re Valerius lib. I. cap. 4. *M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim in villa Caietana esset, corvus in conspectu ejus horologii ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque morsu tenuit, donec servus, ad occidendum eum milites venisse, nuntiaret.* Hactenus Valerius: ex quo perspicue cognoscitur apud Plutarchum ἐς Καιέτας mendose, non pro Capua, sed Caieta legi. Quamvis Appianus Capuam nominet, ad quam fuerit hæc Ciceronis villa, in qua adventantibus inquisitoribus a corvis e somno excitatus sit.

Sequitur in Plutarcho: " Servi " hæc aspicientes suam ipsi ignaviam " damnarunt, si herilis cædis specta- " tores esse sustinerent; cumque bes- " tias domino opem ferre ac pro in- " digno ejus casu sollicitas esse vide- " rent, ipsi eum non defenderent; " partim precibus, partim vi imposi- " tum lecticæ ad mare detulerunt. " Interim percussores cum ministris " superveniunt, Herennius centurio " et Popilius tribunus militum, quem " parricidii reum Cicero olim defen- " derat."

De Popilio hoc multa Seneca in *Declamationibus* et *Suasoriis*. De eodem Valerius lib. V. cap. 3. *M. Cicero C. Popilium Lænatem Picenæ regionis, rogatu M. Cælii, non minore cura quam eloquentia defendit: eumque causa admodum dubia fluctuantem salvum ad penates suos remisit. His Popilius postea, nec re nec verbo a Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum et jugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans Caietam cucurrit, et virum, omitto quod amplissimæ dignitatis, certe salubri studio* (ita lege e mss.) *præstantis officii privatim sibi venerandum, jugulum præbere jussit: ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, et pacis clarissimam dexteram per summum et securum otium amputavit: eaque sarcina, tanquam opimis spoliis, alacer in urbem reversus est. Neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat.*

Sequitur apud Plutarchum: " Per- " cussores cum fores clausas invenis- " sent, eas effregerunt: cumque Ci- " cero non appareret, et ii, qui intus " erant, scire se, ubi esset, negassent, " aiunt adolescentem quemdam, a " Cicerone in bonis litteris et disci- " plinis educatum, Quinti fratris li- " bertum, Philologum nomine, tri- " buno dixisse, lecticam per silvestres " et opacas ambulationes ad mare de- " ferri. Tribunus igitur cum paucis " comitibus circum ambulationes ad " exitum cucurrit: Herennius recta " per easdem accurrit. Quod ubi " Cicero animadvertit, servos lecti- " cam ibi deponere jussit."

Satis, inquit Livius, *constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, jussisse.* Appianus scribit multos discurrisse quærentes, num alicubi Cicero visus esset: cumque alii benevolentia et misericordia permoti eum in alto esse dixissent, clientem Clodii acerrimi inimici Ciceronis Popilio Lænati tribuno militum indicasse viam, qua lectica deportabatur, eo illum irrupisse, et cum servos longe plures quam ipse secum habebat ad dimicandum paratos vidisset, callide exclamasse, *Tribuni, qui in extremo agmine sunt; ingrediantur:* tum servos majorem multitudinem expectantes perterritos fuisse.

Cicero, ait Aufidius Bassus apud *Senecam, paulum remoto velo, postquam armatos vidit*, Ego vero consisto, *ait:* accede, veterane, et, si hoc saltem potes recte facere, incide cervicem. *Trementi deinde dubitantique,*

Quid si ad me, *inquit*, primum venissetis?

Butridius Niger apud eundem: *Elapsus interim altera parte villæ Cicero lectica per agros ferebatur. Sed ut vidit appropinquare notum sibi militem Popilium nomine, memor defensum a se, lætiore vultu aspexit. At ille, victoribus idiprum imputaturus occupat facinus, caputque decisum, nihil in ultimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat, oblitus se paulo ante defensum ab illo.*

Prominenti, inquit Livius, *ex lectica, præbentique immotam cervicem, caput præcisum est: nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, scripsisse aliquid in Antonium exprobantes, præciderunt.*

Plutarchus: " Cicero mentum, ita " ut consueverat, tangens in percus- " soribus oculos constanter fixit, " squaloris plenus, et capillo demisso " macieque ob sollicitudines confec- " tus; usque eo ut plurimi, Herennio " eum jugulante, capita obnuberent. " Occisus est præbens cervicem ex- " tra lecticam, cum annum jam LXIV. " ageret. Præcidit illi jussu Antonii " caput et manus, quibus Philippicas " scripserat."

Vixit, ait Livius, *tres et sexaginta annos, ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit.* Eusebius: *Cicero in Formiano suo ab Herennio et Popilio occiditur* LXIV. *ætatis suæ anno.*

Appianus: " Occiso Ciceione, qui- " dam equis, alii navigiis incitatis " properabant Antonio hunc nuntium " perferre, eique in foro sedenti Læ- " nas caput et manum eminus osten- " dit. Quo ille maxime lætatus, tri- " bunum militum coronavit, et H-S " decies centena millia ei pro maxi- " mo præmio dedit, quod summum " et infensissimum suum inimicum " occidisset."

Plutarchus: " Cum membra Cice- " ronis Romam perlata essent, An- " tonius, qui tum forte comitia habe- " bat, iis visis exclamavit: Proscrip- " tionem jam peractam esse: caput " autem et manus pro Rostris poni " jussit, spectaculum horrendum Ro- " manis, qui se non Ciceronis vul- " tum, sed imaginem animi Antonii " videre putabant."

Dio lib. XLVII. " Ubi Ciceronis " caput allatum fuit, Antonius multis " et gravibus probris illatis, illud pro " Rostris, loco præ aliis conspicuo, " poni jussit, ut unde in ipsum verba " faciens auditus fuerat, ibi caput " ejus cum manu dextra, quæ simul " præcisa fuerat, conspiceretur. Ful- " via vero caput, antequam auferre- " tur, in manus sumpsit, atque atroci- " bus verbis illudens et conspuens " genibus suis imposuit, et linguam " ex ore extractam acubus, quibus " ad capitis ornatum utebatur, com- " punxit, additis multis iisque exe- " crandis opprobriis."

Livius: *Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in Rostris positum, ubi ille Consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: vix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant.*

Cremutius Cordus: *Præcipue tamen solvit pectora omnium in lacrymas gemitusque visa ad caput ejus deligata manus dextra, divinæ eloquentiæ ministra: cæterorumque cædes privatos luctus excitaverunt, illa una communem.*

Mortem Ciceronis versibus elegantissimis deploravit Cornelius Severus; in quibus sunt, qui sequuntur:

Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ,
Unica sollicitis quondam tutela, salusque,
Egregium semper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togæque,
Publica vox sævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus civis projecta superbis
Proculcavit ovans, nec lubrica fata Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius ævo.

Paterculus post narratam cædem M. Tullii in hæc verba erumpit, cap. 66. *Nihil tamen egisti, M. Antoni, mercedem cœlestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reip. tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, et ætatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero, gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstuliti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem sæculorum memoriam, dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet: omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur: citiusque in mundo genus hominum, quam hujus nomen cadet.*

Ciceronem hoc anno VII. Idus occisum esse, testimonio Tironis liberti scribit Tacitus in dialogo *de Oratoribus cap.* 17. Intelligo autem Idus Decembr. quoniam triumviri inierunt V. Kalend. Decembris, ut est in lapide Colotiano. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menses XI. dies V. sive annos LXIV. minus XXVI. diebus.

Nunc ad extremum illud addam, quod Desiderius Lignamineus Patavinus ante annos sedecim divulgavit. Cum anno Christi M. D. XLIV. Kalend. Decemb. Angelus Apulus Minorita in Zacyntho insula Venetorum, quæ in mari Ionio Epiro adjacet, apud sacellum D. Mariæ Gratiosæ, non longe a litore maris, cœnobii fundamenta ageret, sepulchrum antiquissimum reperit cum hac inscriptione: M. TVLLI CICERO HAVE. ET TV TEPTIA ANTΩNIA. In eodem sepulcro inventæ sunt duæ urnæ vitreæ, una major cinerum, altera minor lacrymarum, ut volunt. In majoris fundo erat vitro inscriptum: AVE MAR. TVL. Hoc monumentum ibi in sacrario templi adservatur, et Ciceronis nostri esse putatur. Verum in hujusmodi rebus mihi Epicharmi cantilenam illam μίμνασο ἀπιστεῖν (*memento non credere*) ad aurem utramque insusurrari facile patior: cum præsertim in Epitaphio quodam, quod in libro manuscripto ἀδέσποτον (*nullo adscripto auctore*) subjicitur, Arpinatem Ciceronem lapide extra Caietam servari inveniam; quem Lignamineus a servis crematum, et in Zacynthum delatum fuisse putat.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Quo tempore hanc Fabricius componebat Ciceronis Historiam, nondum antiquis scriptoribus plerisque is cultus accesserat, quem attulit recentioris industriæ opus librorum in capita sectionesque numeris signata distributio. Ergo indicandis auctoribus id fecit, quod tunc omnes. Quanto commodius, si non tantum libros, sed partes singulas, capita, versus notasset? Id supplementi ista habuit editio; non hoc uno nomine aliis omnibus potior hactenus vulgatis: quod usus facile monstrabit.

DELECTUS

COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMEN PRIMUM, RHETORICUM.

P. VICTORII PRÆFATIO

AD

LIBROS RHETORICOS.

NON negligentia, aut laboris fuga commissum est, humanissime lector, quod in omnibus his, qui Oratorem instituunt libris, pauca admodum a me castigata sunt. Cum enim vetera exemplaria summo studio ac diligentia non mea solum, sed etiam amicorum perquisita, nullibi inventa fuerint, quid in hac re facere aut præstare potui? Benedictus Lampridius, qui me singulari quadam naturæ suæ bonitate, non meis ullis meritis, incredibiliter amat, me mihi non defuisse gravissimus testis erit, qui et ipse, ut desiderio meo satisfaceret, plures bibliothecas excussit; ac per alios etiam huic negotio aptos homines (floret enim ille amicitia illustrium ac doctorum virorum) plura loca, ubi aliquid reperiri posse sperabat, diligenter perscrutatus est: nec tamen aliquid, quod mediocrem opem ullam afferret, invenire potuit. Quin etiam cum superiore anno Benedictus Varicensius, eruditissimus ac mihi amicissimus juvenis, officii cujusdam gratia se Patavium contulisset, de

hac ipsa re, mandato meo egit cum summo Oratore, omnibusque doctrinis exculto viro, Lazaro Bonamico; renuntiavitque mihi postea dixisse illum valde asseveranter, non esse in hoc ullo pacto elaborandum: nullum enim tota Italia exemplar eorum librorum extare, quod ab excusis magnopere discreparet, seque antea illos ipsos omnibus locis diu multumque frustra perquisivisse. Joannes autem Gaddius, qui cunctis egregiis rebus pro summa sua elegantia splendoreque abundat, trium de Oratore librorum bina exemplaria manu scripta mihi Roma valde amanter misit, ut est natura munificus ac liberalis: illic autem ea laudari audieram, ob eamque causam ipsum poposceram, quæ tamen nihilo vulgatis a me diligenter tractata meliora inventa sunt. Quomodo autem se res habeat, quod nullum horum librorum satis vetustum exemplar invenitur, ipsi tamen minus quam cæteri Ciceronis libri (quantum judicari potest) corrupti sunt, affirmare non audeo. Quid tamen suspicer, proferre non alienum puto. Opinor omnes et formis excusos, et manu scriptos codices, quos nunc habemus, ab uno fluxisse, qui multos abhinc annos Laude Pompeii (quemadmodum plures ejus temporis auctores tradunt) inventus est: inter quos Blondus Forliviensis, *libro IV. Romæ instauratæ*, quomodo id acciderit, diligenter narrat. Rectum autem esse puto, cum hujus rei cognitio multum hic apta sit, et scriptor ille non valde celebris, ipsius verba adponere. "Ubi id maxime adjumentum studiis eloquentiæ attulit, quod repertus Laude a summo viro Gerardo Landriano tunc ibi Episcopo multis maximisque in ruderibus codex Ciceronis pervetustus, et cujus litteras vetustiores paucissimi scirent legere, ad ejus perveniens manus, interitum evasit. Continebat is codex præter Rhetoricorum novos et veteres qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Oratoribus claris, et Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis, unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem

assumpserat, labore, supplendi, quoad poterat, librorum de Oratore defectus, sicut diu antea in Quintiliani Institutionibus multo labore suppleverat. Et cum nullus Mediolani esset repertus, qui ejus vetusti codicis litteram sciret legere, Cosmus quidam egregii ingenii Cremonensis tres de Oratore libros primus transcripsit, multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo codice repleverunt. Nos vero, cum publicis patriæ tractandis negotiis adolescentes Mediolanum adissemus, Brutum de Claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus, ex quo primum Veronam Guarino, post Leonardo Justiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta. Quod etiam eo libentius feci, ut videant omnes id de quo sæpius questi sumus verum esse, quomodo scilicet superiores illi librorum correctores, in hac provincia se gerere soliti sint: quemadmodumque consueverint totas quandoque sententias et integra etiam loca, nedum singula verba, sicubi res exigere videretur, de suo addere: cognoscantque eorum temporum atque hominum errorem, qui rectum putarent, scripta antiquorum vetustate dilapsa, et fracta a novis ingeniis suppleri et restitui: nec mirentur me quandoque verba quædam parum illustria, non reperta in priscis exemplaribus, suspecta habuisse, et a junioribus his supposita esse existimasse. Quod autem nonnulli libri certis quibusdam locis cuncti inquinati et manci sint, nec quoque debet mirum videri, cum eorum exemplaria quandoque singularia extiterint: ut quod vitium in ipsis forte fuerit, necessario etiam in ea, quæ inde descripta sunt, manaverit: eo autem rem deductam esse, atque ita morti propinquos quandoque optimos auctores fuisse, ut si unum exemplar (quod fortunæ potius beneficio, quam hominum diligentia conservatum est) periisset, nullum eorum vestigium permansurum fuerit, et testimonio Blondi in his ipsis, et aliis quibusdam antiquorum voluminibus, et aliorum etiam fidelissimorum scrip-

torum manifestum omnibus esse debet. Quare si cogitarimus nos in maximo periculo quondam fuisse, ne funditus his egregiis monimentis orbaremur; non male omnino nobiscum actum putabimus, quod ea, quamvis deminuta et manca, habemus.

G. J. VOSSIUS,

DE RHET. NAT. CAP. 13.

RHETORICORUM ad Herennium libros IV, Marco quidem Ciceroni tribuunt B. Hieronymus in Abdiam, Præfat. quæ ad Pammachium, et Priscianus lib. 6. 8. 9 et 10. E junioribus vero Leonardus Aretinus in vita Ciceronis, Trapezuntius primo Rhetoricorum, Laurentius Vallensis, Angelus Politianus, et Udalricus Zafius procemio Comment. in hunc magistrum Herennianum: operoseque idem defendunt Nicolaus Angelius, Marinus Becichemus, Georgius Valla Placentinus. Sed hanc sententiam refutat Angelus Decembrius lib. I. de Politia litteraria, part. 10, Corradus in Quæstura, et Franciscus Floridus lib. I. Subficivarum, cap. 4. Sed quem eorum putent auctorem, non exponunt. Nonnulli, non levibus adducti conjecturis, Cornificio tribuunt: quem Rhetorica scripsisse Fabius docet lib. III, cap. 1. et alibi. Eam sententiam oppugnat M. Mattius. Contra esse eorum auctorem Cornificium, persuasum fuit Petro Victorio, Paulo Manutio, Majoragio, Mureto, Sigonio, ac Riccobono; cujus hac de re extat tractatus adversum M. Mattium. Raphael quoque Regius, vel Cornificii esse putat, vel Virginii Rufi, vel Timolai; qui unus e triginta Romanorum tyrannis fuit: at Virginius temporibus Neronis juventutem in eloquentiæ studio exercebat, ut auctor est Tacitus Annal. XV, eumque de arte Rhetorica scripsisse Fabius ait lib. III, cap. 1. ac meminit illius etiam Plinius epist. 1. lib. II, deque eo Tranquillus egit libro de Claris Rhetoribus. Aliis quoque auctor videtur M. Gallio, quem inter Rhetoras reponit

rhetor Seneca, ac meminit quoque ejus auctor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ: Gallioni quidem disertim tribuit Julius Scaliger Oratione pro Cicerone contra Erasmum, et lib. III. de re Poetica cap. 31. et 36. Denique Nascimbænius in libro II. Cic. de Inventione vult, aut Ciceronis filium auctorem esse, aut Lauream ejus libertum; qui et ipse Cicero vocabatur, eosque libros scribere potuit, ut perficeret oratoriam artem, cujus partem tantum tractarat Cicero in duobus, ut ait, de Inventione libris. In hoc dissensu, nos iis accedimus, qui Cornificii esse arbitrantur: idque iis compulsi, quæ a Riccobono et aliis adducuntur. Sed quis iste Cornificius? num L. Cornificius, qui Cæsaris Quæstor fuit bello civili, et pro Prætore missus in Illyricum, teste Cæsare lib. IV, quique Cæsare interempto partes Senatus secutus, atque a Sextio in Libya profligatus et cæsus fuit, ut est apud Appianum lib. IV, et Dionem lib. XLVIII. Extant ad eum epistolæ Ciceronis lib. XII. Atque hunc patrem esse quatuor ad Herennium librorum censet Glandorpius in Onomastico. Sed mihi magis sit verisimile, esse eorum auctorem L. Cornificium Lucii filium, qui Octaviani Cæsaris partes secutus M. Brutum Cæsaris percussorem, Plutarcho teste, pro tribunali accusavit, ac bello Siculo Octaviano strenue operam navavit, favore denique Octaviani adhuc Triumviri consulatum est adeptus anno DCCXIX. Quod si idcirco, quia Tullii nomen a tot retro seculis prætulerint, et tamen nobilis illius Oratoris esse non possint; aliquis cum Nascimbænio suspicetur, esse unius e Ciceronis libertis: equidem non Laureæ Tullii esse dixerim, cujus in Ciceronis villam versus habemus in Catalectis Virgilianis (nec enim, quod sciam, eum inter hujus artis doctores veterum reposuit quisquam) sed Tullii Tironis; quem inter Rhetoras nomen habuisse, constat ex Plinii Veronensis lib. II. Ac fuit is quoque inter eos, de quibus egit Tranquillus libro de Claris Rhetoribus.

M. TULLII

CICERONIS

DE

INVENTIONE RHETORICA

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Disserit Tullius de eloquentiæ utilitate, principio, progressu, abusu, studio, et arte quæ certis continetur præceptis.

De ejusdem officio, fine, materia, et partibus.

De inventione, quæ præcipua pars est; et qualis esse debeat in omni causarum constitutione, tum conjecturali, tum definitiva, tum generali.

De exordio, narratione, partitione, confirmatione, refutatione, conclusione, earumque omnium orationis partium variis generibus, partibus, ac vitiis. PRUSTEUS.

DELECTUS COMMENTARIORUM.

Tit. DE ARTE RHETORICA, fere præscriptum his libris omnium editionum reperimus: sed alicubi tamen, DE INVENTIONE, non *De Arte Rhetorica*, quod et Venetum exemplum secutum est. Aliqui *artem veterem* hanc vocarunt. De his omnibus nihil magnopere retulerit quodcunque retinere voluerimus. Nam et Rhetoricæ certe artis præcepta his libris traduntur, et ea inventionis, non collocationis, neque dispositionis, aut pronuntiationis. Et ante alios libros rhetoricos hoc scriptum a Cicerone compositum fuisse dubium non est. CAMERARIUS.

Tantus est in hisce *de Inventione* commentariis, et libris *ad Herennium*, tum præceptionum et exemplorum, tum rerum prope omnium consensus, ut scriptorem utrumque, Ciceronem et Cornificium, non casu in eadem incurrisse vestigia, sed præeuntem alterum, Hermagoram scilicet, dedita opera secutos esse, non temere possit affirmari. PRUSTEUS.

Quintilianus, lib. III. cap. 5. *Ipse*, ait, *hos libros Cicero improbat.* Et cap. 6. *Sunt enim velut res . . . . quas adolescens deduxerat schola: et si qua est in his culpa, tradentis est . . . . Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos* de Oratore *substituit; ideoque culpari tanquam falsa præcipiat, non potest.*

Cap. 5. *Civilis quædam ratio*] ὁ πολιτικὸς λόγος, ἡ πολιτικὴ ἐπιστήμη ἢ τέχνη, id est, Reipublicæ constituendæ et administrandæ scientia vel ars, quam uno vocabulo *Politicam* solemus appellare, Cicero *Civilem scientiam* mox dicet. Quintilianus (*edit. Paris. in fol.* 1725.) lib. 2. cap. 15. pag. 123. not. 130. *Civilitatem* vocavit. CAPPERONNERIUS. Quam sit in Rhetorum intelligendis artibus, Græcorum et Latinorum, studiose utiliterque versatus, cognosci ex ejus Quintiliano potest. Quo sane libro vix quidquam protulit hæc ætas in Gallia excellentius. De quo bene mihi existimare videntur, qui aiunt, tum opor-

tuisse illum in lucem venire, cum libri excolendis hominum ingeniis usui erant, non porticibus exornandis. Hic igitur cum earum sit artium homo, conventus a me, non recusavit, quin pro nostra necessitudine, et constanti sua voluntate promovendi bonas litteras, mecum illa communicaret, quæ ad Ciceronis libros de Inventione annotata habebat. Ne tamen plus æquo Commentariorum hic delectus excresceret, sæpe indicavit tantum, quo sui in Quintilianum Commentarii loco, Ciceronianum quemque nodum explicarit. OLIVETUS.

Gorgias Leontinus] Charmantidæ filius, Rhetor, Empedoclis discipulus fuit. Cum Rhetoricam docere cœpisset, non minus, quam centum minas a singulis exigebat: unde tantum nummorum acquisivit, ut Delphis in templo statuam sibi, et quidem auream posuerit. Athenis, quo legatus cum Tisia venisse dicitur, et Larissæ in Thessalia diu commoratus est. Hunc purpureis vestibus usum fuisse testatur Ælianus: nec desunt, qui scribant ejus orationes Atheniensibus usque adeo admirabiles visas fuisse, ut dies, quibus habitæ fuissent, ἱερὰς, et orationes ipsas *lampadas* vocarint. In hunc etiam tanquam patrem Philostratus artem sophistarum refert. Hic, ut est apud Platonem et Ciceronem, de omni re, quæcunque in disceptationem quæstionemque vocaretur, se copiosissime dicturum profitebatur. Vixit Gorgias annis centum et quinque, ut ait Pausanias: centum et novem, ut Quintilianus, Diogenes, et Suidas scribunt: centum et octo, ut Plinius, Lucianus, et Philostratus arbitrantur: centum et septem, ut vult Cicero: quamquam loquitur ita, (de Senect. cap. 5.) *centum et septem complevit annos*, ut eum quasi ostendat ad centum et octo annos pervenisse. Quo quidem tempore cum debilitate quadam correptus, aliquantulum somni cepisset, a necessario quodam rogatus, ecquid ageret: *Somnus*, inquit, *venit, ut me fratri commendet;* nec ita multo post inedia vitam finivit. CORRADUS, in *Brut. cap.* 8.

Demonstrativum] τὸ ἐπιδεικτικὸν, et ἐγκωμιαστικὸν, de quo vide Quintilian. lib. III. cap. 7. CAPPERONNERIUS.

Deliberativum] τὸ συμβουλευτικὸν, quod aliquando etiam δημηγορικὸν et δημηγορητικὸν, id est *concionale*, appellatur. Lege Quintilian. lib. 3. cap. 8. IDEM.

Judiciale] τὸ δικανικὸν, quod nequaquam confundendum est cum τῷ *juridiciali* δικαιολογικῷ. Vide Quintilian. lib III. cap. 9. IDEM.

Cap. 6. *Hermagoras*] Floruit post Aristotelis et Theophrasti tempora, ut ex Quintiliano, lib. 3. cap. 1. intelligi potest: *fecitque*, ut idem tradit, *velut propriam* in oratoriis institutionibus *viam, quam plurimi secuti sunt*. Hic ipse est, quem corrupto, ut opinor, nomine, *Hermetem* sæpius vocat Cornificius ad Herennium. PRUSTEUS. Vide Quintilianum, lib. III. cap. 5. ubi ab Hermagora stat contra Tullium. MURETUS.

Causam esse dicit] Quam Græci Rhetores ὑπόθεσιν appellant. CAPPER.

Quæstionem autem] Hanc Græci θέσιν vocant. IDEM.

Cap. 7. *Inventio est*] Ἡ ἴνρεσις. CAPPER.

Dispositio] Ἡ οἰκονομία. IDEM.

Elocutio] Ἡ φράσις, ἡ ἑρμηνεία, ἡ ἀπαγγελία. IDEM.

Sententiarum] τῶν διανοιῶν, vulgo *des pensées*, non autem τῶν γνωμῶν, quas vocamus *sentences*, *maximæ*, &c. Latina vox utrumque significat. Vide Quintilian. pag. 322. not. 6, et pag. 505. not. 1. 2. 3. IDEM.

Memoria] Ἡ μνήμη. IDEM.

Pronuntiatio] Ἡ ὑπόκρισις. IDEM.

Constitutio est] Ἡ στάσις, cujus nominis rationem et etymologiam vide apud Quintilian. edit. 1725. pag. 169. not. 16. IDEM.

Ex depulsione] Id est, refutatione, quæ et *deprecatio* quandoque dicitur, ut mox patebit cap. 10. Fortunatianus Rhetor (pag. 39.) Rhetor. Pith.

ἀπόφασιν vocat, id est *negationem*. IDEM.

Intentionis] Id est accusationis, sive actionis, qua crimen cuipiam intenditur. Fortunatianus Rhetor (pag. 39. Rhetor. Pith. κατάφασιν appellat, hoc est, *affirmationem*. IDEM.

Constitutio conjecturalis] Ὁ στοχασμός, ἡ στοχαστικὴ, ἡ εἰκία, λόγος οἰκιάδος, ἡ γένεσις, τὸ πραγματικὸν, τὸ κατ' ἀνδρωπον. ἡ συμπλοκὴ στάσις. Vulgo dicitur *Quaestio facti* vel *de facto*. Vide Quintilian. pag. 167. not. 163. et pag. 181. not. 468. Alias dicitur *inficialis*, et *de substantia*, teste Quintiliano pag. 535. not. 41. IDEM.

Constitutio definitiva] Ὅρος, ἱστορία, ἱστορικὴ στάσις, περὶ τῆς ὑπόστασις, περὶ τοῦ ἀντοῦ καὶ ἑτέρου. Latini dicunt etiam *finem*, *de fine*. Donatus in Terent. Eunuch. V. 5. 18. *causam finalem*. Vide Quintil. pag. 253. not. 18. et pag. 181. not. 468. IDEM.

Constitutio generalis] A Latinis Rhetoribus vocari solet status qualitatis, vel qualitas, ἡ ποιότης. Apud nos quaestio juris vel de jure appellatur. Lege Quintil. pag. 155. not. 28. pag. 181. not. 468. et pag. 424. not. 270. IDEM.

Translativa dicitur constitutio] Quintiliano translatio, transsumptiva, transpositiva, graece μετάληψις, et aliquando παραγραφὴ, *praescriptio*; vulgo dicimus exceptionem judicii vel fori declinatoriam. Lege Quintil. pag. 171. not. 243. 246. et pag. 181. not. 468. IDEM.

Cap. 9. *Juridicialem*, *negotialem*] Duo haec vocabula Tullius ipse paulo post explicabit, et ad ipsius explicationem quaedam annotabimus. CAPPER.

Cap. 11. *Juridicialis est*] Τὸ δικανικὸν, ἡ δικανικὴ στάσις, cujus vocabuli varias significationes vide apud Quintil. pag. 174. not. 311. Cave autem confundas τὸ δικανικὸν *juridiciale* cum τῷ δικανῷ *judiciali*. Status ille juridicialis est de re jam facta, de actione jam perpetrata, ideoque praeteritum tempus spectat. CAPPER.

Aequi et iniqui] Vict. Man. Lamb. *aequi et recti natura*.

Negotialis est] Τὸ πραγματικὸν, ἡ πραγματικὴ στάσις, cujus vocabuli varios exposui significatus in Quintil. pag. 174. not. 311. Status ille negotialis est de re facienda, sicque ad futurum tempus pertinet. IDEM.

Absoluta est] Ἀντίληψις, vel ἀπολυτικὴ στάσις. Lege Quintilian. pag. 181. not. 468. IDEM.

Assumptiva est] Ἀντίθεσις, vel ἀντιθετικὴ στάσις. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. A Nascimbaenio fol. 12. perperam vocatur κατ' ἀντίστασις, (ubi tamen mendum videtur esse typographicum pro τῷ κατ' ἀντίστασιν) idque ex depravata lectione Quintilianaei contextus lib. 7. cap. 4. pag. 437. ubi quidam codices MSS. habent κατὰ ἀντίστασιν. Sed veram ac genuinam lectionem astruximus ad Quint. pag. 437. not. 34. ubi excudendum curavimus, κατ' ἀντίθεσιν. IDEM.

Concessio, cum reus] Συγγνώμη. Alias dicitur venia et status venialis itemque deprecatio. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. IDEM.

Deprecatio est] Quam proprie συγγνώμην Graeci Rhetores appellant. Hic autem τὸ *deprecatio* non idem significat, quod cap. 10. ubi usurpatur pro depulsione, sive refutatione accusationis. IDEM.

Remotio criminis est] Ἡ μετάθεσις. Lege Quintil. pag. 181. not. 468. Nascimbaenius, fol. 104. perperam vocavit μετάθεσιν, ut demonstravi ad Quintilian. pag. 439. not. 65. IDEM.

Relatio criminis] Ἀντίγκλημα. Vide Quintil. loco mox indicato. IDEM.

Comparatio est] Ἡ ἀντίστασις. Vide Quintilianum ibidem. IDEM.

Cap. 12. *Carthaginensibus*,] *Carthaginensis* in prosa dicendum ut δικλεγία evincit. Aldus tamen obtendit Prisciani, Lapidum, et Pandectarum auctoritatem. Sed decepit sic scribentes Ennii auctoritas, cujus est: *Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis*. Nec cogitarunt, sic Ennium scribere coactum metri causa,

quod non recipit *Carthaginensis*. Vossius, Grammat. lib. I. cap. 43.

Contra Philippum] Non Alexandri Magni patrem, sed alium Macedoniæ regem, qui, tempore belli Punici secundi, fœdus cum Annibale inierat; verum a Lævino prætore coercitus, cum jam Italiæ immineret, in Macedoniam incensis ultro navibus se recipere coactus est. Prustrus.

Cap. 13. *An in rátione, an in scripto sit controversia*] Alludit hic Tullius ad celeberrimam veterum Rhetorum divisionem, qua oratoriarum quæstionum status dividuntur in *rationales* τοὺς λογικοὺς, et *legales* τοὺς νομικοὺς. De his fuse Quintilianus agit lib. 3. cap. 5. et ipse Cicero lib. II. de Invent. cap. 12. et 15. Omnis autem quæ in scripto posita est controversia, *status legalis* ideo vocatur, quia inter varia varii generis scripta præcipuum quemdam locum Lex ὁ νόμος videtur obtinere. Lege etiam Quintil. pag. 181. not. 467. 468. Capperonner.

Primum genus de scripto, et sententia] Περὶ γραφῆς καὶ διανοίας, quem statum exponunt Tullius II. de Invent. cap. 12. et Quintil. lib. 7. c. 6. Idem.

Secundum, ex contrariis legibus] Ἀντινομίαν. quo de statu præ ceteris legendi sunt Cicero II. de Invent. cap. 15. et Quintil. lib. VII. cap. 7. Idem.

Tertium, ambiguum] Ἀμφιβολίαν. Legalem hunc statum pluribus explanant Tullius II. de Invent. cap. 12. et Quintilian. lib. 7. cap. 9. Idem.

Quartum, ratiocinativum] Τὸν συλλογισμὸν, qui status legalis fusius explicatur a Tullio II. de Invention. cap. 15. et a Quintiliano, lib. 7. cap. 8. Idem.

Quintum, definitivum] Alias definitionem legalem, τὸν ὅρον vel ὁρισμὸν νομικὸν, qui status proprius ac specialis est Tullio 11. de Invent. cap. 16. et Herenniano Rhetori lib. I. cap. 11. Vide Quintilian. pag. 181. not. 468. Idem.

Ratio est] Αἰτία vel αἴτιον ex parte τοῦ Rei secundum Ciceronem, aut etiam ex parte Actoris vel Accusatoris secundum alios, de quibus Quintil. lib. 3. cap. 11. vide, et pag. 206. num. 3. et 5. Idem.

Judicatio] Τὸ κρινόμενον, hoc est, id ipsum de quo judices ferunt, aut saltem ferre debent sententiam. Lege Quintil. pag. 206. num. 4. Idem.

Cap. 14. *Firmamentum est*] Quod alias vocatur *continens*, τὸ συνέχον. hoc ex parte τοῦ Rei desumit Tullius. Contra Herennianus Rhetor lib. I. cap. 16. ex parte Actoris; ait enim: *Firmamentum quærendum est, id est, quod continet accusationem, quod affertur contra rationem defensionis.* Unde, ut cætera omittam argumenta, satis patet Rhetoricos ad Herennium libros non esse genuinum Romani oratoris fœtum. Lege Quintil. lib. 3. cap. XI. Capper.

Totidem necesse erit quæstiones.... judicationes, firmamenta reperiri.] De his tamen Quintilianus ita statuit lib. 3. cap. 11. *Verius et brevius, qui statum et continens et judicationem idem esse voluerunt.* Idem.

Exordium] Προοίμιον. de quo Quintil. lib. 4. cap. 1. Idem.

Narratio] Διήγησις. de qua idem Rhetor. lib. 4. cap. 2. Idem.

Partitio] Διαίρεσις, vel διαμερισμὸς. Lege Quintil. lib. 4. cap. 5. Idem.

Confirmatio] Κατασκευὴ, de qua Quintil. lib. 5. a cap. 1. ad 13. Idem.

Reprehensio] Alias dicitur infirmatio, et *refutatio* ἀνασκευὴ, de qua lege Quintil. lib. 5. a cap. 13. ad usque libri finem. Idem.

Conclusio] Alias vocatur *peroratio*, ἐπίλογος. Lege Quintilian. lib. 6. cap. 1. Idem.

Cap. 15. *Ad reliquam dictionem*] Τὸ *dictio* quandoque totam significat orationem. Sic Tullius de Clar. Orat. cap. 74. *Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos.* Et I. de Orat. cap. 34. Lege etiam auctorem Dialogi de Orat. apud Tacit. num. 2. et 34. Marius Victorin. in I. Ciceronis de Invent. *Scire debemus in dialogis sermonem esse, non dictionem: dictio-*

nem autem esse in civilibus causis .... Sermo, philosophi: dictio, oratoris. ID.

Honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum] Ἔνδοξα, παράδοξα, ἄδοξα, ἀμφίδοξα, δυσπαρακολούθητα. De his lege Quintil. pag. 217. 218. Nascimbenius, fol. 16. male habet δυσπαρακόλουθα. IDEM.

In principium, et insinuationem] Sic et Herennianus Rhetor. lib. 1. num. 6. Exordiorum duo sunt genera; principium quod Græce προοίμιον appellatur, et insinuatio quæ ἔφοδος nominatur. Vide Quintilian. pag. 218. not. 153. IDEM.

Cap. 17. *Perturbatum putant oratione*] Man. *perturbatum putat oratione.* Lamb. *perturbatum putant sua oratione.*

Strepitu, acclamatione] Vict. Man. Lamb. *strepitum, acclamationem.*

Cap. 19. *Angues ingentes alites.*] Ita tamen a Cerere factum fuisse poetæ fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Ovid. in IV. de Fastis: ...

——————— *frenatos curribus angues*
Junxit, et æquoreas sicca pererrat aquas.

Hic versus, iambicus senarius, est ex aliquo poeta vetustissimo desumptus, et, ut arbitror, ex Ennio, qui cum non Cereris, sed Medeæ Tragœdiam scripserit, facile conjicio de Medea potius quam de Cerere intelligendum esse. De curru Medeæ meminit Euripides in tragœdia ejus nominis, prope finem. NASCIMBÆNIUS.

Nam is postquam] Terent. Andr. I. 1. 24.

Venit ad me] Terent. Adelph. I. 1. 35.

Cap. 20. *Brevis erit, si ... non ab ultimo repetetur*] Idem præcipit Horatius:

Nec gemino bellum Trojanum ordiitur ab ovo.

Cave itaque, quod hic *ultimum* vocat Tullius, extremum interpreteris: immo primum est. Quo sensu de primo Latini regis progenitore Saturno apud Virgilium dicitur Æneid. VII. 49.

Tu sanguinis ultimus auctor. PRUST.

Ut non enarres] Vict. Man. Grut. *non ut enarres.*

Cap. 21. *Rumorem*] Lamb. *morem.*

Seipsum] Lamb. *ipsum.*

Cap. 23. *Hoc igitur vitandum est*] Sic lego: *Hoc igitur vitandum est, ne, eum genus posueris, ejus speciem, sicuti aliquam diversam partem ac dissimilem, ponas in eadem partitione.* BECICHEMUS.

Eo pacto.] Terent. Andr. I. 1. 22.

Cap. 24. *Barbarus*] Dicebatur quisquis Græcus non erat, ut ait Festus. Hinc *barbare* pro *Latine* dixit Plautus in Prologo Trinummi:

Huic nomen græce est Thesauro fabulæ:

Philemo scripsit, Plautus vertit barbare. Idem fere in Prol. Asinariæ. PRUSTEUS.

Cap. 25. *Habitum*] τὸν ἕξιν eodem sensu Græci dicunt. Vide Quintilian. pag. 619. not. 2. et 3. CAPPER.

Cap. 26. *Menstrui*] Priscianum si audias, non *menstrui*, sed *mensurni* legeris. Quercus, ait, etiam *quernus*, corylus *coluruus*, tacitus *taciturnus*, mensis *mensurnus*. Sic enim Cicero in primo Rhetor. MURETUS.

Cap. 28. *Disparatum autem est id*] Disparata vocat Tullius quæ hujus ætatis Dialectici *contradictoria* vocarunt, id est, ea quæ cum negationis oppositione enunciantur. Nostri autem Logici ea *disparata* dicunt, quæ cum nec relativa sint, nec privativa, nec contraria, nec contradictoria, tamen inter se discrepant; ut *homo* et *lapis*. Tullianam locutionem usu suo comprobavit Quintilian. lib. 5. cap. XI. pag. 314. ubi vide Turnebiani commentatoris notam 156. CAPPER.

Ut cupiditas] Lamb. *Ut cupiditas amorem avaritiam. Pars est ..... avaritia cupiditati.*

Deinde natura ejus evenire vulgo soleat] Victorinus Rhetor, ut ex vetusto illius codice intellexi, legebat: *Deinde* quid *ex natura ejus evenire vulgo soleat.* Optime. MURETUS.

Cap. 29. *Complexio est*] Quod argumentandi genus vulgo *dilemma*,

δίλημμα, dicitur. Tullianam loquendi formulam secuti sunt Asconius Pædianus, Anonymus Ciceronianarum orationum interpres, et Servius ad lib. 2. Æneid. 627. CAP.

Cap. 30. *Si Rhodiis turpe non est*] Locus ex Aristotle, Rhet. lib. II. cap. 25. ubi nescio quis Diomedo publicanus accusatus, quod redimendis publicis vectigalibus rem familiarem amplificaret, ita causam peroravit: Si vobis turpe non est vectigalia vendere, neque publicanis ea redimere turpe fuerit. PRUSTEUS.

Omne autem .... probabile] De probabilibus quæ εἰκότα dicuntur, agit Quintilianus, lib. 5. cap. x. pag. 284. et seq. CAPP.

Signum est quod] Σημεῖον. De signis hæc habet Quint. lib. 3. cap. 9. pag. 278. " Eorum (nempe signorum) alia " sunt quæ necessaria sunt, quæ " Græci vocant τεκμήρια, alia non ne- " cessaria, quæ σημεῖα. IDEM.

Ut supplicum misereatur] *Misereatur* positum passive et impersonaliter; quod rarum est. LAMBINUS.

Velut Gracchi patris factum] C. Claudius Appius Pulcher, et T. Sempronius Gracchus Censores, cum, in Equitibus recensendis, multis equos ademissent, publica invidia, annitentibus Tribunis plebis, flagrarunt. Odiosior omnibus Appius populi sententia unus damnandus erat. Gracchus conceptis verbis juravit, si quid in Collegam decerneretur, non expectato de se judicio, comitem exilii futurum. Constans Gracchi integritas populum ad absolvendum Appium commovit, anno U. C. DLXXXV. Pighius, ex asteriscis, qui in antiquis libris notantur, locum hunc truncum arbitratur, et sic fere supplendum conjicit. *Velut Gracchi patris factum, Collegam reum non deserentis, sed utriusque causam unam esse volentis. Quem populus Romanus ob id factum, et quod insciente Collega in Censura nihil gessit, post Censuram iterum Consulem fecit.* PRUSTEUS.

Imago, collatio, exemplum] Εἰκὼν, παραβολὴ, vel σύγκρισις, παράδειγμα, de quibus lege Quintil. lib. 5. cap. XI. pag. 307. 312. et quæ ibi annotata sunt. CAPPERON.

Visum] Hanc vocem omisit Gruterus, non omittendam tamen. Meminerit vero lector, non hanc ante dictorum repetitionem esse, sed propositionem mox dicendorum. Cum enim locos exposuerit Cicero, ex quibus omnis inveniri possit argumentatio, confert se jam ad explicandum, quibus modis tractari quamque oporteat. OLIVETUS.

Cap. 31. *Inductio est oratio, quæ*] Ἐπαγωγὴ de qua Quint. lib. 5. cap. x. pag. 297. CAPPERON.

Apud Socraticum Æschinem] Exemplum hoc sive ῥητορικὴν ἐπαγωγὴν adduxit etiam Quintilian. lib. 5. cap. XI. pag. 308. et 313. IDEM.

Hic mulier erubuit] Quintilianus, eodem loco: *Mulier erubuit merito; male enim responderat, se malle alienum aurum, quam suum: nam id est improbum. At si respondisset malle se aurum suum tale esse, quale illud esset, potuisset pudice respondere, malle se virum suum talem esse, qualis melior esset.*

Cap. 34. *Ratiocinatio, est oratio*] Ratiocinationis nomine complectitur hic Tullius omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀπεδείξεις vocant, quanquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiamsi vis eodem fere tendit. Verbis utor Quintiliani, qui de his copiose agit lib. 5. cap. x. CAPPERONNER.

Cap. 34. *Cum propositio sit, &c.*] Propositionis vocabulo Tullius eam intelligit, quam in scholis vulgo *Majorem* vocant: eandem Quintilianus *intentionis* nomine designat lib. 5. cap. 14. pag. 337. ubi vide Notas. CAPPER.

Hujus assumptionis] Quam *Minorem* appellare solent scholastici, et Quintilianus aliquando *Rationem* vocat. Ipsum lege lib. 5. cap. 14. IDEM.

Complexionem eam] In præcedentibus complexio Ciceroni erat ea ratiocinandi formula, cui nomen dilemma, δίλημμα. Sed hoc in loco complexionis nomine argumenti con-

clusionem, ut nunc loquimur, intelligit; quam et connexionem appellat Quintil. loco mox indicato. IDEM.

Cap. 37. *Quinque sunt partes argumentationis*] A Cicerone, quod rarum et mirum est, hoc quidem in loco dissentit Quintilianus, cujus rationum momenta lege et expende, lib. 5. cap. 14. pag. 337. et sequent. CAPPER.

Cap. 38. *Considerate*] Man. Lamb. *considerate: quod hic fecit. Quid enim.*

Cap. 39. *Proponimus*] Hoc est, eam propositionem efformamus, quæ vulgo *Major* in scholis appellatur. CAPPER.

Assumimus] Id est, eam propositionem conficimus, quam ætatis nostræ Logici *Minorem* vocant. IDEM.

Cap. 40. *Ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem*] Id est, ut usitato nostris in scholis more loquar, argumenti nostri conclusio erit hujusmodi, ut ambas præmissas, sive majorem et minorem, in unam periodum conducamus. CAPPER.

Ex conductionibus .... complecti] Hoc est, argumentum ita concludere, ut ambæ præmissæ, sive major et minor, unam in periodum conducantur. A qua explicatione non multum abludit Marius Victorinus, qui Tullianum illud *ex conductionibus* exponit κατὰ συναγωγὴν καὶ ἀναφαλαίωσιν, id est, per rerum congregationem (ut loquitur Quintilian. lib. 6. cap. 1.) et enumerationem per summa capita. IDEM.

Consecutione] Quæ alias complexio, connexio, conclusio dicitur. Vulgo *Consequentia*. IDEM.

Cap. 42. *Reprehensio est*] Alias infirmatio et refutatio, ἀνασκευή. CAPPER.

Confirmatio] Κατασκευή, quam Quintilianus *probationem* passim vocat. IDEM.

Cap. 43. *Conjecturali constitutione*] Στοχασμῷ, στοχαστικῇ στάσει. Status est Oratoriæ quæstionis, quam vulgo *facti* vel *de facto quæstionem* appellamus. Vide quæ annotavimus ad cap. 8. CAPPER.

Cap. 45. *Complexio*] Qua vox hoc in loco non argumenti conclusionem, ut supra, sed eam argumentandi formulam cui nomen *Dilemma* δίλημμα, significat. Vide notam ad cap. 29. CAPPER.

Conversione] Qua voce Tullius hoc refutandi genus imprimis firmum intelligit, quod Græci ἀντιστροφὴν (id est convertens, contra vertens, retorquens) appellant, atque idipsum est quod in scholis vulgo dicimus *retorquere argumentum*. Hanc refellendi formulam memorat Aulus Gellius lib. 5. Noct. Attic. cap. 9. et 11. ubi et illustre profert ejus exemplum. IDEM.

Nam si veretur] Iambici senarii sunt, ex Ennio sumpti. Nam auctor ad Herennium hos versus ipse quoque citat ex Ennio, lib. 11. cap. 26. NASCIMB.

Sive vereri] Ita legendum: non, *si vereri*, ut ediderunt Lamb. et Grut. Quis vero nesciat hoc fuisse scriptoribus librariis familiare erratum, ut quæ syllaba his eodem in contextu legeretur, eam semel tantum describerent? OLIVETUS.

Prædæ sectio] Man. *prædæ sectione venierit*. Lamb. *sectio venierit*.

Cujus prædæ sectio non venierit] Ita Veneti libri, id quod verum esse existimo: nam sectio vendi dicta. Ea autém erat pars bonorum vel damnatorum vel hostium, quæ veluti *resecta* esset de reliquis. Quid enim vetat hinc etiam vocabulum deducere, quamvis Asconii interpretationem non ignorem, quæ vulgo adfertur. Ille igitur equus, qui in publicam prædam non esset deductus, jure belli acquiri potuit. Deduci autem non fuit necesse, non proposita prædæ sectione. CAMERAR. Gothofredus legendum censet *qui prædæ sectione venerit*, aut potius *quive prædæ sectione venerit*. Ego autem melius videor mihi intelligere quid voluerit dicere Cicero, quam quibus id verbis dixerit. Nempe equus pervenit ad possessorem, neque istis modis, quos accusator enumeravit, ne-

que etiam furto, sed quodam modo, qui in enumeratione non erat; qui est, equum ex hostibus esse captum et apud possessorem mansisse, quoniam prædæ, cujus pars erat equus, sectio non venierat. Nec minus Latine dicitur *venire sectio*, quam Cæsar ipse *vendere universi oppidi sectionem*, loco satis noto apud eum de B. G. lib. 11. c. 33. Parum igitur refert quomodocunque locus constituatur, quoniam de sensu, ut credo, nobis securis esse licet. Cæterum gaudeo meæ sententiæ assentiri Camerarium, cujus adnotatio mihi demum lecta fuit, postquam huic loco jam adscripta erant superiora. VERBURG. Vide P. Nannii Miscellan. lib ix. cap. 1.

Cap. 47. *Complexio ex his*] Quod vocabulum hoc in loco et in sequentibus *argumenti conclusionem* significat. CAPPERONNERIUS.

Non es igitur profectus] Concludi debuit: Igitur ad exercitum non venisti. Aliud est ad exercitum proficisci, sive itineri se committere ad exercitum; aliud est venire, sive pedem inferre in ipsa castra. Vitiosissima igitur conclusio, qua colligitur id quod nullatenus positum fuit sive in propositione, sive in assumptione. Nota est hæc Logicorum regula: *Nihil debet esse in consequente, quod non fuerit in antecedente.* PRUSTEUS.

Propositionem et assumptionem] Id est, ambas præmissas; sive *Majorem* et *Minorem*, ut in scholis nunc loqui amant. CAPPER.

Cap. 48. *Si perspicuum*] Quomodo ipso in argumento, si perspicuum erit, vitium tamen esse possit, magna cum perspicuitate docebit infra Tullius. CAPPER.

Cum te expetebant, &c.] Verba Atrei ad Thyestem, ex Ennio in tragœdia Thyeste. Aut levis, aut nulla est defensio. Omnes te suffragiis adjuvabant: mea opera non erat adeo utilis: te deserui. PRUST.

Cap. 49. *Utinam ne in nemore, &c.*] Versus ex Ennii Medea. Vide longiorem ibi, lib. 11. ad Heren. cap. 22.

Dubia causa affertur] Argumentatio. Mihi succensere non debes: nam ut Dii inter se conveniunt, ita neque inter nos dissidium esse deceat. Rem dubiam confirmaturus, adducit rem maxime dubiam; Deorum scilicet concordiam. Versus Ennii sunt, ex Euripidis Chresphonte. MURET.

Cæpionis legem] Q. Servilius Cæpio, Consul anno U. C. 648. legem tulit, qua judicia quæ ad solos Equites C. Gracchus transtulerat, cum Senatoribus communicarentur. PRUSTEUS.

Cap. 50. *Ut Amphion apud Euripidem*] Adducit similitudinem. Non enim Amphion apud Euripidem accusatus de ambitu, manu se fortem esse defendit. Sed Amphion apud Euripidem in tragœdia, quæ non extat, et apud Pacuvium, cum sermonem de Musica cum Zetho institnisset, non in eo, quod cœperat, desinit, sed ipsorum disputatio in sapientiæ laudem consumitur. Quod autem Zethus cum Amphionis fratre apud Euripidem de Musica disputet, Athenæus testis est, lib. 8. Huc fortasse spectant Horatiani versus, Ep. 18. lib. 1. ad Lollium, 41. NASCIMB. Distingue igitur sic, *apud Pacuvium: qui* .... ut referas τὸ *qui*, non ad Pacuvium, sed ad Amphionem.

Amicum castigare, &c.] In Trinummo; Actu I. Sc. I. versu 1.

Aut eadem. Malum est avaritia: multos enim] Ταυτολογία. MURETUS.

Cap. 51. *Nisi per locum communem*] Locus communis hic significat orationis particulam, aut etiam orationculam, quæ habetur de virtutibus aut in vitia, personis non nominatis, et pertinet ad quoddam Rhetorices *progymnasma*, quod Hermogeni sextum est. Tres alios *loci communis* significatus exposuimus ad Quintil. lib. 5. cap. 1. pag. 263. not. 15. et cap. 13. pag. 326. not. 103. CAPPERONN.

Cap. 52. *Enumeratio est*] Ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant, quia per sum-

ma dictarum rerum capita decurrit, ut docet Quintilian. lib. 6. cap. 1. pag. 351. ubi vide notas 5. et 8. CAPPER.

Omnes transire breviter argumentationes] Ubi nota specialem verbi τοῦ *transire* significatum. Græci dicerent διέρχεσθαι, διεξιέναι, μετέρχεσθαι, διεξάναι, id est, *dicendo percurrere*. Eodem sensu dixit Tullius pro Rosc. Amer. cap. 32. *Sed in animo est leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem.* IDEM.

Personam aut rem aliquam inducere] Idque per eam sententiarum figuram, cui nomen *Prosopopœia*. CAPPER.

DE

INVENTIONE RHETORICA

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

TULLIUS ab eleganti narratiuncula exorsus, deinceps disserit

De judiciali genere, et constitutione conjecturali, hujusque tractandæ locis tum ab actore, tum a reo.

De constitutione definitiva.

De translativa constitutione.

De generali constitutione, cujus duæ partes, negotialis et juridicialis explicantur.

De scripti controversiis.

De genere deliberativo, deque honesto et utili.

De genere demonstrativo. PRUSTEUS,

Cap. 1. *Templum Junonis* Junonis] Laciniæ templum, prope Crotonem urbem, sanctum omnibus circa populis, ex Livio, lib. 24. RUÆUS, in *Æneid.* III. 552.

Attollit se diva Lacinia, &c.

Cum puerorum igitur formas, et corpora magno] Est versus longus, quem destruendum putabat Gulielmius fide libri Grevenb. *corpora, et formas.* Pall. adhærent vulgatæ. GRUT.

Cap. 2. *Tisia*] Cum hoc Tisia, Coracis discipulo, legatum Gorgiam Leontinum Athenas profectum scribit Pausanias, lib. 6. Hic multa in orationem contulit, et persuadendi peritissimus omnium suo tempore habitus est. Hunc in Phædro Platonis Socrates deridet: cujus tamen auditorem Isocratem fuisse scribit Plutarchus. CORRADUS, in *Brut.* cap. 12.

Cap. 3. *Ex his duabus diversis sicuti familiis*] Aristotelis et Isocratis.

Et inventiones] Victorinus explicans hunc locum, *Nam*, inquit, *de quinque partibus orationis solam inventionem tractat.* Quibus verbis quid sibi velit, non intelligo; satisque apparet, vim hujus loci ignorasse. Ego vero crediderim *inventiones*, non argumentum, ut quidam falso existimant, sed intentionem in primis, et depulsionem esse intelligendas. Nam proposita controversia, considerandum est primum, an causa consistat; quod ex intentione, et depulsione cognoscitur. *Intentio* est prima pars, cum Actor proponit et facit litem. *Depulsio*, est responsio Rei. Cum

igitur ex intentione et depulsione omnis controversia, id est constitutio, sive quæstio fiat, merito *inventiones* appellantur. Hoc autem ita esse, facile ex textu intelligi potest: Nam sequitur, *et constitutiones*. NASCIMBÆNIUS.

Cap. 4. *Non easdem*] Lamb. *non easdem in unumquodque genus causæ incidere.*

Dictionem] Lamb. *dictionem, aut ad judicium. Quare.*

Nunc a conjecturali] Lamb. *Nunc ad conjecturalem constitutionem proficiscamur.*

Cap. 9. *Cognomen*] Lamb. *cognomen quoque et agnomen.*

Græcis] Vict. Man. *Græcos.*

Quod Clodius] *Clodius*, quod claudicet, vel corpore, vel animo. *Cæcilius*, quod cæcutiat. *Mutius*, quod mutus. Has vero nugas in Oratore quis ferat? MURETUS. Proderit tamen ad ridiculum: quo modo Tullius in Verrem, II. 24. *Quod unquam hujusmodi* verriculum *fuit?* PRUST.

Quibus sit majoribus] Ita Demosthenes in Oratione pro Corona accusatus ab Æschine se defendit a genere, et indicium facit se virum optimum esse, quod optimis majoribus sit natus: Æschinem vero pessimum, quod infimo genere sit natus. NASCIMB.

Cap. 13. *Haberet*] Lamb. *non haberet.*

Cap. 14. *Tum illi ipsi in medium*] Sensus est: Tum reconditi loci conjecturarum efferent se in lucem: et cum ex iis separatim sumptis, tum ex iis simul sumptis fient argumenta. PRUST.

Questiones] Id est, tormenta quæ adhibito corporis cruciatu veritatem exprimunt. De quæstionibus his sive tormentis, itemque de testimoniis et rumoribus agit ex professo Quintilian. lib. 5. cap. 3. 4. 7. pag. 265. 268 et seq. CAP.

Cap. 15. *Locus communis, aut certæ rei, &c.*] Hunc *communis loci* significatum supra explicuimus ad cap. 51. lib. 1. num 59. CAP.

Aut dubiæ] Alterum hunc *communis loci* significatum exposuimus in Quintil. pag. 263. not. 15. ubi quatuor τῶ *communis loci* significationes explanavimus. IDEM.

Illis] Vict. Grut. *illis auditoribus*, et *argumentis.*

Cap. 16. *In conjecturalem constitutionem*] De qua vide quæ annotavimus ad lib. 1. cap. 8. IDEM.

Cap. 17. *Constitutio definitiva*] De qua vide ad cap. 8. CAPPER.

Intentio est] Hoc est, accusatio, sive accusatoris actio. IDEM.

Depulsio est] Id est, accusationis refutatio, sive τῶ Rei defensio. CAPPER.

Ratio] Ἀιτία vel ἀίτιον, id est, causa quam Reus ad sui defensionem profert. Vide quæ annotavimus ad lib. 1. cap. 13. CAPPER.

Judicatio] Τὸ κρινόμενον, id est, hoc ipsum de quo judices laturi sunt sententiam. Vide ad cap. 13. IDEM.

Descriptio] Hoc est, definitio ejus vocabuli, cujus vis inquiritur et significatio venit in controversiam. IDEM.

Cap. 18. *Sequitur*] Lamb. *Sequetur.*

Quare] Lamb. *Quare non in omne causæ genus incidunt. Eorum.*

Cap. 19. *Constitutio translativa*] De qua vide quæ annotavimus ad cap. 8. CAPPER.

Prætoriis exceptionibus] Excipere, proprie est detrahere: et inde dicta exceptio est, quod partem aliquam de universo Actoris jure detrahat vulgari formula *Nisi si*, vel *Si non*, vel *Extra quam*; quasi defensor aliqua ex parte veram esse actoris intentionem fateretur, sed tamen cum exceptione. *Prætoriæ* exceptiones erant, quia Prætor exposita causa actionis formulam præscribebat. PRUSTEUS.

Conceptio] A jure consultis dicitur formula. PRUSTEUS.

Assumpta alia aliqua constitutione] Id est, assumendo quemdam alium statum quæstionis. CAPPER.

Conjecturali constitutione translationem confirmabit] Id est, confirmabit translativam illam causæ consti-

tutionem, movendo quæstionem facti, vel de facto. CAPPER.

Cap. 20. *Extra quam*] Vide P. Nannii Miscellan. lib. IX. cap. 6. ut et Brissonium de Formulis.

Ratio] Vide quæ notavimus ad cap. 17. CAPPER.

In recuperatorio judicio] Recuperatorium judicium dicebatur, quod ferebant Recuperatores. Hi porro judices quidam erant a Prætore privatis in controversiis de re qualibet dati; quos etiam a recuperando ita vocatos aiunt, quod per eos suum quisque jus recuperare posset, vel quod de bonorum inique ablatorum recuperatione, æstimandisque injuriis cognoscerent. CAPPER.

Judicatio] Vide quæ notata sunt ad cap. 17. CAPPER.

Cap. 21. *Actionis illata controversia*] Ea ipsa est quæ alias *translatio et translativa causæ constitutio* appellatur, ἡ μετάληψις, ἡ παραγραφή, de qua vide cap. 8. lib. 1. CAPPER.

Constitutionem generalem] De hac vide quæ notavimus ibid. IDEM.

Negotialis est] De qua lege quæ supra notata sunt ad cap. 11. lib. 1. IDEM.

Quam in suam tutelam, &c.] Id est antequam pubes factus esset, et testari posset: *in suam* enim *tutelam* venire, vel *suæ tutelæ fieri*, nihil aliud est quam ad pubertatem venire. v. l. *si filiafamilias* 51. *ff. de legat.* 3. l. 5. §. 2. *ff. quibus ex causis in possessionem.* GOTHOFREDUS.

Intentio est] Hoc est, petitio, sive postulatio. CAPPERONNERIUS.

Depulsio] Id est, recusatio, refutatio, denegatio. IDEM.

Ratio est] Vide quæ notata sunt ad cap. 17. lib. 2. IDEM.

Judicatio] Vide supra ibid. IDEM.

Constitutione] τῇ στάσει. Vulgo dicunt. statum quæstionis oratoriæ in genere judiciali. Jam vero quot sint hujusmodi status, et quam varia sint de his veterum Rhetorum systemata, fusius exposuimus ad Quintilian. lib. 3. cap. 6. pag. 181. not. 468. CAPPER.

Cap. 22. *Locorum communium ... duo sunt genera, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ*] Vide quæ de his notavimus ad cap. 15. CAPPER.

Cap. 23. *Juridicialis est*] De qua vide quæ supra notavimus ad cap. 11. lib. 1. IDEM.

Absoluta est] Vide ibid. IDEM.

Intentio est] Id est, accusatio, accusatoris actio, qua cuipiam crimen intendit. IDEM.

Depulsio] Id est, accusationis refutatio, seu τοῦ Rei defensio. IDEM.

Ratio est] Vide cap. 17. CAPPER.

Judicatio] Vide cap. 17. CAPPER.

Relationem criminis] Τὸ ἀντίγκλημα. Herennianus Rhetor statum hunc vocat *Translationem criminis.* Vide Quintil. pag. 181. not. 468. Vide etiam Ciceronem ipsum hoc in libro, cap. 26. IDEM.

Cap. 24. *Assumptiva*] Ἀντίθεσις, vel ἀντιθετικὴ στάσις. Lege Quintilian. pag. 181. not. 468. IDEM.

Comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio] De horumce vocabulorum sensu, vide supra cap. 11. lib. 1. et ipsum Ciceronem hic cap. 24. 26. 29. et 31. IDEM.

Comparatio est] Ἀντίστασιν Græci Rhetores vocant. Vide Quintil. pag. 181. not. 468. IDEM.

Majestatis] Subauditur *læsæ.* IDEM.

Definitio] Id est, quæstionis oratoriæ status, cui nomen *Definitiva constitutio*, ὅρος, ὁρισμός. Vide supra cap. 8. lib. 1. ID.

Conjecturalis] Id est, movendo quæstionem facti vel de facto. IDEM.

Ex conjecturali constitutione] Id est, ex eo quæstionis oratoriæ statu, quem vulgo vocamus *facti* vel *de facto quæstionem.* Græci Rhetores στοχασμὸν, στοχαστικὴν στάσιν. Alia ejusdem nomina vide supra cap. 8 lib. 1. IDEM.

Cap. 25. *Hæc*] Grut. *hoc quidem plerumque in genere accidit.*

Conjectura et definitione] Hoc est,

iis quæstionum oratoriarum statibus, quorum alter vocatur *conjecturalis*, στοχασμὸς, vulgo *facti quæstio*; alter definitivus, ὅρος, ἱστασμὸς; de quibus vide ut sup. lib. 1. cap. 8. IDEM.

Constitutionibus] Id est, oratoriarum quæstionum statibus in genere judiciali. ID.

Cap. 26. *Ad ipsam comparationem*] Hoc est, ad eum qualitatis assumptivæ statum, cui nomen *comparatio*, ἀντίστασις. Vide cap. 11. lib. 1. CAPPER.

Relatio criminis] Græci vocant ἀντίγκλημα, quasi dicas *recriminationem*. Vide ut sup. lib. 1. cap. 6. IDEM.

Cap. 27. *Translationis*] Quam Tullius alibi vocat *translativam causæ constitutionem*, Græci μετάληψιν, et aliquando παραγραφὴν. Tunc autem locum habet hic quæstionis oratoriæ status, cum litigantium alter contendit non apud hos judices, aut non hoc tempore, aut non hac lege secum agi oportere. Vide supra cap. 8. lib. 1. CAPPER.

Deliberationis] Id est, earum orationum, quæ versantur in genere deliberativo. Vide supra cap. 5. lib. 1. CAPPER.

Cap. 28. *Relationem*] Id est, eum qualitatis assumptivæ statum, quem Cicero *relationem criminis*, Herennianus Rhetor *translationem criminis*, Græci ἀντίγκλημα (quasi recriminationem) appellant. Vide supra cap. 11. lib. 1. et cap. 26. lib. 2. IDEM.

Conquestio] Vict. Man. Grut. *sui conquestione*.

Cap. 29. *Remotio criminis*] Unus est e qualitatis assumptivæ statibus, cui nomen μετάστασις apud Græcos Rhetores. Lege sis Quintilian. lib. 3. cap. 6. pag. 181. not. 468. CAPPER.

Ex conjecturali.....constitutione] Vide hic cap. 24. IDEM.

Ex comparatione] Vide ibid. et cap. 26. IDEM.

Ex relatione criminis] Vide hic cap. 26. et cap. 28. IDEM.

Negabit] Lamb. *negabit hoc ad judicium illius, sed ad hujus .... culpam pertinere*.

Cap. 30. *Concessionis*] Concessio unus est e qualitatis assumptivæ statibus, cui apud Græcos nomen est συγγνώμη, venia; unde a Latinis dicitur etiam *status venialis*, et *deprecatio*. Vide supra cap. 11. lib. 1 et cap. 31. lib. 2. IDEM.

Superioribus assumptivis] Quatuor sunt qualitatis assumptivæ status; comparatio, relatio criminis, remotio criminis, et concessio. Duos priores his verbis Tullius designavit. CAPP.

Porcam sustinuit] Nam, ut ait Virgilius, Æneid. VIII. 641.

Cæsa jungebant fœdera porca.

Mirifice hic locus illustratur denario quodam argenteo, quem ab Italicis populis, quo tempore bellum Marsicum motum est, cusum, existimare possumus ex eo, quod ITALIA inscriptum in eo sit, et in medio militum fœdus ferientium vir incisus, qui porcam hujusmodi sustinet. URSINUS. De hoc denario, et alio non dissimilis typi consulendus est. Spanhemius, Dissert. X. de Usu et Præstantia Numism. VERBURG.

Imperatore Samnitibus tradito] Si quando Imperator, præter S. P. Q. R. voluntatem ac sententiam, fœdus cum hostibus feriisset, ut populus Romanus ea fœderis religione solveretur, Imperator ipse in hostium potestatem vinctus tradebatur. NASCIMBÆNIUS.

Cap. 31. *Concessio est*] Alias dicitur venia, status venialis, Græce συγγνώμη. Vide cap. 11. lib. 1. et cap. 30. lib. 2. CAPPER.

Per quam non factum ipsum improbatur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur] Quem locum ne quidem gentium Deus Hermes possit ἑρμηνεῦσαι. Nam concessionem dividit Tullius in purgationem, et deprecationem; purgatio vero ei definitur, per quam ejus, qui accusatur, *non factum, sed voluntas defenditur*. Pugnant autem hæc; in concessione voluntatem *improbari*; in purgatione, quæ concessionis pars

est, voluntatem defendi. Itaque *concessionis* definitionem leniter, leviterque immuto, ac lego: *per quam non factum ipsum probatur ab reo, &c.* Vossius, Inst. Orat. *l.* 9.

Commotis] Man. Lamb. *commotus.*

Cap. 32. *Conjecturam*] Id est, illum quæstionis oratoriæ statum, qui dicitur *conjecturalis*; στοχασμὸς, στοχαστικὴ στάσις; vulgo *quæstio facti* vel *de facto.* Vide cap. 8. lib. 1. Cap.

Fecisset] Lamb. *Fecisset, ac ne sic faceret, præcaveri.*

Negotiali parte] Quid sit pars negotialis, vide cap. 11. lib. 1. Capper.

Absoluta juridiciali] Quid sit pars juridicialis absoluta, quæ opponatur assumptivæ, vide ibid. Capp.

Deliberationis] Id est, generis deliberativi. Alludit enim ad celeberrimam orationum divisionem, secundum quam aliæ dicuntur esse in genere demonstrativo ἐπιδεικτικῷ, aliæ in genere deliberativo συμβουλευτικῷ, vel συμβουλευτικῷ, aliæ denique in genere judiciali δικανικῷ. Vide cap. 5. lib. 1. Idem.

Vindicandi] Vict. Man. *judicandi.*

Cap. 33. *Scripti controversiam*] Considerandum est, ait Tullius pag. 14. an in ratione, an in scripto controversia est ea, quæ ex scriptionis genere nascitur. Quintilian. lib. 3. cap. 5. status alios rationales, alios legales vocat, idque Græcorum Rhetorum exemplo, qui στάσις λογικὰς et νομικὰς appellant. Vide cap. 13. lib. 1. Cap.

Controversia quæ ex scripto et sententia nominatur] Ea Græce dicitur περὶ γραφῆς καὶ διανοίας, quasi dicas *de dicto et sententia.* Hoc controversiæ seu status legalis genus fusius exponunt Tullius hic, cap. 42. et Quintilian. lib. 7. cap. 6. Idem.

Cap. 34. *Parte*] Lamb. *parce eo genere, cum causam in eo, ut deprecaris, constitueris.*

De Syphace] Syphax Massylorum in Numidia rex societatem primum iniit cum P. Scipione: fracta deinde fide, Hasdrubali adhæsit: tandem devictus, captus, ac per triumphum a Scipione, si Polybium audias, circumductus, paulo post in custodia Tibure obiit, anno U. C. 553. Prusteus.

De Q. Numitorio Pullo] Proditore in bello Fregellano: de quo Philipp. III. cap. 6. Idem.

Apud L. Opimium] Amicus meus addit, *Prætorem.* Recte, si ex libro aliquo manuscripto. Consentit historia. Livius in Epitoma, lib. IX. *L. Opimius Prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit.* Ursinus.

Conjecturali constitutione] Τῇ στοχαστικῇ στάσει. Vide cap. 32. Capper.

Adjungeret] Lamb. *adjungeret, petebat.*

Cap. 35. *Consanguineum*] Lamb. *consanguineum, majoribus in primis eorum, qui se salvum velint, aut amicum esse demonstrabit; et amplitudinem suæ voluntatis, et nobilitatem generis, et dignitatem ostendet.*

Cap. 36. *Erit*] Lamb. *erit, hic, indignatio.*

In generali constitutione] Id est, in eo quæstionis oratoriæ statu, qui et status qualitatis, et qualitas ποιότης appellari solet. Vulgo dicimus quæstionem juris, vel de jure. Vide cap. 8. lib. 1. Capper.

Juridicialem] Δικαιολογικὴν quæ τῇ negotiali πραγματικῇ opponitur. De his vide supra, cap. 11. lib. 1. Idem.

Cap. 37. *Deliberativum est.... judiciale est habendum*] Græci dicunt συμβουλευτικὴν et δικανικὴν, de quibus vid. cap. 5. lib. 1. Capper.

Constitutio] Στάσις, id est, quæstionis oratoriæ status. Vide cap. 8. lib. 1. Idem.

Judicatio] Τὸ κρινόμενον. Vide cap. 17. lib. 11. Idem.

Cap. 38. *Ex casu*] Vict. Grut. *ex causa.*

Cap. 39. *Delibari*] Vulgo *deliberari:* pro quo Muretus in Ciceroniani, de quo in Præfatione dicebam, exempli marginibus, *delibari*, scripserat. Reposuit Lambinus *delibrari*, quod interpretatur, *detrahi, deteri:* ut apud Lucretium III. 1101. *nec delibrare vale-*

mus Tempore de mortis. Quanquam et ibi apud Lucretium, *delibare*, legi vult Tan. Faber. Judicium esto doctorum: neque enim hic ego me criticum, sed editorem debeo profiteri. OLIVETUS.

De constitutionibus satis.... nunc de iis controversiis quæ in scripto versantur] Vide ut ipse Tullius *constitutiones* τὰς στάσεις, id est, oratoriarum quæstionum status proprie dictos et stricte sumptos legalibus quæstionibus quadamtenus opponat. Vide varia Rhetorum systemata *de statibus* in Quintil. pag. 181. not. 468. CAPP.

Cap. 40. *Ex ambiguo*] Ἀμφιβολίαν, Græci Rhetores vocant. Legalem hunc statum fusius explicat Quintil. lib. 7. cap. 9. IDEM.

Ex scripto et sententia] Περὶ γραφῆς καὶ διανοίας. Vide ipsum Ciceronem hic cap. 42. et Quintil. lib. 7. cap. 6. IDEM.

Ex contrariis legibus] Ἀντινομία. Legalem hunc statum (vel potius quæstionem) exponunt Tullius hic cap. 45. et Quintilian. lib. 7. cap. 7. ID.

Ex ratiocinatione] Συλλογισμός, qui status (vel, si mavis, quæstio) legalis pluribus explicatur a Cicerone hic, cap. 50. et a Quintil. lib. 7. cap. 8. ID.

Ex definitione] Ὅρος, ὁ ὁριστικὸς νομικός, qui status (aut quæstio) legalis proprius ac peculiaris est Tullio hic, cap. 24. et Herenn. I. 18. 19. 24. Vide et Quintilian. pag. 181. num. 468. IDEM.

Cap. 41. *Ex deliberationis partibus*] Id est, quæ pertinent ad genus orationis deliberativum, συμβουλευτικόν. Vide cap. 5. lib. 1. CAPPER.

Cap. 42. *Ex scripto et sententia*] Περὶ γραφῆς καὶ διανοίας, id est, de dicto et sententia. Vide Quintilian. lib. 7. cap. 6. IDEM.

Juridicialis assumptivæ] Δικαιολογικῆς ἀντιθετικῆς. Ubi τὸ *juridicialis* opponitur τῇ negotiali, πραγματικῇ, et τὸ *assumptivæ* opponitur τῇ absolutæ, ἀντιληπτικῇ. Vide cap. 11. lib. 1. CAPPER.

Comparatio] Ἀντίθεσις, quæ una est e quatuor partibus qualitatis assumptivæ. Vide cap. 11. lib. 1. et cap. 24. lib. 2. IDEM.

Relatio criminis] Ἀντίγκλημα. Altera pars est qualitatis assumptivæ, de qua vide cap. 11. lib. 1. et cap. 26. lib. 2. IDEM.

Tribunus militum] Tangit Plutarchus in Mario hanc rem, et ipse Cicero in Orat. pro Milone his verbis: *Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit.* LAMBINUS.

Remotio criminis] Μετάστασις. Tertia pars est qualitatis assumptivæ. De hac vide cap. 11. lib. 1. et cap. 29. lib. 2. CAPPER.

Concessio] Quæ alias dicitur status venialis, et venia, συγγνώμη. Vide cap. 11. lib. 1. et cap. 31. lib. 2. IDEM.

Cap. 44. *Assumptiva*] Ἀντιθετικὴ quæ opponitur τῇ absolute ἀντιληπτικῇ, et quatuor habet partes in pagina proxime præcedenti expositas. Vide cap. 11. lib. 1. IDEM.

Cap. 45. *Aliis*] Lamb. *in aliis.*

Sæpius] Grut. *Seriis suis rebus.*

Ejus] Lamb. *ejus causæ, propter.*

Cap. 46. *Comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus*] Quatuor hæ sunt qualitatis assumptivæ partes, quas sigillatim exposuimus paulo supra ad cap. 42. CAPPER.

Cap. 47. *Assumptionis partibus*] Intellige quatuor illas qualitatis assumptivæ partes, nempe comparationem, remotionem, relationem criminis, et concessionem; de quibus paulo supra ad cap. 42. CAPPER.

Cap. 48. *Fieri*] Lamb. *fieri potuisse, aut oportuisse: et id.*

Ex illo ambiguo] Alludit Tullius ad legalem eum statum vel quæstionem, cui apud Græcos nomen est ἀμφιβολία. Vide hic ad cap. 40. CAPPER.

Verbi definitionem inducere] Id est,

illam statum (vel potius quæstionem) legalem, cui nomen ὅρος, vel ὁρισμὸς, νομικὸς, de quo vide ad cap. 40. IDEM.

Per ratiocinationem] Τὸν συλλογισμὸν, quo de statu vel de quæstione, lege cap. 40. IDEM.

Assumptionis partibus] Quatuor sunt, quas exposuimus supra cap. 42. IDEM.

Cap. 49. *Ex contrariis legibus*] Ἀντινομίαν vocant Rhetores Græci. Vide ad c. 40. IDEM.

Olympionicarum] Non arbitror hic de corona esse intelligendum, sed de statua, quæ erigenda esset ei, qui tyrannum occidisset, quemadmodum Athenis Harmodio et Aristogitoni factum fuisse scriptores memoriæ prodiderunt. Nam Olympionicæ non corona tantum ex oleastro, verum etiam statua ornari solebant. Quod Plinius indicare videtur. (*Edit. Hard. Tom.* II. *pag.* 642.) NASCIMB.

Alexandrum, qui apud Pheræos] Inde Pheræus dictus est. Cicero, lib. 11. de Off. cap. 7. ejus pene vitam paucis describit. IDEM.

Per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem] Tres intelligit status vel quæstiones legales, de quibus supra ad cap. 40. CAPPER.

Cap. 50. *Ex ratiocinatione nascitur controversia*] Συλλογισμὸς dicitur. Vide supra cap. 40. et Quintilian. lib. 7. cap. 8. CAPPER.

In juridiciali absoluta] Δικαιολογικῇ ἀπολελυμένῃ, ubi τὸ *juridiciali* opponitur τῇ *negotiali* πραγματικῇ, et τὸ *absoluta* opponitur τῇ *assumptivæ* ἀντιθετικῇ. De his plura vide ad cap. 11. lib. 1. IDEM.

Cap. 51. *Definitio est*] Intellige definitionem legalem, seu statum definitivum legalem, ὅρον, ὁρισμὸν νομικὸν, ubi agitur de definiendis et explicandis legum, aliorumve scriptorum vocabulis. Hic porro status Ciceroni et Herenniano Rhetori proprius est ac peculiaris. Vide supra ad cap. 40. et Quintil. pag. 181. not. 468. CAPPER.

Definitiva constitutio] Hic simplex est definitivus status rationalis ὅρος, ὁρισμὸς λογικὸς, de quo plura vide ad cap. 8. lib. 1. IDEM.

Constitutione] Τῇ στάσει, id est, in aliquo quæstionis oratoriæ statu, de quo vide ibid. IDEM.

Deliberationis] Id est, earum orationum, quæ versantur in genere deliberativo, quod Græci συμβουλευτικὸν, et aliquando δημηγορικὸν (concionale) appellant. IDEM.

Cap. 54. *In odium alicujus invectionis*] *Alicujus inferioris*, restitui conjectura ductus. Nam vox, *invectionis*, quæ reperitur in omnibus libris, sine dubio corrupta est. Quod autem Michael Brutus sic emendandum censuit, *temere in odium alicujus invectio concitata, comitate retinetur*, pace ejus dixerim, non probo. LAMB.

Cap. 57. *Cassilinum*] Alludit ad historiam: nam Cassilinum, oppidum Campaniæ, cum ab Annibale obsideretur, milites eo inopiæ pervenerunt, ut mures et lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur. Livius, lib. 3. NASCIMB.

Cap. 58. *Affectio*] Græce dici posset σχέσις, πάθος, συμβεβηκὸς, (accidens) et περίστασις, quam *circumstantiam* vulgo appellant, idque auctore ipso Quintiliano, pag. 303. not. 523. CAP.

At non illo animo, quo Ulysses transiit] Ulysses sub habitu mendici Trojam ingressus diligenter omnia exploravit: id quod ex Euripide in Hecuba satis liquet. NASCIMB.

Aristippus] Bion, apud Laertium in Aristippo, scriptum reliquit, Aristippum, cum aliquando navigasset, didicissetque navem, qua vehebatur, esse piraticam, acceptum aurum numerasse: deinde, quasi imprudenti et invito lapsum e manibus projecisse in mare, ingemuisseque graviter. Sunt qui illum hæc addidisse memorent: *Melius est, ut hæc ab Aristippo, quam Aristippus propter ista pereat.* IDEM.

Cap. 59. *Una pars*] Nescio, an hoc loco nimis audax fuerit Lambinus; illud scio, mihi arridere emendatio-

nem, quam exhibuit in margine editionis suæ: *Una pars ad exitum, hoc et superiore libro, perducta est, &c.* Cæterum Gothofredus hic annotavit, videri ex hoc loco posse colligi, Ciceronem plures de Inventione libros scripsisse. Illud quidem non tantum jam diu inter eruditos constat, plures fuisse perscriptos a Cicerone libros de Inventione, sed etiam eos fuisse quatuor, e quibus duos posteriores nobis longinquitas temporis invidit. Vid. Voss. de Natura Rhet. c. 13. VERBURG.

DE

ORATORE,

AD Q. FRATREM,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Ut ex hisce libris legendis majores fructus Lector percipiat, non inutile credidi fore, totius Operis formam et quasi figuram breviter depingere. De Rhetorica Cicero omnium Romanorum eloquentissimus tradit præcepta; nec ea quidem, Rhetorum aliorum more, nuda et inornata tradit, sed oratione ita limata, et doctrina ita liberali, ut scias ipsum id assecutum esse, quod vellet aliis præcipere. Plerumque fit, ut cum invidia audiatur, qui aliis præcipit: qui enim eos conatur docere, se iis superiorem fore in eo, quod docet, pollicetur. Hanc igitur invidiam a se Cicero artificio quodam removit, cum sub personis Lucii Licinii Crassi, et M. Antonii, oratorum superioris sæculi principum, suam de Eloquentia sententiam explicavit. His senibus duos juvenes forumque vix ingressos, Cottam et Sulpicium, comites adjunxit: prudenter quidem: nisi enim in hanc disputationem venissent senes, minus auctoritatis et gravitatis haberent ea, quæ præciperentur: et nisi juvenes adessent, qui et audiendi cupidi essent, et nondum satis usu forensi instructi, senes non potuissent hunc sermonem sine ineptiarum crimine instituere. Vide, quam elegans sit exordium disputationis: Artificum erat et levium Græcorum Rhetorum, se de Eloquentia dicturos esse profiteri. Hi senes, et ingenui, et in Rep. versati, non, nisi fortuito, in hanc disputationem incidunt; nihil de se promittunt, sed cursu orationis, vel casu potius in Rhetoricæ campos incurrunt. Nec in personis solum, sed in loco decorum servat Cicero: non enim Romæ, sed ruri disputant; non in urbis occupatione, ubi mollioribus his studiis se dedere non licet, sed in otio recessus Tusculani, quo proficiscentem curæ Reique publicæ negotia, etiam cum bonorum venia, non sequuntur.

In primo libro quæritur, quæ sit oratoris materia, quæque artes sint illi ad cognoscendum necessariæ. Crassus, cujus in persona explicatur ipsius Ciceronis sententia, perfectum oratorem instituit, eique omnium artium cognitionem subjungit: singulas percurrit, probatque et exemplis et rationibus, quam utilis sit unaquæque oratori: Antonius vero, cujus disputatio ad mentem Quinti formatur, contra Crassum disputat, et cum indoctus a plerisque haberetur, solaque natura ad dicendum instructus, Eloquentiam a cæteris artibus segregat, eique solam bene dicendi scientiam adjungit. Quæ argumenta attulerat Crassus, ea omnia percurrit Antonius, et verbo magis, quam re dissolvit. Aderat etiam huic disputationi Scævola senex; quem Cicero a sequentibus libris dimovit, et quia

infirma valetudine fuit, (ut ait ipse,) et quia in hoc libro disputatio de jure civili a Scævolæ studiis non abhorrebat: tantum vero virum proximæ de jocis disputationi interesse non decebat.

In secundo libro partes Inventionis Antonio traduntur; in qua potius, quam in ornatu orationis excelluit. Omnia igitur præcepta ponit, ex quibus argumenta possimus eruere, quibus animos judicum movere et nobis conciliare: tria illa genera, judiciale, deliberativum, demonstrativum, tractat, digitumque ad fontes intendens docet, quomodo ea, quæ universe dicuntur, ad unamquamque causam referri possint. Ad Inventionem pertinent joci: Cæsar igitur, qui in iis omnibus præstitit, huic disputationi adest, et ea omnia, quæ de jocis didicerat aut observarat, in medium profert. Deinde Antonius loquitur de memoria, scilicet artificiali (nam ea sola Inventionis est propria,) brevibusque omnia, quæ ad illam spectant, præceptis concludit.

In tertio partes Elocutionis Crasso deferuntur: in verbis enim magis, quam in sententiis eligendis elaboravit. Prius igitur de universo genere dicendi pauca loquitur; deinde ad eas quatuor partes, quibus elocutio continetur, pure, dilucide, ornate et apte dicendi, sese revocat: has singulas percurrit, præcipue vero ornatum orationis. Docet, quæ verba eligenda sint, quæ figuræ, qui tropi adhibendi, quos numeros et pedes oratio postulet. Tum ad extremum de Actione quærit, docetque, quomodo et vox, et gestus, et vultus ad orationem accommodari debeat. Omnes denique hi libri ita venusti, ita elegantes sunt, ut ab illis non solùm præcepta, sed exempla Eloquentiæ petenda sint. PEARCIUS.

Cap. 1. *Inter nosque recolendas*] Trajecit copulandi particulam, maluitque, *inter nosque*, quam istuc, *et inter nos recolendas*, usurpare: ne, quod in oratione vitiosum est, in heroici carminis finem decideret. Quæ componendi manifesta diligentia, ut in foro et in curia celatur, ita in hoc scripti genere dissimulari non debet. Sunt qui legant, *Interque nos recolendas*, virtutis hujus ignari, qui nesciant auribus atque rationi cedere præcepta. STREBÆUS.

Prima ætate] Anno U. C. DCLXVII. et consequenti, cum Tullius ageret annum vicesimum, exarsere bella civilia Cinnæ, Marii, et Syllæ, qui contra pristinum morem oppressa patriæ libertate, principatum invadere tentabant. PRUST.

Et hoc tempus omne] Hos de Oratore Dialogos Cicero scripsisse putatur anno ætatis suæ 58. et U. C. 698. secundo vero anno post ejus reditum, cum Clodianorum furore actus in exilium cessisset. PEARCIUS.

Cap. 2. *Ex commentariolis nostris*] Libros de Inventione sub annum ætatis vicesimum Cicero scripserat, rudes et impolitos, si cum his conferantur. Porro commentarius, liber est in quem referimus breviter aliquid memoriæ causa. PRUSTEUS.

Prudentissimorum] Hoc est, doctissimorum, vel (ut noster loquitur in sequenti sententia) eorum, qui habent *elegantiam doctrinæ:* sæpius in hoc opere doctos disertis, et *prudentiam* eloquentiæ opposuit: et hic per *prudentissimos* intelligi voluit eos, qui omnibus artibus, sc. Philosophia, jure civili, &c. instructi essent. Sic l. 1. c. 49. *Prudentia rerum magnarum magis, quam dicendi arte nititur.* Lib. 3. c. 35. *Malim equidem indisertam* prudentiam, *quam stultitiam loquacem.* Et l. 1. c. 14. *Sine summa rerum civilium cognitione et* prudentia. PEARCIUS.

Cap. 3. *Essent*] Man. Grut. *possent.*

Cap. 7. *Cum igitur vehementius inveheretur*] C. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, anno U. C. DCXXXII. legem tulerat, qua judicia publica a senatu, penes quem a regum tempore fuerant, quasi ab his non satis caste exercerentur, transferrentur ad equites Romanos. Verum cum in iis non satis integra fide versarentur equites; ea rursus sibi vindicare conati sunt senatores anno U. C. DCLXIII. adnitente in primis M. Livio Druso, tribuno plebis, qui populum perniciosa spe largitionis, socios Italiæ populos, promissa ipsis civitate, in-

equestrem ordinem concitavit, ac demum legem tulit, ut æqua ex parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent, sive trecentos equites et totidem senatores. Eam ob rem tota graviter Italia turbatum est; maxime a sociis populis, qui cum promissum a Druso jus civitatis non obtinerent, bellum sociale seu Italicum conflaverunt. Drusus in senatu ut caput malorum accusatus, cum domum inde se reciperet, inter turbam, incerto auctore cultro vulneratus, in atrio corruit, ac paulo post obiit. Philippus tum erat consul, tam senatui ac Druso infensus, quam addictus equitibus, a quibus exerceri judicia videbat. *Velleius*, *Livius*, *Florus*, *Appianus*, &c. PRUSTEUS.

L. Crassum] L. Licinius Crassus, celeberrimus orator, præcipuas in his dialogis partes agit. Natus est, ut ex Ciceronis Bruto patet, C. Lælio et Q. Cæpione Coss. sive anno U. C. DXCIV. Qua morte defunctus fuerit, fuse refert Tullius sub initium libri tertii de Oratore, cap. 2. IDEM.

Socer ejus (*qui* fuerit *Q. Mucius*)] Ita manuscripti Mag. Mead. Gonv. et Harl. duo: nec inusitatum est Nostro post vocem *qui* uti subjunctivo modo. Vulgatum *fuerat* parum placet; tunc enim temporis, cum Mucius ad Crassi Tusculanum venerit, tam socer fuit Crassi quam antea: Crassumque postea appellat *generum* suum in c. 9. PEARCIUS.

Q. Mucius] Q. Mucius Scævola, Q. Scævolæ consulis anno DLXXX. filius, C. Lælii gener, in Stoica disciplina, jurisque scientia, et omni litterarum genere versatissimus. Ad quem audiendum a patre deductus est Cicero sumpta virili toga. Augur fuit anno U. C. DCXXI. Observant eruditi eum cum Q. Mucio pontifice, ad quem, hoc Q. Mucio augure mortuo, se conferebat Tullius, minime confundendum esse. PRUSTEUS.

M. Antonius] Orator eximius, natus coss. Appio Pulchro et Q. Cæcilio anno U. C. DCXI. de quo plura subinde his in libris occurrunt, et præcipue in Bruto cap. 37. De ejus morte vide lib. 3. de Orat. cap. 3. IDEM.

C. Cotta] C. Aurelius Cotta dicendi laude præstans his temporibus petiit tribunatum, et obtinuit; a quo post Crassi mortem per invidiam depulsus, imo civitate deinde ejectus est. *Appian.* &c. Postea tamen consulatum gessit anno U. C. DCLXXIX. Cum illi decretus esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, ut refert Asconius in notis ad Pisonianam, cum cicatrix vulneris ejus, quod ante plures annos acceperat, rescissa esset repente. De quo plurima inferius, et in Bruto cap. 55. IDEM.

P. Sulpicius] Cujus in Bruto Tullius dicendi characterem describit, et sub initium lib. 3. de Oratore funestam mortem deplorat. IDEM.

Quiessent] Vict. Man. *quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat: tum*

Cur non imitamur] Apud Platonem in dialogo, qui Phædrus inscribitur, Socrates ad Ilissum, Atticæ fluvium, molliter in herba recumbens, sub alta et patulis diffusa ramis platano, multa disserit. PRUSTEUS.

Cap. 8. *Forum*, *subsellia*, &c.] In foro jus dicebant prætores, et judices ab iis dati: unde causæ forenses appellabantur. *Subsellia* esse tribunorum, triumvirorum, quæstorum, et aliorum minora judicia exercentium scribit Asconius. *Rostra*, locus erat, ex quo dicebant oratores ad populum. *Curia*, ubi senatores et principes civitatis de rep. administranda inter se agebant. IDEM.

Cap. 10. *Perculisti*] Id est, evertisti, seu dejecisti. Simile est illud lib. 11. cap. 70. Scipionis illius, qui Tib. Gracchum perculit. PEARCIUS.

Interdicto tecum contenderent] Interdictum, prætoris est edictum quo jubet aliquid vel fieri, vel omitti. Sententia est: Multi litem tibi intenderent, et lege, ac prætoris edicto tecum agerent, quod eam rem, quæ pertinet ad alias artes, nimirum in omni disputatione copiose versari,

tanquam oratori propriam vindices illi, ac tribuas. PAUSTKUS.

Ex jure manum (alii, *manu*) *consertum*] Manum conserere est proprie in prælio venire ad manus. Transfertur autem a militiæ certaminibus ad fori contentiones. Scilicet petitor, et is a quo petebatur, dicto die, in agrum litigiosum conveniebant, simulatoque conflictu, quasi per vim expellebatur ex agro petitor: hic deinde ad prætorem appellabat de vi, ac petebat ut sua sibi restituerentur. De hac locutione plura Gellius lib. XX. cap. 10. *Manu* pro manus dicitur, expuncta more veterum *s: consertum* in supino a *consero*, quod est committo. Cæterum hujus loci sententia est: Multi repeterent ac restitui postularent, adhibita solenni juris formula, rem a te contra jus fasque occupatam. IDEM.

Cæterique] Lamb. *cæterique suo jure physici vindicarent, ornati*

Justo sacramento] *Sacramentum litis genus erat, simile sponsionis.* Varro. Et qui petebat, et qui inficiabatur, de aliis rebus utrique quingentos æris apud Pontificem deponebant, de aliis item rebus certum numerum assium. Qui judicio autem vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibant. Sacramentum dixit pecuniam lite depositam apud Pontificem. Decepti sunt qui legerunt hic *apud pontem*, non *apud Pontificem*. Sensus est igitur: Philosophi disciplinarum possessione dejecti, tecum interdicto contenderent, quemadmodum ii qui ab agro dejecti sunt: aut vindiciarum litem tibi intenderent, et disciplinas suas assererent: aut jure possent agere tecum, et deposita pecunia contendere. STREBÆUS.

Cap. 11. *Charmadas*] Vulgo pro *Charmadas* legimus *Carneades*, male omnino: hic enim Crassus dicit se Quæstorem, *postea* vero Antonius se Proconsulem, vidisse *Carneadem*, contra auctoritatem veterum Scriptorum. Laertius enim ex Apollodoro scribit *Carneadem* mortuum esse (Olymp. CLXII. ann. 4.) anno U. C. 625. Crassus vero Quæstor fuit ann. U. C. 643. et Antonius Proconsul ann. U. C. 652. Immo Cicero ipse in Acad. Quæst. dicit *Carneadis* legationem incidisse in an. U. C. 599. Si igitur Crassus Quæstor vidit *Carneadem*, *Carneades* post legationem vixit annos 44. et si Antonius Proconsul eum vidit, vixit annos 53. post legationem: quod verisimile non videtur. Sed ulterius ex ipso Cicerone probaturus sum, neque Crassum, neque Antonium vidisse *Carneadem*. Primo, in lib. III. c. 18. Crassus dicit, *cujus* (Carneadis) *etsi ego multos auditores cognovi Athenis*, &c. Ex quo loco colligo Crassum non vidisse Carneadem; quia si eum vidisset, non soceri aut Metelli usus esset judicio, sed suo. Porro dicit ibi Crassus Metellum *adolescentem* fuisse, cum audiret *Carneadem affectum ætate:* Metellus vero Consul fuit an. 645; ergo non credibile est *Carneadem* vixisse usque ad Quæsturam Crassi, hoc est, pene ad consulatum Metelli, multo autem minus ad Proconsulatum Antonii. Secundo, in l. 2. c. 37. itemque in hoc ipso loco non de homine, quem novit, Crassus loquitur, sed dicit *hominem, ut ferebant*, &c. Tertio, ut se habet vulgata lectio, *Carneades Carneadis* auditor fuit, quo quid ineptius? His rationibus adductus vulgatam lectionem rejicio. Cur autem *Charmadas* reposui, paucis sciat Lector. 1°. Mss. Cant. habet *Carmeades*, Bod. *Carniadas* (quæ vox si punctum litteræ *i* tollas, est *Carmadas*;) Mss. vero Joan. et Harl. 1. habent *Charmadas* in hoc loco, et tribus sequentibus, de quibus mox dicturus sum. 2°. In Oratore c. 16. cum dicitur, *scitum est enim, quod Carneades dicere solebat, Clitomachum eadem dicere*, Carneadem *eodem etiam modo dicere;* nonnulli, quos vidi, Mss. habent ibi *Charmadam*, poscente etiam sensu. Patet idem ex l. 2. c. 88. ubi, Jonsio primum notante et Gronovio approbante, pro *Carneadem* jam legimus *Charmadam*, testimonio

Plinii et auctoritate Mss. 3°. Sextus Empiricus non semel dicit *Charmadam* (vel *Charmidam*) Academicum fuisse, et Academiæ principem. 4°. Idem scriptis mandavit disputationem quandam *Charmadæ*, in qua Academicus iste probat Rhetoricam non esse artem, et Rhetores exagitat; quæ omnia Sex. Empirici testimonia huic loco optime conveniunt. Utile fore credidi hunc locum luculentis argumentis explicare, qui Petavio, Stanleio nostro, aliisque Chronologiam docentibus, magnas olim turbas excitaverit. PEARCIUS. Vide in eandem sententiam, Henrici VALESII Emendat. I. 29.

Peripatetici Critolaus et Diodorus] Ita vulgati omnes. Sed, *Peripatetici Critolai Diodorus*, est lectio Mss. duorum Pall. et trium Gulielmii, nec non Joan. Mag. et Harl. duorum: testaturque Cicero de Fin. l. 5. c. 5. *Diodorum* fuisse auditorem *Critolai*. Porro, ea argumenta, quibus probavi *Carneadem* ad Quæsturam Crassi non vixisse, satis docebunt ne *Critolaum* quidem in Crassi Quæstura viguisse; quod tamen præ se fert vulgata lectio, *et Peripatetici Critolaus et Diodorus*. PEARC.

Gorgiam] Gorgias Platonis dialogus, in quo rationem edocet, qua futiles rhetorum sophistarum argutiæ refellantur. Tullius sive ex sua, sive ex Crassi sententia non recte censuit in illo dialogo derideri oratores. Non veram rhetoricam, sed adulterinam tantum, ut cuivis legenti patet, traducit. Neque vero paucos induxit in errorem hic dialogus, ut observavit Quintilian. lib. 11. cap. 15. *Plerique*, inquit, *dum pauca ex Gorgia Platonis a prioribus imperite excerpta legere contenti, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt; credunt que eum in hac esse opinione, ut rhetoricam non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis existimet*, &c. PRUSTEUS.

Verbi controversia] Maximo animorum æstu contendunt inter se Græci, quis orator dicendus sit, an ille qui tantum in causis forensibus valeat, an qui de re qualibet ornate possit dicere. IDEM.

Omnium rerum publicarum] In vulgatis duæ postremæ voces male conjunguntur: neque enim necesse est, ut is omnes Respublicas cognoscat, qui Romanam velit cognoscere: necesse est autem, ut publicas res omnes Romani imperii sciat, qui de eo administrando dicturus est. PEAR.

Ex arte] Grut. *in arte aliena*

Cap. 12. *Quare nisi*] Vict. Man. Grut. *quæ nisi*.

Cap. 13. *Omnia propria*] Lamb. *omnia; proprie nihil*.

M. Marcellus] Quem Cicero servatum a Cæsare post bella civilia gratulatus est insigni oratione. PRUS.

Descripto] Lamb. legit, *descriptorum*, id est, civium: non enim *jus*, sed *cives* in ordines ætatesque describebantur. PEARCIUS.

Nostri] Vict. Grut. *nostros decemviros*

Decemviros, qui XII. *tabulas*, &c.] Sublatis regum decretis, et populo per viginti annos nullis legibus astricto, constituti sunt anno U.C.CCCIV. decemviri, qui a Græcis leges peterent; quas acceptas tabulis decem æreis inscripsere. Cum autem in primis legibus aliquid desideraretur, anno sequenti alias duas adjecere tabulas: unde et dictæ sunt leges XII. tabularum. PRUSTEUS.

Cap. 14. *Philonem*] De Philone architecto Plinius, VII. 37. Vide etiam, et de Hermodoro, Turnebi Advers. XI. 2.

Asclepiades] Patria Prusiensis, primum rhetoricæ, deinde pressus inopia, medicinæ operam dedit. Tantum arti suæ fidebat, ut sponsionem quandam cum fortuna fecisset, ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse; et victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Crasso et Pompeio familiaris, eorum ætate floruit circa annum U. C. DCL. Plinius lib. VII. PRUSTEUS.

Cap. 15. *C. Mario*] Hic ille est C. Marius, celebris Romanorum impe-

rator, *in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus*, ut refert Paterculus; quem humili loco natum ad amplissimos reip. magistratus singularis virtus evexit. Apud Sallustium dum loquitur, artis oratoriæ imperitum se dicit; et a Plutarcho reprehenditur, quod litteras Græcas contempserit. Inopiam eloquentiæ compensavit fortitudo. Confecit bellum Jugurthinum; Teutones et Ambrones, Germaniæ populos, interfectis millibus ducentis, et paulo post Cimbros ingenti strage delevit. Cum provinciam belli Mithridatici suscipere contenderet, a Sylla, suo quondam legato, expulsus ex urbe, in quam paulo post irrupit, et, Syllanis omnibus obtruncatis, septimum consul renunciatus in magistratu obiit anno U. C. DCLXVIII. PRUST.

Quam ipse ille *scire*] *Quam ipse*, illa *scire*. PEARCIUS.

Cap. 19. *Excitabatur*] Hotomanus conjecit legendum esse, *excipiebatur:* sed vulgata lectio defendi potest. Sensus est enim: Homo abundans doctrina, (nempe Charmadas philosophus) ita respondebat iis, quæ dixerat Menedemus (homo promptus, utpote disertus orator) ut Menedemum excitaret, et ad suam opinionem defendendam acueret. PEARC.

Cap. 20. *Huic respondebat*] Charmadas Menedemo.

Quibus dicere] Vulnus hic video, remedium non ita. MURETUS. Lambinus edidit, *quibus adjicere .... solebat:* quod est conjectaneum Hotomani. GRUT.

Perfacilem in audiendo] Nam cum rudem artium omnium se diceret Antonius, non erat cur de artibus cum hominibus doctissimis æque pugnaciter atque Crassus, qui se multa didicisse fatebatur, contenderet. STREB.

Cap. 21. *Me imprudente, et invito*] M. Antonius *idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore judicio actum, ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum a se affirmare posset.* Valer. Maximus lib. VII. cap. 3. PRUS.

Aliquem] De se ipso id ex Antonii persona videtur Cicero prædicere.

De vi ac ratione dicendi] Malim cum Gulielmio legere *de* via, *ac ratione:* facillime ultima littera vocis *via* a sequentis vocis *ac* prima littera absorberi potuit. Manutius olim edidit *via*, et sic Cicero sæpissime. L. 1. c. 25. *Non* rationem *dicendi et* viam, *sed naturam defuisse.* L. 3. c. 36. *Ancipites* vias, rationesque *disputandi.* Facile plura exempla proferri possunt. PEARCIUS.

Cap. 22. *Ut in cretionibus scribi solet.*] Cum in aliis libris manuscriptis reperissem scriptum, *certionibus*, in aliis, *Crassi orationibus*, in aliis, *certioribus:* ego *cretionibus* reposui, præsertim cum meminissem jam pridem ita a Fr. Duareno esse emendatum. Est autem *cretio*, ut docet Ulpianus, Titul. 22. Isid. 5. Varro 5. de ling. Lat. 13. ad Attic. 44. certorum dierum spatium, quod datur heredi ad deliberandum, utrum expediat adire hereditatem, nechè: veluti Titius heres esto, cernitoque hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit, poteritque; nisi ita creverit, exheres esto. LAMBIN. Est autem *cernere*, non modo constituere se heredem esse (ut Varro 6. ling. Latin. explicat) verum etiam legitima cretionis verba dicere, hunc in modum: *Cum me Mœnius heredem instituerit, eam hereditatem cerno.* Adeoque Ulp. 32. *Cretio* duplex: *vulgaris*, in qua adjiciebantur hæc verba, *quibus sciam poteroque: continua*, in qua non adjiciebantur. Ulp. tit. 23. Unde his verbis, *quibus sciam poteroque*, tempus bonorum possess. admittendæ utile, nec continuum ostenditur l. 2. ff. *Quis ordo in bonorum possess.* GOTHOFREDUS. Vera lectio fuit, *conditionibus.* Quid enim ad *cretiones* formula hæc: *De iis rebus quibus sciam, poteroque?* Quæ ipsa in conditionibus aptissima est. Et verbum, *conditio*, etiam juridicum est; quod indicat caput illud Juris, *De conditionibus et demonstrationibus.* Et lectionem priorem, quam Lam-

binus ejecit, tuetur verbum *conditionis*, quo mox utitur Crassus. *Jam vero*, inquit, *ista conditione, dum mihi liceat negare posse quod non potero, et fateri nescire, quod nesciam, licet vestro arbitratu percontemini.* Et sane quæ huc affert Lambinus de cretionibus hereditatum, scilicet heredi cernendam esse hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit, poteritque, non valde huc pertinent. Neque enim, postquam sciverit quis cernendam esse hereditatem, amplius datur temporis, possit, necne possit. Præterea non idem est *scire* in herede, et *scire* hic in Crasso. Nam in herede *scire* est rescire, certiorem fieri: at hic Crassus: *De iis rebus*, inquit, *quibus sciam, poteroque*: id est, de iis, quæ ego intelligam. ANONYMUS.

Vos] Vict. Man. Grut. *nos.*

Cap. 23. *Persequi*] Vict. *qui persequi.*

Cap. 24. *Aliquid* a me prompsisse] Annon et qui sponte, et qui inviti loquuntur, omnia *a se promunt?* an vero *a se promere* significat sponte promere? hæc significatio præpositionis *a* cum verbo *promo* nullibi mihi occurrit. Vide igitur, Lector, annon editio Ven. et Mss. Norf. Mag. Mead. Harl. 1. Cant. Bal. Wag. Nov. et Joan. vetustissimus suggerant verissimam lectionem, *promisisse:* quibus si fides adhibenda sit, sic locum refingas. *Non ipse aliquid* de *me* promisisse. Litteræ *e* et *a* in Mss. sæpe confunduntur, et littera *d* vocis *de* facile absorberi potuit a littera postrema præcedentis vocis *aliquid.* Eodem modo loquitur Horatius Serm. L. 1. Sat. 4.

Ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto.

Porro hæc lectio optime quadrat iis, quæ supra dicta sunt: innuit enim Crassus se nolle imitari Græcos, quos in præcedenti capite arguit impudentiæ, quod nulla erat res de qua non se omnia, quæ dici possent, profiterentur esse dicturos; id est, promittebant se omnibus quæstiunculis responsuros esse. Crassus igitur istis Græcis magistris, atque artificibus dicendi opponit se, quem vocat *unum e togatorum numero, atque ex forensi usu hominem.* Ut illi, inquit Crassus, artifices sunt, et magistri dicendi, ego vero tantum, quantum mihi opus est, didici; sic illi de se omnia promittunt, ego vero nunquam sponte, nunquam, nisi fortuito, in hujusmodi disputationes venio. PEARCIUS.

Solebam in prensando] Id paulo fusius explicat Valerius Maximus lib. IV. cap. 5. *Consulatum petens L. Crassus, cum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præsente Q. Scævola, gravissimo et sapientissimo viro, socero suo, faceret. Itaque rogabat eum, ut a se, dum ineptæ rei deserviret, discederet: majorem verecundiam dignitatis ejus, quam candidæ togæ suæ respectum agens.* PRUSTEUS.

Cap. 25. *Ita naturæ*] Lamb. *ita in iisdem rebus habiles, ita naturæ muneribus ornati*

Quis vestrum] Vict. Lamb. Grut. *Quis vestrum æqualem meum, Q*

Quis vestrum æqualem Q. Varium &c.] Lapsi sunt iterum plerique librarii, et editores; Mss. tamen Bod. Harl. 2. et Gonv. et Manutius veram lectionem retinent; delent enim vocem *meum*, quæ vulgo legitur post *æqualem.* Et Car. Stephanus testatur vocem *meum* a quibusdam veteribus libris abesse. Veram autem hanc lectionem voco, quia *Q. Varius* non fuit æqualis Crassi, sed Cottæ, et Sulpicii, ut patet ex libro de Cl. Oratoribus c. 49. *Æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius*, Q. Varius, &c. Porro si rejiciatur *meum*, non inelegans est antithesis: Crassus enim duo exempla profert, C. Cœlium æqualem suum, et Q. Varium Cottæ ac Sulpicii æqualem. PEARC.

Cap. 26. *Id accidere*] Man. *id non accidere non potest.*

Cap. 32. *Id egisse*] Man. *atque selegisse.* Lamb. *atque in artem redegisse*

Cap. 33. *Stylus*] Proprie significat graphium, hoc est, acum ferream, qua Romani veteres, cum in obductis

cera tabulis scriberent, utebantur ad formandas in cera litteras. Hic stylus sumitur pro exercitatione scribendi frequenter, et per otium. Vulgo stylus est ipse modus et ratio scribendi, seu conformatio certa sententiarum et verborum in oratione: quomodo Ciceronianus, Virgilianusque stylus dicitur. Interdum etiam accipitur pro reprehensione, quo sensu Tullius ait, censorium stylum perlimescere. PRUSTEUS.

Cum remiges inhibuerunt] Lamb. notavit legendum *sustinuerunt;* non, ut vulgo, *inhibuerunt*. Lambini lectionem probo, causasque, quas ille omisit, insuper affero. Cicero hos Oratorios Libros prius, quam Academicas Quæstiones scripsit: ex libro autem 13. Ep. ad Att. ep. 21. colligere possumus ipsum in istis Acad. Libris, qui nunc desunt, monitu Attici scripsisse *inhibere remos*, pro *sustinere:* postea vero observatis nautarum formulis, jubet Atticum legere *sustinere*. Dicit enim; *inhibitio remigum motum habet, et vehementiorem quidem, remigationis navim convertentis ad puppim*. Quod igitur de illo in Acad. Quæst. loco Cicero dicit, de hoc ipso loco, quem expendimus, dicendum est: hic enim caremus voce, quæ significet cursum navis esse tardatum: ipsius igitur Ciceronis monitu vox, *sustinuerunt*, recipienda est. PEARCIUS.

Cap. 34. *Commentationibus*] Vict. Grut. *cogitationibus*. Lamb. *concertationibus*.

Locorum, simulacrorumque rationem] Memoria artificialis, de qua consulendus liber 3. ad Herennium, cap. 21. maxime in eo continetur, ut loca, et imagines quædam animo informentur, quibus velut imponantur et inhæreant ea, quorum volumus meminisse. Loca sunt, verbi gratia, domus aliqua, ubi limen, cubicula, fenestræ, &c. Imagines, aliæ sunt hominum et ferarum, aliæ rerum anima et motu carentium, ut arborum, lapidum, &c. Quæ imagines certo inter se ordine collocatæ res ipsis affixas facilius exhibent. Vide Fabium lib. XI. cap. 2. PRUSTEUS.

Cap. 35. *Constructis*] Lamb. *constrictis*, et paulo infra *constrictam*.

Quasi per transennam] Per cancellos fenestris oppositos, visui tamen pervios. Metaphora ducta est a mercatoribus qui mercibus pretiosis, quas a prætereuntibus nolunt contrectari, tales cancellos objiciunt. Itaque per transennam aspicere, idem est, quod nec propius, nec sigillatim intueri. PRUSTEUS.

Cap. 36. *An tu*] Lambinus, *Ain' tu?* quod et in Pal. septimo: nam octavus, *Quin tu*. GRUT.

Scævola] Non ille Q. Scævola augur, Crassi socer, quo præsente Crassus hic disserit, sed alter Q. Scævola, pontifex, jurisconsultus peritissimus, et tum, cum hoc judicium disceptaretur, tribunus erat plebis, anno scilicet U. C. DCXLIX. PRUSTEUS.

Hypseus] Causam integram accipe. Ibat Scævola pontifex in campum Martium ad comitia; iter illi per forum fuit; in eo reperit oratores duos inter se litigantes, et graviter ignoratione juris civilis peccantes. Horum uni nomen Hypseus erat, alteri Cn. Octavius, qui consulatum gesserat anno U. C. DCXXVI. Hypseus accusabat aliquem tutorem, quod pupilli fortunas male administrasset. Hoc *judicium tutelæ* appellatur. Octavius tutorem defendebat. Judex hujus controversiæ M. Crassus, qui tum prætor urbanus erat, nempe anno U. C. DCXLVIII. Qui judicio tutelæ damnabatur, cogebatur pupillo, cujus rebus male consuluisset, pecuniam solvere, ac damnum resarcire; deinde lege duodecim tabularum jubebatur aliquid ultra pendere, mulctæ nomine. Quod si pupillus, aut ejus patronus plus a reo peteret, quam deberetur, cadebat causa. Hoc petebat Hypseus, et plus petebat, quam par esset, adeoque debebat causa cadere. Contendebat, inquit L. Crassus, ut ei, quem defendebat, nempe

suo pupillo, causa cadere liceret; hoc est, petebat, ut edicto prætoris tribueretur pupillo suo major pecuniæ summa, quam deberetur; quod erat vellè causam amittere. Octavius, tutoris accusati defensor imperitus, cum deberet hoc ipso vehementer lætari, quod plus, quam fas erat, peteretur: id enim si objecisset postea, et probasset, causam obtinuisset, ac reum tutorem turpi judicio tutelæ male administratæ, atque omni molestia, et periculo liberasset: Octavius, inquam, longa oratione recusabat, ne plus peteretur, hoc est, ne Hypseus causa caderet, atque ipse litem obtineret. IDEM.

Causa cadere liceret] Ut naturam hujus litis, ejusque quæ in sequenti capite occurrit, bene intelligamus, audi Erasmum in Adag. Chil. 5. Cent. 2. Prov. 15. "Causa cadere is vi-" debatur qui male agendo jus agen-" di perdidisset. *Si quis* (inquit Jus-" tinianus lib. 4. tit. de Action. par-" agr. *Si quis* &c.) *agens in inten-" tione sua plus complexus fuerit, quàm " ad eum pertineret, causa cadebat*, i. e. " rem amittebat: in proximo vero " paragrapho ostendit (sc. Justinia-" nus) vocem hanc plus quadrifariam " intelligi; re, tempore, loco, et cau-" sa: re, si quis pro decem Aureis " petat viginti, quale Hypseus iste " fecerat; tempore, si quis ante diem " vel conditionem petat; quod in se-" quenti capite patronum quendam " fecisse dicit Crassus." PEARCIUS.

Cap. 37. *Postulabat, ut illi*] Hæc fuit causa. Debebat quidam alteri certam pecuniæ summam, solvendam, verbi gratia, ineunte mense Januario: alter, seu petitor non expectavit ad illud tempus, sed petiit ut sibi solveretur, verbi gratia, mense Decembri ineunte, et accusavit debitorem quod pecuniam non solveret. Causidicus imperitus, qui debitorem defendebat, cum litem inferre petitori debuisset eo nomine, quod ante tempus peteret pecuniam, (erant enim graves pœnæ positæ illis, qui ante tempus pactionis, vel obligationis litem intenderent) id enim si fecisset, causa cecidisset petitor; hoc postulavit tantum, ut sibi liceret, ac debitori, quem defendebat, uti beneficio legis, et exceptione, quæ vetabat ne pecunia peteretur ante illam diem, qua cœpta esset deberi. Quod cum postulabat, non intelligebat homo juris ignarus, comparatum hoc esse in utilitatem petitoris, et adversario suo prodesse. Hinc enim factum, ut petitor postea litem de integro intulerit, tanquam si ea quam litem inferre non potuisset, res nunquam in judicium antea venisset; si infitiator, hoc est, debitor probasset judici, ante petitam esse pecuniam, quam deberi cœpisset. Petitor enim, cum postea pecuniam suam peteret apud judicem, exclusus fuisset lege, hoc est, impeditus ne ageret, ac moveret litem: lex enim excipit, hoc est prohibet, ne agatur iterum ea de re, quæ jam in judicium venit, seu quæ jam dijudicata est. PRUSTEUS.

Cap. 38. *In causis centumviralibus*] Centumviri erant minores judices apud Romanos e singulis tribubus lecti ad exercenda privata de causis minoris, ut plurimum, momenti judicia. Porro erant illi centum quinque, terni scilicet ex unaquaque tribu; tribus autem erant triginta quinque: attamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt appellati. His præsidebat prætor, ut colligimus ex Plinio juniore, ex quo etiam intelligimus centumvirorum numerum ad centum octoginta excrevisse. PRUST.

Usucapionum] Usucapio, sive ususcapio, est jus possidendi, et capiendi rem aliquam, quia usus illa fuisti per certum tempus lege constitutum, eamque possedisti. IDEM.

Tutelarum] Tutela a Servio Sulpitio definitur, vis ac potestas in capite libero ad defendendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permissa. IDEM.

Gentilitatum] Gentilitas est ordo et series hominum, qui sunt ex eadem familia, quique ob eam causam jura quædam habent sibi propria; verbi

gratia, hereditatis adeundæ, suscipiendæ tutelæ, &c. Hæc autem jura non obtinebant, neque gentilitate gaudebant, servi, liberti, libertini, et capite diminuti. *Cicero in Topicis.* ID.

Agnationum] Agnati virilis sexus propinquitate juncti sunt, quibus, ut gentilibus, propria jura sunt. IDEM.

Alluvionum, circumluvionum] Alluit prædium, vel agrum, fluvius, quando præter illum it: circumluit, quando totum instar insulæ cingit. *Alluvio,* inquit Justinianus Instit. lib. XI. cap. 1. *est incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possis, quantum quoque momento temporis adjiciatur.* Ex alluvione autem, et circumluvione, variæ controversiæ nascuntur; verbi gratia, si vis fluminis de prædio tuo partem aliquam detraxerit, et vicini prædio adjunxerit, cuja sit ea pars? si arbores tuæ in vicini prædium delatæ fluvio, in eo prædio radices egerint, fructum tulerint, &c. IDEM.

Nexorum] Nexum, sive nexus, est obligatio civilis, quæ cum contrahebatur, aliquis libram et æs manu tenebat, qui vocabatur libripens. Vide Topica, cap. 5. Præterea civis ille nexus dicebatur, qui cum esset liber, pecuniamque alteri deberet, illi addicebatur in servitutem, ut ipsi pro pecunia, quam deberet, nec posset solvere, servilem operam præstaret, dum æs alienum dissolveret. Nexus autem dicebatur, quod necteretur, id est, compedibus, aut nervo vinctus, et clausus teneretur. *Livius lib.* VIII. Addictus etiam vocabatur. PRUST.

Mancipiorum] Mancipium, inquit Isidorus, est quidquid manu capi potest. Aliquando sumitur pro quolibet servo: hic pro aliqua re, quæ accipitur, aut alteri possidenda traditur: vel pro actione, qua id fit. IDEM.

Parietum, luminum] De pariete communi sæpe incidit controversia; de tigno in parietem immisso, de alio pariete aut adjuncto, aut supra communem exædificato, &c. Item de luminibus; verbi gratia, si quis altius ædificet, ac vicini luminibus officiat; si quis prospectum in ædes tuas habeat, &c. IDEM.

Stillicidiorum] Stillicidium est aquæ pluviæ lapsus e tecto. Unde possunt oriri lites de servitute stillicidii, de immittendis et recipiendis stillicidiis. IDEM.

Testamentorum ruptorum, aut ratorum, *cæterarumque*] Ita Mss. Bod. Bal. Mag. Harl. duo, et ad oram Nov. necnon editiones Ven. Mediol. Roberti Stephani, Manutii, et Lambini, aliorumque: Mss. vero septem, *ruptorum, aut raptorum,* a vera lectione non multum abhorrentes: horum igitur auctoritate voces, *aut ratorum,* inserui. Testamenta *rupta* significant ea testamenta, quæ, aliqua conditione interveniente, aut legibus ea illo modo fieri vetantibus, decreto Centumvirûm suam vim amittebant: sic Cicero in hujus libri c. 57. *constat agnascendo* rumpi *testamentum.* His autem testamentis *ruptis* opponuntur ea, quæ vim suam obtinebant decreto Centumvirûm, et quæ *rata* esse dicebantur. De his igitur ambobus Valerius Maximus in 7. libro tractat: in c. 7. de *rescissis,* id est, *ruptis,* et c. 8. de *ratis.* Immo exempla utriusque generis Crassus hic profert; nempe testamenti *rati* in proximo capite, cum M'. Curius M. Coponium causa vicit, heresque factus fuit: testamenti vero *rupti* exemplum habes in hoc capite, cum miles a Centumviris obtinebat, ut patris sui testamentum rescinderetur: Valerio enim Maximo teste miles superior in causa discessit. PEAR.

Impudentiæ] Man. Lamb. *imprudentiæ.*

Stipulatiuncula] Obligatio est, quam aliquis in se recipit, cum certis verbis interrogatus respondet: Spondes? spondeo: fide jubes? fide jubeo. PR.

Testamento exheres filius] Clarissimus Lambinus audax Scriptorum censor, sed quem non velis fuisse minus audacem, censet hæc tria verba delenda esse, *testamento exheres filius;* testatur idem ea ab uno Mss.

quem vidit, abesse. Talæus etiam dicit ea a nonnullis exemplaribus abesse. Utinam quidem in meis Mss. idem observassem! cum enim *miles* præcesserat, redundat casus nominativus: et cum in dubio fuit, utrum exheres esset miles necne, non eleganter dici potest *exheres filius*. Porro, notandum est me notam interrogationis post vocem *filius* posuisse. PEARCIUS.

Cap. 39. *Ab liberti filio stirpe*] Filius liberti cujusdam e Claudiorum gente intestato decessit, ejusque hereditas lege rediit ad Claudios; quorum duæ familiæ erant, altera patricia, altera plebeia. Claudii patricii vocabantur Pulchri, plebeii vero Marcelli: hi de intestato mortui hereditate certabant. Claudii patricii (quorum familia istius gentis maxima natu fuit,) sibi hereditatem vindicarunt jure Gentilitatis, quia libertus iste e gente Claudia esset, ipsorumque familia esset prima: et, quamvis servitutem serviisset, tamen Claudii patricii contendebant eam injustam fuisse, ideoque se jure Gentilitatis privari non potuisse. Claudii vero plebeii, sc. Marcelli, eandem sibi vindicarunt hereditatem, quia libertus iste stirpe propior Marcellis fuit, quam Pulchris, et quia ista servitute (quam serviisset, et quam justam fuisse ii contendebant) jus Gentilitatis Claudiis patriciis amissum fuisse videbatur. De significatione vocis *Gentiles* audi ipsum Ciceronem in Topicis c. 6. *Gentiles sunt*, Qui inter se eodem nomine sunt. *Non est satis*. Qui ab ingenuis oriundi sunt. *Ne id quidem satis est*. Quorum majorum nemo servitutem servivit. *Abest etiam nunc*. Qui capite non sunt diminuti. *Hoc fortasse satis est*. IDEM.

Qui Romam] Quidam peregrinus (sic appellatur quicumque civis non est) Romam venit, in exilium ejectus ex urbe sua, et patria. Applicuit sese, id est, adjunxit ad Romanum civem, quem coleret, observaretque, ut cliens patronum, et a quo vicissim defendebatur, ac si civis et cliens suus fuisset. Contigit ut ille peregrinus testamento nullo facto moreretur. Civis Romanus, cui peregrinus ille tanquam patrono addictus fuerat, ejus hereditatem postulavit apud centumviros, ea de causa, quod iste peregrinus ad ipsum applicuisset sese, et veluti ipsi dedidisset. Hoc, applicationis jus appellat Cicero. De isto jure antea obscuro, quia raræ sunt hujusmodi causæ, dicendum causidico fuit, adeoque illustrandum et patefaciendum. PRUSTEUS. Vide Turneb. Advers. XXIV. 32.

Cum enim Marius] Rem omnem paulo fusius explicat Cicero lib. 3. de Officiis, cap. 16. PRUSTEUS.

In mancipio] Id est, in venditione ædium. Controversia illa hujusmodi fuit. Bucculeius, cum venderet ædes suas Fusio, hæc verba in pactione scribi voluit, *Lumina* (id est, fenestras) *uti nunc sunt, ita recipio:* quibus verbis id unum in se suscepit, ut ne quis vicinus earum fenestrarum usum vel tolleret, vel ædificiis altioribus obscuraret. In hoc Bucculeius erravit, quod verbis ambiguis usus esset; nam Fusius ei litem intendit, simul atque ædificari cœptum est in quadam remotiori urbis parte, quæ ex ædibus, quas emerat, conspici posset. Egit igitur cum Bacculeio, quia jam ex illis ædibus non idem erat cæli prospectus, et (ut ille putabat) *mutabantur lumina*, nec tum *ita erant, uti in mancipio* ea Bucculeius *receperat*. PEARC.

Clarissima M'. Curii causa] Coponeius quidam moriens cum uxorem gravidam putaret, filium, qui se mortuo nasceretur, (is posthumus dicitur, quasi postremo loco, seu, qui post humatum patrem, natus) reliquit heredem; substituit illi heredem secundum M'. Curium, ea conditione, ut M'. Curius esset heres, si filius posthumus ante moreretur, quam sui juris esset. Decessit subinde Coponius: sed cum uxor ejus revera gravida non esset; nullus ei natus est filius posthumus. Statim M. Coponius, agnatus mortui, apud centumviros egit, ut sibi liceret

hereditatem adire: oratorem et patronum delegit Q. Scævolam. Contra M'. Curius, secundus heres testamento relictus, sibi hanc hereditatem postulabat, eo nomine, quod heres fuisset institutus, si posthumus ante moreretur, quam posset per ætatem e tutoris custodia et potestate exire: perinde autem esse, quod nullus fuisset posthumus, ac si natus revera foret, ac mortuus ante tempus a patre constitutum. Erat Curii patronus L. Crassus, quem Cicero nunc loquentem facit. Q. Scævola scripto nitebatur: hæc esse verba testamenti, ut Curius tantum heres esset, si posthumus ante certum tempus moreretur: mori eum non posse qui natus non sit: natum non esse posthumum: itaque hereditatem M'. Coponio agnationis jure adscribendam esse, non M'. Curio, qui conditione testamenti excluderetur. Crassus contra, voluntatem ejus, qui testamentum fecisset, ac scripti sententiam spectandam esse contendebat, non ipsa verba, et apices scripti. Hanc fuisse mentem testatoris: Si filius sibi non esset, qui hereditatem paternam adiret, ut M'. Curius heres esset. Causam obtinuit L. Crassus, ut refert Cicero oratione pro Cæcina, cap. 18. PRUST.

Cap. 40. *Capitis nostri*] Causa capitis apud Romanos ea dicebatur, in qua agebatur de status mutatione, sive capitis diminutione. Triplex est autem capitis diminutio: maxima, cum aliquis simul et civitatem, et libertatem amittit: minor, sive media, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: minima, cum et civitas, et libertas retinetur, sed status hominis commutatur. Maxima servum facit; media peregrinum: minima filiumfamilias, vel patremfamilias. *Justinianus lib.* I. *Instit. cap.* 16. IDEM.

Mancinum] C. Hostilius Mancinus consul anno U. C. DCXVII. prodigiorum contemptor, a Numantinis victus, et castris exutus, pacem cum iis ignominiosam fecit. Sed hanc ratam esse vetuit senatus: itaque ipse sciens ac volens illis deditus est. Cum autem non esset ab iisdem receptus, Romam rediit. Quæsitum est, an pro cive habendus esset, sive an ullum ei postliminium esse posset. Negabat P. Rutilius, tribunus plebis, ob eam causam, quam Cicero commemorat. Affirmabant alii, quia non erat receptus ab hostibus; deditionem enim, aut donationem sine acceptione non posse intelligi; Mancinum igitur non habendum esse pro dedito, quem hostis accipere nollet. Pro Mancino judicavit populus Romanus, illumque obtinuisse præturam anno U. C. DCXX. tradit Pomponius jurisconsultus. *Florus in Epitome, Appianus*, &c. PRUSTEUS.

Paterpatratus] Is unus e fecialibus erat, sanctiori quadam ornatus dignitate, atque auctoritate, ad patrandum, hoc est, sanciendum aliquod fœdus, res repetendas, bellum indicendum hosti, &c. Feciales autem fidei publicæ inter populos præerant: nec licebat bellum inferre, nisi ipsi justis de causis susceptum declarassent, atque indixissent. *Livius lib.* I. IDEM.

Postliminium] Cic. in Topic. c. 8. *Quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, dein cum redierint post ad idem limen, postliminio videntur rediisse.* Vide Cujacium, lib. XI. Observat. cap. 23. PEARCIUS.

Majorem] Illa scilicet Mancini causa, in qua agebatur de illius ordine, civitate, et libertate: de ordine, an senator esset, quo in ordine erat antequam hosti dederetur: de civitate, an habendus esset in numero civium: de libertate, an servus esset, an liber: de capite, an capite diminutus esset. proindeque in exilium pellendus, aut etiam omnino perdendus. PRUST.

Si quis apud] Aliquis e populo fœderato, homo inter suos liber et ingenuus, Romam venerat; ibi servitutem serviit; ea servitute liberatus ad suos rediit; ab iis receptus non est. Quæsitum est, an is dicendus esset ad suos redire postliminio, an desiisset civis Romanus esse. Causa quæ-

rendi hæc erat, quod inter fœderatos postliminium non est, sed tantum inter hostes: itaque si ille assertus in libertatem, factus erat civis Romanus, sine postliminio poterat redire ad suos. Non poterat tamen amplius esse civis Romanus, quia jure Romano nemo poterat, ut ait Cicero pro Corn. Balbo, duarum civitatum civis esse. PRUSTEUS.

Domini voluntate census sit] Quinto quoque anno a Censoribus in tabulas referebantur civium Romanorum tam nomina, quam opes. Si quis dominus tunc temporis servo suo permisit, ut in civium numero ab iis magistratibus recenseretur, is liber factus est: sed inter jurisconsultos quærebatur, utrum *continuo*, id est, eo ipso die recensendi, is liber esset, an nonnisi post totum censum absolutum, sive *lustrum conditum*, quod solenni sacrificio finiebatur. PEARCIUS.

Ubi lustrum conditum] Condi lustrum dicebatur, cum census perfectus erat et absolutus: absolvebatur autem sacrificio solenni. Lustrum est ipse census, seu recensio civium: a lustrando dicitur, tunc enim veluti lustrabantur, et recognoscebantur cives omnes. Aliquando lustrum est spatium annorum quinque: quia exactis quinque annis fiebat census. PRUST. Vide Cujacium, lib. XVII. Observ. cap. 20.

Certis quibusdam verbis] His fere verbis, cum vir uxorem repudiabat, utebatur: Res tuas tibi habeto, tuas tibi res agito: quorum altero restituit dotem, altero tutoris munus in rebus uxoriis deponebat. PRUSTEUS.

Non novis nuptiis] Videtur is qui nuptias cum altera uxore contrahit, priorem repudiare: hunc tamen tacitum consensum recentiores jurisperiti negant sufficere. Lis igitur hæc, et controversia erat, an verbis, an mente sola, et novis nuptiis factis divortium fieri censeretur. PRUSTEUS.

Cap. 41. *Expositis a Cn. Flavio*] *Posset agi lege, necne*, inquit Cicero pro Muræna, cap. 11. *pauci quondam sciebant. Fastos enim vulgo non habebant. Erant enim in magna potentia qui consulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chaldæis petebantur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit*, id est, ostenderit doctrinam veterum illorum jurisconsultorum non admodum reconditam fuisse, *et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit*. Cn. iste Flavius, patre libertino natus, ob fastos populo promulgatos fuit ædilis curulis a forensi turba creatus anno U. C. DCXLVIII. *Livius lib.* IX. *et Pomponius de origine juris*. IDEM.

Cap. 42. *Æquabilitatis*] Vict. Man. *æqualitatis*.

Notanda genera] Juris genera ista sunt: aliud publicum est jus, aliud privatum. Rursus publicum aliud spectat res sacras; aliud magistratus, ordinemque civitatis; aliud continetur legibus; aliud senatusconsultis, &c. aliud civium est; aliud exterorum &c. Vide Ciceronem in Topicis. PRUSTEUS.

Quod jam diu cogito] Hoc in persona Crassi de se ipse Cicero dicere videtur: eum enim scripsisse librum de jure civili in artem redigendo testis est Gellius lib. 1. cap. 22. IDEM. Vide Philosophicorum Fragmenta, Tom. III. pag. 569.

Justa (vulgo, et Grut. *ista*) *juris civilis scientia*] Id est, quæ sufficit, cui nihil deest ad tuendum nomen scientiæ. Sic in Oratore, c. 41. *justa excusatio*, idem valet ac satis bona, et in ep. ad Famil. lib. 2. ep. 10, *victoria justa* eodem dicitur sensu. Non opus est igitur, ut cum Gulielmio sententiam refingamus. PEARCIUS.

Cap. 43. *C. Aculeonem*] Hic eques Romanus Ciceronis materteram duxit uxorem: propterea filios Aculeonis Cicero consobrinos suos vocat lib. II. de Oratore. PRUSTEUS.

Cum ab hoc discesseritis] Scilicet, a Scævola. STREBÆUS.

Elata] Quid, si, *relata?* MURET.

Cap. 44. *Sapientissimus vir*] Ulysses scilicet, cui Calypso pollicita est immortalitatem, modo secum manere perpetuo vellet. Odyss. lib. V.

Dracone] Draco primus Atheniensium legislator, cujus severiores leges sanguine, non atramento, scriptas, draconis, non hominis, esse dicebant: tanta scilicet fuit illarum immanitas, ut in levia pariter, et gravia delicta capitali poena animadverterent; nec minus addicerent morti eum, qui otii convictus esset, quam qui parricidium admisisset. Cum in theatrum aliquando prodiisset, conjectis in eum undique stragulis et vestimentis suffocatus est. Floruit, ut tradit lib. I. Strom. Clemens Alexandrinus, XXXIX. Olymp. anno 1. quo leges tulit. Eum perhibent tribus versuum millibus vitæ præcepta tradidisse. PRUSTEUS.

Cap. 45. *Cum ingenio sibi auctore dignitatem* &c.] Vix Ciceronianum videtur dicere, *ingenio auctore aliquid facere*. De personis sæpius, nullibi vero (opinor) Noster de rebus quasi auctoribus loquitur. Fortasse igitur delenda est vox *auctore*, utpote quæ ex voce *auctoritate* in sequenti linea huc ab inscientibus librariis adducta videtur. PEARCIUS.

Suarum rerum] Versus tres iambici ex tragœdia quadam Enniana. PRUSTEUS.

Cap. 46. *Caduceo*] Caduceus erat virga, quam feciales gerebant, cum ad hostes Romanorum mitterentur, seu belli seu pacis causa; quamque præ se ferentes, sacri et ideo non violandi putabantur. PEARCIUS. Qui virgam illam, insigne pacis, gestabant, erant jure gentium ubique tuti et incolumes. Hæc est porro hujus loci sententia: Orator non tam oratoris persona, quam orationis auctoritate tutus sit. PRUSTEUS.

Cap. 50. *Duodecim scriptis ludere*] Vide Victorium, Var. Lect. lib. 5. c. 13. et 50.

Cap. 51. *Istis tragœdiis tuis*] Tragœdias in nugis agere dicuntur, qui rem parvam clamitando, ut fieri solet a tragœdiarum actoribus, magnam faciunt. PRUSTEUS.

Cupiditas puniendi doloris] Id est, ulciscendi doloris, quem aliorum injuriæ nobis fecerunt. Simili modo locutus est Cicero in Orat. pro Milone: *Fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris sui.* PEARCIUS.

Ineptum et *Græculum*] Ita legendum censeo: et ita in Tusc. Disp. l. 1. c. 35. habemus; *ineptum sane negotium* et Græcul. IDEM.

Cap. 52. *Eripite nos*] Verba sunt deprompta ex oratione quadam, quam Crassus paulo ante ad populum habuerat; qua vehementer conquerebatur de equitibus Romanis, qui cum judicia impotentius et iniquius exercerent, tum vero senatum vehementer vexabant. Crassus igitur, qui senatorum partes et causam tuebatur, ita alloquebatur populum: *Eripite nos*, &c. PRUSTEUS.

Servire] Plerique omiserunt signum distinctionis post hoc verbum. Atqui sensum pervertere omissio illa potest, et parum cautos inducere, ut putent, *istis auctoribus* esse tertium casum, quem ducat verbum *servire*, cum sextus sit casus, isque, ut Grammatici loquuntur, absolutus. Est enim hic sensus: Isti, Crasse, philosophi, quorum tu præcepta ad oratoris facultatem pertinere censes, an auctores sunt tibi, dicunt, pronuntiant, posse fieri ut virtus serviat, et non sit libera? OLIVETUS.

Quæ et semper] Videndum Ciceronis paradoxum, cujus hæc est inscriptio: *Omnes sapientes liberi, omnes stulti servi.* PRUSTEUS.

Cap. 53. *P. Rutilius Rufus*] De quo in Bruto, cap. 30.

Q. Servium Galbam] De quo in Bruto, cap. 21.

Tanquam in procinctu] Milites Romani pugnam commissuri, tribus pluribusve commilitonibus audientibus, heredem nominare solebant, ut si caderent in prælio, testamento condito morerentur; hoc est *in procinctu testamentum facere*. Vide Gellium,

15. 27. Quintil. Inst. Or. l. 12. c. 9. occurrit *in procinctu stare*, et Ovidius de Ponto lib. 1. ep. 8. ait,

Hæc in procinctu carmina facta puta,

id est, sine multa meditatione, et quasi ex tempore facta. PEARCIUS.

Sine libra, atque tabulis] Aliud erat testamenti genus per familiæ emancipationem; quo paterfamilias imaginaria venditione jus omne suum, ac bona transferebat in alium. Is porro ritus erat: Quinque testibus, ac libripende, præsentibus, futurus heres imaginarii pretii nomine nummum æneum dabat patrifamilias, ac solennem verborum formulam pronunciabat: *Hujus ego familiam, quæ mihi empta est hoc ære, æneaque libra, jure Quiritium, meam esse aio.* Deinde ære percutiens libram, illud æs dabat patrifamilias, qui tum hereditatis adeundæ jus emptori concedebat. Is autem, qui emebat, vocabatur emptor familiæ: eaque testamenta in tabulis scribebantur. Tertium testamenti genus calatis comitiis in populi concione fiebat. Consule Gellium, lib. XV. cap. 27. PRUSTEUS.

Liberius] Man. *uberius.*

Tribuit partium] Oratores et patroni alii erant primarum partium, qui principem causæ locum, ac defensionis, habebant; qui primi dicebant, vel de rebus præcipuis: alii secundarum, alii tertiarum, &c. PRUSTEUS.

Pedem nemo] Valet pedis supplosio, ut Cicero monet, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Si fuerit crebior, inepti hominis est, ut docet Fabius. PRUSTEUS.

Cap. 54. *Scriptam orationem*] Vetitum olim Athenis fuit, ne quis ad suam defensionem oratorem adhiberet. Igitur Lysias orator tum optimus scribebat orationes, quas eloquentiæ rudes, quia pro se ipsi dicere jubebantur, ediscerent, ac pronuntiarent. Ea causa fuit, cur scriptam orationem obtulerit Socrati. IDEM.

Sicyonios] Sicyon urbs Peloponnesi, in Græcia, Corinthum inter et Athenas. Hic olim muliebres calceí elegantissimi conficiebantur. IDEM.

Quas iterum, &c.] Quibus de pœna statuerent, et æstimarent quam gravis deberet esse. Id autem fiebat, cum fraus capitalis non erat, seu cum crimen capite plectendum non erat. Alioquin gravioribus delictis erat pœna capitis legibus constituta. Bis igitur sententiam ferebant judices; semel cum damnabant reum; iterum, cum pœnam constituebant. PRUST.

Quasi pœnæ *æstimatio*] Lamb. delet istud *pœnæ*, recte quidem: hæc enim *æstimatio* non fuit *pœnæ*, sed *fraudis*, id est, criminis, de quo reus damnatus esset. Sic paulo infra legimus, *quam quasi æstimationem*, &c. nulla *pœnæ* mentione facta. Apud Romanos *æstimare litem* (de quo Cicero sæpius loquitur) significavit, computare quantum pecuniæ is, qui in privatis judiciis causa cecidisset, adversario solvere deberet: cum vero apud Athenienses reus damnaretur de publico quodam crimine, non capitali, judicibus aliquando licuit, vice *pœnæ* (ut vocant) corporalis, multam illi irrogare. Hoc Cicero vocat *quasi æstimationem.* PEARCIUS.

Prytaneo] Locus Athenis, ubi publico sumptu alebantur ii, qui de rep. optime meriti essent. PRUSTEUS.

Cap. 55. LAMB. Non videbam.

Leguleius] Is est, qui legum apices, minutasque formulas juris callet, et sequitur. PRUSTEUS.

Præco actionum] Qui denuntiat imperitis juris, quando agi lege, necne possit; quo genere actionis suum quisque jus persequatur; qui sic interest actionibus et litibus, ut præco auctionibus ac venditionibus. STREB.

Cantor formularum] Qui juris formulas recitat. Formulæ autem sunt concepta verba, quibus vel patroni, vel judices utuntur in foro: quæ quia semper eandem formam retinent, et ex iis informantur lites, ideo formulæ appellantur: interdum etiam dicuntur carmina. PRUSTEUS.

Auceps Syllabarum] Qui syllabas et interpunctiones omnes, puta legis

alicujus, testamenti, &c. expendit, ac, velut auceps aviculas observat, et persequitur. IDEM.

Cap. 56. *Quibus rebus coemptio fit*] Coemptio fuit formula quædam matrimonii contrahendi, qua mulier (teste Varrone) assem unum, tanquam emendi causa, marito dare solebat; verbisque quibusdam solennibus uti, quibus *coemptionem fecerit*. PEARCIUS.

Heretum] (vulgo *erctum*) *cieri*] Ercisci, sive hercisci, verbum vetus, significat dividere: herciscundæ familiæ judicium illud est, quod fit in rei, vel pecuniæ hereditariæ, divisione. *Erctum*, ut ait Donatus citatus a Servio in III. Æneid. hereditatem significat, et *citum* divisionem. PRUST.

Pro æquitate contra jus] Æquitatis nomine intelligitur ἐπιείκεια, benignitas, qua lex scripta mitigatur, ratione habita rerum, personarum, ac temporum: jus autem, ut hic sumitur, est exacta et severa legis ad verbum interpretatio. IDEM.

Cap. 57. *Agnascendo rumpi testamentum*] Si paterfamilias ante fecit testamentum, quam natus ei sit filius, irritum est nato filio, et amittit jus omne ad hereditatem is, qui illo testamento heres fuerat institutus: filius enim nascendo, quia inter agnatos prior est, ac potior, jus omne ad hereditatem sibi vindicat. Agnasci dicitur, qui nascitur cum aliis, qui ex eadem stirpe per viros deinceps ducta nati et sanguine conjuncti sunt. PRUST.

Juris in controversiis] Lambinus legit *juris incontroversi*, eumque omnes deinde editiones secutæ sunt: sed libens eam lectionem revoco, quæ in omnibus Mss. et vet. cod. invenitur. Sensus est: *Oratori licet impune* et sine damno *in controversiis*, id est, causis, *ignorare omnem hanc partem juris*, scilicet de qua *dubium esse non possit*, et in qua *judicia nulla sunt*. PEARCIUS.

In illa militis causa] De qua dictum superius. Pater filium, qui erat in exercitu, oblisse falso audivit; alium instituit heredem: rediit miles; egit lege in paternam hereditatem. PRUSTEUS.

Hostilianas actiones] Quis Hostilius iste sit ambigitur, Pomponius inter jurisperitos non recensuit. Actiones Hostilianas interpretantur nonnulli præscriptas Hostilia lege, quæ anno U. C. DLXXXIII. lata est de furtis: ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent, &c. IDEM.

Uti lingua nuncupasset] Legunt alii *nuncupassit*, hoc est, nuncupaverit. Hæc erant concepta verba duodecim tabularum. *Uti lingua nuncupasset, ita jus esto*. Cujus formulæ et carminis ea sententia est, in dicendo jure ac statuendo habendam esse verborum et scripti rationem, et ita judicandum, verbi gratia, de pactione, stipulatione, venditione, uti ea pactio et venditio verbis concepta fuerit, seu uti lingua vendentium et contrahentium nuncupaverit, seu pronuntiaverit. PRUSTEUS.

In magistri carmine] *Carmen magistri* interpretor, tabellam, quam magister proponebat, et qua perscribebat se alicujus bona venditurum. Ejus enim olim, qui multis debebat, latitabatque, neque defendebatur, creditores prætorem adibant, apud quem querebantur, bonorumque possessionem petebant: quam et prætor dabat, atque in diem certam ea possidebant. Quæ cum venerat, prætorem rursus adibant, petebantque sibi ut liceret unum e suo numero deligere, qui bonorum venditioni præesset, qui *magister* dicebatur: is in compitis celebribus, et frequentibus urbis locis tabulam proponebat, se debitoris bona venditurum, his verbis: *Titius debitor noster incidit in causam venditionis bonorum: nos creditores ejus bona vendemus: qui volet emptor accedat*. Hanc, ut opinor, proscriptionem Cicero hic appellat *magistri carmen*. TURNEB. Advers. XXIII. 34.

Cap. 58. *Artem primum*] Lamb.

artem facillimam non ediscant; quam sit facilis, primum illi viderint.

Magonis] Mago Carthaginensis scripsit Punice libros octo et viginti de re rustica, quos ex senatusconsulto Cassius Dionysius Uticensis convertit. *Varro lib.* I. *de re rustica, cap.* 1. et *Columella*, qui eundem rusticationis parentem appellat. PRUST.

De tabulis] Tabulæ sunt chartæ, scripta, instrumenta litis: et quidem hic privatæ tabulæ intelliguntur; publicæ enim tabulæ sunt libri, et litteræ, quæ publicam memoriam continent. IDEM.

Præscriptionibus] Præscriptio hoc loco, (nam alio fere sensu nunc ista vox usurpatur) idem significat quod exceptio, seu exclusio. Exceptio est apposita quædam clausula, quæ vel prohibet, ne quis agat, hoc est, litem intendat; vel conditionem apponit, qua conditione vis et significatio legis actionem permittentis, certis limitibus circumscribitur. PRUSTEUS. Vulgo *præscriptionibus*, qua voce significantur Senatusconsulta, in quibus Senatorum nomina præscribebantur: sed vox istius significationis huic loco minime convenit: veram lectionem *perscriptionibus* protulit Lambinus, secutus auctoritatem duorum Mss. quibus consentiunt Mss. Bod. Nov. Wag. Norf. Cant. Mead. et editio Veneta. Nomen *perscriptionis* (inquit Lambinus) locum habet in nominibus, tabulis, et rationibus. Lib. 4. Ep. ad Att. ep. ultima: *Hæc pactio, non verbis, sed nominibus, et* perscriptionibus, *multorum tabulis cum esse facta diceretur, a Memmio prolata est.* Or. pro Roscio Comœdo: *Nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur; sic improbum est non referre, quod debeas: æque enim tabulæ condemnantur ejus, qui non retulit; et ejus, qui falsum* perscripsit. Vides, Lector, *perscribere* idem significare, ac in tabulis accepti et expensi scriptione res notare; earum vero notationes, *perscriptiones* dicebantur. PEARC.

Cap. 59. *Pæanem*] Pæan hymnus in honorem Apollinis, qui re bene gesta canebatur. Virgil. VI. Æneid.

Lætumque choro Pæana canentes.

Apollo dicebatur Pæan vel ἀπὸ τοῦ παίειν, *a feriendo*, quod radiis feriat, vel ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, *a sedandis molestiis.* PRUST.

Aut Munionem] Petrus Victorius, cujus ego diligentiæ et doctrinæ plurimum meritissimo defero, refert, etsi aliena fide, quibusdam in libris reperiri, *munychionem:* ego in veteri reperi, *muniorem:* quæ utraque scriptura, etsi depravata est, tamen ad conjecturam movendam fortasse non inutilis est. Ego igitur ex iis vestigiis legendum censeo, *minurationem.* Existimo enim Ciceronem verba Græca convertere voluisse, παιανίζειν et μινυρίζειν, ut *pæan* sit cantio (nam pro pede hic non censeam accipi) quæ clara, exultanti, contentaque voce citatur, id est, canitur: *minuritio*, cantio quæ tenui, leniore, remissioreque. Proinde *minuritiones* interpretatur Pompeius, *minorum avium cantus.* Apud Aristophanem μινυρίζειν canere est. Αὐχνοὺς ἔχοντες, μινυρίζοντες μέλη, et apud Plutarchum, πειηταῖς δὲ καὶ λυρικοῖς μινυρίζουσιν εἴπερ ἄρα, χρῆσθαι παίζοντας. TURNEB. *in Jocos Cic.* Videas ejus Advers. I. 12. Putant nonnulli hic legendum, *Pæanem*, aut *Nomium.* Nomium autem genus cantionis seu carminis fuisse docet Athenæus, lib. XIV. GRUTER. Lego, *Nomionem.* Alter erat hic hymnus eidem Apollini sacer, qui olim ad Amphrysum greges Admeti paverat: νομεὺς pastor est; unde Nomion quasi pastoricius. Legunt alii hoc loco *Munionem*, nec quid sit explicant: divinant alii *Munychionem*, et interpretantur hymnum Dianæ, quam Athenienses olim Munychiam appellabant: alii *minuritionem* conjiciunt, ut sit cantio, quæ leni, et remissiore voce edatur. Hymnos ejusmodi, sive Pæanem, sive Nomionem, idoneis numeris ac modis comparatos habebant Græculi, qui vocem declamandi causa fingebant; eos citabant sæpius,

et exercitationis causa cantabant. PRUSTEUS.

Imperitissimi] Vict. Man. Grut. *peritissimi.*

Cap. 60. *Tardiores tibicinis*] Solebant histriones, cum dicerent, vel agerent, adhibere tibicinem, ad cujus modos, vocem gestumque accommodarent. Itaque Roscius dicebat se, cum senior foret, ac proinde lentius canteret, ac remissius ageret, adhibiturum quoque tibicinem lentiorem, qui modos tardiores faceret. IDEM.

Cap. 62. *Nunc et Scævola*] Cur in his dialogis non perstet Scævola, causam affert ipse Tullius lib. IV. ad Atticum ep. 16. "Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scævolæ; non eam temere dimovi: sed feci idem, quod in πατρίδι deus ille noster Plato, cum in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum locupletem, et festivum senem: quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere: neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scævola; qui et ætate et valetudine erat ea, qua meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano: et erat primi libri sermo non alienus a Scævolæ studiis. Reliqui libri ψυχολογίαν habent, ut scis. Huic joculatoriæ disputationi senem illum, ut noras, interesse nolui." PRUSTEUS.

In Tusculanum] Aliam quandam agri Tusculani partem intelligit, ab ea disjunctam in qua erant. IDEM.

DE ORATORE,

LIBER SECUNDUS.

Cap. 1. *Quocum erat nostra matertera*] Qui matris nostræ sororem habebat in matrimonio. PRUSTEUS.

Decesserat] Id est, itineri se commiserat; non autem, ut quidam interpretantur, mortuus fuerat: Cicero enim ille patruus, in patriam redux, narrabat, quemadmodum Antonius Athenis et Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset. ID.

Probabiliorem hoc *populo*] Ut se habet vulgata lectio, vox *hoc* eodem sensu, quo *eo* ponitur adverbialiter: sed utræque semper comparativis præponuntur, ut sæpe apud Ciceronem habes *hoc facilius, hoc magis, hoc inferiores*, &c. Adde etiam, quod *hoc* semper habet vel præcedentem, vel sequentem particulam *quod*, vel *quia*, sed in hoc loco vox *hoc* postponitur comparativo, et non aliam habet particulam, quam *si*, insequentem. Facili igitur mutatione locum sic licet restituere; *Antonius autem probabiliorem* huic *populo orationem fore censebat suam, si*, &c. *huic* populo, id est, populo Romano. Nota hæc est, et vulgata Ciceronis locutio. Sic. l. I. c. 51. *qui in* hoc populo *foroque versamur*. Omnem autem dubitationem, opinor, eximet l. 2. c. 36. ubi suæ dissimulationis rationem reddens Antonius dicit: *semper ego existimavi jucundiorem et* probabiliorem huic populo *oratorem fore*, &c. PEARCIUS.

Cap. 2. *Bene dicere autem . . . cujus terminis* septa *teneatur*] Lambinus legit *septum:* quod verissimum puto. *Dicere* enim est modus infinitivus substantive acceptus, et neutrius generis. Immo *quod* neutrius est generis; vox igitur *septa* feminini ferri non potest. PEARCIUS. Si vera lectio est, *septa; ars* intelligitur, ex illis antecedentibus: *Etenim cæteræ fere artes.* ANONYMUS.

Cap. 5. *Discum audire*] Discus est moles ferri, vel plumbi, vel etiam lapidis, quam juvenes certatim ultra metam aliquam, et finem constitutum, alius alio longius, projicere conabantur. Quod ludi genus eleganter descripsit Homerus Odyss. lib. VIII. Discum, quam philosophum audire malle, non sine proverbii specie dicitur de eo, qui ad ineptas voluptates propensior est, quam ad utilia. PRUSTEUS.

Cap. 6. *Umbilicos*] Id est, lapillos umbilicorum instar habentes. Quod noster hic vocat *conchas et umbilicos*, Val. Maximus lib. I. c. 8. vocat *conchulas et calculos.* PEARCIUS.

Laurentum] Man. *Lucrinum.*

In causa Curiana] In oratione quam habui pro Curio, cujus causa exposita est libro superiore, cap. 39. PRUST.

Quam ipse] Lamb. *quam ipse de se intelligi vellet; quo*

Persium] De quo in Bruto, cap. 26. PRUST.

Lælium Decimum volo] Nescio, consultone, an errore in vulgatis editionibus comma post *Lælium* ponatur. Tam manifestum vero vitium non passus sum diutius Ciceroni adhærescere. Quippe Cicero singulos singulis opponit, Decimum Persio, additque relativum *quem*, non *quos.* Omnes veteres editiones omittunt istud comma: in quo delendo nihil dubii est. Restat tamen alius nodus: nusquam enim *Decimus* cognomen est. Sed præclare ad hanc rem facit, quod Cl. Spanhemius in suo tractatu de Re Nummaria observavit, nempe sæpissime prænomen postponi nomini gentis: sic in Dionysio Halicarn. habes Πίσων Δεύκιος, et Γέλλιος, Γναῖος, l. 2. Antiq. Romanarum. Apud Dionem quoque, ipsumque Ciceronem vir idem doctissimus observavit parilem ordinis mutationem. Porro Onuphr. Panvinius in libro de Nom. Roman. dicit se legisse *Manlium Cnæum.* Ergo *Lælius Decimus* idem valet, ac *Decimus Lælius.* PEARCIUS.

Cap. 7. *Nisi accessit os*] Os in hoc loco confidentiam, audaciam et impudentiam quandam significat. Oportet, inquit, me pene esse impudentem, qui velim docere quod ipse nunquam didicerim: sed quoniam oratores audaciam hanc in laude ponunt, neque orator esse bonus quisquam potest, nisi sit idem ore duriori, et paulo confidentior, aggrediar sane ad dicendum, quid sentiam de eloquentia. PRUSTEUS.

Cap. 8. *Ad excipiendas eorum voluntates*] Fortasse, *ad excitandas.* MURET. Lambini Mss. habuit *captandas:* sed cave, quid mutes; illa enim vox idem valet ac hæc; ut in Horatii ep. lib. I. ep. 1. v. 78.

Pomis viduas venantur avaras,
Excipiuntque *senes, quos in vivaria mutant.*
PEARCIUS.

Cap. 10. *Ut ait ille in Trinummo*] Ut ait servus in comœdia Plauti, quæ Trinummus inscribitur, actu III. Sc. 2. vers. 78.

Cæcilius] Natione Insuber Gallus, professione comicus poeta. Quod servus fuisset, servile nomen habuit *Statius*, ut notat Gellius lib. IV. cap. 20. Vixit Romæ, et comœdiæ princeps habitus est ætate sua. Eum licet dicat Cicero malum Latinitatis auctorem, tamen ei primas inter comicos tribuit Volcatius Sedigitus, quod refert Gellius lib. XV. cap. 24. Ipse Tullius lib. de opt. gen. Orat. cap. I. videtur ipsi primum inter comicos locum dare. Sane apud Nonium in verbo *poscere* Varro principatum in argumentis Cæcilio dedit. *In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.*

Clarult Cæcilius anno U. C. DLXXVII. De illo plura Vossius. PEARC.

Cap. 11. *Contra collegam*] Cn. Domitium Ahenobarbum, Neronis imperatoris atavum, de quo dicebatur non esse mirandum, quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, et cor plumbeum esset. Censor fuit anno U. DCLXII. Cum L. Crasso graves exercuit inimicitias. Vide Plinium lib. XVII. cap. 1. et Valerium Maximum lib. IX. cap. 1. PEARCIUS.

Esse] Lamb. *esse naturæ et fortunæ.*

Sapienter] Lamb. *patienter.*

Sex. Titium] Hic tribunus plebis fuit anno U. C. DCLV. Cum agraria lege lata plebem sibi vellet demereri, consulem Antonium, qui hic loquitur, acrem habuit adversarium. *Julius Obsequens.* PEARCIUS.

Cap. 12. *Ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso*] De quibus in Bruto.

Pherecydes] Atheniensis historicus, alius a Pherecyde Syrio antiquiore, physico, et theologo, historiam primus oratione numeris soluta scripsit, Darii, Hystaspis filii, temporibus, adeoque floruit circa Olympiad. LXVIII. Eusebium et Suidam, qui duos agnoscunt Pherecydas historicos, graviter errare observavit Scaliger, et recte probat Vossius lib. IV. de historicis Græcis cap. 4. PEAR.

Hellanicus] Hellanici duo sunt. Alter Mitylenæus, sive Lesbius, scripsit de antiquissimis gentium principibus, et alia quam plurima. Herodotum annis duodecim præcessit, ut ex Pamphila refert Gellius lib. XV. cap. 23. adeoque natus est anno I. Olympiadis LXXI. nec nisi octoginta quinque post annis obiit, ut testatur Lucianus in Macrobiis. Alter Milesius fuit. De utroque suo more Vossius erudite disserit. ID.

Acusilas] Argivus historicus: quæ vincta numeris oratione Hesiodus, eadem soluta scripsit; aut potius hujus carmina pedestrem in sermonem transtulit, et tanquam sua edidit, ut docet Clemens Alexandrinus lib. VI. Stromatum. Paulo ante Persarum in Græcos expeditionem, hoc est, Olympiade circiter LXXII. vixisse tradit Josephus lib. 1. contra Apionem. IDEM.

Antipater] In Bruto, c. 26.

Cap. 13. *Varietate locorum*] Id est, regionum; et ita Cicero in cap. sequenti, cum de Historiæ legibus sermo est, dicit, *Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem.* PEARCIUS.

Quasi ex clarissima Rhetoris officina] Ms. Harl. I. hunc ordinem verborum servat, *ex clarissima* quasi *Rhetoris officina.* Bene: cum enim vox *quasi* ad vim solius vocis *officina* levandam usurpetur, longe ab ea abesse non debet. Sic Cicero de Leg. lib. I. c. 13. *Philosophi* quasi officinas *instruxerunt sapientiæ:* et in Bruto c. 8. *Domus Isocratis,* quasi ludus *quidam atque* officina *dicendi* &c. IDEM.

Cap. 14. *Callisthenes*] Olynthius, Aristotelis non modo discipulus, verum etiam consobrinus, ut narrat Laertius, tantæ fuit arrogantiæ, ut scripta sua factis Alexandri Magni superiora esse prædicaret. Odiosus Alexandro, quod divinos ipsi decerni honores dissuasisset, minimeque aulæ et assentantium accommodatus ingenio, initæ in caput regis conjurationis falso suspectus, ante tortus interiit Olympiade CXIII. *Curtius,* lib. VIII. PRUSTEUS.

Timæus] Tauromenii in Sicilia natus, trecentis circiter ante Christum annis floruit, regnante Agathocle: cui, ob indictum exilium, ulciscendi studio fuit præter modum infensus; adeo ut in hujus principis rebus nullam, auctore Suida, fidem mereatur. Varia fuit de ipso veterum sententia: hic eximie laudatur a Cicerone. Eum alii censent nullo delectu quidlibet in suas historias infarsisse, Hesychiusque et Suidas eum γραοσυλλέκτριαν, *anum collectricem,* appellatum fuisse referunt. Longinus libro περὶ ὕψους Timæum dicit sæpe frigidum, et ad puerilia delabi. Ait Diodorus Siculus propter intempestivas reprehensiones nuncupatum esse

ἐπιτίμων, id est, reprehensorem. Annos XCVI. vixit, teste Luciano in Macrobiis. PRUSTEUS.

Quid ergo] Lamb. *Quid ergo? Est, fateor, aliquid tamen:*

Misenum] Misenus, mons Campaniæ: oppidum vocant Josephus et Orosius: a Miseno qui Æneas in Italiam secutus erat, nomen accepit. *Virgilius Æneid.* lib. VI. PRUST.

Cap. 15. *Sita sunt enim ante oculos*] Nescio an rectius legi debeat: *ista sunt.* Nam quo referes illud *sita?* Conjecturam confirmat, quod mox dicit: *Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus.* MUR.

Veri] Vict. Man. Grut. *vere*

Quæ temporibus et personis notæ *sunt*] Inusitatam hanc esse locutionem arbitratus est Lambinus, et legit *notatæ;* quod vehementer probo. Sic enim olim edidit Manutius, et sic Cicero in lib. 1. de Or. c. 31. distinguit infinitam quæstionem a finita, quia illa *non* designatur *temporibus ac personis.* Sic in Part. Orat. *Alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus* notatum. Et alibi: *Ita disceptationes eæ, quæ in iis controversiis oriuntur, quæ sunt certis personis et temporibus* notatæ, &c. PEAR.

Cap. 17. *Quid, etiamsi non didicisset*] Lambinum secutus sum, elegantioremque censeo orationem fore, si sic eam interpungas; *Quid* etiam, si *non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret.* Vulgo *Quid, etiamsi,* &c. IDEM.

Plena veritatis] Id est, plena iis affectibus, quos non præ se fert, sed revera habet Orator. Quintil. Inst. Or. lib. 6. c. 2. Histrionum affectus *falsos* vocat, Oratorum *veros;* additque, *nec agamus* (sc. nos Oratores) *rem quasi alienam, sed assumamus illum dolorem.* Vide etiam quæ de eadem re loquitur Noster in hujus libri c. 45, 46, 47. PEARCIUS.

Quemadmodum in clypeo idem ille artifex] Metuo, ut sit hic locus integer. Per voces *idem ille artifex* significatur Phidias: num igitur hoc dicit Antonius, neminem sculptorem laboraturum esse, quemadmodum *Phidias* discat facere illa opera minora? Nihil minus: sed quemadmodum ipse discat. Emendandum igitur locum hoc modo censeo. *Non sane, quemadmodum in clypeo,* ut *idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.* Indoctis librariis voces *ut* et *quemadmodum* idem significare forsitan videbantur. Nunc vero posterior sententia priori bene respondet. Sensus autem est: Si quis possit efficere signum Minervæ, ut effecit Phidias, facile discet minora illa opera, quæ in clypeo erant, facere, ut idem Phidias facile didicit. Idem.

Cap. 19. *In discept.*] Lamb. *in disceptatione finita rerum controversarum:*

Cap. 20. *Tinctus litteris*] Contra Budæum istæc explicat P. Victorius, Var. Lect. x. 17. GRUT.

Cum omnia summe *fecerit,* &c.] Ut se habet vulgata lectio *summa,* ni fallor, Cicero aliud dicit, ac dicere vult. *Omnia summa facere,* est, esse perfectum in iis rebus, quas quis aggreditur. Sed patet ex verbis sequentibus, *tamen ad mediocres,* &c. non hoc Ciceronem velle. Lege igitur cum Mss. Cant. Wag. Harl. et Joan. *cum omnia* summe *fecerit,* id est, cum omnia tentaverit obnixe, et manibus (ut aiunt) pedibusque. Fieri vero potest, ut, aliquis totis viribus conetur, nihil tamen proficiat. Passim apud Ciceronem occurrunt, *summe* sollicitare, *summe* contendere, &c. PEARCIUS.

Cap. 22. *Meri*] Man. *innumeri.*

Cap. 23. *Similes sunt et inter sese magistri*] Gruterus obnixe nimis contendit pro vulgata lectione, *et inter sese magistri:* sed, quid velit *inter sese magistri,* nescio. Auctoritate igitur Mss. Cant. Norf. Bod. Bal. Nov. Wag. necnon omnium veterum editionum sic locum refinxi, *voluntate autem similes sunt et inter sese, et magistri.* Hoc sensu: Omnes illi discipuli Isocratis idem scribendi genus secuti sunt: omnesque Isocratis, magistri sui, in scribendo similes sunt. Se-

quitur ergo quod hoc exemplo probare voluit Antonius, eos omnes aliquem, nempe Isocratem, sibi imitandam proposuisse. PEARCIUS.

Sed tamen ne, &c.] Hæc est Antonii sententia. Non tamen sum in scribendo tam negligens, quam dicis. Quemadmodum enim existimor non conficere tabulas, quas tamen a me confici satis probat res mea familiaris recte administrata: sic scribendi exercitationem penitus a me non omitti, satis declarat hæc mea, quantulacumque est, dicendi facultas et copia, quam videlicet nunquam, nisi crebro multumque scribendo, assecutus essem. PRUSTEUS.

Ne tabulas quidem conficere] Veteres Romani tabulas rei familiaris suæ conficere solebant: qui eas non conficerent, suarum rerum negligentiores putabantur. De tabulis domesticis Romanorum vide Testim. Asconii in Lex. Hoffmanni Tom. 4. PEARC.

Vester] Lamb. *noster*.

Cap. 24. *Pacta, conventa*] Lambinus et in hoc loco, et nonnullis aliis similibus comma delevit, et sic legit, *pacta conventa*. Strebæus etiam dicit doctissimos quosdam viros sic olim legisse. Nec aliter Ulpianus in libro juris gentium. *Solemus enim dicere* pacta conventa *inesse bonæ fidei judiciis*. Imo hodie inter Polonos *pacta conventa*, nonnihil mutato tamen sensu, usitate dicuntur. PEARCIUS.

Inertiæ] Locus hic Lambinum et alios exercuit, cum non viderent, quomodo inertiæ vituperatio posset dici major, quam tarditatis. *Inertia* nihil aliud designat, quam artis ignorantiam, quæ in oratore sane est vitium maximum. VERB.

Cap. 25. *L. Opimii causam*] Anno U. C. DCXXXIII. L. Opimius consul C. Gracchum in tertii tribunatus plebis petitione repulsum, ac vim parantem oppressit. Consulatu perfunctus, a P. Decio tribuno plebis accusatus est majestatis, quod cives indemnatos occidisset: verum a C. Carbone defensus, frequentibus suffragiis est absolutus. *Livii epitome* &c. PRUSTEUS.

Norbani causa] Anno U. C. DCLX. C. Norbanus, quod tribunus plebis Q. Servilium Cæpionem a Cimbris victum seditiosis concionibus ultra modum vexasset, reus majestatis a P. Sulpicio Rufo juvene peractus est. Hominis nocentissimi causam suscepit M. Antonius ejus olim quæstor, et tum eloquentia sua, tum etiam equitum favore obtinuit. De hoc judicio pluribus infra cap. 48. disserit Antonius Sulpicium alloquens. ID.

Cap. 28. *Reum consularem*] M'. Aquilium, qui post servile bellum in Sicilia confectum de repetundis pecuniis causam dixit. Cum judicum misericordiam implorare nollet, M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam ab ejus pectore discidit, ut honestas cicatrices bello acceptas ostenderet. Quibus conspectis reus absolutus est. PRUSTEUS.

Cicatrices adversas] Quæ in pectore, vel alia parte anteriori, accipiebantur vulnera, dicebantur *adversa*, erantque gloriosa: ut contra, *aversa* inhonesta, utpote in fuga, et tergo accepta. IDEM.

Cn. Manlii] A Cimbris Cn. Manlius et Q. Servilius Cæpio proconsules victi prælio, castrisque binis exuti sunt: octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. *Livii epitome lib.* LXVII. Ea clades incidit in annum U. C. DCXLIX. IDEM.

Quid de Q. Regis commiseratione dicam?] Antonius in causa Quinti Regis in commiserationem movit judices: de qua nihil alibi, quod meminerim, legi. Nomen est hic proprium *Rex*, nec officium comprehendit. Q. Martius Rex consul fuit cum M. Catone Nepote. Auctor est Gell. lib. XIII. cap. 18. et Plinius lib. II. cap. 31. STREBÆUS.

Cap. 30. *Subacto*] Translatio ducta ab agricultura. Ut ager non semel aratus, sed iterum ac tertio proscissus, potest meliores et grandiores fructus afferre: ita perdomitum et

excultum ingenium et plura et meliora producit. PRUSTEUS.

Opimius] Anno U. C. DCXXXIII. *C. Gracchus seditioso tribunatu acto, cum Aventinum armata quoque multitudine occupavisset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus, interemptus est.* Anno consequente, *L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, liberatus est.* Epitome Livii lib. LXI. PRUSTEUS.

Cap. 31. *Quod personis*] Lamb. *quod propiis nominibus personarum, locorum, ac temporum distinctum est: in quo uno illi occupati sunt. Superius vero illud, quod totum est in ratione generis positum, quasi non necessarium sit, nullis præceptis aperiunt, ignari.*

Cap. 32. *A M'. Curio causam didicisse L. Crassum, et* ea re *multa attulisse*, &c.] Verba *ea re* significant, ob eam causam, ob eam rem. Sic Cicero in l. 4. Tuscul. Disp. c. 38. Ea reque *suscipi, quod ita rectum esse videatur.* Sic etiam in ep. Bruti ad Atticum. *An hoc ipsum* ea re *facit, quod illi propter amplitudinem omnia jam, utroque deferenda putat?* Sed verba istius significationis huic loco non conveniunt; nulla enim ratio, aut causa significatur, cur Crassus multa attulit. Mss. Bod. legit, *et* ex re *multa*, &c. unde suspicor legendum, *et* ex reo *multa attulisse.* Sic in initio hujus capitis; *ea, si* ex reis *numeres, innumerabilia sunt.* Sic in cap. præcedente: *Nulla denique est causa, in qua id, quod in judicium venit: ex* reorum *personis, ac non generum ipsorum disputatione quæratur.* Nempe Antonius voluit dicere, Crassum non ex ipsa persona Curii, neque ex reo argumenta deprompsisse; sed omnia ab homine ad naturam universam quæstionis retulisse. PEARCIUS.

Cap. 33. *Debilitati a jure cognoscendo*] Vox *debilitatus*, cum sine ablativo casu ponitur, significat nihil aliud, quam *fractus, imminutus:* sed huic loco parum convenit ista significatio. Antonius paulo supra dixerat; *nos Jurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent:* idemque dicere etiam in hoc loco voluit, loquendi tamen formula variata. Legendum igitur censeo: *debilitati* metu *a jure cognoscendo*, &c. Sic. l. 1. c. 26. *simul ac me fractum ac* debilitatum metu *viderit.* Imo Mss. Cant. et Wag. exhibent reliquias hujus lectionis, leguntque, *debilitati* a me *a jure cognoscendo.* PEARCIUS.

Apte] Vict. Man. *acute.*

Solium] Vict. Man. Lamb. *solitudinemque.*

Soliumque] Id est, sella, vel lectulus domi positus: de quo Noster lib. 3. c. 33. *In solio sedentes*, &c. PEARCIUS.

Cap. 34. *Intra quas venire debeas*] Manutius, et Gruterus, *intra quas venere*, ut sit translatio a venatione ducta. IDEM.

Ubi eum *locum omnem*, &c.] Familiaris meus Johannes Walker pro *eum* reponit *enim*, et conjectura placet: in vulgata enim lectione nihil est, quod hanc sententiam priori connectat, etsi manifeste hic ratio redditur eorum, quæ jam præcesserant. ID.

Cap. 37. *Carneadem, et Critolaum, et Diogenem*] Legati Romam Athenis missi sunt, uti multam remitti civitati peterent quingentorum talentûm, quam fecerat propter Oropi vastationem, Sicyoniis damnantibus, quibus illius causæ judicium a Senatu permissum fuerat. Legationis illius tempus mira auctorum dissensione traditur. Gellius, lib. XVII. cap. ult. sub bellum Punicum alterum illos advenisse refert; ac posteriorem eorum adventu facit Ennium, quod ego falsum arbitror: si quidem obiit Ennius anno U. C. 585. At Cicero (in Lucullo cap. 45.) legationem illam assignat P. Scipioni et M. Marcello Coss. qui est annus 599. Verum Pausanias in Achaicis sub annum Urbis 603. illos advenisse significat. PETAVIUS, *Rat. Temp.* lib. IV. cap. 12. Eodem anno Urbis 603. id evenisse putat Casaubonus in Synopsi ad Polyb.

Cap. 39. *Erumpat*] Man. *erumpat:*

ut illi ... commonstrem ... illustrem ... definiam.

Cap. 40. *Q. Metellum*] Anno U. C. DCLVII. prætoram obtinuit Q. Metellus, Pii cognomentum adeptus, quod, ut ait scriptor de Viris illustribus patrem Numidicum precibus ac lacrimis assiduis ab exilio revocasset. Qua singulari pietate facilem ad summos honores aditum paravit. PRUST.

Si omnes, qui Reipublicæ consulunt] Sensus est: Si illi, qui Remp. adjuvant consiliis, cari esse debent; multo magis Imperatores illi, qui non solum consiliis, sed et aliis rebus, scilicet fortitudine et periculis subeundis, ejus salutem et dignitatem tuentur. PEAR.

Quod eam legem] Pighius ad annum Urbis DCXXXIV. ante hæc verba deesse nonnihil suspicatur, sicque ex varia manuscriptorum codicum lectione locum esse restituendum putat. *Quod P. Africani necis socius fuisti, quod C. Graccho dux et auctor repetendæ per seditiones tribunicia potestatis fuisti, quod eam legem*, &c. PRUS.

Hic, parvæ consuetudinis] Terent. Andr. act. I. sc. 1.

Cap. 43. *Vultus pudoris significatio*] Ita legendum puto, deleto commate post vocem *vultus:* ut tam *vultus*, quam *pudoris*, sit genitivi casus, et regatur a voce *significatio*. Hanc loquendi formula sæpius ad Ciceronem occurrit: exemplo sit istud in initio Orat. in Pisonem: *Jamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ?* PEAR.

Cap. 44. *Aut metuant, aut spernant*] Mss. Bod. Mag. Norf. Pal. quart. quint. et octav. itemque Lambinus, Asc. et editiones Ven. et Mediol. aliæque exhibent, *sperent*. Recte sane, Lector: vides enim contrarias animi permotiones sibi invicem opponi, amorem odio, invidiam favori; contraria vero permotio *metui* est *spes*. Nec aliter Cicero eas opponit c. 42. hujus libri; *aut dolore, aut lætitia, aut* spe, *aut* timore. PEARCIUS.

Cap. 45. *Digito denique*] *Cùm tres contracti* digiti *pollice premuntur, tum digitus ille, quo unum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando et indicando, unde ei nomen est, valet.* Fabius, lib. XI. cap. 2. PRUST.

Cap. 46. *Spondalia*] An legendum hic *Sophoclea*, ut censet Auratus, quod hi versus ex Sophoclis Teucro a Pacuvio e Græco in Latinum sermonem conversi? an *spondialia*, ut Turnebus, seu potius, quemadmodum Salmasius et Vossius putant esse magis secundum analogiam, *spondaulia*? Σπονδαύλαι sunt tibicines, σπονδαύλος enim tibia est. Atque hic σπονδαύλων μέλος versus inter sacrificandum ad tibiam cani soliti, ne quid male ominatum audiretur. PRUSTEUS.

Segregare] Sic in Teucro tragœdia Telamonem inducit loquentem Pacuvius. Telamon rex Salaminis ad bellum Trojanum filios miserat Ajacem et Teucrum, ut alter alterum tueretur. Ut audivit Ajacem, ob negata Achillis arma, sibi manus intulisse, Teucrum, qui fratris necem ultus non fuerat, reversum ejecit. ID.

Cap. 51. *Sin, quod aut in bonos viros*, &c.] Vitiosa certe est sententia, quam Lambinus sic corrigit: *Sin, quod aut bonis viris, aut iis quos quisque minime lædere debuerit, aut reipublicæ*, &c. Sed alia, opinor, aggrediendum est via: istud *factum*, quod in priore parte sententiæ, plane otiosum est, ex illo loco suspicor huc afferri debere. Lego igitur, *Nam si quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id augeas, odium creatur: sin, quod aut in bonos viros* factum, *aut in eos*, &c. Certe si vox *factum* in posteriori sententiæ parte in textum recipi non debet, subintelligi debet; ut *factum* in *bonos viros* idem sit ac *contra* bonos viros. Sic noster de Amic. c. 12. *Quid* in *P. Scipionem* effecerint, *sine lacrymis non queo dicere*. Sic et Terent. Heaut. Act. I. Sc. 1. *Ego, quod me* in *te sit* facere *dignum, invenero:* et ibidem Sc. 2. *Vereor, ne quid* in *illum iratus plus satis* faxit *pater*. PEARCIUS.

Cap. 53. *Infundendum*] Vict. Man. *influendum:* Grut. *inflammandum.*

Contrariis commotionibus inferenda *sunt*] Verbum *inferre* semper apud

Ciceronem opponitur illi verbo, quod magis huic loco convenit, *diluere*, sive *propulsare*. Invito igitur, ut opinor, sensu hæc lectio retinetur. Vult enim Cicero significare affectus omnes contrariis affectibus tollendos, amovendos, frangendos, imminuendos esse. Placet igitur conjectura Johannis Walker, qui censet Ciceronem sic scripsisse, *contrariis commotionibus* infirmanda *sunt*. Nempe verbum *tollatur* satis nos docet, quid velit Cicero. Sic etiam in Oratore: *Cumque animos in prima aggressione occupaverit*, infirmabit, *excludetque contraria*. Sed et has duas voces sæpe Cicero conjungit. Lib. 2. de Nat. Deor. *Quæ vos, Academici*, infirmatis et tollitis. Lib. 4. Acad. Quæst. *Hoc cum* infirmat tollitque *Philo*. Livius, lib. XXXIV. in Catonis oratione: *Ut unam* tollendo *legem, cæteras* infirmetis. Sed digna interim notatu est lectio, quam servant Mss. Joan. Nov. Mead. Harl. duo et Bal. *contrariis commotionibus* efferenda *sunt*. Si vox efferenda significat *vincenda, superanda*, &c. omnino retineri debet. Videtur autem hoc significare in Tusc. Disp. l. 4. c. 29.

Quod non natura humana patiendo efferat.

Calepinus in Lex. dicit *efferre* significare, *vincere, superare, quasi extra ferre:* et ad eam significationem istius vocis probandam hunc locum sic citat; *contrariis commotionibus* efferenda *sunt*. Unde constat in veteribus libris, quibus usus est Calepinus, *efferenda*, extitisse. Carolus etiam Steph. invenit *efferenda* in suis veteribus libris. PEARCIUS.

Cap. 54. *A Philippo interrogatus quid latraret*] Depeculatorem Philippum fuisse Catullus notavit, et ærarii furem: solent autem canes noctu fures allatrare. Sic Cato privatorum furtorum fures dixit *in nervo* ætatem agere: fures publicos, id est depeculatores, *in auro atque purpura*. Cato etiam Uticensis apud Sallustium fures ærarii appellat. Aut certe furem et spoliatorem provincialium: non enim hic censeam alia Philippo furta objici. TURNEBUS.

Quam bona dicta teneat] Versus est trochaicus integer, et hemistichium. Itaque legi debet, *a sapienti*, ut versus constet. Citatur hæc Enniana sententia a Symmacho in epistolis: quanquam Socratica potius est; nam Socratis verbum istud refertur: Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ῥαῖον ἄν τις διάπυρον ἄνθρακα ἐπὶ τῆς γλώττης κατάσχοι, ἢ λόγον ἀπόῤῥητον, id est, *Socrates dicebat, facilius homines ardentem carbonem in lingua retenturos, quam quod arcano commissum sit*. Os autem si ardeat, id est, in ore si sit flamma, qui nolit uri et lædi, os non occludat, sed quam maxime hiante flammam expuat. Ennius autem bona dicta, bonas sententias intellexerat, quas sapiens tenere se non potest, quin loquatur. At homines faceti idem de dicacibus usurpare solebant, et aliter versum interpretari. Ab eadem mente Ennius docta dicta appellavit: *Haud doctis dictis certantes, sed maledictis*. Et Catullus, XI. 15. *Pauca nunciate meæ puellæ non bona dicta*, cum scripsit, maledicta significavit. Sunt etiam alia significatione dicta, dicacitates, et verba salsa. Plautus, Cap. III. 1. 23. *Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus, Qui* (Gronov. *Quibus*) *solebam menstruales epulas ante adipiscier*. In quem sensum versum Ennianum faceti homines, ut dixi, accipiebant. IDEM.

Cap. 55. *Lusit*] Galli sic dicerent, *tourna en plaisanterie*.

Minime mirum, *inquit, modo enim existi de balneis*] Ni fallor, non modo non jocus, sed ne sensus in hac lectione inveniri potest. Brutus dixerat, *se sine causa sudare:* respondit autem Crassus, non esse mirum illum sine causa sudare; modo enim exierat e balneis. Voces *minime mirum* non solum ad *sudare*, sed etiam ad *sine causa* referri debent, si vulgatæ lectioni hæreamus. Solebant ii, qui e balneis exierant, sudare, et aqua diffluere. Vides igitur, Lector, in hac vulgata lectione Crassum negare,

Brutum habere causam sudandi, et tamen causam, cur sudet Brutus, afferre. Quis ferre possit hæc tam secum pugnantia? Mss. Joan. et Harl. 1. omittunt voces *mirum*, et *inquit:* unde statim sic locum emendavi. *Atque illa brevia; cum ille diceret, se sine causa sudare: Minime, inquit; modo enim existi de balneis.* Clara nunc exhibetur sententia. Brutus dixerat, se sine causa sudare, id est, in impugnanda Planci contra Crassum causa nimis vehementer agere, cum sine sudore accusari Plancus et vinci Crassus potuerit. *Minime*, inquit Crassus, *non sudas sine causa: modo enim existi*, &c. Jocus est in ancipiti significatione verbi *existi*, quod significat, et vendere balnea, et e balneis lotum egredi. Voces *minime*, et *mirum*, adeo simili litterarum ductu scribuntur, ut festinantes librarii facile possint errare. PEARC.

Cum Brutus duos lectores excitasset] Hujus rei pro Cluentio Cicero meminit, cap. 51. De colonia Narbonensi, in Bruto, cap. 43.

Puberem] Patri cum filio pubere in balneis lavari non licebat, nec socero cum genero. Cicero de Off. I. 35. *Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur.* TURNEB.

Junia] Popilia omnium prima Romæ in funere laudationem meruit, cum ante honoratis tantum viris ea tribueretur. Ac Ciceroni displicet, lib. II. de Legibus, cap. 24. laudatio mulierum, cum legem tantum de viris hanc sanciat: *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur.* Quanquam Plutarchus jam inde usque a Camilli ætate honestis matronis eam fuisse dicit tributam, ob collatum ornamentorum suorum aurum in Apollinis crateram: cum Livius tamen scribat, tantum eis concessum, ut sacrorum et ludorum causa pilentis carpentisque uterentur. Paulo post Popiliam, idem honos est tributus Juniæ, quæ ex Brutorum erat familia. Ducebantur autem in forum funera laudationis causa: quod quomodo fieret, ex Polybio subjicere placet: Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τὶς ἡμῶν αὐτοῖς τοῦ ἐπιφανοῦς ἀνδρῶν, &c. Id est: "Cum apud eos illustris vir aliquis "ex hac migravit vita, in funere cum "reliquo ornatu in forum fertur, ad "rostra quæ vocantur, interdum "stans ante omnium oculos, raro re-"cubans. Circumfusa autem populi "corona, in rostra ascendit filius, si "quem puberem reliquerit, qui for-"te adsit: sin minus, propinquus "aliquis, et de mortui virtutibus di-"cit, rebusque quas is prospere ges-"serit. Eo deinde sepulto, justisque "factis, mortui imaginem in illustris-"simo domus loco ponunt, in cellula "lignea conditam. Imago autem "persona est ad similitudinem egre-"gie expressa, et forma, et lineamen-"tis. Has imagines et in publicis fe-"riis aperiunt, ornantque magnifice: "et cum ex familia clarus aliquis "moritur, in funus producunt." IDEM.

Solium tibi paternum] In excipiendis rutis et cæsis, quæ in mancipatione prædiorum excipi solent, non retinuisse sellam patris, in qua ille jus respondere solebat. Hic enim *recipere* est excipere. Cicero, lib. I. de legibus, cap. 3. *Præsertim cum non recusarem, quominus more patrio sedens, id solio consulentibus responderem.* Ita qui solium vendiderit, jus non respondebit. TURNEB.

Cap. 56. *Contra collegam*] Domitium. In Bruto, cap. 44.

Cap. 57. *Fateatur*] Vict. Man. Grut. *fateamur?*

Collectam] Græci συμβολὴν appellant, id quod confertur in cœnam a convivis; quo verbo Plautus utitur, cum scribit jocans: *Paratæ sunt scapulis meis symbolæ.* Sic collativum prandium dicunt Latini, quod Græci ἔρανον: et collativum ventrem eleganti translatione dixit Plautus. Vocant etiam Græci ἔρανον et συμβολὴν, pecuniam quæ exigitur a convivis. Proinde in Terentio, Andr. I. 1. 61. *Quid Pamphilus? cœnavit, symbolam dedit*, legendum censeo, non ut vulgo, *symbolum.* Collectrix etiam apud Plan-

tum est, quæ religionis causa stipem colligit: *Præcantrici, collectrici, ariolæ, atque haruspicæ.* TURNEBUS.

Fœnum] Significavit alios videri Crasso comparatos pecudes esse, proinde fœno pascendos: Crassum autem divinum plane hominem, ut ambrosia pascendus sit, qui cibus est deorum. TURNEB.

Cap. 58. *Gustaris*] Gustus cum alia significat, tum interdum id quod venditores gustandi et explorandi causa dant emptoribus vini, quod γεῦμα dicitur a Græcis: ut cum quid ostenditur, specimen a Latinis, a Græcis δεῖγμα vocatur: a quo per translationem dixit Seneca, *Dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit.* A qua etiam translatione illud Ciceronis profectum est, *Et degustabit genus exercitationum mearum.* Significat enim Paradoxa gustum Bruto fore earum exercitationum quibus uti solet. Est et gustus interdum primus prandii missus. Martialis (XI. 82. 4.) *Gustu protinus has edes in ipso, Has prima feret, alterave cœna.* Sed et gustare multo minus est, quam vel jentare, vel prandere: quo sane hic modo intelligendum est. IDEM.

Cap. 59. *Lacerat lacertum*] Hunc versum Crassus orator usque adeo vulgo jactatum ait, ut Tarracinæ passim in omnibus parietibus inscriptus viseretur Fabula, unde natum est adagium, sic habet. Memmius quidam Romanus cum ageret Tarracinæ, mulierculam quandam deperibat, sed non citra rivalem. Cum hoc igitur cum aliquando rixa incidisset, eo iracundiæ provectus est Memmius, ut Largii (nam id rivali nomen) brachium mordicus arriperet. Ea res posteaquam in popularem abiit jocum, faceti quidam et φιλόγελοι senarium hunc in omnibus ejus parietibus quinque litteris notarunt, depictis tribus LLL, et duobus MM. videlicet ut advenis percontandi ministrarent occasionem. Itaque cum M. Crassus Tarracinam aliquando venisset, admiratus novum litterarum ænigma, senem quemdam oppidanum percontatus est, quidnam sibi vellent ejusmodi litteræ. Atque is, exposita fabula, versiculum explicuit.

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Tametsi Cæsar, qui hæc loquitur apud Ciceronem, existimat narrationem hanc totam in Memmium adversarium dedita opera confictam fuisse. ERASMUS, Adag. Chil. I. Cent. IX.

Tibi ego, Antipho] Videntur hæc verba fuisse senis cujusdam arboris serentis, filioque suo dicentis, se non tam diu victurum esse, ut eas arbores maturitatem suam assecutas videat: juvenem illum, et vigentem olim ex illis fructus percepturum. Tum quod addit, *Senium est, cum audio*, hoc vult: Ita perfecta est ista Rosciana senis tussientis, et fracta voce ac tremula utentis imitatio, ut non histrionem imitantem, senem, sed Senectutem ipsam videar audire. PEARCIUS.

Mimorum] Sic eos appellat, qui mores et affectus personarum exprimunt: nec *mimos* tantum dixit, ut hoc libro postea, et in Antonium fecit, et alii scriptores vocant, sed *ethologos* addidit, ne ambigue loqueretur, ac fabula significari videretur, quam Mimum Græci, Latini Planipedem vocant, quales erant Mimi Publii et Laberii. Quanquam Cicero pro Cælio mimum hujusmodi, fabulam, id est, comœdiam appellare non vult: *Mimi ergo*, inquit, *est jam exitus, non fabulæ.* Pantomimorum hic non meminit. Exorti enim postea sunt imperante Augusto: erantque saltatores, qui gestu historias et fabulas ita exprimebant, ut sub oculos subjicerent, ad quam saltationem respexit Horatius, cum scripsit,

Pastorem saltaret uti cyclopa rogabat.

Et Juvenalis, Sat. VI. 63.

Chironomon Ledam molli saltante Batyllo.

TURNEBUS.

Si nimia est imitatio, sicut obscœnitas] Videtur oratio hiulca. Quæ tamen verba desiderentur, non facile dixerim. Vellem ita legi: *Si nimia est imitatio. Si erit obscœnitas, orator, &c.* MURETUS.

Cap. 60. *Brevi*] Lamb. *breviter*. *Vestrum*] Lamb. *nostrum*.

Granium] Præconem, cujus multa dicta versibus erat complexus Lucilius. *Conjicere in versus dictum præconis volebam Grani*, apud Gellium, (IV. 17.) Vide Orat. pro Planco, (cap. 14.) TURNEBUS.

Uni enim locum esse video] Jocus est sumptus ex communi illorum temporum consuetudine loquendi, qua aliquot convivis vocatis, ei quem præterea invitatum vellent, locum superesse dicebant. Plautus in Sticho, *Ædepol tibi etiam, opinor, uni locum conspicor, ubi accubes*. Id scurriliter ad vitium oculi convertit Appius. TURNEB.

Manus lava] Appius irridens C. Sextium, qui altero oculo captus erat, ait, *Cœnabo apud te, est enim uni locus*: ita carpebat hominis vitium, cujus in vultu erat locus uni oculo; quasi in ejus triclinio et convivio uni fuisset homini locus vacuus. Respondit Sextius subtili ac subito joco: *Cœnabis enim vero apud me, sed prius manus lava*: quo dicto, hominis impuritatem notabat. PRUSTEUS.

Puer abige muscas] Propinqui et amici, qui gratiosi erant aut clari, deducere solebant candidatos, qui prensatum ibant, ut petitio et gratiam et auctoritatem majorem haberet. Igitur cum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam esset complexus, Vargula scurriliter lusit, jubens abigi muscas. TURNEBUS.

Cap. 61. *Neronianum*] Illius, ut reor, Neronis, qui res adversus Annibalem gessit; estque exemplum hoc, ut pleraque hujus loci prisca, sumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. Dictum autem hoc et de furace accipi potest, ut a Nerone usurpatum fuerat, qui omnia resignet et recludat: et de servo frugi, cujus fidei omnia herus committat, cui nihil annulo obsignet, cui nihil claudat sera. In quodam libro scripto legitur *Nævianum*, ut a Nævio poeta sumptum, quod fortasse verius. IDEM.

Sp. Carvilio] Puto hunc esse qui primus apud Romanos uxorem dimisit. Vir fuit illustris, qui ex equestri loco natus ad summam pervenit dignitatem, ut Paterculus scribit. Consul autem fuit cum Fabio Maximo. Auctor Cicero de Senectute. TURN.

Calvino] C. Sextius Calvinus, ut ait Cicero in Bruto, ingenio et sermone eleganti, sed valetudine incommoda fuit, etsi cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis. Is igitur ex podagra plerumque claudicabat. IDEM.

Num claudicat: at hic claudicat] Sunt qui scribant hoc modo: *at hic clodicat*. Et sic interpretantur: Calvinus etsi claudicat pede, non tamen tam claudicat, quam clodicat, id est Clodio favet. Istorum sententiæ non habeo fidem, quia Cicero confert exempla duo, quæ non sic sunt ex immutatione litteræ, ut ea quæ sequuntur. Præterea immutant codices sine ratione. Ad hæc, quando fingitur Cæsar hæc tractavisse, cumque vixit Glaucia homo impurus, ut ait Cicero in Orat. pro Rabirio Posthumo, nullus erat Clodius, cui deforme esset favere. Nondum ceperat Rempublicam P. Clodius, quem Milo interemit. Ego igitur sic interpretor. Glaucia impurus homo cum videret Calvinum pede claudicantem, recordatus est antiqui proverbii, quo veteres utebantur in hominem errantem, vel dubiæ fidei. Quærebant enim: *Num claudicat?* hoc est constatne sibi, an potius errat, aut variat? Ex translatione verbi et ambiguitate objecit homini mentis errorem, vel dubiam fidem. STREBÆUS.

Nævio] Dictum est Africani, ut opinor, superioris in Nævium, a quo fuerat accusatus, quod præda bello Antiochi capta ærarium fraudasset: alii tamen a Petilio accusatum fuisse scribunt. Locus annominationem habet. Nominatur a Livio oratio P. Africani, in M. Nævium, in qua, ut opinor, hoc dixerat. TURNEB.

Vulgo *Video me a te circumveniri*] Cæsar dicit hæc duo Scipionis et Philippi dicta *verbi ad litteram immu-*

tati similitudine contineri. In joco Scipionis verba *Nævius* et *ignævius* idem prope sonant, eædemque fere sunt verborum litteræ. In hoc vero Philippi, cui verbo simile est verbum *circumveniri?* Prorsus nescio: jocus igitur non erit, nisi cum vulgatis nonnullis editionibus, et cum Lamb. et Steph. legamus, *Video me a te* non conveniri, sed *circumveniri.* Memento, lector, hoc in male olentem quendam dictum esse. Sensus autem est: Cum gravis est tibi halitus, quoties mihi occurris, non videris mihi *convenire*, sed insidias mihi parare, et mali aliquid mihi inferre velle. PEARCIUS.

Caput magnum] Ambiguum est, nam significatur et magnitudo partis, et amplitudo hominis. Publius autem iste Licinius Varus bello secundo Punico ædilis cum Venturio fuit, ut Livius scribit. Postea etiam præturam eodem bello adeptus est, in qua tulit ad populum, ut ludi Apollinares in statum diem in perpetuum voverentur. TURNEBUS.

Calvus satis est] Hic *Calvum* esse nomen proprium non censeam, sed appellativum. Jocus ex eo est, vel quod veteres calvos fallaces censebant, vel quod calvi mimi, ut Nonius ait, omnibus erant frustratui: unde *calvor*, quod est frustror, decipio. *Satis est* igitur *quod dicit parum*, est ambiguum. Id est enim quod parum loquitur, vel quod parum orator est. Nam *dicere parum* pro *oratorem non esse*, dicere solebant. Cicero in Bruto: *Nam T. Aufidius qui vixit ad summam senectutem, volebat similis esse horum, eratque et bonus vir, et innocens, sed dicebat parum.* Quid de Licinio Calvo oratore et poeta intelligunt, peccant ignoratione temporis. Si quis tamen, *Calvum*, nomen proprium, quod verum non puto, censeat, eandem servare poterit ambiguitatem. Satis est quod parum loquatur, et parum sit eloquens, ne nos fallat verbis, homo præsertim ineptus et molestus. IDEM.

Sannio] Sanna, inquit vetus Persii interpres, dicitur os distortum cum vultu: quod facimus cum alios irridemus: unde *Sanniones* dicti sunt, quod non rectum vultum habent. Hic tamen doctissimus Budæus animadvertit, mimorum quoddam genus significari. Verum, ut reor, sanna et sannio ab homine stulto et inepto Sanna originem sumpsere, qui tam fatuus fuit, ut Cratinus Comicus sannam pro stulto usurpaverit, quemadmodum relatum est ab Eustathio: quo etiam auctore deduci potest utrumque a Sannis populis Asiæ, quos consuetudo Græcorum erat ejus ætate Tzanos vocare, qui moribus erant barbaris et incultis, ac proinde insulsis et inscitis. Affert et aliam originem a verbo *σαίνω*. TURNER.

Cap. 62. *Primum genus hoc.... non est nostrum, morosum, &c.*] Hæc sunt Sannionum ridicula. Sustinent enim personas eorum, qui mores duros sequuntur et agrestes, qualis est Demea apud Terentium: qui nimia religione, et vano Deorum metu laborant, cujusmodi fere sunt mulierculæ: qui nihil non suspicantur, ut senes: qui gloriam avide captant, ut Thraso Terentianus: qui stulti sunt, ut Phædria. Hujuscemodi personas non sustinebit Orator, sed agitabit. Sustinere, est agere et imitari: agitare vero, faceto aliquo dicto, aut lepida narratione perstringere. STREBÆUS.

Loco] Lamb. *joco.*

Cum in campum non venisset] In campo Martio juventus Romana cum aliis ludis, tum pila se exercebat, cujus studiosus erat Titius. Frangere autem brachium ambigue dixit Vespa Terentius, vel suum, vel signi sacri. Apparet istum Titium quadam religionis opinione imbutum fuisse, qua simulacra damnabat, aut certe non satis pium fuisse, qui signa sacra frangeret. Vespa proprium nomen non est meo judicio, sed appellativum, significatque vespillonem. Pompeius, *Vespæ dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt*, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam

nequeunt. Itaque, ut reor, hic dicitur *vespa* Terentius, ut in Miloniana *popa* Licinius, id est sacrificulus. Si cui tamen Vespa proprium nomen esse videatur, non vehementer contra pugnabo. Tantum quid sentiam, testificor. TURNEBUS.

Quid? Decius, Nuculam, &c.] Africani dicterium, quidam interpretari voluerunt, et ad obscœnitatem turpitudinemque retulerunt. Satius esse duxerunt, effutire nugas aniles, quam se nescire quod nescirent, confiteri: quasi vero turpe sit ignorare, quod non culpa tua, sed temporum injuria ignores. Si Lucilii Satyræ extarent, non esset difficile rem videre, quam Cicero tanquam notam attigit, non explicavit. Perierunt vel casu, vel majorum negligentia. Quid facias? unde sumas notionem? divinabisne, et incerta pro certis habebis? Tantine tibi est versiculus maxime ridiculus, ut propter illum impudentiam tuam atque temeritatem vendites? Non placet mihi temere augurari: et si placeret, non referrem ad obscœnitatem, quia nec obscœne loqueretur Africanus, nec obscœna inter faceta collocaret Cicero. STREBÆUS.

Non esse sextantis] Jocus est ex ambiguo. Dicitur enim non esse sextantis, quod pluris est, id est, quod est magni pretii: et non esse sextantis etiam dicitur, quod minoris est, id est, quod nullius prope pretii. Nam non putem diduci et distrahi verbum debere, ut sex tantis dicatur, quo fere modo interpretantur. Sic illusit hominem nihili Granius, cum eum laudare videretur. Pretium enim in hominibus dicebant orta consuetudine ab emptione servorum. TURNEB.

Cap. 63. *Judicatum duci*] Id est, condemnatum. Plautus, *Male cubandum est, judicatum me uxor abducit domum:* et apud Gellium, Æris confessi et debiti judicatis triginta dies sunt dati. Sententia est, qui damnatum pecuniæ duci videt a creditore. IDEM.

Quanti addictus] Versus est trochaicus catalecticus. *Quanti addictus? Mille nummum. Nihil addo, ducas licet.* Ille qui rogabat, videbatur judicatum soluta summa aut promissa vindex liberaturus. Præter expectationem igitur, *ducas licet*, creditori dixit, significans se illi nullam facere moram. Addidit etiam ambiguum, cum dixit, *Nihil addo*, quod est, Nihil præterea rogo. Tantum enim scire volebam, quanti esset addictus, nec peto ut a prætore pluris addicatur mea causa. Nihil enim mihi debet, nec quicquam addo summæ. TURN.

Nobiliorem] Fulvium *Nobiliorem* (eum accusaverat Cato, eique ut probrum objecerat, quod poetas in provinciam duxisset) *Mobiliorem* Cato appellavit, ejus levitatem notans, quod maximum apud Romanos crimen erat, studiosos gravitatis et constantiæ. IDEM.

Deambulatum] Reprehendebat, quod male esset Latine locutus, cum *ambulatum* dicere debuisset. Plerumque tamen composita idem quod simplicia significant, ut *deambulare* pro *ambulare* Cato dixerat Latine. IDEM.

Et adversus et aversus] Objicit obscœnitatem oris, cum *adversum* dicit, et muliebria, cum *aversum:* ne quis scortatorem aut adulterum cogitet, quos Latini non vocant impudicos. Nam impudicitia est in patiendo. Simile quiddam Arcesilæ refertur in hominem castum illum quidem et integrum, voce tamen infracta, et capillo composito, et oculis illecebrosis. Nihil interesse quibus membris homines cinædi sint posterioribus, an prioribus. TURNEB. Nec te moveat obscœnitas indigna liberali joco. Non enim jocabatur Cato, cum diceret hæc. In verbis, quæ cadunt jucunde, non in re, hoc dictum facetum est. STREB.

Illum in campo Martio] Romæ forum in campo Martio habebatur, ubi tabulæ nummulariorum erant, et ubi Divisores nummum seu pecuniam populo dividebant: a nummo igitur *Nummius* hic nomen suum traxisse jocose dicitur. PEARCIUS.

Cap. 64. *Ut Statius Scauro*] Gellius, IV. 20. *Cæcilius quoque ille comœdiarum poeta inclytus, servus fuit, et prop-*

terea nomen habuit Statius. Is forte, aut potius alius ejusdem nominis libertinus, Scauro stomachanti, paupertatem patris objecerat, qui, quamvis patricius et nobilis, carbonariam tamen exercuisset. Ex eo natam ferunt legem Liciniam et Mutiam, de regundis civibus, quæ bellum Italicum magna ex parte concitavit, quod qui vix liber esset et civis, aut ne civis quidem, tam superbe principem senatus appellasset. Huic usurpationi non admodum dissimilis est παρῳδία, cum versum paulum immutamus, aut ad versus poetæ nobilis similitudinem versum condimus, ut ad imitationem versuum Homeri Hegemon Thasius poema totum (unde parodus poeta appellatus est) et Matron apud Athenæum, lib. 4. TURNEBUS.

Sentin' senem] Antonius orator censor factus de ambitu causam dixit, accusatus a M. Duronio. Cælius, cujus filius erat intemperantior in libidines, (eum enim hic delicatum vocat) pecuniam quandam a se profectam dicebat, qua corrupta essent ab Antonio suffragia: dixit Antonius ab adolescente in meretriculas insumptam emuncto patre, ut in comœdiis adolescentes facere solent. *Tangere* enim hic fallere et circumvenire est. Plautus, *Quia amare cernit, tangere hominem vult bolo.* Sic ferire dicebant, ut Terentius: *Ferietur alio munere Geta.* M. autem Antonius et L. Flaccus censores hunc Duronium postea senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam Trib. plebis abrogaverat. IDEM.

Proverbia] Proverbium est, *Agas asellum, si bovem agere non queas,* quod tum de Claudio Asello, quocum gerebat inimicitias, usurpavit Scipio. Græce sic effertur, εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἕλαυν γ' οὖν ὄνον, quo monemur, ut si bubulci esse non possimus, nec queamus vel plaustrum vel aratrum agere, asinarii simus saltem. Significavit ab imperatoribus eum inopia meliorum ductum fuisse; nec tam ductum militem ab imperatore, quam asinum ab agasone actum esse. Nonnulli hic; *Agaso asellum,* legunt eodem sensu, quod ab asinariis potius quam ab imperatoribus ductus sit: sed, nisi fallor, proverbium quod protuli, verissimum sensum aperit. IDEM.

Tutor, minus] Titulus est fabulæ mimicæ. IDEM.

Num molestus] Quanquam sermo in interrogatione est, tamen apparet a Cicerone scriptum fuisse *Non,* alioqui non esset locus joco: dicebantque *non* in interrogatione etiam, ut in negatione. Quod autem percontator dixerat interrogando, quasi infitiando dictum accepit Crassus, verba, non sententiam secutus. IDEM.

De L. Manlio] Comitiis centuriatis consules et prætores creabantur. Consul autem factus est L. Manlius Acidinus cum Q. Fulvio Flacco, anno ab U. C. DLXXIIII. quanquam alii etiam forte Acidini ante consulatum sunt adepti, de quibus jocus forte accipi possis. In comitiis autem rogatores dicebantur consules, qui comitia habebant: sed et illi qui in centuria aliqua suffragia rogabant et renunciabant consuli comitia habenti interrogante præcone, ut tum Scipio Maluginensis in sua centuria fuit. Meminit etiam Livius M. Cornelii Maluginensis lib. IV. qui consul fuit cum L. Papirio Crasso, multis ante hujus ætatem seculis, si de eo Manlio quem dixi, jocum interpreteris. Ac voce tum suffragia, non tabella ferebantur, nondum latis legibus tabellariis. Rogatores autem renunciatores centuriarum fuisse, ita docet Cicero lib. II. de Divin. *Quos cum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus qui in prærogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset. Is enim erat mortuus.* Sed et consul renunciabat, ut Cicero Murænam se renunciasse dixit. Præco etiam populo renunciabat quem centuria quæque relata et renunciata a rogatoribus consuli consulem faceret. Cum ergo Maluginensis a præ-

cone rogaretur, ut de candidato L. Manlio diceret, quid ipsius centuria censuisset, ille tanquam non de renunciatione interrogatus esset, sed de Manlii moribus, respondit, *Virum bonum et egregium civem esse reor.* Quod eo festivius est, quia non tantum de hominum moribus, sed et de candidatis ea verba vulgo usurpare solebant. IDEM.

Ex animi tui sententia, tu uxorem habes] Interpunctione mutata recte jocum hunc sic explicat Lipsius. Censores, cum lustrum conderent, diligenter cavebant, ne quis civis sine uxore esset. Cicero de Legibus censorum officia describens, *cœlibes*, inquit, *esse prohibento.* Solebant porro in exigendo jurejurando hæc verba præmittere: *Ex animi tui sententia:* id est, responde ad id quod rogabo, ita ut sentis: ac deinde addebant, *Tu equum habes?* aut, tu *uxorem habes?* Quod idem in omni juramento servatum auctor Cicero in Academicis. Hinc facilis hujus loci interpretatio. Cum enim censor Cato in lustro condendo a nescio quo Nasica solemnibus verbis de more petiisset, *Ex animi tui sententia* dic videlicet, *tu uxorem habes?* ille intempestive dicax, et in alium sensum verba censoris detorquens respondit, *non hercle ex animi mei sententia.* Quasi censor non rogasset utrum uxorem haberet, sed utrum morigeram et bonam, et ex animi sui sententia haberet. Quis iste fuerit L. Nasica incertum: censorem autem cui id contigit fuisse M. Catonem illum censorium Lipsius existimat. PRUSTEUS.

Cap. 65. *Immutata oratione*] Sic allegoriam convertit, quæ non in verbo, sed oratione posita est. Lib. III. de Oratore, traductionem et immutationem vocat, quam Græci ὑπαλλαγὴν appellant. Hæc immutatio orationis, *permutatio* ad Herennium dicitur. TURNEBUS.

Turmales] Statuæ turmales proprie dicuntur, et translate. Proprie dictæ sunt statuæ equestres: nam turmæ sunt equitum, non peditum. Improprie, et translatitie dicuntur gregales, et in turba collocatæ, cujusmodi non expetebat Scipio. STRE.

L. Scribonio] Magnas inter se simultates et odia exercuerunt Galba orator et Scribonius Libo, adeo ut tribunus tandem Libo in eum rogationem ferret privilegii similem, quod Lusitanorum magnam manum perfidiose interemisset, tribuniciæ actioni Catone subscribente, qua de re in Bruto scribitur. In quadam igitur altercatione, ac forte in concione, Galba de Libone conquerens, in eum invehens, postremo judices ferebat: quod solent homines facere in magna causæ fiducia adversarium provocantes, cum aut judicem ei ferunt, aut ab eo petunt. Ferebat autem, id est, offerebat, et dabat ei Galba familiares suos, quibuscum esset epulari solitus. *Suum* et *alienum* contrarie relata sunt. Cubiculum alienum dicit objiciens ei adulteria. TUR.

Villam in Tiburte] Villæ Tiburtinæ in maximo erant pretio, adeo ut doleat Catullo suum fundum Sabinum, potius quam Tiburtem, dici:

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs:
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.

Illic villam habebat magnificentissimam et elegantissimam, ideoque invidiosam Metellus. Ergo Glaucia vir improbissimus objicit illi invidiose villam Tiburtinam, ut et infra Cæsar. *Ego vero, inquam, a porta exquilina video villam tuam.* Idem Metellus in Palatio habitabat, ubi, ut ex oratione pro Cælio intelligi potest, Metellorum domus fuit: cumque *chors* villæ sit, non domus, in qua *impluvium* dicitur potius, illum dicit chortem habere in Palatio, ei objiciens crimen affectati regni. Chortem enim hominum intelligit. Palatio autem occupato Romam fere habere potuisset in potestate. Itaque periculosis temporibus ei præsidium imponebatur. Cicero in Catilinam:

(I. 1.) *Nihil te nocturnum præsidium Palatii.* In Metellum autem Numidicum istud dictum est, qui exulare maluit quam in Saturnini leges jurare. Glaucia Saturnini factionem sequebatur. TURNEBUS.

Chortem in Palatio] Cn. Apuleius Saturninus, Tribunus plebis seditiosus ac turbulentus, cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam minime jurasset, diem dixit. Qui cum a bonis civibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est. Hæc ex Floro, lib. III. cap. 16. Qui defendebant Metellum, et vim parabant, conveniebant in Palatium, Consulesque vocabant adversus Saturninum, et Glauciam, Prætorem, socium ejusdem furoris. Quamobrem Glaucia homo dicax, et tum infestus Metello, *Villam*, inquit, *in Tiburte habes*, chortem in Palatio. *Chortem* dixit ut cohortem, pro multitudine eorum qui conveniebant in unum, quo Metellum tuerentur. Est autem *chors*, spatium intra villæ maceriem. Varro, *de Re rust.* Chortem barbari *curiam* vocant. A chorte dicta est *cohors*, quæ est decima pars legionis, et aliquando incerta multitudo. Usus est Glaucia translatione. Transtulit enim cohortem villicam ad significandum hominum cohortem, ut sit sensus: Qui villas habent, in illis habent chortes, in quibus aves et pecudes alunt. Tu vero villam in agro habes, chortem Romæ in Palatio. STREBÆUS.

Cap. 66. *Cassandram*] Ita se vaticinatum esse dicebat, sed neminem credidisse. Nec enim Trojani fidem habebant Cassandræ vati. Propertius, III. 13. 62.

Vera loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda viris.

Quod et a Marone scribitur. Eam Ajax Oilei filius capta Troja in Templo Minervæ constupravit, ut multi poetæ cantant: quod tamen Homerus non scribit, aliamque affert naufragii Græcorum causam, ut auctor est Strabo. Objicit autem istam obscœnitatem Titio Antonius propter mollitiem fracti et soluti gestus et viro indigni: adeo ut ex ejus nomine saltatio quædam mollis et delicata *Titius* diceretur. In Sextum Titium virum turbulentum et seditiosum se testimonium accuratissime dixisse, narrat hoc libro II. Antonius. TUR.

Gallus olim testis] Confirmabat innumerabilem ab illo pecuniam Magio præfecto per corruptelam esse datam. Scaurus, qui patronus aderat Pisoni, testimonium refellere conabatur tenuitate, id est, paupertate Magii: non esse verisimile, eum qui innumerabilem pecuniam recepisset, tam pauperem esse. Tum Gallus facete: *Erras*, inquit, *Scaure, in hac tua refutatione. Ego enim Magium non conservasse pecuniam dico, sed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse.* Qui nuces legit, id est, colligit nudus, non potest auferre vel in sinum, vel in manicas: mittit in ventrem. Sic ille Magius in computando omnem pecuniam dicebatur absumpsisse. STREBÆUS.

M. Cicero senex] Is avus Ciceronis oratoris fuit, qui in municipali republica M. Gratidio legem Tabellariam ferenti restitit: pater autem Ciceronis Cæsari, Crasso, Antonio, familiaris fuit, sed et patruus. Itaque qui de patre Ciceronis intelligunt, peccant. TURNEBUS. Ursinus censuit legendum esse *Cato*, quia notæ sunt Catonis cum Græcis et Græce scientibus inimicitiæ: sed cur non fieri potuit, ut ejusdem esset sententiæ *M. Cicero senex*, scilicet avus nostri Ciceronis? De avo ejus hoc dictum puto, non de patre; is enim qui istius *M. Ciceronis senis* filius fuit, quique hic vocatur *vir optimus* et Cæsaris *familiaris*, non fuit Cicero Orator, (nam tunc temporis non nisi decimum sextum annum ætatis agebat,) sed pater Oratoris, qui, ut discimus ex lib. II. cap. 1. familiaris Crassi et Antonii fuit. PEARCIUS.

Syrorum venalium] Venalitiarii magnam vim servorum Syrorum Romam advehebant. Hinc illud Ciceronis, in Pison. cap. 1. *Nemo queritur Syrum nescio quem de grege novitiorum factum esse consulem.* Nam prædones Cilices oram Syriæ infestam habebant, et prædas illinc agebant, captaque corpora Delum deportabant ad mercatum, unde Romani emebant. Qui autem Syri optime loquebantur Græce, diu servierant in Græcia, veteratoresque et nequam evaserant, nec novitii erant: sed quod servituti diuturnæ, quæ improbos et callidos reddit, attribuendum fuit, id in Græcorum mores conferebat Ciceronis avus, qui infestus Græcis fuisse videtur non multo secus, ac Cato censorius. TURNEBUS.

Pictum Gallum] Tabernæ erant circa forum, inquit Fabius: et scutum illud signi causa positum. Marianum autem scutum Cimbricum vocat, propterea quod Cimbris nuper a Mario victis, in memoriam victoriæ dominus tabernæ scutum suspenderat, sic pictum pro tabernæ signo. Solebant etiam ad pompam triumphi ornandam multa hujusmodi scuta traduci, et in foro poni. Scutum igitur pendebat in taberna pro signo, in quo Gallus linguam ejiciebat, id est, exerebat. Sic enim in contumeliam et deformitatem eum fœde pinxerant: fortasse etiam quod in historia scriptum scirent, Gallum qui cum Torquato pugnasset, linguam exeruisse. Livius, *Armatum adornatumque adversus Gallum stolide lætum, et (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exerentem, producunt.* Plinius (XXXV. 4.) hunc jocum non Julio, sed Crasso tribuit, nec scutum, sed tabulam nominat. Sic enim scribit, *Hinc ille Crassi oratoris lepos agentis sub Veteribus, cum testis compellatus instaret:* Dic ergo Crasse, qualem me reris? *Talem,* inquit, *ostendens in tabula pictum infacetissime Gallum exerentem linguam.* IDEM.

Sub Novis] Ut locus erat in foro, qui *sub Veteribus, sic,* qui *sub Novis* dicebatur, a tabernis. IDEM.

Testio Penario] Testius Penarius dicendo mentum non aliter intorquebat, quam qui dentibus frangunt nucem: quod cum J. Cæsar animadvertisset, excepit adversarium ridiculo. *Dic,* inquit, *si quid velis, posteaquam nucem fregeris.* STREBÆUS. Simile est illud in Vespasianum, qui vultu nitentis erat: *Dicam, cum ventrem exonerare desieris.* TURNEBUS.

Ad fornicem Fabii] De homine prælongo interpretatur Fabius (VI. 3.) hunc in modum: *Quale refert Cicero de Memmio homine prælongo, caput eum ad fornicem Fabii offendisse.* Sed censeam potius accipi debere de animi vitio, ut C. Memmium infestum patribus tam magnum sibi videri dicat, ut ad fornicem Fabii, qui altissimus erat, caput demittat. Sic enim reprehenduntur magni ejus spiritus, et notatur insolentia hominis sese efferentis supra modum. Ut ita intelligam, faciunt et verba Ciceronis scribentis ipsum Memmium ita sibi videri magnum; et historia. TURN.

Si quintum] Q. Metellus Macedonius quatuor habuit filios consulares, quorum ut quisque cæteros ætate, sic ingenio superabat. Omnium igitur minime ingeniosus fuit C. Metellus, cujus tarditatem accusans Scipio aiebat, si mater ejus quintum pareret, asinum fuisse parituram; quasi ita obtusus fuisset Metellus, ut nullus nisi asinus ipsi posset esse inferior. PRUSTEUS.

Compilari quam venire] Gellius, lib. IV. cap. 8. refert quosdam scribere id Fabricium, non Ruffino, sed aliis mirantibus, quod hominem inimicum et avarum consulem fecisset, respondisse. Apud Fabium lib. XII. cap. 1. scribitur, *Malui a cive me spoliari, quam ab hoste venire.* TURNEB.

Ex arariis exemit] Censores malos cives sic notabant, ut qui senator esset, Senatu moveretur; qui eques Romanus, equum publicum amitteret; qui vero plebeius, fieret æra-

rius, nec esset in albo centuriæ suæ tanquam civis, sed tantummodo pro capite suo tributi nomine æra penderet. Si quis plebeius hac ignominia levabatur, illum *ex ærariis eximi* dicebant. STREBÆUS. Porro notandum est morem fuisse Censoribus taurum immolare, cum lustrum conderent, et finirent. PEARCIUS.

Lustrum condidit] Censu peracto, immolatisque sue, ove, tauro, lustrum conditum dicebatur, quod in censendo finis esset factus: non autem semper acto censu lustrum condebatur. Nam si quid dirum, et ominosum, aut sinistrum accidisset, lustrum condi nefas erat. Livius, *Census actus eo anno: lustrum, propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit.* Itaque census is, quo lustrum condebatur, ab Ulpiano census lustralis appellatur. Significat igitur Scipio, civitati prope opus esse expiatione, quod cum Asellus exemptus sit ex ærariis, quod ominosum et dirum videri vult, conditum tamen lustrum sit: inde enim infelix lustrum et calamitosum fuisse, multumque mali postea reip. evenisse. Verba Africani de Mummio, quæ a Valerio scribuntur, hic adscribam: *Cum haberet*, inquit, *censuræ consortem Mummium, ut nobilem, ita enervis vitæ, pro Rostris dixit ipse ex majestate reip. omnia gesturum, si sibi cives, vel dedissent collegam, vel non dedissent.* TURNEBUS.

Religione obstrinxisse] Religione civitatem obstringere, est eum metum violatæ religionis incutere civibus, ut expiandum civitatem, et Deos esse placandos existiment. STREBÆUS.

Cap. 67. *Cum contraria dicas*] Genus illud superius dicit, quo per inversionem quis jocatur, a quo ironiam hic distinguit, quam dissimulationem appellat, ac mox etiam dissimulantiam. Ea plurimum usus est Socrates in sermonibus, præsertim cum sophistis disputans. Nam de seipso detrahens, plurimum tribuebat iis, quos volebat refellere. TURNEBUS.

Scævola Septumuleio] C. Gracchus, seditioso Tribunatu acto, cum Aventinum armata multitudine occupasset, L. Opimius Consul ex senatusconsulto persequens illum, præmium pollicitus est ei, qui Tribuni caput auferret, ad seque deferret. Id fecit Septumuleius Anagninus, et aurum in præmium accepit. Cum Scævola in Asiam proficisceretur, et Anagninus rogaret ut eo se præfectum duceret: *Quid tibi vis*, inquit, &c. Videtur severe et graviter homini consulere, quem ut avarum crudelemque deludit, quia pro capite malorum civium velit aurum sibi rependi. STREB.

Cuivis tempori] Simile quiddam de Asinio Pollione refert Fabius hunc in modum: *Ut de Pollione Asinio seriis jocisque pariter accommodato dictum est, esse eum omnium horarum.* P. autem Mummius lepidus et facetus cum esset, homo cuivis tempori a Publicio dictus est, quod in otio, in negotio, in rebus lætis, in asperis, jucundus hominibus esset, et cuicumque tempori aptus. TURNEBUS.

Pauli pugna] Prælium illud intelligo, quo conflixit cum Perse rege Macedoniæ Paulus Æmilius. TUR.

Similis medius fidius] Quidam cum deformem et fœdam mulierem videret, interrogavit virum qui aderat illi persimilis: Quid est tibi ista mulier? Soror, an cognata? Cum respondisset, uxor est mea: tum iste, *Similis est tibi medius fidius.* Ac si diceret, Ex lineamentis corporis judicaveram tuam sororem esse, vel cognatam. Hoc modo facete notavit illius viri fœditatem. STREBÆUS.

Ad aquas] Aquas in plurali cum dicunt, aquas calidas et medicatas intelligunt, ut Baianas et Puteolanas: ægri autem valetudinis causa ad aquas Baianas ibant. Horatius, ep. 15. lib. 1. Quidam igitur lento contabescens morbo, ad aquas recreatus tandem esse videbatur, reversus paulo post obiit. Id absurdum videri vult cavillator, quod ad aquas potius, ubi valetudinis causa tamdiu descederat, mori debuerit.

De piscatore intelligi jocum minime placet. TURNEB.

Cap. 68. *Tuum negotium*] Erat Antonius admodum occupatus in gerenda censura, et negotium multis facessebat. Accusatus de ambitu coactus est, ut se defenderet, omittere aliena negotia. Visus est illi Mancia quidam gratulari, quod de suis tandem negotiis, quæ, ut publica curaret, neglexisse videbatur, serio ipsi cogitare liceret. Verum clam arguebat his verbis nimiam illius in aliena re severitatem et diligentiam; negligentiam in sua. PRUSTEUS.

Metello] Metellum hunc esse puto Numidicum, qui Numidiam sortitus provinciam bello Jugurthino, delectum, ut Sallustius scribit, Romæ habuit: in quo petenti militiæ vacationem Cæsari, morbumque oculorum juranti, *Tu igitur*, inquit, *nihil vides?* quasi sola cæcitas excusanda esset; nec satis esset morbus oculorum ad vacationem. *Imo vero*, inquit ille, *a porta Exquilina video villam tuam Tiburtinam*. In quo ei objecit invidiose villam nimis magnificam, nimisque alte ædificatam; et quid ageretur, dissimulavit, atque ita respondit, quasi tantum interrogaretur quantum videret, non quam justa excusatio esset. TURNEBUS.

Cap. 69. *Et in ejus tabulis*] Veteres Romani (ut dixi ad c. 23.) tabulas rei familiaris suæ conficere solebant; has et Rutilius ille Rufus confecit, et ex his in judicium prolatis Æmilius Scaurus aliquid contra Rutilium attulit. Causa hujusmodi fuit: Scaurus et Rutilius una Consulatum petebant; Scaurus vero, qui eum obtinuit, accusavit Rutilium ambitus, et ad id crimen probandum postulavit, ut Rutilii tabulæ in judicium afferrentur: in iis tabulis Rutilius retulerat, ea quæ in sua petitione Consulatus contigerint, puta turbas populi, suffragiaque non sine seditione quadam lata, et in fine addiderat quatuor has litteras, *A. F. P. R.* Eas Æmilius Scaurus malo animo sic explicavit, *actum fide Publii Rutilii*, iisque innui contendit, id, quod actum fuerit et memoratum in Rutilii tabulis, actum fuisse auctoritate Rutilii ejusque sponsione, quasi clam promiserat vel pecuniam vel securitatem suffragia istiusmodi ferentibus. Rutilius vero dixit se his litteris solum significasse, *ante factum, post relatum*, id est, ea quæ in tabulis ejus memorata præcesserant, ante (scilicet interjecto tempore) facta erant, quam ipse ea scripto mandasset. Interim Canius alio modo, quam vel Scaurus vel Rutilius, istas litteras explicavit, sc. *Æmilius fecit, plectitur Rutilius*, id est, id in quo Scaurus Rutilium accusat, fecit Scaurus ipse, quamvis Rutilius ob id plectendus videretur. PEARCIUS.

Cap. 70. *Ut cum objurgavit Albius Granium*, &c.] Sunt qui hunc locum emendandum censent; omnes, ut opinor, male interpretati sunt. Albucius Scævolam de pecuniis repetundis accusavit, ut dicit Cicero in Bruto, et libro primo de Finibus: ad probanda vero ea, quæ Scævolæ objecerat, Granii tabulas protulit; Scævola judicum sententiis absolutus est; Granii igitur tabulas falsas esse iisdem sententiis judicatum est: si quid enim Albucius ex istius tabulis contra Scævolam adhibuit, judices vero Scævolam absolverunt, manifestum est istas tabulas judicibus visas fuisse falsas. Albius igitur quidam ex iis, qui aderant, objurgavit Granium, qui et gauderet suum amicum Scævolam absolutum fuisse, et non videret contra suas tabulas judicatum fuisse. Monuit igitur eum non tam ad Scævolæ res secundas, quam ad suas adversas respiceret. PEARC.

De lege Thoria] *Sp. Thorius*, ut inquit in Bruto Cicero, *valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit*. Appianus hoc aliter scribit, nec ei cum Cicerone convenit. Ait enim a Thorio vectigal agro publico esse impositum, quod plebi viritim dividereturr: ab alio deinde tribuno

vectigal esse sublatum. Sed Ciceroni fidem habeamus in legibus et institutis patriæ suæ, non peregrino nec hospiti. Lege igitur Thoria agri publici, qui ante attributi fuerant civibus vectigales, publice possideri coepere, et publicanis elocari, quod minus utile erat, quam si possessores vectigal pependissent. Nihilominus tamen Lucilius lege recenti et populo invisa, in agros suum pecus immittebat, fortasse non pascuos, certe non petito a publicanis pascendi jure. TUR.

Lucilius] Ex veteri codice Pighius ad annum U. C. DCXXXVIII. corrigendum putat *Lucullus*, L. Luculli qui Mithridatem vicit, pater, quem avaritia, luxu, aliisque vitiis infamem fuisse scribit Plutarchus in Lucullo. PRUSTEUS.

Liberum puto] Id est, nullius esse puto, dominum habere non existimo. Videri etiam cuipiam fortasse posset ductum a pecudibus, quæ diis consecrabantur, vocabanturque ἄνετα et ἄφετα ζῶα, quæ sine custode libere pascebantur. TURNEBUS.

Ejero, inquit, iniquus est] Rejicio, inquit, judicem iniquum. Nam ejerare est tanquam jurejurando testari, se recusare. Cum autem Nasica ejerasset iniquum Scævolam, secuta est admurmuratio omnium, propter eximiam de Scævola æquitatis et probitatis opinionem. Præter expectationem tamen rursum eum omnibus Nasica iniquum ejeravit, quod in consulatu causam publicam deseruisset, nec eam armis adversus Tiberium Gracchum defendisset, patribusque ejus opem implorantibus negasset se quicquam vi esse acturum. IDEM.

Nævius] Lamb. *Nævius*. Est locus, est familia.

Et jocus est familiaris] Melius in libris veteribus scribitur, *Est jocus, est familia, sapiens si algebis, tremes*. Ita enim senarius erit integer, cujus sensus erit: Quantumvis urbanus facetusque sis, quantumvis bono loco natus, tamen ista non facient, quin si algeas, tremas: quod præter expectationem est dictum, cum præsidia non defutura expectaremus homini ingenioso et bona nato familia. TUR.

Cap. 71. *De donis et muneribus*] Caius Cincius, vir ætatis Lucilianæ, ut Macrobius scribit, legem tulit Muneralem, qua cavebatur, ne quis ob causam orandam munus aut donum caperet. De ea loquitur Plautus, cum scribit, *Neque Muneralem legem, neque Lenoniam, rogata necne fuerit, flocci æstumo*. Eam legem admodum senex suasit Fabius Maximus. Verba hujus legis quæstionem attulerunt, quid donum a munere differat. Labeo genus esse donum ait a donando dictum, speciem munus. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalitium, nuptiarum: et quale patronorum fuerit honorarium. IDEM.

Quid fers, Cincioie] Contumelia inest in diminutione, et contemptio, quam etiam voce adjuverat. IDEM.

Ut emas, Cai] Ducta est hæc sententia ab iis, qui cum nolunt vicinis commodare vasa utenda, respondent, Eme si uti vis: quam ad dona et munera patrociniorum, quibus ditatus erat Cento, traduxit Cincius, illius perstringens operam venalem. Sese enim ait laturum, ne quis ei quid donet. IDEM.

Me istorum] Id est, dicat patri suo, me non credere ipsum talem esse, qualem prædicatis, scilicet parcissimum, modestissimum, frugalissimum. PEARCIUS.

Hoc diversorio sermonis] Qua sermonem absolverat Antonius metaphora, cap. 57. *defessus jam labore atque itinere disputationis, requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diversorio*, eadem desinit hic Cæsar; ac vereri se dicit, ne sit inamœnum hoc sermonis sui diversorium, sed potius simile Pontinarum paludum, injucundarum, ac minime salubrium. Cæterum quod in plerisque editionibus *sermonis tui* legitur, mendum non dubitamus, ut ex citatis mox Antonii verbis videre est. PRUSTEUS.

Mei] Vict. Lamb. Grut. *sermonis tui*.

Cap. 72. *Sed ne rejecto quidem scuto*] Ad consuetudinem spectat eorum, qui in prælio fugientes clypeos suos in tergum reducebant, ne aversi vulnerarentur: neque enim solum clypeum abjicere, sed in tergum rejicere, imbecillitatis fuit. Frequentissime apud Homerum hic mos contumelia notatur. PEARC.

Cap. 73. *Lectissimum*] Man. Lamb. *tectissimum:* Grut. *rectissimum.*

Cap. 75. *Ministratorem*] Ministrator is fuit, qui in causis advocato sive patrono soleret subjicere ea, quæ pro reo dicenda essent. Sic in Orat. pro Flacco, c. 22. *Hic mihi Mæandrius, quasi* ministrator, &c. PEARCIUS.

Cap. 77. *Copiam*] Lamb. *eamque copiam, recte ut fieri possit: eaque ... augendum.*

Ad agendum et ad ornandum] Lambinus et Robertus Stephanus impresserunt *augendum:* quomodo se habet Ms. Mead. Et recte quidem, ut opinor: loquitur enim Cicero de permovendis animis, quod fit augendo, et amplificando. PEARCIUS.

Cap. 78. *Deprompta*] Vict. Grut. *deprompta, et apparebit.... eas.... communes.*

Cap. 79. *Atque infrequentibus*] Per *causas infrequentes* intellige causas parum frequentatas, sive eas, quæ non tanti erant momenti, ut quam plurimi iis judicandis interesse solerent. PEARCIUS.

Cap. 80. *Si sic*] Lamb. *si hic ... aliquamdiu*

Cap. 82. *Ingenii*] Man. Lamb. *ingenii ostentationis suspicio.* Ut sit, ne videamur ostentare ingenium velle.

Ingenii, ostentationisque *suspicio*] Optimi quique dicendi et sentiendi magistri præceperunt, ut vitaremus suspicionem jactationis, et ostentationis. Nullibi vero, nisi in hoc loco, præceptis traditur, ut vitanda sit *suspicio ingenii.* Imo nisi *ingenio* excellere videamur, parum proderit nostra oratio. Optime igitur Manutius et Lambinus legunt, *Vitanda etiam ingenii* ostentationis *suspicio.* Nec aliam exhibent lectionem Ms. Pal. pr. et sec. Mem. Pith. Joan. Harl. 1. et a pr. manu Norf. Tandem dignum Cicerone præceptum videmus, idemque præcipit Quintil. Lib. III. c. 1. *In cæteris admiscere tentavimus aliquid nitoris*, non jactandi ingenii gratia, &c. PEARCIUS.

CAP. 83. *Infimum*] Man. *Infirmum*

CAP. 87. *Vel eum*, unde dicas] Interpretes volunt verba *unde dicas* significare, *pro quo dicas*; sed nullibi, ut opipor, occurrit apud Ciceronem ista locutio. Malo quidem cum Mss. Joan. Harl. 1. Norf. Mag. et excerptis Nov. et vet. libris Caroli Stephani legere *unde discas:* quæ lectio procul dubio Ciceroniani coloris est. PEARCIUS.

Sed hæc ars tota dicendi] Scripserat Cicero, ni fallor, *discendi.* Pergit enim loqui de arte memoriæ. Si autem *tantum*, ut aiunt, *scimus, quantum memoria tenemus*; quid mirum, si artem memoriæ Cicero artem *discendi* vocet? MURET.

Effingi] Lamb. *effigi.*

Non] Vict. Man. Lamb. *vix.*

Cap. 88. *Sed verborum memoria, &c.*] Ut hunc locum intelligamus, observandum est, *imagines* aliud quiddam significare, ac simulacra et similitudinem. Non enim necesse est, ut *imagines* semper similes sint iis rebus, quas ad memoriam adjuvandam repræsentant. Dicet igitur Antonius, multa verba, ut adverbia, præpositiones, &c. similitudine nulla significari posse. Si igitur eorum meminisse velimus, necesse est in promptu habere quam plurimas quasi arbitrarias imagines, quæ, quamvis nihil simile habeant, longo tamen usu perceptæ ea verba, quibus opus est, ob oculos nostros ponant. Hanc autem veram esse interpretationem confirmant verba Quint. Lib. II. c. 2. *Mitto, quod quædam* (verba) *nullis simulacris significari possunt; habeamus enim sane, ut qui notis scribunt, certas* imagines *omnium, &c.* PEARCIUS.

Eam singulis personis bene positis, &c.] Personæ in hoc loco significant imagines, facies fictas. Sic Lucret. I. 4. v. 29. IDEM.

DE

ORATORE,

LIBER TERTIUS.

Cap. 1. *Extremo scenicorum ludorum die*] Eo enim tempore colligendi sui causa Crassus cum Antonio reliquisque in Tusculanum se receperat. Per *scenicos ludos* Romanos intellige, ut ex primo libro palam est: qui et Circenses et Magni appellati. Hosce a Regibus institutos scribit Asconius, et *magnos* appellatos, quod mag is impensis primum facti, id est, ducentis millibus nummûm, vel quia diis magnis sacri, id est, Laribus urbis Romæ. Eosdem cum Consualibus facit; quod videtur etiam indicare S. Cyprianus lib. de Spectac. *Romulus*, inquit, *Conso, quasi consilii Deo, ob rapiendas Sabinas, Circenses, primus consecravit.* Tamen ex veteri Calendario diversis temporibus celebratos illos ludos colligimus. Nam Consualia XII. Calendas Septemb. vel potius XVIII. Augusti, hoc est XV. Cal. Septemb. ut docet Plutarchus in Romulo. *Raptus*, inquit, *ille patratus est* 18. *die Sextilis, qui nunc Augustus, in quo Consualia hodie quoque celebrantur.* Jam vero in eodem Calendario ludi Romani leguntur, pridie Nonas Septembres. Quod autem non nemo ludos illos Magnos seu Romanos a Tarquinio institutos asserit, si quidem primitus ab eo factos intelligat, non obscure errat, cum Livius, lib 1. contrarium asserat his verbis: *Ludos opulentius instructiusque, quam priores Reges fecit, &c.* Cæterum cum ante hi ludi *Circenses* essent, hoc est gladiatorii, atque a *scenicis* distinguerentur, postea etiam factos scenicos, et ex hoc loco colligitur, et Augustinus etiam indicat lib. 1. de Civitate Dei. cap. 32. Celebrabantur hi ludi primo quidem uno vel altero die; tum triduo; deinceps pluribus diebus. PETAVIUS.

A Philippo] De gravi illa Philippum consulem inter et Drusum tribunum plebis contentione, egimus in notis ad lib. 1. de Orat. cap. 7. PRUS.

Aliud esse consilium] Per vocem *consilium* (pro qua alii edidere *concilium*) intellige cœtum vel congregationem, sive eos qui consulunt, non id quod consulentes sequuntur. PEARCIUS.

Pignoribusque ablatis] Val. Maximus, lib. VI. cap 2. dicit *Philippum consulem jussisse lictorem manum L. Crasso injicere.* Iste consul jubendo bona Crassi fisco addici, decrevit eum multare; *pignora* vero ea, quæ sic a magistratu caperentur et *auferrentur*, dicebantur fuisse *concisa* vel *cæsa*, ut in sequentibus patet. PEARCIUS.

Cap. 2. *Sententiamque eam, quam*] In senatusconsultis ejus nomen, qui sententiæ princeps esset, inscribebatur: quod ex Cicerone et Asconio constat. Factum esse idem Athenis ex Demosthene colligimus et ex Plutarcho. PETAVIUS.

In auctoritatibus perscriptis] Auctoritates hic pro decretis seu senatusconsultis ne simpliciter acceperis: nam aliud auctoritas vocatur, aliud senatusconsultum fuit, ut erudite Sigonius observavit ad IV. Livii. Nam

senatusconsultum magis ratum erat, quam auctoritas. Si enim vel senatorum numerus justus defuisset, vel magistratus intercessisset; decretum quidem perscribebatur, ut senatorum de ea re judicium exstaret: nondum tamen ratum erat; sed auctoritas tantum dicebatur. Idipsum fiebat, si vel non idoneo tempore, vel non legitimum in locum senatus convocaretur: quæ omnia diserte explicat Dio, lib. IV. IDEM.

Cycnea vox] Græcum proverbium, κύκνειος μέλος. De cycnorum cantu nota fabula est; quam tamen asseverare non dubitat Aristoteles IX. de H. A. 16. Idem habet Plato in Phædone. Nam quid poetas commemorem, apud quos nihil est frequentius? Sed fabulosum hunc esse cantum existimat Plinius, X. 23. ID.

Expectantes] Lamb. *respectantes.*

Non flagrantem bello Italiam] Bellum sociale intelligit, de quo Appianus, lib. I. de Bell. civilibus, et alii. Concitatum autem est post Drusi mortem, quoniam Latini socii oblatam sibi spem civitatis impetrare non poterant. PETAVIUS.

Non ardentem invidia senatum] Quanam invidia? ejusdem, opinor, criminis, quod scelus nefarium subinde vocat. Sollicitati scilicet ad defectionem Latini nominis. De quo ita Appianus. Sublato per insidias Druso, qui Latinos ad spem civitatis impulerat; equites, ut senatum ulciscerentur, Q. Valerium, vel potius, ut Latini scriptores appellant, Varium, tribunum plebis subornant, qui rogationem ferret ad populum, de iis quorum ope et consilio Latini socii concitati essent: (in quo lapsus est Strebæus, qui quæstionem illam contra Italos exercendam fuisse dicit) qua per vim lege lata, constitutaque quæstione, multis statim ex senatoribus diem dixerunt. Quam ut infamiam fugerent, sponte urbe cessere plerique; interque alios Aurelius Cotta, et eversor ille Corinthi Mummius. Nisi forte aberravit in hoc quoque vocabulo Appianus, atque ut antea Valerium Vario, ita hic Memmio substituit Mummium. Facti mox populum pœnituit. Ὁ τε δῆμος ἤχθετο, τοιούνδε καὶ τοσούνδε εἰργασμένων ἀνδρῶν ἀθρόως ἀφαιρούμενος. Ubi pro τοσῶν corrigendum videtur τόσα, ut stet sententia. Populus vero dolebat, talibus viris, quique tantas res egerant, simul omnibus spoliatus. IDEM.

Cap. 3. *Tenemus enim memoria.*] Clarissimorum deinceps hominum necem atrocissimam proponit; eorum duntaxat, qui in hoc dialogo inducuntur. In primis Catuli, qui Marii in consulatu collega, Cimbrici triumphi particeps fuit. In illa vero Mariana flamma multis nequicquam mortem illius deprecantibus, cum hoc solum Marius responderet, moriendum illi esse; recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit. Hæc Valerius lib. 9. cap. 12. præter supra citatos auctores. IDEM.

Jam M. Antonii in illis ipsis rostris] De hujus obitu adeundi iidem. Auget autem πάθος a loco. Hoc facit illud Juvenalis Sat. X. 121.

. . . . . *Nec unquam*
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli. PETAVIUS.

Neque vero longe ab eo C. Julii caput hospitis Etrusci, &c.] Eodem tempore duo fratres C. et L. Julii Cæsares Syllam secuti, in via deprehensi trucidantur. Auctor est Appianus. Fugerant in tectum hospitis sui natione Etrusci, et homini perfido se commiserant. Detexit hospites, capita amputata, a Mario in rostris posita. Locus, scelus hospitis, fratrum communis calamitas hic ciet affectum. Sunt qui L. Cæsarem domi interfectum ferant; quibus consonat illud Justini; *Cæsar et Fimbria in penatibus domorum suarum trucidantur.* STREBÆUS.

Neque enim propinquum] *Crassus*, inquit Appianus, *persequentibus cum filio sese militibus, filium quidem occidere antevertit, ipse vero ab insequentibus est occisus.* Videtur tamen falsus Appianus: vel quia de tanto viro nimium est atrox illud; vel quia nulla hujus rei a Cicerone facta mentio

est; quod certe, ad augendum πάθος, non erat omissurus; vel denique quoniam contrarium a Floro traditur. In primis lib. 3. cap. 21. Crassos patrem et filium in mutuo alterum alterius aspectu occisos ait. Sed idem, Epitome lib. 80. *Crassus*, inquit, *filius ab equitibus Fimbriæ interemptus, Pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit:* quod postremum et verisimilius est, et Ciceroni consentaneum. ID.

Neque collegæ sui Pontificis] Mucium Scævolam intellige, qui a Mario juniore cæsus est: de quo Florus lib. 3. cap. 21. PETAVIUS.

Etiam C. Carbonis inimicissimi] Marianorum hic signifer ex Africa a Pompeio Romam ductus, et tribunali productus, cum ter consulatum gessisset, damnatus ab eodem est. IDEM.

Ex quibus C. Cotta] Hic in gravi illa senatorum invidia ab equitibus concitata, die sibi dicta, postquam in equites gravissime esset invectus, solum vertit. Sulpitius vero tribunus plebis fuit turbulentissimus, qui nefarias leges in gratiam Marii per vim tulerat, primoque adventu in urbem Syllæ est interfectus. Meminerunt supra dicti auctores. PETAVIUS.

Cap. 4. *Non audierit, aut judicare non possit*] Ut bene se habeat sententia, et ad normam linguæ Latinæ procedat, necesse videtur legere cum Mss. Cant. *audierint*, et *possint*. Cum enim præcesserat, *is erit ex iis, qui aut illos*, rite sequitur *non audierint, aut judicare non possint*. Facile fieri potuit, ut littera *n* a librariis omitteretur, cum linea brevi supra vocalem ducta exprimi soleret. PEARCIUS.

Cap. 5. *Exhedram*] Id est, locum triclinio et cœnaculo similem: ubi non lecti ad dormiendum; sed sedes aut cathedræ ad sedendum, vel recumbendum otii causa apponerentur. De *exhedris* sic Vitruvius lib. 5. cap. 11. *Constituantur in tribus porticibus* exhedræ *spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedere possint.* IDEM.

Cap. 6. *Est etiam illa Platonis*] Apud Platonem sæpius sophistæ de rerum natura disputantes, res omnes unum quiddam esse contendunt, ut in Parmenide. Privatim vero quod ad scientias pertinet, affines illas esse, et naturali vinculo constrictas; sapientiamque ex omnibus conflatam tanquam partibus, in Epinomide fusius disserit. PETAVIUS.

Sive ex inferiore loco] Tria præcipua loca distinguit, e quibus dicere solebant oratores. In forensibus controversiis, accusator ac defensor subselliis considebant, hoc est inferiori loco: in senatu, ex æquo loco dicebant: e superiore magistratus, qui ad populum pro rostris conciones habebant. PETAVIUS.

Cap. 7. *Natura nulla est*] Generalem disputationem præmittit de eloquentiæ, et oratorum in dicendo varietate. Summa autem hæc est. Cum una eademque sit ars dicendi, admirabilem tamen esse in eadem arte dissimilitudinem, pro eo quod alius alio in genere excellit: quod primo sensuum exemplo probat, qui cum singuli unum quiddam sint, variis tamen rebus afficiuntur, quæ natura dispares, delectatione sunt non minus diversæ. Idem in fingendi et pingendi arte declarat. IDEM.

Sensus] Lamb. *sensus singulos singulæ volupt.*

Myro, Polycletus, Lysippus] Operæ pretium est videre quemadmodum eundem locum tractet Quintilianus lib. XII. c. 10. quæque statuariis habet Plinius lib. XXXV. c. 9. ubi prolixe admodum insignium sculptorum meminit. PETAVIUS.

Alii] Lamb. *alii laudandi, alii vituperandi.*

Facultate magis] Sensus est: Cum dicimus alium oratorem meliorem esse, alium deteriorem, eo judicio non significamus illius oratoris genus dicendi potius esse quam hujus; in dispari enim genere possunt esse æque laudabiles: sed intelligi volumus illum oratorem facultate excellere, id est, plus in suo genere valere,

quam hunc in eo, quod sibi proprium habet. PEARCIUS.

Cap. 10. *Nec sperare*] Lamb. *nec speramus.*

Sermone] Lamb. *sermoni.*

Cap. 11. *Sodalis L. Cotta*] Non ille intelligendus est, qui his in libris inducitur, sed alius de quo mentio est in Bruto, cap. 36. PETAVIUS.

Athenis jam diu doctrina] Ciceronis tempore Athenarum vetus illa gloria conciderat, nec quicquam præter nomen atque memoriam restabat: regibus primo, Macedoniæ præsertim, tum Romanis ipsis affligentibus. Quare peregrini in ea homines philosophiam atque eloquentiam profitebantur: ita tamen ut sola nominis auctoritate adducti, passim ex toto orbe, disciplinarum studio, Athenas navigarent diu etiam post Ciceronis ætatem. Apud Synesium exstat elegans epistola, qua inanem illam curiositatem lepide cavillatur. Sane fuisse Athenis certam quandam, eamque purissimam pronuntiandæ linguæ Græcæ rationem, vel hoc unum indicio est, quod cum Theophrastus, vir alioqui Atticæ eloquentiæ consectator acerrimus, sed peregrinus, anum alloqueretur, pro hospite facile sit ab ea deprehensus. Idem Romæ fuit, quod ad Latinam linguam attinet, pronuntiandi principatus. IDEM.

Quibus vacant cives, peregrini fruuntur] *Quibus*, est auferendi casus; et, *vacant, cives*, est, *vacui sunt*, sive *carent cives*: et, *fruuntur peregrini*, opponitur, tanquam contrarium, huic verbo, *vacant cives*. VAVASSOR, *De vi et usu, &c.*

Valerium Soranum] Hunc suspicor eundem esse, qui ob evulgatum arcanum patriæ, nomen sit interfectus. Plinius lib 3. c. 10. de Roma urbe loquens: *Cujus nomen dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur: optimaque et salutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, haitque mox pœnas. Non alienum videtur hoc loco inserere exemplum religionis antiquæ, ob hoc maxime silentium institutæ. Namque Dea Angerona, cui sacrificatur a. d.* XII. *Calendas Januarias, ore obligato, obsignatoque simulacrum habet.* Frustra vero sunt qui nomen illud arcanum Valentiam fuisse putant. Constat enim ex Solino aliud nomen fuisse; apud quem idem quod apud Plinium legimus: nam postquam Romam antea Valentiam dictam meminit, subdit: *Traditur etiam proprium Romæ nomen, verumtamen vetitum publicari.* PETAVIUS.

Cap. 12. *Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant*] Videtur hoc sumpsisse ex Cratylo Platonis, in quo scriptum est: γυναῖκες μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι. URSIN.

Cap. 13. *Neque vero in illo altero diutius*] Secundam partem, quæ erat de perspicuitate orationis, omittit, quoniam satis per se facilis est. Quædam tamen, ex quibus haberi illa possit virtus dicendi, breviter enumerat. Sunt numero decem. Parit enim dilucidam orationem sermonis proprietas et puritas Latini, quæ erat prima pars. 2°. Voces usitatæ, neque aut vetustate obsoletæ, aut studio novitatis insolentes. 3°. Proprie rem declarantes, accommodatæque rebus, quas significant; cum neque majestatem earum minuunt, nec obruunt tenuitatem. 4°. Resecanda omnis verbi ac sermonis ambiguitas. 5°. Vitanda nimia verborum circuitio, quoniam auctore enim Hermogene περίβολή, id est, ambitus, et producta comprehensio cum perspicuitate repugnat. 6°. Tollenda similitudinis continuata translatio, hoc est, ne metaphoræ nimium dilatentur, quoniam id in ænigma transiret. 7°. Non debent minutatim conscindi sententiæ; sed expleri, et ad justam mensuram numeri atque sensus produci. 8°. Temporum servanda distinctio est, ut suo quæque tribuantur. 9°. Concinna personarum distinctio servanda est. Postremo argumentorum cæterorumque omnium digerendus est ordo. PETAVIUS.

Cap. 15. *Oratorem verborum*] Respicit noster Homeri Iliad. lib. 9.

Μύθων τε ῥητὴρ ἴμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

PEARCIUS.

Cap. 16. *Theramenes*] Ejus meminit Cicero in Bruto, cap. 7. et fusius Xenophon Hist. Gr. l. 2. Notatur mobile illius et callidum ingenium vulgato ad id proverbio, Θεραμένης κόθορνος, quod genus istud calceamenti utrique pedi conveniret; quemadmodum et ille utrique parti accommodabat sese. PETAV.

Thrasymachus] Chalcedonius, ait Suidas, is fuit sophista, qui primus periodum invenit, discipulus Platonis, et Isocratis: excellens opinione eloquentiæ. Hinc proverbium apud Græcos: *non difficilius esse radere leonem, quam convincere Thrasymachum.* IDEM.

Cap. 18. *Sed utrumque est in his, quod ab hoc, &c.*] Crassus Stoicos non omnino improbat, sed negat eorum philosophiam utilem esse oratori propter duas rationes: quia et sententiis, et genere dicendi discrepat ab eloquentia forensi, et populari. Discrepat sententiis, quoniam Stoici dicunt insipientes (quales sunt omnes) esse servos, latrones, &c. Discrepat autem genere dicendi, quoniam illi nimium dialectice loquuntur, et acute concludunt, non suavitate delectant. Vides, Lector, τὸ ἀνακόλουθον (ut vocant;) cum enim Cicero dixerat, *vel quod*, non repetit particulam *vel*, sed sententiam sic variat, *Accedit, quod, &c.* PEARCIUS.

Attamen ejusmodi] Legendum omnino *ac tandem*. Vitiis Stoici styli enumeratis, omnia paucis verbis complexurus, *ac tandem* inquit, ejusmodi, *quo uti ad vulgus*, &c. Ita conjecerat Lambinus. CLERICUS. *Art. Crit.*

Cap. 19. *Ut ex Apennino*] Propositam disputationem apta similitudine concludit. Quemadmodum enim Apenninus mons, qui Italiæ amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum, ut ait Plinius lib. 3. cap. 5. alia flumina emittit in superum, hoc est, Adriaticum mare, quæ inde in Ionium effluunt; alia in inferum, hoc est Tyrrhenum, sive Tuscum; quorum illud portuosum et Græcorum commercio frequens; hoc barbarum, scopulosum, ac infidum: ita omnino eadem ex philosophia divortia facta sunt studiorum; ut eloquentiæ studiosi similes sint eorum fluminum, quæ in procellosum illud ac scopulosum mare influunt, propter sollicitam et exercitam eorum hominum conditionem: qui vero philosophiæ sese dediderunt, cum iis fluminibus conferuntur, quæ in Græcorum mare, tranquillum ac minus infestum labuntur. PETAVIUS.

Ut Pontifices veteres] Alio exemplo, quemadmodum dissidium illud factum sit, ostendit. Epulones initio tres duntaxat creati sunt, ut prodit Livius lib. 33. Pomponius Lætus duos postea ait fuisse adjunctos, ut quinque essent. Postmodum denique ad septem pervenisse certum est. Plerumque enim septemviri epulonum commemorantur. Quanam vero de causa, et a quo sit numerus iste adauctus, incertum est. Munus illorum fuit publicis epulis præesse; quæ scilicet in ludis publicis præbebantur, ut ex Cicerone de Aruspicum responsis colligitur. IDEM.

Cap. 21. *Hæc vero, quæ sunt in philosophia, ingeniis, &c.*] Id est, in cæteris artibus tantum id scimus, quod didicimus; elementa vero, sive principia philosophiæ natura nobis inserit: qui ingeniis acutis et acribus præditi sunt, facile ea, quæ probabilia sunt in philosophia invenient, et, si iidem in dicendo exercitati sunt, ea oratione ornabunt. PEARCIUS.

Quare Coracem istum] Corax ille rhetor, et quem merito cum Græcis φορώνυμον appellares, hoc est, dignum suo nomine, corvi scilicet garrulitate similem; rhetoricæ etiam inventor dicitur apud Suidam. Sed eximiam hanc laudem obscuratam fuisse necesse est, cum ab eo natum sit, eodem teste, dictum illud: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Mali corvi malum ovum. Coracis meminit Aristoteles, lib. 2. Rhetor. et in epistola ad Alexandrum, quæ operi rhetorico ad eum scripto

præfigitur; ubi sese duo volumina mittere ait; unum a se, aliud à Corace scriptum. PETAVIUS.

Excludere] Lamb. *excludere, e nido qui evolent.*

Pamphilumque] Multorum hujus nominis meminit Suidas. Inter cæteros, quendam commemorat incertæ patriæ, Amphipoliten, vel Sicyoneum, vel Nicopoliten, philosophum, qui de pictura et de illustribus pictoribus scripsit. Quod quidem huic Pamphilò accommodatum est, quia et hic in infulis, hoc est, fasciis oratoriam omnem artem, quasi puerilia crepundia, depinxerat. At enim Nicopolita esse non potuit, cum hæc urbs ab Augusto condita sit post Actiacam victoriam. PETAVIUS.

Dummodo illa res tanta sit] Sensus est; modo illa res credatur tanta esse, ut non minori spatio, quam omnibus Philosophorum libris, comprehendatur. PEARCIUS.

Quos nemo oratorum *istorum*] Isti homines, de quibus dixit modo, fuerunt Corax et Pamphilus, non oratores, sed rhetores: nempe rhetorum horum et aliorum ignorantiam, et impudentiam exagitat Crassus, qui præcepta eloquentiæ tradebant, cum omnem moralem philosophiam, quæ maxime oratori necessaria esset, ignorarent: quare rescribendum censeo, *quos nemo* rhetorum *istorum unquam attigit*. Ultima littera vocis *nemo* geminata huic errori locum dedit. ID.

Cap. 23. *Magister hic Samnitium*] Quantum ab iis qui artes transferunt ad usum, distent qui in earum cognitione conquiescunt, triplici probat exemplo. Primum est duorum lanistarum, qui tunc temporis celebres erant. Alter quidem, quem apprime novistis, magister Samnitium, id est, gladiatorum magister, (Samnites enim, teste Festo, gladiatores) totus in arte sua occupatus, aliud nihil cogitat: alter, Q. Velocius, quantumvis artis numeros omnes calleret, et pugnando cederet nemini; tamen operam foro impendebat, amicis præstabat obsequium, et rem familiarem curabat. Secundum exemplum est Valerii et Furii, musicorum; hic interdum, ille quotidie cantabat. Tertium est Q. Tuberonis et Africani, qui philosophiæ dabant operam: Tubero impalleescebat illis studiis, quibus Africanus horis tantum subcisivis incumbebat. PRUSTEUS.

Quamvis bonus ipse] Versus ii ex Lucilio Satyrico poeta desumpti, in quibus Samnitium illum magistrum significare videtur acrem hominem, et non ineptum fuisse. Verba ipsa obscura, ac fortasse mutila; et quidem alii aliter legunt. Sensus hic esse videtur: Samnitem illum in ludo atque umbratili exercitatione bonum et non imperitum. *Quamvis* pro *quantumvis* sumit Strebæus, et *cæsis* legit; ego *cuivis* arbitror retineri posse; respexisseque Lucilium ad gladiatoram. In primis enim nomen ipsius Samnitis proprium generis cujusdam fuit gladiatorii, ut lex locupiete Livii testimonio constat lib. IX. ubi ait Campanos odio Samnitium gladiatores eo ornatu armasse, quo ii in acie usi fuerant, Samnitiumque nomine appellasse. Ad quos alluisse Lucilium etiam vox quæ sequitur, *rudibus*, probat: hoc enim gladiatorium instrumentum, et quidem duplex: nam alia fuit rudis lanistarum propria, ferulæ instar; ita enim appellatur: qua donabantur gladiatores qui missionem impetrabant. Alia fuit tironum, in ensem ligneum formata; quo genere exercebantur tirones; non gladiatores solum, verum etiam milites; quod *batuere* vocabant. Dixi sensum hunc videri: propterea quod nullus alius commodior occurrit. Alioqui magistrum Samnitium de rhetoricæ professore accipere, quemadmodum Strebæus, nescio an ridiculum sit: recte non ita diceret Cicero: quid enim potius Samnitium, quam aliorum doctor appelletur? horridæ præsertim gentis, nec aptæ admodum ad eloquentiam. Quid? quod Lipsius lib. I. Saturnalium 15. hoc de gladiatorii ludi magistro accipit. Quod autem *commentari* dicatur, bene

observat gladiatorum magistros etiam interdum dictata dare solitos. Unde Juvenalis, Sat. XI. 8. *Scripturus leges et regia verba lanistæ.* Verum quid sequentibus verbis faciemus: *sed plus operæ foro tribuebat, &c.* Hoc enim oratorem et rhetorem spectare videtur. An idem ille gladiatorum magister in foro versabatur? plane, aut ita dicendum, aut criticorum communi causatione utendum, luxatum mutilumve, aut translatum ex alieno locum hunc esse. PETAV.

Cap. 24. *Apparatu nobis opus est*] Alludit, quantum opinor, ad ædilitatem, in qua pleraque populo spectacula proponebantur; et in eo genere, qui novi aliquid ederet, et hactenus inusitatum, omne punctum ferebat. Quod idem in aliis magistratibus, sed in illo præcipue valebat. Quare, quemadmodum ibi delectu atque apparatu exquisitarum rerum opus est: eodem modo orator, vulgaribus tritisque neglectis, id consectari debet, quod ipsa præsertim novitate delectet. PETAV.

Quos ego censor edicto] Juvat super ea re Gellium audire, qui lib. XV. cap. 11. istud his verbis declarat. *Cn. Domitius Ænobarbus et L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt: Renunciatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetores; ibi homines adolescentulos dies totos desidere, &c.* IDEM.

Humanitatem] Man. Lamb. *humanitate dignam scientiam.*

Cap. 25. *Ornatur igitur oratio*] Institutum deinceps aggreditur, ac de ornatu orationis disserit; atque in primis duplex illius genus distinguit: unum in toto fusum corpore orationis; aliud spectatur in partibus. Quod similitudine humani corporis explicatur: in quo alia totius est pulchritudo, quæ in coloris bonitate, aptaque membrorum proportione cernitur: alia partium singularum. PET.

Difficile enim dictu est, &c.] Non hic ratio redditur, quare Crassum aliud hortabantur juvenum ingenia et ætates: sed hæc sententia pendet ab ista: *Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, &c.* Nempe habes rationem, cur satietas in delectatione vitanda sit. Sic igitur ope parentheseos sententiam restitui: *Sed etiam sine satietate delectet; (non enim a me——et ætates;) difficile enim dictu est, &c.* Eodem etiam modo Manutius hunc locum impressit. PEARCIUS.

Quanto colorum pulchritudine] Exemplis, quod dixerat, illustrat. De vario genere picturæ, singulorumque generum proprietate, superius dixit. Pictura vetus, etsi rudis, nec ita florida, ipsa tamen antiquitate delectat. Eodem pacto in musica, vox ad suavitatem infracta et inflexa, si nimium iteretur, displicet. PETAVIUS.

Magis laudari quod terram, quam quod crocum] Alii *ceram*, pro *terram* hic legunt, sed perperam. Juvat Plinii locum cum hoc conferre, qui ei lucem præferat. Igitur lib. XVII. cap. 5. *Certe*, inquit, *Cicero, lux doctrinarum altera*, Meliora, *inquit*, unguenta sunt quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. *Hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto: illa erit optima, quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille qui quæritur; contingit sæpe etiam quiescente ea sub occasum solis, in quo loco arcus cœlestis dejecerit capita sua: et cum a siccitate continua inmaduit imbre: tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit.* PETAVIUS. Tuetur hanc eandem lectionem in suis notis et emendat. ad Plin. lib. XIII. n. 6. Harduinus.

Reprehensione] Lamb. *respirationem.*

Sensus in nimia voluptate natura, *non* mente satiantur] Illum, qui satiatur mente aut natura, natura aut mens satiat: neque enim alio sensu, vox *satiatur* cum ablativo intelligi potest: sed non hoc voluit Cicero; imo aliud longe diversum voluit. Quod si intelligere possimus *mente satiari*,

quid, quæso, est natura satiari? Lambinus hanc labem vulgatæ lectionis vidit, et sic corrigere voluit, *quod* sensu *in nimia voluptate natura, non* mente, satiatur: ubi *natura* est nominativi casus. Sed manet interim eadem vitiosa locutio *mente* et *sensu satiari;* et nec sententia satis numerosa videtur, nec ordo verborum elegans conservatur. Restat etiam hoc vitium, et in vulgata, et in Lambini lectione, quod hæc verba *in nimia voluptate* nimis universa sunt, et de omnimoda voluptate dicuntur: sed Cicero de uno solo genere voluptatum nunc loquitur, sc. earum, quæ ex sensibus oriuntur. Opus igitur esse emendatione, ut opinor, lector fatebitur, sententiamque leviori, quam illa Lambini, mutatione, sic forsitan restituet. *Quod sensus in nimia voluptate* naturæ, *non* mentes *satiantur; in scriptis et in dictis, non aurium solum, sed animi judicio etiam magis infucata vitia noscuntur.* Id est: in gustatu, auditu, reliquisque voluptatibus, quæ a natura nobis sunt datæ, si nimiæ sint, non mentes gustantium, aut audientium, sed sensus soli satiantur: in iis autem voluptatibus, quæ ex arte proficiscuntur, ut in poesi et oratione, si nihil varietatis habeant, istud nimiæ similitudinis vitium noscitur non solum aurium, sed etiam magis animi judicio. *Voluptas naturæ* est *voluptas a natura data.* Sic hoster de Fin. lib. V. *Quod in pueritia facillime se arbitrentur* naturæ voluptatem *posse cognoscere.* Sic lib. 11. de Orat. c. 84. naturæ bona *eadem sunt, quæ in c.* 11. *dicuntur* natura data hominibus. Facillime autem ultima littera vocis *mentes* a sequenti *s* absorberi potuit. PEARCIUS.

Cap. 26. *Quare* bene *et* præclare] Solebant non modo in scholis auditores, sed in foro populus oratoribus acclamare, cum aliquid impensius placeret: atque hæ erant acclamationes usitatæ, *bene, præclare, belle, festive, euge,* cujusmodi assentationum insaniam reprehendit Persius, Sat. I. 47. et Plutarchus, Tractatu de audiendo. Atque eo etiam morbus iste pervasit, ut nonnullos subornatos homines haberent, qui in exclamando cæteris præirent. Hinc natum fortasse, ut Græci θαυμάζειν, quod est *admirari*, pro eo quod est discipulum esse et auditorem, sumerent, ut est apud Hesychium. Cæterum hunc locum ita accipit Strebæus, quasi *bene, præclare,* et *belle* ac *festive* ad idem exclamationis et admirationis genus pertineant. Existimo tamen duo illa esse genera ac diversa exclamandi; ut cum alia sit orationis commendatio, ex eo quod apta sit, et artificiosa, et accommodata rebus, ex quo *bene* et *præclare* exclamari soleat, id in ea deberet esse frequentissimum; alia vero cum sit laus ex nitore ac lepore, quæ lumina dicuntur, hoc est, insignior quidam ac fucatior ornatus, ut propterea *belle* ac *festive* acclametur; nonnunquam quidem erit istud aspergendum, sed parcius et rarius. PETAVIUS.

Cap. 27. *Consequentur etiam ille loci*] Usum locorum communium commendat. Erant hi communes loci sententiæ quædam, sive promptuaria argumentorum vel disputationum variis scilicet de rebus institutarum et generalibus, cujusmodi tria genera distinguit. Alii enim loci insectationes criminum quorundam continebant, de quibus nemo dubitat quin pessima sint. Alii, deprecationis aut miserationis excitandæ rationem continent. Tertium genus habet earum quæstionum tractationem, quæ utramque in partem disputando trahuntur, ut sunt de virtute, de justitia, caterisque id genus rebus institutæ disputationes. PETAVIUS.

Nunc propria duarum philosoph.] Quasnam significet, planum est et facile: Peripaticos enim et Academicos innuit. PETAVIUS.

Cap. 28. *Particula parva urbis*] E. Lyceo scilicet, quod gymnasium, Athenis celeberrimum, dicebatur quoque περίπατος, *obambulatio,* quod inter deambulandum inde nominati Peripatetici philosopharentur. Aca-

domia, gymnasium aliud Athenis, ab Academo Atheniensi nomen habuisse tradit Plutarchus in Theseo. PRUSTEUS.

Atque hactenus loquuntur. Etiam hac] Omitto, *loquuntur:* ut sensus sit, *Atque hactenus etiam hac instituendo divisione utuntur*, scilicet rhetores, etsi in eorum provinciam invaserint philosophi. MURETUS.

Ut denique] Lamb. *aut vi denique recuperare.*

Surculo defringendo] Ita philosophos illos de rhetorica tradere aliquid docet, ut non sibi penitus illam vindicent, neque in eam tanquam possessionem manus injiciant, sed de ea etiamnum contendentes imaginaria vindicatione usurpent in exigua aliqua parte. Olim enim petitor possessorem una cum prætore in rem præsentem ducebat: unde adversarium manu prehendens, rem, de qua erat contentio, sibi vindicabat; quod *manum conserere* appellabant. Posteaquam vero propagatis Italiæ finibus, prætores negotiis occupati proficisci ad longinquas res gravabantur, institutum est ut litigantes non apud prætores manum consererent, sed *ex jure*, id est, ex eo loco ubi jus reddebatur, *manum consertum vocarent*, id est, alter alterum ad manum conserendam in rem de qua ageretur, vocaret; atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad prætorem deferrent, et in ea gleba, tanquam in toto agro, vindicarent. Nonnunquam et surculum ex arbore defractum ferebant. Multa de eo ritu Brissonius in Formulis. Itaque similitudo Ciceroniana hæc est: Quo illi modo litigantes in parte agri exigua hærent, nec dum totum obtinuerunt; sic philosophos, dum paucula quædam delibant ex rhetoricis, non veterem possessionem ex toto usurpare, quasi postliminio, sed particulam illius quasi adhuc alienæ rei arripere. PETAVIUS.

Lacinia] Lacinia aliquid tenere vel obtinere, idem valet, ac rem nonnisi leviter tenere. Phrasis eadem in Plauti Asin. III. 2. 41. PEARCIUS.

Cap. 29. *Ut cum quæritur*] Mutavi vulgatum *ut* in *aut*, quia exemplum non subjicitur, sed species quædam definitionis. Quatuor ejus sunt species. Prima est, cum quæritur, quid in communi mente quasi impressum sit, quam Cicero in Topicis vocat notionem, et ejus speciei exemplum est, *Idne est jus, quod maximæ parti sit utile?* Secunda est, cum, quid cujusque sit proprium, exquiritur: quod Cicero in Topicis vocat proprietatem. Tertia, cum res distribuitur in partes: quod vocat divisionem. Quarta, cum quæ forma et quasi naturalis nota cujusque sit, describitur: quam vocat descriptionem. Vides igitur, Lector, *aut* legendum esse, quod præponitur tribus postremis speciebus. PEARCIUS.

Aut, cum, quæ forma] Notationes, sive descriptiones morum indicat, quos characteres Græci vocant; quando res non simplici definitione aperitur, sed per multiplicia signa et quasi vestigia explicatur. Cujusmodi sunt morales Theophrasti characteres, quæ in oratione collocata ethopœiam faciunt, et præcipue ad comœdias pertinent. PETAVIUS.

Cap. 32. *Delphis non inaurata statua*] Immo non a Græcis erecta illa statua, sed ab ipso sophista sibi posita, si audiendus Plinius, qui lib. 32. cap. 1. *Hominum*, inquit, *primus et auream statuam et solidam Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit, septuagesima circiter olympiade: tantus erat docendæ oratoriæ artis quæstus.* Sed nihil hac in parte fidei habeas Plinio. Præstat et Ciceroni credere, et Valerio lib. 8. cap. 15. et Pausaniæ, qui tamen non auream, sed inauratam esse ait, lib. X. PETAVIUS.

Cap. 33. *Oculis*] Lamb. *oculis, alios qui auribus mederentur.*

Cap. 34. *Clamator*] Vict. Man. *declamator.*

Ad clepsydram] Oratoribus ad causas agendas certum tempus definiebatur per clepsydram, quo elap-

se silere necesse erat; fiebatque non raro quod ait Quintilianus lib. XII. c. 6. *Laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit.* De forma clepsydræ atque usu nonnulla scitu necessaria ex antiquis scriptoribus juvat hic breviter exponere: præsertimque ex Aristophanis interprete, (*Acharn. vers.* 693. *et Vesp. v.* 93.) Ἡ κλεψύδρα ἀγγεῖον.... Clepsydra vas est habens exiguum foramen in fundo, quod in judicio plenum aqua ponebatur, ad quam oratores dicebant: hoc est, tamdiu dicere poterant ac perorare, quamdiu aqua per angustum foramen fluebat. Apuleius lib. III. Metamorph. *Praeconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo infusa aqua, populum sic adorat.* Falso sibi persuaderet aliquis, clepsydram nostris fuisse clepsammidiis similem, hoc est, horologiis, ut quidam vocant, pulverariis, quibus scilicet horarum intervalla partimur effluxu arenæ. Nam neque duobus ex vasculis veterum clepsydra constabat, quorum ex altero aqua in alterum per vices defluereat; sed uno tantum. Neque in eo aqua erat perpetua; sed quæ effusa identidem transmitteretur, subjecto, ut opinor, vase recepta: aut certe quæ singulis causis nova atque appensa transfunderetur. Eam publicus lictor appendebat; quæ ubi omnis effluxerat, monebatur orator esse desinendum. Quod si sermonem interrumperet casu quopiam, aut aliquid de scripto recitaret, jubebat præconem aquam sistere. Apuleius in Apolog. *At tu, interea dum legis, aquam sustine.* Πρὸς ὕδωρ λέγεις; ad aquam dicere, perinde est, ac dicere ad clepsydram. PETAVIUS.

Cap. 35. *Cum* barbaros; *hic autem, &c.*] Versus, ad quem alludit Cicero, exstat apud Quint. lib. 3. c. 1. et Diog. Laertium in vita Aristotelis:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν.

Versus autem ipsius Euripidis in Philocteta sic se habet.

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν. Ex quo apparet, non *barbaris* (ut vulgo) sed *barbaros* legendum esse; quod et ipse Cicero indicat, cum dicit in accus. casu *Isocratem:* nempe sic expletur sententia, *cum* barbaros *pateretur dicere.* Hanc mendam sæpe observarunt viri doctissimi: nemo tamen adhuc *barbaros* in textum reposuit. Adde, quod Ms. Bal. Harl. I. et Joan. *barbaros*, rectissime exhibent. PEARCIUS.

Cap. 38. *Sed tamen raro habet etiam, &c.*] Legendum esse, *non raro*, aperte ostendunt verba illa: *Sed tamen.* Tum ea, *etiam in oratione.* MURETUS. Vox *raro*, cum adjecta (ut hic) voce *etiam*, significat, *aliquando, nonnunquam:* quo sensu iterum Noster idem adverbium usurpat cap. 52. *Translatis utamur frequenter, interdumque factis*, raro *autem* etiam *pervetustis:* et in lib. 2. c. 25. *plerumque ex futuri*, raro etiam *ex instantis*, &c. PEARCIUS.

Poeticum aliquod] Manifestum est singulas hujus loci partes rimanti, Ciceronem de solis inusitatis et priscis verbis sermonem habere: et, cum exempla proferat, num *poetica* verba affert? Annon verba quædam, quæ poetis sunt inaudita, adducit? *Opinabar, nuncupari*, et alia nonnulla apud oratores invenienda sunt, apud poetas nullum habent locum. Si hoc modo locum recudas, *sed tamen raro habet etiam in oratione* pervetustum *aliquod verbum dignitatem;* idem hic dicet Cicero, quod in c. 52. mox dicturus est, *ut translatis utamur frequenter, interdumque factis*, raro *autem* etiam pervetustis. Adde, quod Quintil. lib. 8. c. 3. dicit, *Propriis* dignitatem *dat* antiquitas: mox addit, *Quædam tamen adhuc vetera* vetustate ipsa gratius nitent; *quædam etiam necessario interim sumuntur*, nuncupare, *et* fari. IDEM.

Cap. 39. *Similitudinis est ad verbum*] Metaphoram quandam esse similitudinem docet Aristoteles, Rhet,

lib. 3. sed inter utramque nonnihil tamen interesse: nam cum de Achille loquens Homerus dicit, *ut leo prosiliit*, similitudo est; sin dicat *leo prosiliit*, metaphora. PETAVIUS. Hic edidit Lamb. *Translatio omnis, similitudinis*, &c.

Quandoquidem iste circumvestit, &c.] Gruterus conjecit legendum divisim *is te:* sed ad sensum verborum præcedentium parum attendisse videtur: hæc enim de eo dicuntur, qui *consulto occultat, ne id quid* (ab ipso) *ageretur, intelligi posset*. Unde ego rescribendum esse censeo *is se*, quæ lectio et sensui satisfacit, et post verbum *circumvestit* supplet accusativum casum, quem Gruterus recte vidit hic prorsus defuisse. PEARCIUS.

Cap. 40. *Ut pes in navi*] Pedem in navi partem extremam veli appellant Latini æque ac Græci; quæ pars acutior et inferior ad navis latus religari solet. Alii vero funem esse dicunt, quo velum tenditur aut relaxatur. Virgilius Æn. V. 830. *Una omnes fecere pedem*, id est, vela tetenderunt. Catullus IV. 20. *Sive utrumque Jupiter simul secundus incidisset in pedem*. PETAVIUS.

Ut nexum] Quid sit nexum, sive nexus, cum ad jus civile pertinet, vide ad Topica, cap. 5. IDEM.

Radiatum] Muretus, Var. Lect. XI. 9. putat legendum *radientis*, quo nomine solem appellabant veteres poetæ.

Cap. 41. *Nolo morte dici Africani*] Eadem metaphoræ vitia tanquam scopulos caveri oportere monet Aristoteles, et sophistam merito reprehendit, qui diceret, non debere religioni esse, qua quisque voce uteretur, etiam in re turpi, cum voces omnes eandem turpitudinem exprimant. Sed quemnam hoc loco Africanum loquitur? Juniorem, opinor; ad idque inducor, quod alterius tempore viri multi, hoc est, insignes duces Romæ fuerunt, nec ejus morte respublica evitari potuit: at Africani alterius tempore ferme duces instrenui, avari, nihili homines. PETAV.

Quidnam est] Versus ex Ennii fabula, ut colligitur ex Tuscul. III. cap. 12.

Cap. 42. *Nos sumu'*] Non dubitat Lipsius lib. V. Lect. cap. 2. quin hic sit Ennii versus sibi data civitate gratulantis. Variæ sunt lectiones, *Nos sumu' Romani, qui fuimus Rutuli*. Aliter *Rutilli*. Rectius *Rudini* a Rudiis urbe Calabriæ, ex qua oriundus fuit Ennius. *Ergo qui hæc fecerat, Rudium hominem* Ennium *majores nostri in civitatem receperunt*. Cicero pro Archia, c. 10. Ut versus constet, pro *fuimus* lege *fuimus*. PRUSTEUS.

Cap. 43. *Quam lepide lexeis compostæ*, &c.] Sensus est: Lexeis, id est, verba tua, o Albuti, lepide et eleganter composita coagmentataque sunt in oratione, ut in pavimento, vel in emblemate vermiculato omnes tesserulæ sunt arte compositæ. Tesserulæ sunt lapilli aut lateres quadrati, quibus ædium solum consternitur. Opus tesserulis apte consertum, et effigie rerum animaliumque distinctum, emblema vermiculatum vocatur. STREBÆUS.

Arte pavimento] In veteribus quibusdam libris, quos ego vidi, pro *arte* scriptum est *endo*, ut sit ἐν τῷ, quæ scriptura perspicue exstat apud Plinium lib. XXXV. cap. 25. Constat autem Lucilium Græcas voces Latinis versibus non semel immiscuisse. URSIN.

Rhetoricotero'] Vox Græca, ῥητορικώτερος, *artis Rhetoricæ peritior*.

Lenem] Lamb. Grut. *levem*.

Cap. 44. *Interspirationis*] Scilicet clausulas, quæ vox infra occurrit, et hic subintelligenda est. Interim vix dubito, quin in sequentibus aliquid insit vitii: quid enim voluit Cicero per voces *defatigationis nostræ?* a quo pendent, et (ut grammatici dicunt) reguntur? an a *notis?* at quænam sunt *notæ defatigationis?* prorsus nescio. Opinor equidem legendum esse, *Interspirationis enim, non* defatigatione nostra, *neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo, interpunctas clausulas*, &c. Similemque prorsus huic habemus locum in Ora-

tor. c. 68. *Oratio, non aut* spiritu pronunciantis, *aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere:* ubi *insistere spiritu pronunciantis* idem est ac *defatigatione nostra* (id est nostri spiritus) *interpungi;* et *interductus librarii* non alia res est, quam *notæ librariorum.* PEARCIUS.

Vict. Grut. *modis, forma et relaxat,*

Modis et forma *relaxat*] Sic Man. et Lamb. Sensus loci erit: Orator non eandem dimensionem sententiæ, nec eosdem pedes semper repetit: sed nonnunquam membris, aut periodis utitur; et alibi alios pedes in principio, et fine sententiæ collocat. PEARCIUS.

Cap. 45. Lamb. *numeris insistemus.*

Cap. 47. *Ad heroum*] Lamb. *Quare plurimum ad heroos non pedes, dactylum, et anæpæstum, et spondeum invitat.*

Quod est] Lamb. *quarum est.*

Cap. 48. *Hominum aures*] Lamb *hominum vocem natura modulatur ipsa.*

Cap. 50. *Aut*] Lamb. *aut pæanem illum posteriorem, quem Arist. probat, aut ei parem Creticum.*

Cap. 52. *Utuntur*] Quæ vocem hanc sequuntur, Lambinus delet usque ad *Formantur.*

In perpetua autem oratione] Hunc locum ac deinde cap. 53. 54. et 55. descripsit Quintilianus, lib. IX. cap. 1. atque ibi τεχνικὰς, quæ hic accervatim occurrunt, voces illustravit eruditus. CAPPERONNERIUS.

Cap. 60. *Nam ad vocem obtinendam*] Corruptus procul dubio locus est: paulo enim ante dixerat Crassus, ne nolle hic præcepta dare, *quemadmodum voci serviatur,* id est, quo modo *vox obtineatur,* sive melior fiat usu et exercitatione. Illud solum hic notat, quam id quod *maxime utile est, etiam decet maxime.* Ut hoc de voce verum esse probet, dicit nihil crebra mutatione utilius, nihil non intermissa contentione perniciosius *ad vocem, &c.* quid? certe non *obtinendam:* de eo nihil hic dicturus fuit. Tum addit, nihil varietate auribus nostris suavius aptiusque esse. Omnes fere vet. editiones et nonnulli Ms. habent *ad vocem* in dicendo *obtinendam:* unde Lambinus bene conjecit legendum *ad vocem in dicendo* tuendam. Sic in initio hujus cap. de voce Crassus dicit, *quæcunque erit, ea* tuenda: et in sequente cap. cum doctrinam suam de voce breviter repetit, sic concludit; *Hæc varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se* tuebitur, *et actioni afferet suavitatem.* PEARCIUS.

Gracchus] De C. Gracchi fistula concionatoria vide Gellium, lib. 1. cap. 11. PRUSTEUS.

Cap. 61. *Me consule*] Anno scilicet U. C. DCLVIII. quo primum tempore, ut refert Tullius in Bruto, in foro dixit Hortensius. IDEM.

Tanto minorem] Cotta et Sulpicius annis decem Hortensio majores. IDEM.

BRUTUS,

SIVE

DE CLARIS ORATORIBUS.

ARGUMENTUM.

Est ea plerisque usitata Interpretibus ratio, ut de quoque homine, quoties ejus nomen occurrerit, toties quæcumque vel alieno habent labore congesta, vel suo, ingerant lectoribus atque inculcent. Illam ego profusam intemperantemque copiam etsi nunquam probavi: tamen, ut facilius est intelligere quid insit in ea re vitii, quam persuadere multis, vitiosum id esse quod sibi commodare sentiunt: hoc sublevandi laboris remedio carere hanc editionem nolui, quam esse cupio omnibus instructissimam. Tantum hanc peto veniam, ut ne plus semel necesse mihi sit ejusmodi singulares historias describere. Quin etiam, ut denique sint certi fines, de Græcis non agam, sed tantum de Romanis. Cum ergo in librum de claris Oratoribus, sic quasi in equum Trojanum, uti Sebastianus inquit Corradus, omnes propemodum inclusæ sint personæ Ciceronianæ; cumque in singularum comparanda notitia nemo hujus ipsius Corradi diligentiam aut vicerit hactenus, aut æquarit, eum hic adhibebo potissimum; sic tamen ut supplementi quidpiam aliunde, si quando fuerit opus, petere non pigeat. Video satis ampla hæc fore excerpta historica, nihil ut spatii criticis relinquant, vel oratoriis: neque horum generum ulla, si verum fatemur, hic Brutus admodum desiderat. OLIVETUS.

Cap. 8. *Solebat*] Vict. *solebat vir is, cujus.*

Est postea] Grut. *est poeta.*

Magis tum] Vict. Man. *magis, tum casu nonnunquam.*

Cap. 14. *Bruto*] L. Junio Bruto, qui Marci filius fuit. Marcus vero Junius cum, ut auctor est Dionysius, duceret originem ab uno eorum, qui cum Ænea coloniam deduxerant in Italiam, et dives esset, dignus est judicatus, cui Tarquinius Priscus Tarquiniam filiam uxorem daret: ex qua duos filios sustulit, M. Junium, ut nos putamus, et hunc L. Junium, qui postea *Brutus* est appellatus: quod cum patrem primum, deinde Marcum fratrem, quod divites et prudentes essent, a Tarquinio Superbo et quidem avunculo suo interfectos intellexisset, ne et ipse interficeretur, se stultum esse simulavit. CORRAD.

De matre suavianda] Cum vox, inquit Livius, ex infimo specu sic reddita fuisset: *Imperium summum Romæ habebit, qui vestrûm primus, o juvenes, osculum matri tulerit:* cumque Tarquinii de osculo matri suæ ferendo cogitarent, L. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset. COR.

M. Valerium] M. Valerium Volesi filium, et P. Valerii Publicolæ fratrem, ut Livius et Dionysius sunt auctores. IDEM.

L. Valerium Potitum] P. Valerii, qui consul iterum *Ap.* Herdonium Capitolium tenentem obsedit, et interfectus fuit, filium: et P. Valerii Publicolæ, qui reges ejecit, nepotem, ut docet Dionysius lib. XI. ubi scribit ille quidem hunc cognomine *Potitum* dictum fuisse; sed causam nec ipse, nec alius, quem nos viderimus, refert. IDEM.

Appium Claudium] Appium Clau-

dlum Crassum, cui *Cæco* cognomen fuit. IDEM.

C. Fabricium] Hic est C. Fabricius Luscinus, qui cum Q. Æmilio bis consul, et censor fuit; cui paupertas, quam negant alii se ferre posse, ut ait Cicero, tolerabilis fuit; et quidem ita, ut cum Samnites, quos universos in clientelam habebat, ad eum decem æris, et quinque pondo argenti, totidemque servos misissent, ipse in Samnium, ut scribit Valerius, IV. 3. remiserit; illud, quod refert Gellius, I. 14. præfatus: sibi, dum membris, quæ cupiditate moventur, obsistere atque imperare posset, nunquam quidquam defuturum. Hinc missus ad Pyrrhum regem, ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut patriam desereret, ab eo tentatus est. Ejus enim amicitiam et aurum, atque adeo quartam regni partem, ut scribit Eutropius, sprevit. Illud etiam Fabricii factum laudatur, de quo Cicero lib. III. de Offic. ita scribit: *Perfuga a Pyrrho venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque ejus factum a senatu laudatum est.* Cum Cicerone Livius, Eutropius, et Frontinus sentiunt, Quadrigarium, ut arbitror, secuti; sed alii scriptores, pæne omnes, dissentiunt. Nam Valerius Maximus et A. Gellius, Valerium Antiatem secuti, dicunt Timocharem medicum Ambraciensem id Fabricio pollicitum, quod ipsius filii vinum regi miscerent. IDEM.

T. Coruncanium] Hic anno U. C. 473. consul cum P. Valerio Lævino fuit: et primus ex plebe pontifex maximus creatus est, ut lib. XVIII. refert Livius, qui tamen libro X. scripserat, legem latam fuisse multo ante, ut quatuor pontifices de plebe adlegerentur: sed illi pontifices erant minores, hic pontifex maximus appellabatur. Hinc sunt illa Ciceronis verba in Orat. pro Domo: *Omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constaret.* Hunc sapientem veteres judicabant, ut in Lælio Cicero testatur: ubi illum cum Fabricio, et Curio etiam conjungit. CORRAD.

M'. Curium] Hic est Manius Curius, *Dentatus* appellatus, quod, ut ait Plinius, cum dentibus sit natus, vir ab omnibus scriptoribus magnopere commendatus: qui consul cum P. Cornelio Rufino, Samnitibus cæsis, et Sabinis, qui rebellarant, victis, atque, ut Livius libro XI. refert, in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit: ac consul iterum factus cum L. Cornelio Lentulo, cum delectum, ut Livius et Valerius scribunt, haberet, ejus qui citatus non responderat, bona vendidit: Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit, et Italia expulit; atque de illo triumphavit. Primus etiam, ut auctor est Eutropius, Romam quatuor Elephantes duxit, Lucas boves tunc appellatos, quod in Lucanis tum primum visi fuissent. Extremum vero tempus ætatis in vita rustica consumpsit, ita quidem, ut agrum, quod ait Plutarchus in Catone, foderet: cui ad focum sedenti magnum auri pondus cum Samnites attulissent repudiati sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum, imperare. IDEM.

M. Popilii] Qui quater consul fuit, et in primo quidem et secundo consulatu Tiburtes vicit; in tertio vero cum Gallis bellum gessit, in quo etiam vulnus accepit, sed eos tandem cum vicisset, triumphavit; in quarto, cum foris pax et domi concordia esset, nihil, quod magni fuerit momenti, gessit. Popilii autem erant plebeii, ut Livius ostendit, vel de hoc M. Popilio ista verba scribens: *M. Popilius Lænas a plebe consul, a patribus L. Cornelius Scipio datus.* Et Paterculus P. Lænatem tribunum plebis vocat. CORRADUS.

C. Flaminius] C. Quintius Flaminius. Fuit enim ex Quintiis, quos scribit Livius a Tullo rege in patres

lectos, cum inter Albanorum principes essent, unde postea semper ea gens patricia fuit; in qua, quod refert Plinius, aurum ne feminas quidem habere mos fuit, tantum aberat, ut viri haberent. Quintia gens, inquam, fuit patricia: sed cum Flaminius hic dicatur tribunus plebis, apparet vel eam duplicem, patriciam et plebeiam, vel eum ex alia gente potius fuisse. CORRADUS.

Q. etiam Maximus] Q. Fabius Maximus Verrucosus, Ovicula, Cunctator. Fabios patricios fuisse cum veterum monumenta pæne omnia, tum Livius libro II. sæpe testatur. *Verrucosus* autem dictus est a verruca in labris, ut ait auctor libelli de Viris Illustr. A Plutarcho vero scribitur Βερρούκωσος, quod in superiore labro carunculam haberet. *Ovicula* dictus est a clementia, ut inquit idem auctor de Viris Illustr. et Plutarchus. *Cunctator* autem, quod, ut inquit Ennius, *unus homo nobis cunctando restituit rem.* ID.

Q. Metullus] Quintus Cæcilius Metellus; Cæculus enim Præneste condidit, unde putant Cæcilios ortos, quorum erat nobilis apud Romanos familia. Alii aliter sentiunt. Hic autem Q. Cæcilius Metellus ædilis cum C. Servilio, legatus cum L. Veturio M. Livii et C. Claudii consulum, magister equitum ejusdem M. Livii Dictatoris: consul cum eodem L. Veturio, dictator comitiorum causa, ac tandem decemvir apud Livium cognoscitur. Plura invenire non potuimus, quamvis etiam diligenter quæsiverimus. Itaque ne scire quidem potuimus, quare orator sit habitus. CORRADUS.

Cap. 15. *Cethegus*] Is est M. Cornelius Cethegus, qui censor ante consulatum fuit, deinde consul Etruriam provinciam sortitus est; postremo proconsul in Gallia cum Magone collatis signis feliciter pugnavit: quæ quidem omnia tu apud Liv. XXVII. XXIX. et XXX. invenies. Horatius poeta Cethegos *cinctutos* appellat, quod is mos esset Cethegis, ut cincti et pæne nudi in bellum proficiscerentur; unde Lucanus et Silius eos nudos et exsertos vocarunt. ID.

Plautus] Lamb. *Plautus P. Claudio, L. Porcio Coss. quatuor annis post Nævii mortem, viginti post illos, quos ante dixi, consules.*

Consules] Man. *Consulibus.*

Cato] Marcus Porcius Cato, de quo Plinius, lib. VII. cap. 27. *Primus*, inquit, *Porciæ gentis, tres summas in homine res præstitisse existimatus, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator.* Quartam addit Valerius Max. VIII. 7. *ut esset juris civilis quoque peritissimus.* Vide Livium, lib. XXXIX. cap. 40. ubi multa de illius indole, atque inter cætera: *huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret.* ANONYMUS.

LXXXIII. Man. LXXXVI.

Cap. 17. *Noverunt*] Man. *noverunt. Quid enim? Hyperidæ.*

Cap. 18. *Si æqualis*] Vict. Lamb. Grut. *cum æqualis.*

Cap. 19. *Illius*] Nævii.

C. Varro] C. Terentius Varro, qui, ut ait Livius, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus est. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsumque institorem mercis, filioque hoc ipso in servili ejus artis ministerio usum. Is juvenis, ubi ex eo genere quæstus pecunia a patre relicta, animum ad spem liberalioris fortunæ adjecit, consul cum L. Æmilio Paulo factus, apud Cannas culpa suavires P. Romani, ut ait Val. Max. exhausit. COR.

P. Lentulus] P. Cornelius Lentulus Claudinus, qui cum C. Licinio Varrone anno ab U. C. DXVII. consul fuit. Nullus enim præter eum fuit his temporibus, qui consul, major natu Catone, fuerit, et P. Lentulus sit dictus. Duos quidem P. Lentulos apud Livium, sed prætores agnoscimus. An vero Cicero hic inter tot consulares prætorium nominarit, dubitari ut potest, ita verisimile non videtur. IDEM.

P. Crassus] P. Licinius Crassus, Dives, pontifex maximus: qui cum

ante nec prætor nec consul fuisset, magister tamen equitum et censor est factus. Ex ædilitate enim gradum ad censuram fecit; sed cum L. Veturius collega decessisset, censura se abdicavit: cui postea prætori facto provincia peregrina evenit, et quæ senatus censuisset, ut ait Livius. Hunc Cicero in Catone pontificii et civilis juris fuisse peritissimum ostendit. Quin vero *Dives* hic etiam sit appellatus, qui veterum monumenta viderit, dubitare non poterit. CORRAD.

Scipionem] P. Cornelium Scipionem, qui Africanus primus est appellatus, cujus res gestas et totam denique vitam, præter alios Livius et Plutarchus scripserunt, si modo Plutarchus unquam scripsit eam, quæ circumfertur. IDEM.

Filius quidem ejus] Qui Cn. Scipio a Val. Maximo vocatur, et inter eos etiam numeratur, qui a parentibus degenerarunt; atque in eo potissimum accusatur, quod in tanta domestica gloria ortus, a parvulo admodum regis Antiochi præsidio capi sustinuit. Et captum quidem Livius, Justinus, Plutarchus, et alii consentiunt; de causa dissentiunt. CORR.

Cap. 20. *Sex. Ælius*] Pætus, Catus; nam gentis cognomine Pætus a Livio, et suo Catus ab Ennio illo carmine fuit appellatus: *Egregie cordatus homo, Catus Ælius Sextus:* quod apud Ciceronem Tusc. I. et lib. 1. de Oratore invenies. Hic consul cum T. Quintio Flaminio Galliam provinciam sortitus est, sed nihil memorabilis rei gessit, ut Livius loquitur. Censuram vero cum C. Cornelio Cethego præclare administravit, quod Livius lib. XXXIV. refert. Ælii plebeii fuerunt: quod cum multa ostendunt, tum P. Ælius, qui fuit ædilis plebis, et Q. Ælius Tubero, qui fuit tribunus plebis. Scriptores eos laudant, quod nobiles, et pauperes fuerint. CORRADUS.

C. Sulpicius Gallus] Hunc et L. Æmilium Paulum patronos populi ulterioris Hispaniæ olim sumpserunt, ut Liv. lib. XLIII. scribit, qui testatur, illum etiam non ita multo post prætorem factum fuisse. Multa de eo passim apud auctores reperiuntur. Hunc Sulpicium Gallum affirmo significari lib. IV. Famil. ubi scribitur: *Vester Gallus.* Scribit enim ad Ser. Sulpicium, qui fuit ex eadem gente Sulpicia, quæ duplex videtur fuisse. IDEM.

Ludos Apollini] Hæc sunt verba ex carminibus Marcii vatis a Livio lib. XXV. relata. *Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: cum populus dederit ex publico partem: privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum.* Q. igitur Fulvio Flacco et App. Claudio Pulchro consulibus, id est, anno ab U. C. DXLII, ludi Apollinares a P. Cornelio Sylla prætore urbis primum facti sunt: inde omnes deinceps prætores urbani fecerunt, sed in unum annum vovebant, dieque incerto faciebant. Consulibus vero M. Claudio Marcello, et T. Quintio Crispino, id est anno ab U. C. DXLVI, P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum jussus est, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem ter. Non. Quint. Is dies deinde solennis servatus est. IDEM.

Tib. Gracchus] Hic est Tib. Sempronius Gracchus, qui magnam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni fuit auxilio, inimicissimus et ipsius et fratris ejus Africani. IDEM.

Eloquentem] Lib. I. de Orat. inquit: *Haudquaquam eloquens:* hic tamen eloquentiæ vocat, ut rem suam agat, id est, ut, quos hic enumerat, ostendat eloquentes fuisse: ut Catonem hic summum facit oratorem, quem tamen alibi in eloquentia non tantopere commendat. Accedit, quod in libris Oratoriis oratorem perfectiorem quærebat, hic quemlibet oratorem nominat. Atque hic quidem Gracchum Nasicæ, in Lælio vero

Nasicam Graccho præponit: sed ibi Cicero vel generis nobilitatem, vel uxorum ætates secutus videri potest. Nasica enim patricius, Gracchus vero plebeius fuit, et Nasica Corneliam majorem, Gracchus vero minorem duxit, ut Liv. lib. XXXIX. est auctor. Hoc vero loco Cicero, ubi ætates oratorum, et tempora, ut supra dixit, persequitur, eo ponit ordine, quo consules fuerunt: unde cognosci etiam potest Nasicam Graccho minorem natu fuisse, qui post secundum Gracchi consulatum consul ipse primum fuerit. CORRADUS.

P. Scipionem Nasicam] P. Cornelius Scipio Nasica, cognomento *Corculum* ob egregiam humanitatem, bis consul, primum anno Urbis DXCII. deinde anno DXCIX. quo tempore de Dalmatis triumphavit. Præterea censura functus est anno DXCV. PRUST. Fuit etiam hic Nasica Pontifex Maximus, quod hic omittit Cicero, sed in Catone testatur, et lib. III. de Oratore. CORRADUS.

Sacra acceperit] Eandem rem tangit in Orat. de Arusp. resp. et Liv. lib. XXIX. pluribus verbis describit, et quidem P. Sempronio, M. Cornelio consulibus, hoc est anno ab U. C. DL. ex quo tempore ad consulatum P. Scipionis Nasicæ, qui Jugurthæ bellum indixit, anni minimum XCII. numerantur. Unde facile apparet error Val. Maximi, qui lib. VII. c. 5. Nasicam eundem fuisse credidit, qui sacra accepit, et bellum Jugurthæ indixit, et repulsam passus est, quod in manum rustici jocatus esset: quem tamen errorem ne Plinius quidem, diligens scriptor, vitavit, Val. Max. fortasse imitatus. Unus Paterculus recte distinxit. ID.

L. Lentulum] L. Cornelium Lentulum Lupum, Cn. F. L. N. ut in veteribus Coss. scriptum vidimus. Is mihi videtur esse, qui M. Catoni, ut Cicero Tusc. III. refert, de bello Punico est adversatus: de quo quidem præterea nihil dicere possumus: nisi, quod omnes sciunt, Lentulos a serendis lentibus appellatos fuisse. ID.

Q. Nobiliorem] Q. Fulvium Nobiliorem, qui cum T. Annio consul fuit, anno ab U. C. DCI. qui bellum in Hispania non satis feliciter gessit; quod Appianus in lib. de Rep. Hisp. scribit. IDEM.

T. Annium Luscum] Ita Livius lib. XLII. vocat, cum inter legatos, qui in Macedoniam ad res repetendas missi sunt, numerat, et quidem annis duodeviginti ante consulatum. Viderint igitur, qui in consulibus T. Annium Fusium scribunt, an recte faciant. Anniorum gentem plebeiam fuisse cognoscimus ex eo potissimum, quod T. Annius Milo apud Ciceronem, et L. Annius apud Sallustium, tribuni plebis leguntur. IDEM.

L. Paulus] L. Æmilius Paulus, cujus res gestæ notiores sunt, quam ut sit necesse nunc quidquam de illis dicere, præsertim cum Livius, Plutarchus, Florus, et alii res illas diligentissime sint persecuti. Quare illud tantum, quod hodie quoque Romæ in tabula ærea legitur, huc transferemus: *Paulus Æmilius Imp. Macedoniam terrarum imperio positam cepit, cujus uno die LXXII. urbes vendidit, etiam Indiæ victor per vestigia Liberi patris atque Herculis, Romana signa circumtulit.* CORRADUS.

Cap. 21. *Albinus*] A. Posthumius Albinus, qui P. Scipione et M. Marcello coss. prætor fuit, ut legimus apud Ciceronem in Lucullo. Posthumii vero patricii fuerunt, cum a principio multi ex his consules fuerint. IDEM.

Græce scripsit historiam] In cujus principio veniam petiit, si Romanus homo minus eleganter Græce scripsisset: quam cum legisset M. Cato, Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Hoc apud Gellium lib. XI. c. 8. et Macrob. lib. I. Saturn. leges. IDEM.

Fulvius] Ser. Fulvius Flaccus. Is enim mihi videtur esse, qui cum Calpurnio Pisone anno DCIX. consul fuit, et de Vardæis triumphasse dicitur. Is etiam fortasse fuit, quem C. Curio

defendit: qua de re tempore Ciceronis exstabat oratio, ut infra dicitur. IDEM.

Fabius Pictor] Qui fuerit, ne Corradus quidem Bruti explanator exponit. Quamobrem, et de hoc quod sentimus, aperiamus. Fuerunt igitur tres Pictores, qui litterarum, et quidem antiquitatis cognitione floruerint, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, et Ser. Fabius Pictor. Q. Fabius omnium antiquissimus bello Gallico Cisalpino, ut ait Orosius, et post Punico bello, ut inquit Livius, interfuit. Ex ejus Annalibus Latinis Gellius, lib. V. cap. 4. testimonium profert. Idcirco autem, *Latinis*, addidi, ut eos redarguerem, qui hunc Q. Fabium Græce scripsisse existimarunt. In quo alterius Fabii Pictoris, prænomine *Numerii*, similitudine, ut credo, decepti sunt: cujus meminit Cicero, in lib. I. de Divinat. cap. 21. Serv. autem Fabius Pictor, quem *juris, et antiquitatis bene peritum* vocat Cicero, is est, cujus meminit Macrobius lib. III. *Primo*, inquit, *pontificii juris libro apud Pictorem hoc verbum positum est, Vitulari.* Et Nonius: *Fabius Pictor rerum gestarum libro primo..... Idem juris pontifex libro tertio....* Quibus in verbis illud esse peccati puto, quod *pontifex* pro pontificii scriptum sit. Quare cum dixit Cicero, eum *antiquitatis* bene peritum esse, libros ejus rerum gestarum intellexit; cum *juris*, de jure pontificio. SIGON. in *Fragm.*

Q. Fabius Labeo] Dubitamus, an is sit, quem Cicero lib. I. de Officiis, et Val. Maximus scribunt, a senatu Nolanis, et Neapolitanis arbitrum de finibus datum, ita terminasse, ut multum agri, quod in medio esset relictum, populo Romano adjudicarit. Cæteras res ejus desideramus: nisi forte Cicero regreditur ad eum, qui consul cum M. Claudio Marcello, an. DLXXI. fuit: quem Donatus etiam poetam vocat. CORRADUS.

Q. Metellus] Qui Andriscum, Pseudophilippum vocatum, vicit, Macedoniam domuit, Achæos prælio fudit, et de Andrisco, sive Macedonia triumphavit, ut ostendit Cicero in Orat. in Pisonem; atque hæc quidem omnia fecit, cum præfor esset, ut Livius, Paterculus, et auctor Libelli de Viris Illustr. scribunt. Unde cognoscitur error Flori, et aliorum, qui credunt Metellum tunc consulem fuisse, cum Macedoniam domuit, a qua *Macedonicus* est appellatus. Quod si nullus scriptor nominatim dicat, eum tunc prætorem fuisse, ex ordine tamen historiæ et temporum id ipsum cognoscimus. Livii ætate exstabat oratio Metelli, quam Cæsar Augustus, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in senatu recitavit, ut testatur etiam Suetonius in Augusto; quo tamen loco interpretes putant orationem Metelli Numidici, non Macedonici significari, Gellium secuti, qui lib. I. c. 6. multa, tanquam ex oratione Metelli Numidici, recitat. Sed vel Gellius erravit, vel male descriptus est liber, et *oratio Metelli Macedonici* legi debet: vel dicendum Metellum quoque Numidicum ea de re orationem scriptam reliquisse. IDEM.

Consulares fuerunt] Fuerunt illi quidem consulares, ut ait Philippica VIII. sed non omnes ante patris mortem; siquidem. Cic. lib. V. de Fin. ita scribit: *Q. Metellus tres filios consules vidit, e quibus unum etiam censorem et triumphantem: quartum autem prætorem.* Quæ verba Val. Max. VII. 1. videtur ita male descripsisse: *Fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium, duos triumphales, et quartum prætorium videret.* Reliquit etiam tres filias nuptas, hinc Cicero Tuscul. I. sic ait: *Metellum multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum imposuerunt.* Idem propemodum Valerius Max. et Plinius testantur. IDEM.

L. Cotta] L. Aurelius Cotta, qui cum Ser. Sulpicio Galba consul an. DCX. fuit: qui cum in senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mitteretur, Scipio dicto, ut neuter in provinciam mitteretur:

obtinuit, ut refert Val. Maximus, VI. 4. IDEM.

Veterator] *Veteratores*, inquit Sex. Pompeius, *callidi, dicti a multa rerum gerendarum vetustate.* Ob id hunc eum esse credimus, qui nihil habebat, ut Africanus ait apud Valer. Max. VI. c. 4. cumque tribunus plebis esset, fiducia sacrosanctæ potestatis, creditoribus suis satisfacere nolebat, nisi a collegis fuisset coactus, ut Val. Max. lib. VI. cap. 5. scribit. Unde cognoscimus Aureliam gentem plebeiam fuisse, in qua fuit cognomen *Cotta*, ductum, ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ κότου, quod iracundus et oris torvi fuerit is, qui primus Cotta fuerit appellatus. IDEM.

C. Lælius] Hic, ut Cicero Philipp. XI. refert, fuit filius illius C. Lælii, qui majoris Africani in Hispania et in Africa semper comes fuit, ita ut a multis *Africanus* ipse quoque sit appellatus. Certe cum Africano majore arctissima familiaritate junctus fuit; ut Lælius hic et Africanus amicitiam, tanquam hereditatem quanquam crevisse, et postea sic auxisse videantur, ut ea maxime illustris habeatur, quod Lælius Ciceronis ostendit. Fuit igitur hic Lælius prætor, fuit consul cum Q. Servilio Cæpione, an. DCXIV. Fuit augur, et *Sapiens* est appellatus. Hic ante Scipionem ponitur, quia major natu fuit. COR.

P. Africanus] P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus, de quo præstat silere, quam pauca dicere. IDEM.

Ser. Galba] Servius Sulpicius Galba, qui prætor male adversus Lusitanos pugnavit, ut Liv. lib. XLVIII. scripsit. Deinde cum L. Aurelio Cotta anno ab U. C. DCX. consul fuit. Sciendum est prænomen *Servium* frequenter in gente Sulpicia inveniri. Male igitur faciunt, qui describunt, vel legunt usquam *Sergium Galbam*, cum *Sergius* sit nomen gentis, non autem prænomen, ut satis constat. Male igitur Plutarchus in Catone hunc Σερουίλιον Γάλβαν vocat. ID.

Oratio Lælii de collegiis] Vide lib. de Amicitia, cap. 25.

Viriati bello] Viriatus ex pastore venator, e venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit, et bellum cum Romanis per quatuordecim annos, ut Florus et Orosius scribunt, vel octo continuos, ut placet Appiano, gessit, multosque Romanos duces vicit; ac tandem a suis, quos Servilius Cæpio corruperat, est interfectus. Historia est apud Liv. lib. LII. et LIV. et alios. Aliter *Viriatico*, fortasse recte, ut *bellum Viriaticum* dicatur, ut *bellum Mithridaticum*; quanquam Suetonius *bellum Viriatinum* vocat. CORRADUS.

Cap. 22. *Scantia*] Turnebus, *Sila*, quem vide Advers. lib. XI. cap. I. et XXVI. 12.

Picarias] Fortasse loca ubi pix fieret, cujus apud veteres magnus fuit usus, cum ad alias res, tum ad vina condienda. Et fortasse tum censores picarias locabant, quod nos tamen adhuc non legimus: illud legimus, quod scribit Plin. in tabulis censoriis pascua dicta fuisse omnia, ex quibus populus reditus haberet; quia diu hoc solum vectigal fuerat. Hoc significat Cicero, cum in Orat. I. contra Rull. ita scribit: *Veniat*, inquit, *silva Scantia: utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti?* Ex his existimamus legi oportere, vel *pecuaria*, ut hic etiam scriptum vidimus, vel *pecuarias*, præsertim cum in aliis libris *picarias*, in aliis *piarias* hoc loco legamus. Et *pecuaria*, loca ubi pecora nutriantur, id est pascua, interpretamur: *pecuarias* vero, eodem pæne modo, quod Varro lib. II. de R. R. ita scribat: *Facilius faciam, quod et ipse pecuarias habui grandes, in Apulia ovarias, et Reatino equarias.* Itaque rem sic explicare possumus: silva Scantia erat in pascuis censorum: pecuaria item, sive pecuariæ erant in iisdem pascuis. Cum igitur publicani redemissent has pecuarias, sive pecuaria, in silva Scantia, quæ in his erat, facta est cædes. CORRADUS.

Fortior] Lamd. Grut. *ornatior*.

Cap. 23. *Lusitanis*] Ser. Galba est accusatus a Libone, quod Lusitanorum magnam manum, interposita fide, prætor in Hispania interemisset, ut Valer. Max. lib. VIII. cap. 1. refert, qui lib. IX. cap. 6. scribit ad hunc modum: *Ser. quoque Galba summæ perfidiæ: trium enim Lusitaniæ civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturus, novem millia, in quibus flos juventutis consistebat, electa, et armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit: quo facinore maximam cladem barbarorum, magnitudine criminis antecessit.* Triginta millia Lusitanorum trucidata fuisse Suetonius in Galba testatur; Appianus vero, in libro de rebus in Hisp. gestis, rem pluribus exponit. CORRADUS.

L. Libone] Aliter *L. Scribonio.* Utrumque recte. Is enim dicebatur L. Scribonius Libo, ut invenies lib. I. et II. de Orat. ep. 5. lib. XII. ad Attic. apud Val. Max. lib. VIII. cap. 1. et apud Liv. lib. XLIX. Scribonii plebeii fuerunt, ut vel ex hujus Scribonii Libonis tribunatu constat. Libo vero cognomen etiam in aliis gentibus, ut Petiliis et Octaviis, invenitur. CORRAD.

Tum igitur recusans Galba pro sese] *Miserabiliter pro se Galba locutus*, inquit Liv. lib. XLIX. Quanquam vereor ego, ne legendum sit hoc loco: *Tum nihil recusans Galba pro se.* Nam *recusare* verbo sic utitur Cicero; et Valer. Max. qui non res modo, sed verba etiam solet mutuari, hanc rem sic in suum lib. VIII. transtulit: *Reus Galba pro se jam nihil recusans, parvulos liberos suos, et Galli sanguine conjunctum sibi filium, flens commendare cœpit.* Quæ vero lib. I. de Orat. de Galba referuntur, ostendunt, cum de se prorsus desperasse, ut merito dici possit hoc loco, *nihil pro se recusans.* IDEM.

Cap. 25. *L. et Sp. Mummii*] L. Mummius novus, ut ait Paterculus, et pœne ignobilis a principio fuit, quando, τρίτον οὐκ ἔχομεν ἀιτεῖν ὄνομα, ut Plutarch. in Mario scribit; cum Romani nobiliores nomina minimum tria habereut. Nam quod L. Mummius *Achaicus* postea dictus est, quartum potius quam tertium nomen est, et a quibusdam agnomen appellatur. Hic L. Mummius cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit, anno ab U. C. DCVIII. quamvis alii collegam L. non Cn. vocent. Consul Achæos vicit, unde Achaicus est appellatus, et Corinthum delevit, ac triumphavit. Hoc bellum scripserunt Liv. lib. LI. LII. Justinus lib. XXXIV. Auctor libelli de Viris Illustr. cap. 60. et alii. Sp. Mummius bellum in Hispania gessit, et de Lusitanis triumphavit, ut Appian. in lib. de Reb. in Hisp. gestis scribit, et fuit in decem legatis L. Mummio fratri, ut lib. XIII. ad Att. ep. 38. Cicero docet. Fuit hic Sp. Mummius etiam legatus in Ægypto cum Africano, quod Justinus lib. XXXII. refert. Quare autem Mummii sint dicti, nos adhuc invenire non potuimus. Illud quidem satis auctore Paterculo constat, eos homines novos fuisse ac plebeios, quando L. quidam Mummius apud Ciceronem in Orat. post Redit. tribunus plebis agnoscitur, quem tamen Dio, lib. XXXIX, Δούλιον Νίννιον Κουαδράτον, opinor, appellat. CORRADUS.

Sp. Albini] Sp. Posthumii Albini, qui cum M. vel, ut est in Sallustio, Q. Minucio Rufo consul anno ab U. C. DCXLIV. fuit, unde consularem infra Cicero vocat. Hic est enim Sp. Albinus, qui, quod scribit Sallustius, Massinissæ persuasit, ut regnum Numidiæ ab senatu peteret, et alia gessit, quæ apud eundem possunt legi. IDEM.

L. et C. Aureliorum Orestarum] Lucius cum M. Æmilio Lepido consul fuit, anno ab U. C. DCXXVIII. et Sardos subegit. Alicui tamen possit ille videri, qui consul cum Sex. Julio Cæsare fuit anno DXCVII. De Caio adhuc nihil scriptum videre potuimus, sed conjicimus tantum hunc Lucii fratrem fuisse, ut hic L. et C. Aurelios fratres conjungat, ut sta-

tim L. et Sp. Mummios conjunxit. IDEM.

P. etiam Popilius] P. Popilius Lænas, qui cum P. Rutilio consul fuit, anno ab U. C. DCXXII. Hic igitur Popilius consul fuit, quo anno in judicium vocati sunt, qui cum T. Graccho senserant. Ergo cum quosdam T. Gracchi amicos, ut refert Plutarchus, urbe ejecisset, postea cognovit latam esse legem a C. Graccho similem privilegii, ut in judicium vocaretur quicumque in magistratu constitutus indicta causa quempiam ejecisset. Quare ipse ex urbe discessit; nec ita multo post fuit restitutus. Hinc ait infra Cicero: *L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus, nam P. Popilium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit.* IDEM.

C. Tuditanus] C. Sempronius Tuditanus, qui cum M'. Aquilio, quem Paulus Orosius M. Acilium Capitonem vocat, consul fuit anno ab U. C. DCXXV. His consulibus novendialibus feriis sermo de Rep. fuit a Cicerone institutus paulo ante mortem Africani, ut lib. III. ad Q. Fratrem refert. Hunc Tuditanum prætorem P. Popilio et P. Rutilio consulibus fuisse scribit Libo, ut Cicero testatur lib. XIII. ad Attic. ubi dubitat, an hic in decem legatis Mummio fuerit. IDEM.

M. Octavius] M. Octavius Cecinna vocatur a Julio Obsequente. De familia vero Octaviorum nihil ad ea, quæ Suetonius in Augusto scribit, videtur addendum. IDEM.

M. Æmilius] Ex Æmilia gente, quam scribit Sex. Pompeius appellatam a Mamerco Pythagoræ philosophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuerit *Æmilos;* alii, quod ab Ascanio descendat, qui duos habuit filios, Julium, et *Æmilon.* IDEM.

Lepidus] Idem pæne significat *Lepidus,* unde credimus veteres *Æmilium* per *Lepidum* interpretatos, et sic deinceps Lepidum cognomen Æmiliorum fuisse. Hic M. Æmilius Lepidus Porcina cum C. Hostilio Mancino consul fuit, anno ab U. C. DCXVII. Appianus libro de Rebus in Hisp. gestis, pluribus de eo agit, et eum ob cladem in pugna adversus Vaccæos acceptam condemnatum fuisse: sed Val. Max. lib. VIII. cap. 1. scribit a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime structæ villæ in Alsiensi agro, gravi multa affectum fuisse. Quare *Porcina* sit dictus, nos adhuc quærimus. IDEM.

Q. Pompeius] Is, quem Val. Max. lib. VIII. cap. 5. Q. Pompeium Aufidium vocat, qui consul cum esset cum Cn. Servilio Cæpione, anno ab U. C. DCXIII. in Hispaniam profectus, Thermestinos, ut Livius lib. LIV. videtur scripsisse, cum Termantini ab Appiano vocentur, subegit: deinde, non semel a Numantinis cum fuisset victus, veritus, ne postea Romæ accusaretur, clam cum illis de pace cœpit agere; deinde vero cum M. Pompilius Lænas successor venisset, ille jam metu belli præsentia successoris liberatus, infitiatus est quidquid fecerat. Cicero lib. 11. de Finib. illum *callide improbum* vocat, quod fœdus cum Numantinis sit infitiatus. Hunc etiam Cicero lib. 11. Acad. Quæst. inter populares ponit. CORRADUS.

Per se cognitus] Sua, non majorum, virtute nobilitatus. Q. enim Pompeius humili atque obscuro loco natus est, ut Cicero ait Verrina I. Εδόκει γὰρ ὁ Πομπήιος υἱὸς αὐλητοῦ γεγονέναι, ut scribit Plutarch. in Apopht. ubi jocus est Scipionis. Hinc a Cicerone in Oratione pro Fonteio, et in Orat. pro Murena Q. hic Pompeius *homo novus* appellatur. Inimicitias cum Cæpionibus et Metellis gessit, ut in Orat. pro Fonteio et apud Valer. Max. videbis. Ab ejus etiam amicitia Scipio Lælii nomine se removit, ut Lælius apud Ciceronem testatur, ob eam fortasse causam, quam Plutarchus in Apopht. scribit, quod cum Lælio consulatum petente, pollicitus Scipioni fuisset se non petiturum, postea tamen petierat. IDEM.

L. Cassius] L. Cassius Longinus,

a quibusdam *Ramilia* dictus, qui fuit consul cum L. Cornelio Cinna, anno ab U. C. DCXXVII. et censor cum Cn. Servilio Cæpione, ut Frontinus refert in libris de Aquæductibus. Gens vero Cassia duplex videtur fuisse, patricia et plebeia; nam multi Cassii inter primos consules, et multi tribuni plebis in veterum scriptis inveniuntur. IDEM.

Tristitia et severitate] Idem pæne bis videtur dicere κατ' ἐπεξήγησιν, nam *tristis* et *severus* sæpe convertuntur, ut ostendit etiam Servius, illud Virgilii interpretatus: *Amnemque severum*. Et Donatus apud Terentium ita scribit: *Tristis ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem:* Cicero, *judex tristis et integer*. L. igitur Cassius ita tristis et severus fuit, ut, quod Val. Max. lib. III. cap. 7. scribit, olim cum prætor esset, ejus tribunal, propter nimiam severitatem, scopulus reorum diceretur. Hinc Cicero Verrina III. ita scribit: *Non quæro judices Cassianos, veterem judiciorum severitatem non requiro*. Nec ita multo ante ibidem, Patamonem judicem *Cassianum* et hominem severum εἰρωνικῶς appellat. IDEM.

Legi tabellariæ] Tabella data, inquit infra, quam legem L. Cassius, Lepido et Mancino coss. id est anno ab U. C. DCXVII. tulit. Voce Romani suffragium tulerunt usque ad annum fere DCXIV. Tunc enim Gabinia lex de suffragiis per tabellam ferendis est lata, secuta biennio post Cassia est; tertia Papiria; quarta Cælia: quæ tabellariæ sunt appellatæ: quibus latebra populo data est, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium, ut Cicero lib. III. de Leg. scribit. Sic enim quisque suam tabellam in cistam conjiciebat, ut occulte posset adversari. CORRADUS.

Duo Cæpiones] Cn. et Q. ut ipse Cicero in Orat. pro Fonteio, et Valer. Max. lib. VIII. cap. 5. vocant. Illud addit Valerius Maximus, iisdem parentibus illos natos fuisse, et per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem pervenisse. IDEM.

Cap. 26. *P. Crassum*] P. Licinium Crassum Mucianum Divitem; nam cum P. Mucii Scævolæ filius fuisset a P. Licinio Crasso adoptatus, ita de more fuit appellatus. Anno ab U. C. DCXXIII. consul fuit, quo tempore Claudius consul designatus de C. Carbonis seditione retulit, et senatus id decrevit, quod Cicero lib. III. de Leg. scribit. IDEM.

Duo C. Fannii, Caii et M. filii] Victorius, Manutius, et Corradus ediderunt, *Duo C. Fannii, Caii Marci filii*, omissa inter hæc duo Caii *Marci* particula *et*, quam admittunt Lambinus et Gruterus, et admittere, ni fallor, debuerunt, cum duo sint Caii Fannii, quorum unus orator, Caii filius, de quo nunc agitur; alter historicus Marci filius, de quo paulo post. Qui erat filius, Caii consul creatus est anno U. C. DCXXXII. cum Domitio. ANONYMUS.

Contra Gracchum] C. Gracchum. Sic enim Cicero sæpe propter excellentiam vocat, ut infra, et lib. III. de Orat. videre licet. Hic vero illum significari, res etiam ipsa docet, quod cum ipse C. Gracchus C. Fannium consulem faciendum curasset, ille tamen a patribus stetit; nam cum C. Gracchus leges quasdam promulgasset, et quotidie magna sociorum multitudo ad eum conveniret, senatus Fannio consuli persuasit, ut juberet omnes, præter Romanos, urbe exire: id quod fecit. Gracchus vero contra edictum fecit, et sociis, si manerent, opem contra consulem pollicebatur, hinc nata simultas. CORRADUS.

C. Persio] C. Persius Flaccus, ætate sua Romanorum eruditissimus, cujus censuram reformidabat Lucilius poeta, (*de Orat.* 11. 6.) quæstor fuit anno Urbis DCIX. tribunus plebis, ann. DCXIV. ac denique prætor, an. DCXX. PRUSTEUS.

C. Fannius] Marci filius, qui scripsit Annales: de quo plura Vossius, I. 7. de Historicis Latinis.

Mucius] Q. Mucius Scævola, qui

fuit alter Lælii gener, ut in Lælio scribitur, et L. Licinii Crassi oratoris socer, ut lib. I. de Orat. cognoscitur, ubi testatur ipse se Panætium audivisse, et quædam, quæ ab eo acceperat, cum Rhodum venisset, cum Apollonio contulisse. Fuit hic consul cum L. Cæcilio Metello, anno ab U. C. DCXXXVII. CORRADUS.

Quod pro se opus erat, &c.] Sic viri eruditi emendarunt, qui videbunt, an Latine dicatur, *quod opus erat pro se*. Quod si, cognoscentes id non recte dici, velint *pro se* ad verbum *dicebat* referre, ut sit *dicebat pro se*, videant, ne sit *ἀνάβασις*, ac rem aliter intelligant, atque Cicero videtur scripsisse. Nos igitur libenter ita legeremus: *quod opus erat, per se ipse dicebat:* hoc est, dicebat quod opus erat, et dicebat per se, non ut alii, quibus orationes scribebantur, ut supra de Fannio dubitavit, et infra de Cæpione confirmabit. IDEM.

De pecuniis repetundis] De quibus T. Albucius, ut opinor, a Scævola fuerat accusatus, ut Apuleius etiam in II. Apolog. videtur ostendere, quamvis ibi C. Mucius et A. Albucius legatur. Cicero, in Orat. in Pisonem, ita scribit: *Albucius, cum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est.* C. enim Julius Cæsar a Sardis rogatus eum accusavit, quamvis Cn. Pompeius Strabo, qui fuerat Albucii quæstor, accusare voluisset, ut Cicero Div. scribit. Unde nos lib. II. de Offic. ita legendum putamus: *Pro Sardis in Albucium Julius Cæsar.* Ipsi Cæsari credimus, Q. Mucium augurem subscripsisse, præsertim cum inimicitias cum T. Albucio gereret, ex quo tempore Athenis illum Scævola Græce salutavit: quam rem Lucilius complexus est carminibus, quæ lib. I. de Finib. leguntur; quo tamen loco nos illa verba sic legimus: *A Scævola est prætore salutatus Athenis Albucius*, ut prætor sit Scævola, non Albucius, qui fuit Athenis adolescens. CORRAD.

L. Cælius Antipater] De quo lib. I. de Leg. leges. In Oratore simplex et rudis appellatur, quod in proœmio belli Punici negasset se, nisi necessario, facturum, ut orationis numerum servaret. Hunc tamen Hadrianus Sallustio prætulit, quamvis apud Spartianum in Hadriani vita *Cæcilium* non *Cælium* descriptum videamus. Cœlia porro familia plebeia fuit, ut Cœlius Caldus, qui *novus homo* a Cicerone solet dici, et M. Cœlii tribunatus plebis ostendit. IDEM.

Cap. 27. *Turbulentissimum tribunatum*] In quo leges agrarias promulgavit, M. Octavio collegæ magistratum abrogavit, leges tulit, et triumviros ad dividendum agrum creavit, ac iterum tribunus plebis fieri voluit, ut Livius lib. LVIII. Plutarchus, et alii scripserunt. IDEM.

Ad quem ex invidia foederis, &c.] Hæc verba Vell. Paterc. interpretatur lib. II. cap. 2. sed et ipse Cicero Orat. pro Domo. Plura Plutarch. et alii historici scribunt. IDEM.

Alter] C. Papirius Carbo, qui cum Tib. Gracchum fuisset secutus, ut in Lælio scribitur, postea tribunus plebis fuit, Claudio et Perpenna consulibus, anno ab U. C. DCXXIV. vel anno superiore, ipso Claudio consule designato. IDEM.

Diligentia Corneliæ matris] De qua videndas Plutarchus in Gracchis. Quintilianus quoque lib. I. cap. 1. sic ait: *Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque epistolis traditus est.* Et Cicero infra: *Legimus epistolas Corneliæ matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris.* Illa autem fuit Scipionis Africani majoris filia, et Tib. Sempronio Gracho nupsit, cui duodecim filios, ut Plutarchus scripsit, genuit, quos tanti fecit, ut eorum causa Ptolemæi regis nuptias spreverit. A populo Romano non minus ob virtutem filiorum, quam ob patris memoriam colebatur. Unde statuam illi positam Plinius et Plutarchus testantur. Et sane mulier illa digna fuit immortalitate: quæ non solum

in cæteris rebus prudentissimæ feminæ officio est functa, sed casus etiam filiorum ita fortiter tulit, ut viri etiam fortissimi mirarentur. CORRADUS.

Diophanem Mitylenæum] Rhetorem tunc in Italia exulantem, ut scribit Plutarchus, qui refert item illum, et Blossium Cumanum Antipatri Tarsensis philosophi discipulum, auctores fuisse, ut Tib. Gracchus actionem illam susciperet. Quare paulo post ipsius Tib. Gracchi mortem Diophanes necatus est, et Blossius aufugit. IDEM.

Quæstiones perpetuæ] Quibus Romani perpetuo uterentur. Unde queritur Cicero in Orat. pro Milone, novam quæstionem latam fuisse, cum veteres essent quæstiones. Sic, opinor, JCti *perpetuum edictum* vocant. Videor tamen mihi audivisse, esse, qui *perpetuas quæstiones* interpretentur, in quibus patroni perpetuis orationibus uterentur. Nos, ut nunc est, librum veterem libenter sequimur, in quo scriptum est *P.* ut interpretemur *Publicæ*, quod quæstiones essent publicæ. CORRADUS. Videndus est Janus Vincentius GRAVINA, de Ortu et progressu Juris civilis, num. XXXVII.

Piso] L. Calphurnius Piso. Calphurnii, auctore Sex. Pompeio, a Calpo, Numæ regis filio, sunt oriundi. Unde dixit Horatius: *Vos o Pompilius sanguis.* Sed cum Calpurnius a Calpo deducatur, *Calpurnius*, non *Calphurnius* scribi deberet. Ita quoque scribitur apud scriptores Græcos et in veterum monumentis. Hanc gentem multi putant patriciam fuisse, sed plebeiam vel hujus Pisonis tribunatus plebis fuisse demonstrat. Nisi forte a principio patricia fuit, sed postea paulatim, ut fieri solet, defecit. Certe constat eam jacuisse, donec eam L. hic Piso primus excitavit: quare post illum multi Calpurnii Pisones celebrantur. CORRAD.

Dissuasor] Dissuasor legum, ut legis frumentariæ C. Gracchi, de qua re Tusc. III. (cap. 20.) scriptum videbis. Lege Orationem pro Fonteio. Censorium etiam Dionysius lib. II. videtur vocare, sed quicum censor fuerit, nos invenire non potuimus. CORRADUS.

Cap. 28. *D. Brutus*] D. Junius Brutus, qui cum P. Cornelio Scipione Nasica Serapione anno ab U. C. DCXVI. consul fuit. De Galleciis et Lusitanis, ut actor est Eutropius, cum magna gloria triumphavit: unde *Gallecius*, ut ait Paterculus, est appellatus, quamvis apud Strabonem lib. III. *Callaicus* legatur. Augurem fuisse e Lælio Ciceronis intelligimus, et apud Plutarchum est hujuscemodi quæstio: *Quid est, quod cum cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere, et parentare consuessent, D. Brutus, ut scribit Cicero, id Decembri faciebat?* Id Cicero lib. II. de Leg. scripsit, sed nunc ea res pæne tota desideratur, vix ut intelligi possit: nec intelligeretur omnino, nisi Accium ibi quoque nominaret. ID.

Q. Maximo] Q. Fabio Maximo Q. F. ejus, qui cum L. Æmilii Pauli filius esset, adoptatus a nescio quo Fabio, Q. Fabius Maximus Æmilianus est appellatus, et cum L. Hostilio Mancino, anno ab U. C. DCIX. consul fuit. Hic vero filius cum L. Opimio, anno ab U. C. DCXXXIII. consul fuit, et adversus Allobroges, et Bituitum regem Arvernorum feliciter pugnavit. Ex hac victoria cognomen *Allobrogico* est inditum: quod Paterculus refert. IDEM.

Scipionem] P. Cornelium Nasicam Serapionem, ejus, qui Corculum est appellatus, filium; ejus, qui sacra accepit, quique vir optimus est judicatus, nepotem. Hunc Scipionem nos arbitramur in Orat. pro Planc. his verbis significari: *Avus tuus P. Nasicæ tibi ædilicium prædicaret repulsam: quo cive ego neminem statuo in hac Rep. fortiorem.* IDEM.

Lentulus ille princeps] P. Cornelius Lentulus, de quo Valer. Max. lib. V. cap. 3. Hunc Cicero Orat. IV. in Catil. his verbis significat: *Illo tempore hujus avus Lentuli clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus. Ille grave tum vulnus accepit, ne quid*

de summa dignitate Reip. imminueretur. Hic P. Lentulus olim missus est, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, coemeret, ut in Oratione secunda contra Rullum scribitur, e qua, atque e Div. patet eum principem senatus fuisse: atque ita putant eruditi Philippica VIII. legendum esse, quamvis librarii multi *principem senatorem* descripserint. Quod tamen dici posse ostendunt frequentes illæ locutiones, *princeps locus*, *princeps civis*. Illud me magis movet, quod hic Lentulus tam sæpe *princeps senatus* a Cicerone dicitur, et in consulibus illius temporis, quantum ego legere potui, non invenitur: cum tamen is esset mos, ut qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, is princeps legeretur: et raro fiebat censor, qui consul ante non fuisset. Suspicari possumus igitur hunc consulem fuisse, sed vel ejus annum desiderari, vel eum C. Claudio, qui cum M. Perpenna consul fuit, suffectum fuisse, et ob id cognomen ejus in consulibus ad Claudium fuisse translatum: quod in aliis etiam factum animadvertimus, ut in consulibus anni ab U. C. DLXXVIII. quivis facile videre poterit. CORR.

Philus] Philus est gentis Furiæ cognomen, ut *Philo* Veturiæ. Quare qui Furium Philonem scribunt in consulibus, errant, cum Furii semper a Livio Phili vocentur; hic tamen etiam *Pilus* legitur, ut in scholiis libri IV. ad Atticum monuimus, et nunc eo magis monemus, quod in veteribus consulibus, anno ab U. C. DXXXI. sic legitur: *P. Furius Sp. F. M. N. Philus.* Hic vero consul fuit, si modo consul fuit, anno ab U. C. DCXVIII. cum Sex. Atilio Serrano. Hic est certe is, qui in libris de Rep. contra justitiam disputavit, ut in scholiis libri IV. ad Atticum retulimus. IDEM.

M. Manilius] Manilia familia, inquit Sextus Pompeius, lib. XI. progenita fuit a Manilia filia Telegoni, quam Tusculi procreavit, cum id oppidum ipse condidisset. Hic vero Manilius is est, de quo in Somnio Scipionis. Consul anno Urbis DCIV. IDEM.

Appii Claudii] Hic Appius Claudius Pulcher cum Q. Cæcilio Metello Macedonico, anno ab U. C. DCXI. consul fuit, et Salassos, gentem Alpinam, ut lib. LIII. Livius ait, domuit; qua de re etiam Paulus Orosius scribit. Hunc Plutarchus in Gracchis scribit fuisse non modo ὑπατικὸν, sed τιμητικὸν etiam, et ἀναγεγραμμένον κατ' ἀξίωμα τῆς Ῥωμαίων βουλῆς, qui Tib. Graccho Claudiam filiam ultro despondit, a quo postea triumvir ipse creatus est. IDEM.

M. Fulvius Flaccus] Qui cum M. Plautio Hypsæo, anno ab U. C. DCXXIX. consul fuit, et quod Liv. lib. LX. scripsit, primus omnium transalpinos Ligures bello domuit, missus auxilio Massiliensibus adversus Falanios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. Et de his, ut apud Plutarchum cognosces, triumphavit; unde Paterculus illum triumphalem vocat. Non verisimile videtur mihi, quod scribit Appianus, eum post consulatum tribunum plebis fieri, hoc est ab equis ad asinos, quod aiunt, transire voluisse, aut cum C. Graccho in Africam esse profectum, cum Plutarchus ostendat Romæ mansisse, et tunc ejus calumniis Drusi potentiam crevisse. Reversum certe C. Gracchum semper incitavit, donec ipse quoque cum reliquis poenas dedit. Armatus enim in Aventino, ut Paterculus ait, ad pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est. Nec ita multo post alter filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. ID.

C. Cato] C. Porcius Cato, qui, cum M. Acilio Balbo, fuit consul anno Urbis DCXL. IDEM.

P. Decius] Videtur oriundus a Deciis, qui *Mures* cognomine sunt dicti, et plebeii fuerunt, ut e lib. IX. et X. Livii cognoscitur, ubi Decios plebeios vocat, in quibus fuerunt illi, qui se pro patria devoverunt. Prætor

fuit M. Æmilio Scauro et M. Cæcilio Metello consulibus, ut Auctor libelli de Viris Illustr. in Scauro docet. ID.

M. Drusus] Marcus Livius Drusus, qui ob eximiam adversus Gracchos operam patronus senatus est dictus, ut ait in Tiberio Suetonius. Tribunus enim plebis, ut refert Plutarchus, partes senatus est secutus, et C. Graccho collegæ semper est adversatus. Prætor Urbanus hic fuit, ut auctor Rhet. ad Herenn. ostendit: et Cicero lib. VII. ad Atticum. Consul anno ab U. C. DCXLII. cum L. Pisone fuit, et adversus Scordiscos gentem a Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit, quod Livius lib. LXIII. scripsit. IDEM.

C. Drusus] C. Livius Drusus, qui cum P. Africano consul anno U. C. DCVII. fuit. IDEM.

Gentilis] Quod M. Junius Brutus ipse quoque, ut tu, sit appellatus; et ex eadem gente Junia, ex qua tu quoque, sit natus. Nos ita sentimus. Si quis tamen sententiam nostram minus probat, videat ille, quid viri eruditi hac ipsa de re scripserunt, et in primis, quid dicat Bartholomæus Riccius in libello, quem hac de re scripsit, vir, quem nos multis nominibus observamus. IDEM.

M. Pennus] M. Junius Brutus Pennus, qui tamen *Pœnus* a quibusdam scribitur; sed cum Pœnus cognomen Quintiorum fuerit, ut lib. IV. Livius ostendit, et hic *Pennus* semper scribatur, et pater hujus eodem modo in veteribus consulibus legatur, nos nihil mutandum censemus. ID.

T. Flaminino] T. Quintius Flaminius, qui cum Q. Metello consul fuit, ut dicetur infra, cap. 74. Plerique, et Corradus ipse, *Flaminium*, non *Flamininum* legunt: sed male, si Langium ac Lambinum audiamus in cap. 1. de Senectute. *Flamininus*, inquit Langius, Quintiorum cognomen est, qui patricii erant. *Flaminii* familiæ nomen, sed plebeiæ et sine cognomine. ANONYMUS.

Cap. 29. *C. Curio*] C. Scribonius Curio, quem supra in ordine M. Scauro, P. Rutilio et C. Graccho præposuerat. Hic pater fuit ejus, qui postea cum Cn. Octavio consul fuit: avus ejus, qui postea tribun. pleb. et tribunicius Remp. Cæsaris causa perturbavit: de quibus suo loco dicetur, præsertim cum pater, filius, et nepos oratores fuerint, ut auctor est Plinius lib. VII. cap. 41. Et pater hic quidem lib. II. de Orat. ab Antonio dicitur fuisse eloquentissimus illis temporibus. CORRADUS.

M. Scaurus] M. Æmilius Scaurus, qui cum M. Cæcilio Metello an. DCXXXIX. consul fuit: etsi bis consul videtur fuisse. Hujus vitam auctor libelli de Viris illustribus breviter est complexus. IDEM.

P. Rutilius] P. Rutilius Rufus, qui cum C. Manlio anno DCXLIX. consul fuit. Rutilium, inquit Sextus Pompeius, rufum significat: hinc Rutilii Rufi videntur appellati: qui plebeii fuerunt, ut ostendit vel hic P. Rutilius, quem Cicero in Orat. pro Plancio, et lib. I. de Orat. tribunum plebis fuisse demonstrat. IDEM.

C. Gracchus] C. Sempronii Gracchi vitam Plutarchus scripsit.

Versatus] Lamb. *versatus. Erat in*, &c.

Recti] Vict. Man. Grut. *tecti.*

L. Fufidius] Forte patrem illius Fufidii, equitis Romani, quem L. Piso suis debitoribus addixit, ut in Orat. in Pisonem scriptum est. Aliter *Fusidium*, ut Plinius lib. XXXIII. c. 1. vocat. CORRADUS.

Cap. 30. *Viro*] Lamb. *uno*

Sororis erat filius] Rutiliæ, de qua Seneca in Consol. ad Albinam ita scribit: *Rutilia Cottam filium secuta est in exilium, et usque eo fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati, quam desiderium; nec ante in patriam, quam cum filio rediit: eundem jam reductum, et in rep. florentem tam fortiter amisit, quam secuta est. Nec quisquam lacrimas ejus post elatum filium notavit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam.* Hanc historiam Cicero lib. XII. ad

Attic. quæsivit, et Atticus ipse dubitavit. Videtur tamen Cicero illam postea alicunde in suum librum de luctu minuendo transtulisse, unde Seneca sit mutuatus. CORRADUS.

Q. Mucius] Q. Mucius Scævola pontifex, qui Asiam sanctissime administravit, ut Valer. Max. lib. VIII. c. ult. scribit. Quanquam nos augurem potius significari credimus. Id enim verba demonstrant, quibus hic et lib. I. de Orat. testatur, Rutilium a Q. Mucio nullo apparatu defensum fuisse: quod auguri convenit, quem supra dixit in Oratorum numero non fuisse, ut hic etiam separat ab oratoribus, cum ostendit non ut oratorem dixisse: at Scævolam pontificem infra describit, et lib. I. de Orat. vocat eloquentissimum. Verisimile item est, ab eo defensum fuisse, cujus ipse quæstor fuisset. IDEM.

Quos statarios appellant] Interpretatur Turnebus lib. I. Adversariorum, cap. 10. GRUTERUS.

Cap. 31. *Quintus Ælius Tubero*] Panætii auditor, et Stoicorum doctrina morum et orationis tristitiam suscepit cum dialectica subtilitate. Avita decora, et honores, honorum ipse contemptu longe superavit. Nam paupertatem generis ab suis majoribus, fascibus et triumphis ornatam, ipse, prælata honoribus continentia, magis nobilitavit per acceptam repulsam. Epulum enim P. Africani nomine populo Rom. cum daret Fab. Maximus, ipse rogatus ut triclinium sterneret, lectulos ligneos Punicanos pellibus texit hædinis, et fictilia veterum pro argenteis vasis exposuit. Quam obsoletam jam frugalitatem populus mirari malebat, quam experiri, plusque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Pauli Tuberonis avi, ejusque avunculi Africani merita: quibus hic in comitiis prætoriis, justum suffragiorum numerum minime tulit. Doctrina juris præstitit omnibus quotquot ante se floruerant. Scripsit historias, et librum de Officio judicis ad Caium Oppium. Hunc vero consulem fuisse, a nullo veterum, præter Pomponium, accepimus. GRAVINA, *de Ortu Juris*.

Vacationem] Q. Tubero judicavit augures vacationem non habere, quo minus judiciis operam darent. Tempore certe Ciceronis non videntur habuisse: nam Cicero ipse, cum esset augur, verebatur tamen, ne sors de judicatu sua educeretur, ut lib. XII. ad Attic. videre poteris. Q. igitur Tubero contra P. Africani testimonium judicavit, augures cogi posse, ut judices fierent, et sic judiciis operam darent: quod hujus rei nullam vacationem haberent. CORRAD.

Gracche] Tiberiumne an Caium significet, vix sciri potest; nisi quis putet Tiberium significari, quod ejus mentio supra sit facta suo loco, et ea dicta, quæ fuerunt dicenda: Caius vero in suum locum dilatus. Nec ego contendam, si quis hunc dicat esse Caium, vel ob id, quod Cicero sæpe Gracchum, cum sine prænomine dicit, Caium, ut lib. III. de Orat. significet. IDEM.

Tuus autem avunculus, quemadmodum scis] M. ipse Cato, Serviliæ matris tuæ frater, ut Cicero lib. III. de Fin. et Plut. in Bruto scribunt. Dicit, *scis*, ut sororis scilicet filius, ipsius in Cypro comes, et tandem gener, ut Plutarchus ostendit. Sic lib. III. de Fin. *Erat, ut scis, in Catone inexhausta avidilas legendi*. IDEM.

Cap. 33. *C. Galba*] C. Sulpicius Galba, de quo nihil scriptum invenio, præter hoc ipsum, quod hoc loco scribit Cicero. CORRAD.

Rogationes] Uti quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent, itemque, qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent, ut scribit Sallustius. IDEM.

Cap. 34. *P. Scipio*] P. Cornelius Scipio Nasica, P. illius, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicavit, filius, ut lib. I. de Officiis dicitur: qui

cum L. Calpurnio Bestia consul fuit anno DCXLIII. IDEM.

L. Bestia] L. Calpurnius Bestia, qui consul bellum cum Jugurtha gerere jussus: pacem cum eo injussu populi et senatus fecit, ut Liv. lib. LXIV. scripsit, quod ipse quoque, ut Sallustius ostendit, pecunia fuisset a rege corruptus: qui postea, ut ex lib. II. de Orat. cognoscitur, a C. Memmio fuit accusatus. Fuit autem consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, anno ab U. C. DCXLIII. IDEM.

L. Opimium] Qui prætor et consul maximis Remp. periculis liberavit, ut in Orat. in Pisonem dicitur. Nam prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit, ut scripserunt Liv. lib. LX. et Ascon. in Orat. in Pisonem. Consul vero L. Opimius cum Q. Fabio Maximo, anno ab U. C. DCXXIII. C. Gracchum interfecit. Hic est Opimius, a quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen est: de quo Cicero infra meminit, Paterculus lib. II. Plin. lib. XIV. cap. 4. Credimus Opimiorum cognomen Pansam fuisse, quod Liv. lib. X. L. Opimium Pansam quæsturem agnoscat. IDEM.

Nerva] Credimus hunc esse C. Licinium Nervam, quem Varro lib. II. cap. 4. de Re rust. scribit in Macedonia prætorem fuisse. Nerva porro fuit cognomen Liciniorum, Cocceiorum, et Sylliorum, ductum a *nervis*, id est a robore, ut quidam scribunt. IDEM.

C. Fimbria] C. Flavius Fimbria. In consulibus enim, apud Paterculum, Frontinum, et alios ita legitur. Et Flavii quidem plebeii fuerunt, ut vel hic C. Flavius Fimbria ostendit, qui tribunatum plebis petiit, et repulsam tulit, sed postea consul, ut ait in Orat. pro Plancio, factus est, et quidem anno ab U. C. DCL. Quin Cicero in Oratione pro Cluentio C. Flavium Pusionem inter robora populi Romani tempore M. Drusi fuisse scribit. CORRAD.

Idem tolerabilis patronus, nec rudis, &c.] Assentior Pighio nostro autumanti illud *tolerabilis patronus*, introductam a margine glossulam. GRUT.

C. Sextius Calvinus] De hoc nos adhuc nihil reperire potuimus, nisi forte putet aliquis, eum esse quem Cicero lib. II. de Orat. luscum fuisse refert. CORRADUS.

M. Brutus] Quem graphice describit Cicero, lib. II. de Orat. cap. 55. PRUSTEUS.

L. Cæsulenus] Opinor *Cæsidienus* scribendum esse; nam a Cæsio Cæsidius, ut a Jusio Jusidius, et inde Cæsidienus, ut a Nasidio Nasidienus, deductum est. URSINUS. De quo dici nihil a nobis potest, qui non sane multum operæ in quærendo ponendum putavimus: quod ille indignus videatur, de quo multum laboremus. CORRADUS.

Cap. 35. *T. Albutius*] Eques Romanus, admodum levis, et morum peregrinitate odiosus, Sardiniam prætor obtinuit, anno Urbis DCXLIX. Cum sibi non exspectato senatus judicio triumphum arrogasset homo vanissimus, ejus temeritas supplicatione denegata notata est. PRUST.

Q. Catulus] Q. Lutatius Catulus, Κατλος Λουτάτιος fere semper a Plutarcho dictus: idcirco *Lutatius* Latine scribi debet, præsertim cum semper in veterum monumentis, et in libris etiam manuscriptis ita scribatur. Cum C. Mario, anno ab U. C. DCLII. consul fuit, et cum eodem Mario de Cimbris triumphavit, ut scribit Plutarchus. Postea vero in civili bello victor Marius, necessariis Q. Catuli deprecantibus, non semel respondit: *Moriatur*, ut Cicero Tuscul. V. refert. Vita igitur se ipse privavit, ut Valer. Max. lib. IX. c. 12. scribit, recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo. De hac re videndus etiam Paterculus. CORRADUS.

Sed nec mea culpa est] Sic enim corrigitur a doctis, et describitur, ut sit sententia: Illi libri mihi non sunt noti, sed nec mea culpa est; nunquam enim in manus inciderunt meas, quod illi sese ultro ad legendum offerre debuerunt: quod sine joco ita

frigide dicitur, ut ne cum jooo quidem satis probem, malimque libros veteres sequi, in quibus est scriptum: *sed hæc mea culpa est*. IDEM.

Filium cognovisti] Q. Lutatium Q. F. Catulum, qui fuit consul cum M. Æmilio Lepido, anno ab U. C. DCLXXVII. quo tempore M. Lepidus, cum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitavit, et ab ipso Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia frustra bellum molitus, periit. CORRADUS.

Q. Metellus Numidicus] Q. Cæcilius Metellus Numidicus, quem Cicero lib. I. Famil. et in Orat. pro Corn. Balbo L. filium vocat, qui consul cum M. Silano anno ab U. C. DCXLV. cum duobus prœliis Jugurtham fudisset, et universam Numidiam vastasset, triumphavit, et *Numidicus* est appellatus. Multa de eo passim Cicero, qui cum hoc uno potissimum se conferre solet, quod uterque in exilium fuerit actus, et postea in civitatem restitutus, sed ita tamen, ut rem suam præferat. Hic Metellus adolescens Athenis Carneadem jam affectum senectute multos dies audivit, ut L. Crassus ejus familiaris lib. III. de Orat. testatur. Itaque ut docto doctus Archias illi jucundus erat, ut in Orat. pro Archia scriptum videmus. Ob id hic a Cicerone et a Paterculo lib. II. inter Oratores numeratur. CORRAD.

N. Silanus] Hic est M. Junius Silanus, qui adversus Cimbros infeliciter pugnavit, ut Liv. lib. LXV. et Ascon. in Orat. pro Cornelio scribunt; quamvis Eutropius dicat Cimbros ab eo in Italia victos fuisse. Hic plures leges, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit, quod Ascon. ibid. refert. IDEM.

M. Aurelius Scaurus] Is est M. Aurelius Scaurus, quo postulante, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus e fano Dianæ servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus Romam evocatus est, quod auctor injuriæ illius fuisse argueretur; ut Verrina III. relatum est. Huic nominis deferendi in L. Flaccum poetas non est data, quod quæstor ejus fuisset. IDEM.

A. Albino] Sp. Albini, ut nos putamus, fratre; qui cum esset fratris in Africa legatus, proprætor ab eo relictus, infeliciter prœlio adversus Jugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit, ut Liv. lib. LXIV. scriptum reliquit. Ob eam causam nos credimus eum post fratris consulatum annos decem jacuisse, ac tandem cum M. Antonio consulem anno ab U. C. DCLV. factum fuisse; cujus consulatus Cicero in Orat. post reditum ad Quirit. Plin. lib. VIII. c. 7. et Gell. lib. IV. c. 7. meminerunt: nisi forte quis alium Albinum fuisse putet. IDEM.

Flamen Albinus] Quærimus historiam. IDEM.

Q. etiam Cæpio] Q. Servilius Cæpio cum C. Atilio Serrano consul anno ab U. C. DCXLVIII. fuit, et, ut scribit Cassiodor. judicia equitibus et senatoribus communicavit; quam rem Cicero de Invent. lib. I. significavit. Hic proconsul, vel, ut est apud Gellium, consul, capta urbe Gallorum, cui nomen est Tolosæ, centum M. ponderis auri, et argenti CX. M. e templo Apollinis sustulit: quod cum ad Massiliam, amicam populo Romano urbem, cum præsidiis misisset, interfectis clam (sicut quidam contestantur) quibus ea custodienda et pervehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur. Unde etiam magna quæstio post Romæ est acta, ut apud Orosium lib. V. c. 15. legimus. Vid. Gell. lib. III. c. 9. et Strabon. lib. IV. IDEM.

Cap. 86. *C. et L. Memmii*] Memmii a Mnestheo Trojano dicti, ut Poeta libro V. 127. sic ostendit: *Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi:* qui plebeii fuerunt, ut tribunatus ostendunt, et Cicero ep. 16. lib. IV. ad Atticum testatur. Mem-

mii tamen a Lucretio lib. I. *clara propago* vocatur. CORRADUS. C. Memmius Gallus, trib. pl. anno Urbis DCXLIII. Jugurtham reum pro concione fecit. *Sallustius.* L. Memmius eundem magistratum gessit quatuor post annis. PRUSTEUS.

Sp. Thorius] Tribunus plebis, anno DCXLVII. De lege Thoria, vide lib. II. de Orat. cap. 36.

M. Marcellus Æserninì pater] M. Claudius Marcellus. Fuerunt vero duæ familiæ Claudiæ: ea quæ Marcellorum appellata est, plebeia; quæ Pulchrorum, patricia, ut Asconius in Orat. pro Scauro, et Sueton. in Tiberio docent. Hic videtur esse Marcellus, de quo L. Crassus lib. I. de Orat. loquitur. Quia deditus erat eloquentiæ studiis, hic illum Cicero inter oratores ponit; quanquam dubitari potest, cum ante L. Crassum collocet. Ille enim L. Crasso multo erat junior. Quare fortasse sit ille Marcellus, qui cum L. Crasso ipse gessit inimicitias; et in quem testimonium dixit: ut Orat. pro Font. refertur. Filius ejus forte Æserninus est appellatus, quod patrem cum Æsernia captum liberarit, ut ex Liv. lib. LXXIII. conjicere licet. COR.

Ut filius ejus, P. Lentulus] Dubitari posse video, quo pacto, cum et Marcellus esset ipse, et Marcelli Æsernini pater esset, nunc etiam P. Lentulum filium habere dicatur; cum Claudia et Cornelia gentes sint diversæ. Sed hic aliqua fuerit adoptio necesse est; ut vel hic P. Lentulus, cum esset prius Claudius Marcellus, ut Claudii Marcelli filius, ab aliquo Cornelio Lentulo fuerit adoptatus, et ita P. Cornelius Lentulus appellatus: vel certe M. ipse Marcellus pater, postquam jam Marcellum Æserninum habuerat filium, in Corneliam familiam sit adscitus, et Cn. Cornelius Lentulus Clodianus sit appellatus, qui fuerit consul anno ab U. C. DCLVII. cujus postea filius hic P. Lentulus fuerit. CORRADUS.

L. Cotta] L. Aurelius Cotta, quæstor anno DCLIV. octavo post anno prætor. PRUSTEUS. Illius, ut puto, filius, qui anno DCX. fuit consul. COR.

Cap. 37. *Antonio*] M. Antonius, cum esset prætor, vel potius consul designatus, quo anno Saturninus est interfectus, extra urbem cum præsidio fuit, *Orat. pro C. Rabirio.* Anno sequenti, id est DCLV. cum A. Posthumio Albino consul fuit, *Orat. post reditum ad Quir.* Deinde proconsul in Ciliciam est profectus, *lib. I. et II. de Orat.* ubi etiam censor fuisse dicitur. Fuit etiam legatus, ut infra dicitur. Hunc Cicero lib. II. de Orat. putat nullius rei, quæ quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare ipse posset, rudem aut ignarum fuisse; sed quia nolebat ipse videri didicisse, opinio fuit, illum omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse, usque adeo, ut ne tabulas quidem conficere existimaretur, ut lib. eodem II. de Orat. scribitur: quæ fuit opinio falsa, *Verr.* I. quamvis Asconius alium Antonium significari male putet. Ipse M. Antonius lib. I. de Orat. se litteras Græcas sero ac leviter attigisse testatur. Eas vero sic attigit, ut cum lib. II. de Oratore historicos Græcos nominasset, ac scienter et proprie de unoquoque dixisset, ita Cæsar exclamarit: *Ubi sunt, qui Antonium Græce negant scire?* Jus certe civile affirmat ipse, neque se unquam didicisse, neque tamen in his causis, quas in jure posset defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Nihil se arbitrabatur ad judicia causasque amicorum, præter fidem et ingenium, afferre oportere, *Div.* et quascumque causas erat acturus, eas diligenter penitusque volebat cognoscere, id quod omnibus faciendum ipse lib. II. de Orat. præcipit. Cicero Tusc. V. scribit Cinnam jussisse caput M. Antonii præcidi, cum Plutarchus et Appianus affirment id jussu Marii factum fuisse; sed Val. Max. lib. VIII. c. 9. demonstrat utrumque verum fuisse; caput certe M. Antonii abscissum suis manibus Marius inter epulas per summam animi ac verbo-

rum insolentiam aliquamdiu tenuit, quod Valer. Max. lib. IX. c. 2. Liv. lib. LXXX. Flor. lib. III. c. 21. et Lucan. lib. II. scripserunt. Libellum unum reliquit, in quo dixit illud, quod refertur in Oratore, ac lib. I. et II. de Orat. *Disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.* COR.

Cap. 38. *L. Crassum*] De quo vide Commentarium, I. de Orat. 7. n. 7.

Cap. 39. *In M'. Curii causa*] Vide Commentarium in lib. I. de Orat. cap. 39. et infra, cap. 52.

Cap. 40. *Scævolæ nostri*] Aliter *Scævolæ*, omisso *nostri*. Hoc ait: Scævola pontifex utebatur Rutilio, propter familiaritatem, quam habebat cum altero Scævola, quicumque is fuerit, quanquam locus non caret mendi suspicione. CORRADUS.

De Ser. Sulpicio] Vide Gravinam, de Ortu Juris, num. LXV.

Nihil, aut non fere multum differunt] Nam Cicero, quod scribit ipse, suo, id est quadragesimo tertio ætatis anno consul fuit; et Ser. Sulpicius consulatum petiit, ut suo anno consul esset, id est anno, qui Ciceronis consulatum secutus est; sed repulsam tulit, ut in Orat. pro Muræna videmus. Itaque Cicero videtur anno duntaxat major fuisse, si modo Ser. Sulpicius anno suo prætor fuerat. CORRADUS.

Cap. 42. *L. Lucilio Balbo*] Credimus L. Lucilium, quem lib. III. Fam. commendat, hujus filium: Q. vero Lucilium Balbum, qui in libris de Nat. Deor. loquitur, fratrem fuisse: atque Lucilios, post Lucilium poetam, qui dicitur alumnus Auruncæ a Juvenale, Romæ esse cœpisse: quidquid alii scribant. CORRADUS.

C. Aquilio Gallo] Cum C. Aquilius Gallus fuerit Ciceronis collega in prætura, et ob id etiam Ciceronis et Sulpicii æqualis, quæri potest, an idem Sulpicii præceptor esse potuerit; an potius pater Sulpicii præceptor, et filius Ciceronis collega: quod ut simile vero videatur, nihil tamen affirmemus, præsertim cum Pomponius ostendat Sulpicium jam grandem juri operam dare cœpisse, ita ut etiam filium audire potuerit. Et filium dicimus, quoniam supra, ubi de lege Aquilia mentio facta est, ostendimus duos Aquilios fuisse, quamvis recentiores scriptores uni omnia tribuant. Aquilii porro patricii videntur fuisse, quando C. Aquilius a Livio lib. II. consul dicitur, multo ante quam plebeii consules fierent, quamvis Ulpianus lib. IX. tit. 2. Digestor. scribat, legem Aquiliam ab Aquilio trib. plebis fuisse latam. Nam si Aquilius trib. plebis fuit, certe plebeius fuit. Dicamus igitur, quod sæpe diximus, duplicem gentem fuisse, vel Ulpianum esse deceptum. IN.

Nolebat] Aliter *solebat* (sic Vict.) aliter *volebat* (ita Man. et Lamb.) sed *nolebat* rectum est. Nolebat certe Crassus de jure respondere, ne, cum in orandis causis superior esset, si de jure respondisset, aliqua in re videri posset Scævola ipso, qui disciplina juris civilis omnium esset eruditissimus, inferior. Malebat igitur Crassus in arte dicendi primus, quam in jure civili secundus esse: ut Ser. Sulpicius contra maluit in secunda primus, quam in prima secundus esse; ut supra dixit. CORRADUS.

Audivi enim nuper] Etsi videtur pæne ἀδύνατον de tempore hoc ipso divinare, nos tamen conjicimus annum fuisse, quo Cæsar consul IV. fuit, et bellum in Hispania cum Pompeii filiis gessit; quo quidem anno Tullia Ciceronis decessit, et Brutus ac Ser. Sulpicius in Asia fuerunt. Et quidem Brutus ita, ut litteras inde consolatorias ad Ciceronem scripserit; Ser. vero Sulpicius scripsit, cum ex Asia redisset, ut ex ejus litteris cognosces. Fieri igitur potuit, ut vel simul ex Asia decedentes Samum venerint, vel alter decedens, alter in Asiam proficiscens, Sami obvii sint facti, et ita sint collocuti. Sic etiam Marcellum Mitylenis Brutus vidit. COR.

Pares honorum gradus] Nam fuit uterque quæstor, ædilis, prætor, et consul. De magistratibus Ser. Sulpicii in Orat. pro Mur. et Famil. COR.

Cap. 43. *Liciniam virginem*] Ut propinquam; nam Crassus erat Licinius; certe summo loco natam, ac sanctissimo sacerdotio præditam, ut in Orat. pro Domo dicitur; de incestu vero accusatam. L. enim Vetusius eques Romanus Æmiliam virginem vestalem furtivo stupro polluit. Duas præterea virgines vestales eadem Æmilia ad participationem incesti sollicitatas contubernalibus sui corruptoris exposuit ac tradidit. Videant tamen eruditi, an is fuerit T. Betutius. Indicium per servum est factum. Historia legitur apud Paulum Orosium lib. V. c. 15. tunc igitur L. Crassus, ut hic ait Cicero, Liciniam defendit. Itaque Æmilia condemnata est, sed Licinia et Marcia sunt absolutæ, postea tamen cum pluribus aliis condemnatæ, ut refert Asconius. CORRADUS.

Colonia] Civium Romanorum, ut in Orat. pro Fontelo leges. *Decumanorum*, inquit Plinius lib. III. cap. 4. quod, ut quidam volunt, milites decimæ legionis in eam coloniam sint deducti. Alii tamen putant a Cæsare dictatore milites Martiæ legionis in eam coloniam missos, et ob id Narbonem *Martium* a scriptoribus appellari; nec vident a Cicerone *Marcium* dici in Orat. pro Fontelo, quæ dicta fuit multos annos ante quam Cæsar dictator fieret. Nec me movet, quod in Tiberio scribit Sueton. Tiberii patrem ad eam coloniam deducendam missum fuisse. Sic enim interpretor. Prius a L. Crasso deducta est colonia, et Narbo Marcius forte a Q. Marcio, qui tunc erat consul, appellata: deinde a Cæsare missis novis colonis quasi instaurata. CORRADUS.

Granium] Quo nemo fuit dicacior, ut lib. II. de Orat. describitur. Is L. Crassi et M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit impune, ut in Orat. pro Plancio scribitur; quamvis illorum esset familiaris, ut hic cognoscitur, et lib. II. de Orat. dicitur. Is est Granius, de quo multa Lucilius, ut ait infra, scripsit. ID.

Cap. 44. *Aut jam*] Quasi correctio: et hæc particula videtur ostendere, legendum esse sine interrogatione; quod affirmet, non quærat, et affirmans eum significat esse Ciceronem; ut M. Antonius lib. I. de Orat. eodem pæne modo, ita quasi divinat: *Qui eloquens dici posset, aut hic est jam Crassus; aut si quis pari fuerit ingenio, &c.* Per me tamen licet, ut quivis cum interrogatione legat, præsertim cum Cicero quasi rogatus respondeat. IDEM.

Scævolæ dicendi elegantiam] P. Scævolæ filius fuit, quod etsi difficile cognoscitur, tu tamen ita colliges: P. Licinius Crassus P. Scævolæ frater fuit. Porro Scævola pontifex hujus P. Scævolæ fratris filius fuit, ut L. Crassus lib. I. de Orat. dicit. Quare dubium non est, quin is significetur lib. III. de Officiis, illis verbis: *Q. Scævola, P. filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare, et addidit centum millia.* Hic est, quem Fimbria vulneravit, quem postea Damasippus interfecit, velut favêntem Syllæ partibus, et quidem ante simulacrum Vestæ, Carbone III. Mario filio consulibus. CORRADUS.

Cap. 45. *Domitium*] C. Domitium Ænobarbum, qui tribunus pleb. Caio Mario III. L. Aurelio Oreste consulibus legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet, quod Paterc. lib. II. refert. Pontificibus enim offensior, quod alium potius quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transtulit, ut Suet. in Nerone testatur. In consulatu vero, quem gessit cum C. Cassio Longino, anno ab U. C. DCLVIII. Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invectus est, turba militum quasi inter solennia triumphi prosequente; quod Sueton. in Nerone refert. Tanta in eo fuit gravitas, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo objectam L. Crasso in censura collegæ,

lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur, ut lib. II. de Orat. dicitur. IDEM.

C. Cœlio] C. Cœlio Caldo, qui fuit homo novus, ut leges lib. I. de Orat. et Verr. V. et apud Q. Frat. in libro de Petit. Consul. Fuit æqualis Crassi, cui maximo honori fuit illa ipsa, quamcumque assequi potuit, in dicendo mediocritas, lib. I. de Orat. Hic judex absolvit eum injuriarum, qui Lucilium poetam in scena nominatim læserat, lib. II. ad Herenn. Consulatum anno ab U. C. DCLX. cum. L. Domitio Ænobarbo gessit. CORRAD.

M. Herennius] Decursis cæterorum magistratuum gradibus, ad consulatum homo novus pervenit, anno Urbis DCLXI. PRUSTEUS.

C. Clodius] C. Clodius Ap. F. Pulcher, qui magnificentissimo ædilitate lib. II. de Offic. functus esse dicitur. Hinc Verr. IV. sic ait: *C. Clodius, cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, &c.* Prætor in Sicilia fuit, et leges Halesinis dedit, *Verr.* II. Deinde cum M. Perpenna, anno DCLII. consul fuit.

C. Titius] De quo scriptum nihil nos præterea vidimus. CORRADUS. Viro docto ac diligenti (Corrado) non venit in mentem Macrobius, Saturn. lib. II. cap. 12. MURET.

Q. Rubrius Varro] Tribunus plebis anno DCLXIII. Hostis postea a Senatu cum Mario et aliis undecim senatoribus judicatus est. PRUSTEUS.

Propinquus noster] Avus enim noster Marii Gratidii sororem in matrimonio habuit, lib. III. de Leg.

M. Gratidius] M. Marius Gratidius: cujus videtur is vel filius, vel propinquus fuisse, qui fuit Q. fratris legatus, ut epist. I. lib. 1. ad Q. fratrem, et in Orat. pro Flacco legitur: quem Cicero magni faciebat, *Famil.* VII. 1. 2. 3. 4.

M. Marii Gratidiani] Non dubito, quin hic sit ille, qui lib. I. de Orat. et lib. III. de Offic. dicitur cum Sergio Aurata de venditis ædibus litigasse, quem postea Sergius Catilina, vel ob id fortasse; quod cum suo propinquo litigasset, vel quod Marianus esset, interfecit, ut Q. frater in libello de Petit. Consul. Ascon. in Orat. contra Catilinam, et alii testantur. Nunc quærimus, qua ratione M. Marius Gratidianus dicatur; nam si natus e M. Mario Gratidio est, et a Fimbria adoptatus, C. Flavius Fimbria Gratidianus debuit appellari; sive Fimbria natus, et in Marios sive Gratidios per adoptionem translatus, Marius Gratidius Flavianus debuit vocari; nisi Cicero, ut alii, vetus nomen voluit retinere, ut in T. Pomponio Attico fecit, quamvis sciret illum Q. Cæcilium Pomponianum Atticum vocari debere. Diximus autem, videri a Fimbria adoptatum fuisse, quia in libris veteribus ita legimus: *qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani patrem.* (Atque ita Victorius et Lamb.) Verum, si *pater* legatur, ut in pluribus libris legitur, non erit dubium, quin M. Marius Gratidianus M. Gratidii, de quo loquitur Cicero, filius fuerit, a quocumque sit adoptatus. CORRADUS.

Cap. 46. *Q. Vectius Vectianus*] De quo quidem nihil nos invenimus. ID.

Q. et D. Valerii Sorani] Q. Valerium Soranum togatorum ætatis suæ litteratissimum refert apud Ciceronem L. Crassus. Fuit item, ut auctor est Plutarchus in Pompeio, philosophus insignis. De violenta ejus morte consentiunt Historici, de modo et causa dissentiunt. Illi porro Valerii Sorani dicuntur a Sora Latii urbe et colonia, quæ etiamnum vetus nomen retinet. PRUSTEUS.

C. Rusticellus, Bononiensis] *Rusticelius* corrigendum est, ex auctoritate vetustissimi numismatis ærei, quod est apud me cum inscriptione *C. Rusticelius Cordus IIvir.* URSIN.

T. Betucius Barrus] Is fortasse, quem maledicum et mordacem significat Horat. Sat. VII. et Porphyrion ejus interpres Sat. VI. scribit incestum cum Æmilia vestalia fecisse. COR.

L. Papirium Fregellanum] De quo scriptum nihil legimus. IDEM.

T. Tincam Placentinum] De quo Quintilianus, lib. I. cap. 5.

Cap. 47. *L. Philippus*] L. Marcius Philippus; qui gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima, lib. II. de Offic. Primum in consulatus petitione a M. Herennio fuit superatus; deinde tamen consul est factus cum Sexto Julio Cæsare, anno ab U. C. DCLXIII. Hujus Philippi exstat oratio apud Sallust. in qua censet, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et cæteris, quibus imperium est, urbi præsidio sint: operam dent, ne quid resp. detrimenti capiat. CORRADUS.

L. Gellius] L. Gellius Publicola, qui omnibus honoribus ad censuram usque defunctus est, ut Val. Max. lib. V. c. 9. refert. Nam prætor fuit, et ex prætura proconsul in Græciam venit, ut lib. I. de Leg. est scriptum. Consul item fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno ab U. C. DCLXXXII. et Chrysum acerrime pugnantem prælio oppressit, ut ait Oros. lib. V. c. 24. sed ipse a Spartaco victus est acie, ut Liv. lib. XCVI. scripsit. Nos igitur credimus Verr. II. sic legi oportere: *Cn. Lentulus et L. Gellius consules*, non autem *Cn. Lentulus et Lucullus*, at nunc legitur. Bello Piratico Gellius idem Pompeii fuit legatus, ut Florus lib. III. c. 6. et Appianus in Mithridatico scribunt. CORRAD.

D. Brutus] Qui Julianus in consulibus appellatur. Fuit consul anno DCLXXVIII. IDEM.

L. Scipio] L. Cornelius Scipio Asiaticus, ut in consulibus legitur, quem tamen alii Nasicam vocant, quod in Dione Græco lib. XL. Scipionem Pompeii socerum Nasicæ filium dici videant, quem hunc esse arbitrantur. IDEM.

Cnæus Pompeius] Cn. Pompeius Strabo, qui prætor a Picentibus victus, non ita multo post eosdem fudit, Liv. auctor lib. LXXIV. et Orosius lib. V. cap. 18. Consul cum L. Porcio Catone, anno ab U. C. DCLXV. Marsos acie vicit, quo tempore Cicero in exercitu fuit, *Philippica* XII. et multi nobiles legati, in *Orat. pro Fonteio:* et Vestinos in deditionem accepit, ut Liv. lib. LXXIV. et sequenti retulit. Tunc, ut opinor, etiam transpadanas colonias deduxit, ut Asconius est testis. Cum bellum, quod Cinna et Marius inferebant urbi, opprimi inter initia potuisset, ejusdem fraude confirmatum est, qui utramque partem fovendo Cinnæ vires dedit, nec, nisi profligatis optimatium rebus, auxilium tulit, ut ait Liv. lib. LXXIX. Hic tandem fulgure, ut scribit Appianus, est extinctus; cujus cadaver e lecto detraxit, et projecit populus, qui illum oderat tantum, quantum postea filium dilexit. *Plutarch.* in Pompeio. IDEM.

M. Brutus] Credimus hunc esse patrem Bruti Accusatoris, de quo supra. IDEM.

Cn. Octavii] Hunc nos putamus filium fuisse illius Cn. Octavii, qui lib. I. de Orat. consularis appellatur. Consul armis ex urbe collegam suum L. Cinnam expulit, in *Orat.* III. *in Catilin.* qui quidem Cinna non ita multo post reversus, illi præcidi caput jussit, *Tusc.* V. et exponi pro rostris, ut Flor. lib. III. cap. 21 scribit. IDEM.

Cap. 48. *C. Julius*] C. Julius Cæsar Strabo, ut Paterculo et Suetonio vocatur; qui rogatus a Sardis T. Albutium accusavit, Div. et lib. II. de Offic. et orationem pro Sardis, ut ait Sueton. in Cæsare, reliquit. Ædilis curulis, L. Cæsare, P. Rutilio consulibus, fuit, et ædilicius quidem occisus est: sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno pleb. fuerit. Nam sperabat, et id agebat hic Cæsar, ut omissa prætura consul fieret; cui cum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et arma processit, ut ait Asconius: eam petitionem extraordinariam infra Cicero vocat. Ob hæc illi postea Cinna præcidi caput jussit, *Tusc.* V. IDEM.

P. Cethegus] P. Cornelius Cethe-

gus, prætor an. U. C. DCLXXXI. PRUSTEUS.

Q. Lucretius Vespillo] Quis hic fuerit, ignoramus: illud scire videmur, Lucretios patricios fuisse, cum tot Lucretii consules legantur ante, quam plebeii crearentur. CORR.

Aphilia] Legunt alii *Afella* Lucretio, de quo epitome Livii lib. LXXXVIII. Alii *Ofella* Lucretio, cujus meminit Paterculus. Divinant alii *Ofilius*, quem inter jurisconsultos recenset Pomponius. PRUST.

T. Annius Velina] Ex tribu Velina. Velia Romæ collis editior. ID.

T. Juventius] Invenire adhuc historiam non potuimus: illud in Orat. pro Plancio invenimus, Juventiam gentem ex municipio Tusculano oriundam consularem fuisse, sed tamen plebeiam, quando Juventius Laterensis ibi dicitur petere tribunatum plebis coepisse. CORRADUS.

P. Orbius] Proconsul Asiam sortitus obtinuit anno Urbis DCXCI. PRUS.

T. Aufidius] Frater M. Virgilii, sed tantum ex eadem matre, quæ, ut censet Pighius, Aufidium et Virgilium maritos habuerat, et ex utrisque filios. Quæstor fuit anno DCLXX, ac septimo post anno ædilis plebis. ID.

P. Magius] P. Magius Chilo in tribunatu Virgilii collega anno DCLXVII. IDEM.

Q. Sertorium] Cujus vitam scripsit Plutarchus.

C. Gorgonium] Hominem nobis prorsus ignotum. CORRADUS.

T. Junius] Tribunus plebis anno Urbis DCLII.

P. Sextius] Existimabamus olim hunc esse P. Sestium, pro quo Ciceronis exstat oratio: nunc vero aliter sentimus, et P. Sestium, quem Cicero defendit, non posse significari, e temporum ratione colliges. Possit igitur hic videri vel pater P. Sestii, præsertim cum P. dicatur, ut filius patris prænomen, quasi de more, referat: nisi Cicero P. Sestium L. filium vocet, ep. 6. lib. V. famil. quæ res facit, ut ego nunc demum putem hunc, de quo nunc loquitur, vel illum esse, vel potius patrem illius P. Sestii esse, ad quem ep. 17. lib. V. Familiar. scribit. CORRADUS.

Cap. 49. *C. Cotta, P. Sulpicius*] Quos in libris de Oratore loquentes inducit: ubi de illis dictum est.

Q. Varius, &c.] De singulis inferius, ubi seorsum appellabuntur.

Cap. 51. *Aut si auditor omnino tanquam equus non facit*] Id sine omni gratia leporeque dictum videtur: sed et varie explicatur. Ego ne quem reprehendam, qui satis ipse peccet, ut censores potius fatigare debeam, quam in aliis censendis me occupare: puto *facere* verbum esse circense: quod ex eo apparet, quia *factiones*, quæ a *faciendo* nomen adeptæ sunt, in circo quatuor erant: et in lusu pilæ *factores* etiam Plautus dicit. Equum igitur puto non *facere*, qui aurigæ non paret: nec curriculo corripit spatium, nec adjuvat in partem ad victoriam: sed segnis et ignavus est, nec sentit stimulos, nec aurigam audit. TURNEB. Advers. XIV. 22.

Cap. 56. *Et uterque*] Lamb. *et uterque*

Pro se lege] Lamb. delet *se*.

Q. Metello] Vix sciri posse certo credimus, quis hic Q. Metellus fuerit, cum tot eo tempore fuerint Metelli: quia tamen cum duobus consularibus numeratur, et videtur accusatus fuisse, sic ut L. Ælii oratione usus ad se defendendum dicatur, putamus hunc esse Q. Cæcilium Metellum Nepotem, Balearici filium, qui consul cum T. Didio, anno ab U. C. DCLVI. fuit, et a C. Curione patre fuit accusatus, ut Asconius scribit. CORRADUS.

Q. Pompeio Rufo] Qui prætor urbanus paucis diebus antequam L. Crassus de Oratore loqueretur, lib. I. de Orat. et postea consul cum L. Cornelio Sylla, anno ab U. C. DLXVI. fuit, ut Cicero Orat. I. et II. contra Rullum meminit: cujus etiam consulis filium, eundemque Syllæ genorum P. Sulpicius per emissarios factionis suæ interfecit, ut Liv. lib. LXXVII. et Paterc. lib. II. scribunt.

Nec ita multo post Q. ipse Pompeius adhuc consul ab exercitu Cn. Pompeii, Strabonis proconsulis seditione, sed quam dux excitaverat, interfectus est. IDEM.

Scriptis] Lamb. *scribendis*.

Cap. 57. *Cæsarem*] Lamb. *Cæsarem: secundum Philippum, et Cæsarem, Cotta et*

Cap. 58. *Curio*] C. Scribonius Curio, Curionis oratoris filius. Tribunus pleb. fuit, L. Cæsare, P. Rutilio coss. Videtur prætor in Asia fuisse: certe ibi cum esset, illi Sylla imperavit, ut Nicomedem et Ariobarzanem in Cappadociam deduceret, ut Appianus in Mithridatico refert. Ejus etiam opera in capiendis Athenis usum Syllam fuisse testis est Plutarchus. Deinde cum Cn. Octavio, anno ab U. C. DCLXXVIII. consul fuit, ut Plinius ostendit lib. II. c. 35. Proconsul postea Dardanos in Thracia domuit, ut Frontinus lib. IV. c. 5. refert, ubi tamen *M. Curio*, pro *C. Curione* male legitur. Videndus etiam Marcellin. lib. XXIX. ex quo cognoscimus in eo fuisse prudentiam, quam Cicero in Orat. pro Leg. Manil. commendat. Fuit etiam pontifex ut in Orat. de Responsis apparet: cujus locum tum filius videtur petiisse, cum Cicero lib. II. Fam. scripserit ad eum, se de sacerdotio laborasse; etsi scio auguratum posse significari. Hic Ciceronis amicissimus fuit, ita ut ejus consulatum ἀπεθέωσιν, ut lib. I. ad Attic. leges, appellaret. Cicero tamen illum sæpe mordebat. Decessit non ita multo ante quam Cicero in Ciliciam proficisceretur, ut ex lib. II. Famil. cognoscimus: cum vir optimus fuisset, ut Val. Max. lib. IX. c. 1. ostendit. CORR.

Mucias ambas] M. Mucii Scævolæ auguris et Læliæ filias, et *Mucias* a patre de more nominatas, quarum altera L. Crasso nupsit, lib. I. de Orat. altera C. Mario, ut nos putamus. Certe Plutarchus Mucium Marii πενθερὸν vocat. Ob id fortasse Marius L. Crassi affinis a Cic. lib. I. de Orat. et in Orat, pro Corn. Balbo vocatur. Scimus quidem quod idem Plutarch. in Cæsare scribit, Marium Juliam uxorem habuisse, sed duas habere potuit. Videtur etiam Marius filius L. Crassi filiam uxorem duxisse, unde Marius quidam, qui se M. filium esse dicebat, L. Crassum avum suum vocabat, ut ep. 41. lib. XII. ad Attic. leges. CORRADUS.

Licinias] L. Licinii Crassi et Muciæ filias. IDEM.

Scipio] Publius, ut putamus, vel Lucius, ut est apud Appianum lib. II. Scipio, L. Scipionis et Liciniæ alter filius, qui et ipse adoptatus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio fuit appellatus: ut ep. 8. lib. VIII. Famil. legitur: qui cum fuisset consul cum Pompeio genero, et bellum cum Cæsare in Africa gessisset, se ipse tandem interfecit: quod etsi factum est antequam Dialogus hic fieret, Brutus tamen de illo tanquam vivo loquitur; nisi forte prius hic Dialogus fuerit coeptus, et postea absolutus; vel hic alius sit Scipio, cujus historiam nos invenire non potuerimus. Brutus autem illum vocat collegam suum, nam Brutus pontifex fuit. IDEM.

Percomis] Man, *idemque patronus est*

C. Lælii] De quo jam supra. Is pater fuit Læliæ, quæ nupsit Q. Scævolæ auguri: unde nata est Mucia L. Crassi uxor, et mater Liciniæ, ex qua natus est hic Scipio, cujus ipse Lælius ob id avus fuit. CORR.

Illuminatam] *Illimitatam*.

Cap. 60. *Loqueretur e lintre*] Nam qui vacillant in utramque partem loquentes, e lintre loqui videntur: quod linter, cum sit navicula, facile in utramque partem vacillat, si quis modo velit in eo stare et loqui. CORR.

Cn. Sicinius] Illum esse credimus, de quo Plutarchus in Crasso. Sicinii vero plebeii fuerunt. Nam Sicinius primus tribunus plebis fuit, ut Liv. lib. II. scribit: et hic Sicinius tribunus plebis hoc loco dicitur. IDEM.

Cap. 62. *C. Carbo*] Hunc inserit hoc loco, cum supra de illo cum aliis non proposuerit: sed facit, ut opinor, ne meditatus in dialogo dicere videa-

tur. Hic tribunus pleb. fuit, ut est in Oratore; de quo etiam Val. Max. lib. III. cap. 7. Haud equidem certo scio, an ille sit, quem Damasippus interfecit, ut legimus apud Ciceronem ep. 21. lib. IX. Famil. CORR.

Q. Varius] Q. Varius *Sucronensis* a Quintiliano lib. V. cap. 12. et ab auctore libelli de Viris Illustribus appellatus, ab oppido Hispaniæ. De Vario Crassus libro I. de Oratore ita loquitur: *Quis vestrûm æqualem meum Q. Varium, &c.* Nec me movet, quod Crassus suum vocet æqualem, et hic Cicero Cottæ et Sulpicio faciat æqualem; quoniam potuit aliquanto minor natu Crasso, et aliquanto major Cotta et Sulpicio ita esse, ut et Crasso et his duobus æqualis appellari posset: nisi, quod ego minus probo, credat aliquis alterum fuisse. Hic *summo cruciatu supplicioque periit*, ut legimus lib. III. de Nat. Deorum, cap. 33. Val. Max. quoque lib. IX. c. 2. hominem seditiosissimum et abjectissimum vocat, qui etiam videndus est lib. VIII. cap. 6. IDEM.

Cn. Pomponius] Quæstor, tribunus plebis ac denique prætor an. DCLVII. PRUST.

L. Fusius] Quem furere dicit Antonius, lib. II. de Orat. cap. 22. ad nomen ejus respiciens. *Furius* enim et *Fusius*, quemadmodum *Valerius* et *Valesius* commutantur, ut observat Quintilianus lib. I. cap. 4. IDEM.

Ex accusatione M'. Aquilii diligentiæ fructum ceperat] Fuit M'. Aquilius consul cum C. Mario, anno ab U. C. DLIII. unde Marii collegam lib. II. de Orat. vocat. Illum Romani multis avaritiæ criminibus, testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, liberaverunt, ut ait in Orat. pro Flacco. CORR.

M. Drusum] M. Livium Drusum, M. Drusi et Corneliæ, ut in Consol. ad Marciam Seneca refert, filium; qui pupillus adhuc cum esset et prætextatus, judicibus reos commendabat, et se sic interponebat, ut quædam judicia ab illo rapta constet. Unde solebat dicere, sibi uni, nec puero quidem, unquam ferias contigisse: quod Seneca in lib. de Brev. Vitæ scribit. Ob id Cicero lib. I. de Offic. dixit, in eo adolescente gravitatem singularem fuisse. Hic quæstor in Asia nullis insignibus uti voluit, ne quid ipso esset insignius. Morbo comitiali elleboro in Anticyra insula constat esse liberatum, ut Plinius lib. XXV. c. 5. et Gellius lib. XVII. c. 15. retulerunt. Inter hunc et Cæpionem ex annulo in auctione venali inimicitiæ cœperunt; unde origo socialis belli et exitia rerum, ut ait Plin. lib. XXV. cap. 5. et Gell. lib. XVII. cap. 15. In atrio domus suæ cultello est percussus, quod scribunt Paterculus lib. II. Liv. lib. LXX. Appianus lib. 1. Oros. lib. V. c. 18. et Cicero ipse Orat. pro Milone. IDEM.

Magnum avunculum] Maternæ aviæ fratrem, ut Grammatici docent, et tu ita colliges: M. Livius Drusus, qui senatus est patronus appellatus, habuit filios M. Livium Drusum, de quo loquimur, et Liviam, quæ mater fuit Catonis. Ita Drusus pater, Catonis fuit avus maternus: lib. IV. *de Fin.* Drusus vero filius, ejusdem Catonis avunculus fuit, ut Liviæ matris frater, ut a Cicerone in Orat. pro Milone, a Valer. Max. lib. III. c. 1. et a Plutarcho vocatur. Eadem porro Livia, mortuo priore marito, nupsit Q. Servilio Cæpioni, unde nata est Servilia mater Bruti, quæ ex matre soror fuit Catonis. Et sic Cato, ut Serviliæ frater, Bruti fuit avunculus: Livia fuit avia materna, et M. Drusus, ejus frater, magnus avunculus. IDEM.

M. Lucullum] L. Luculli fratrem ut Plutarch. in Lucullo docet, quamvis Eutropius consobrinum vocet. In lapidibus certe Romanis L. Lucullus, L. F. et hic M. F. dicitur, qui L. Syllæ imperatoris quæstor fuit, et postea, ut unus e Syllanis ducibus ad Fidentiam feliciter pugnavit. Cum fratre fuit ædilis; apud Plinium, VIII. 7. Hic prætor inter peregrinos jus dixit, et contra C. Antonium, quod Græci

postulabant, decrevit, ut Asconius ostendit. Consul cum C. Cassio fuit, ut in Orat. pro Cluent. legimus; unde Verrina I. sic esse legendum cognoscimus: *Nobis respondit, cum ab eo tabulas postularemus, usque ad M. Licinium et C. Cassium coss. confecisse, postea destitisse.* Proconsul hic in Macedonia Curioni successit, et totam Bessorum gentem, bello appetitam, in deditionem accepit, ut auctor est Orosius lib. VI. c. 3. et ad terminum gentium Tanaim lacumque Mæotin pervenit, ut Flor. lib. III. cap. 4. refert. Huic postea L. Luculli fratris tutela permissa est, cum ille alienata mente desipere cœpisset. Ante Cicêronis exilium videtur L. Lucullus vel decessisse vel secessisse, vel certe nihil curasse, quando nusquam dicitur Ciceronem adjuvisse, ut si vixisset vel valuisset, prorsus adjuvisset, ab eo in triumpho adjutus, lib. II. Acad. Quæst. ut M. ipse Lucullus adjuvit, ut testatur in Orat. in Pisonem, et de Resp. ubi pontifex etiam vocatur, ut ep. 2. lib IV. ad Attic. significatur, Hic M. Lucullus ante bellum civile decessit, cui vel ob id Paterculus gratulatur. IDEM.

M. Octavium] Illum fortasse, quem Verrina I. Ligurem vocat, et laudat: vel illum, quem cum C. Cotta consulem anno DCLXXIX. esse, et Lucium vocari videmus. Ille certe Cn. F. in lapidibus Romanis appellatur. CORRADUS.

M. Catonem] M. Porcium Catonem, qui tribunus plebis fuit, et præturam petens, mortem obiit, ut Gellius lib. XIII. cap. 19. scribit. CORR.

Q. Catulum] Viri consularis et triumphalis filium. Quæstor fuit, tribunus plebis, ædilis, et prætor. PRUST.

Cn. Carbonem] Cn. Papirium Carbonem, qui Marianus fuit, etiam ante, quam consul fieret, ut Liv. lib. LXXIX. et seq. scripsit: deinde cum L. Cinna et ipse Carbo a se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam parassent, ac tandem Cinna ab exercitu suo interemptus esset, consulatum Carbo solus gessit, ut Liv. lib. LXXXIII. et Patere. lib. II. præter alios ostendunt. Tandem illum consulem III. cum C. Mario C. F. Sylla, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque cæso, Italia expulit, ut ait Liv. lib. LXXXVIII. quem Pompeius in Sicilia captum occidit. Auctores laudo Livium, Valer. Max., Paterculum, Plutarchum, et Appianum, qui res istas pluribus explicavit. CORRADUS.

M. Marium] M. Marium Gratidianum, M. Marii Gratidiani filium, cujus caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulit, et alia fecit, quæ scribunt Q. Cicero de Petit. Consul. et alii. Hunc bis prætorem fuisse scribit Asconius. Cum vero prætor esset, collegas, tribunosque plebis eo modo decepit, quem Cicero, qui fuit affinis lib. III. de Offic. non probavit. Lis ei cum Sergio Aurata fuit ea, quam Cicero lib. I. de Orat. et lib. III. de Offic. ponit. IDEM.

Quintius] Tribunus plebis, anno DCLXXX.

Palicanus] M. Lollius Palicanus, qui et ipse tribunus pleb. fuit, annis duobus post L. Quintium, L. Gellio et Cn. Lentulo consulibus. Val. Max. lib. III. cap. 8. testatur ita seditiosum fuisse, ut C. Piso consul illum suffragiis populi consulem creatum renunciare noluerit, quod diceret non existimare se, tantis tenebris offusam esse Remp. ut huc indignitatis veniretur. Hinc Cicero ep. I. lib. I. ad Attic. scripsit: *De Palicano non puto te expectare, dum scribam:* quod verisimile non esset illum, qui tam turpiter repulsus fuisset, iterum consulatum petiturum. Lollius ab Asconio dicitur, et ita gens Lollia plebeia cognoscitur. CORRADUS.

L. Apuleius Saturninus] Tribunus pleb. per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. Gracchanas enim leges asserere non destitit, ut ait Flor. lib. III. cap. 16. Nam legem agrariam tulit, ut Liv. lib. LXIX. scripsit, quam Plutarchus in Mario τὸν περὶ τῆς χώρας νόμον

appellare videtur. Turbulentissimi hujus hominis res narrantur a Livio, Paterculo, Appiano, Floro, Orosio, et aliis. IDEM.

C. Servilius Glaucia] De quo loquuntur omnes historici, qui de L. Apuleio Saturnino scribunt. Is populum solebat monere, ut, cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet: si esset dictator, consul, prætor, magister equitum, ne laboraret: sciret nihil ad se pertinere: sin autem, *Quicumque post hanc legem;* videret ne qua nova quæstione alligaretur. Hoc Cicero in Orat. pro Rabirio Posthumo scribit. IDEM.

Legis] Quam primus ipse Glaucia tulit, ut comperendinaretur reus, Verrina I. quam legem *Glauciam* vocat. Asconius, ob id fortasse, ne, si lex *Servilia*, ut debuit, diceretur, cum legibus aliis Serviliis confunderetur. Tulit certe legem ad judicia pertinentem, quæ tunc equites exercebant. Hinc Asconius ita scribit: *Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam, et adversus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glaucia.* In quibus quidem verbis Asconii, *legationis Africæ*, de qua scribit Sallustius, videtur legendum. IDEM.

Hyperboli] Lucernarum faber improbus: quippe qui faciendis lucernis non ære solum, sed plumbo etiam uteretur, quo pluris eas, ut graviores, venderet, et sic emptores decipiebat: qui tamen μετὰ τὴν τοῦ Κλέωνος δυναστείαν διδίξατο τὴν δημαγωγίαν, ut Aristophanis interpres in Nubib. et in Pace scribit. Fuit etiam στρατηγὸς Ἀθηναίων, ut idem interpres ait in Acharn. Ἀπώλετο δὲ περὶ τὴν Σάμον, πολεμούντων αὐτῷ τῶν Σάμιων, ut interpres idem in Ranis refert. IDEM.

Sex. Titius] Tribunus plebis anno DCLV.

Cap. 63. *P. Antistius*] P. Antistius Labeo tribunus plebis cum collega P. Sulpicio Rufo acriter restitit C. Cæsari Straboni consulatum contra leges petenti. Triennio post prætor Pompeio cum filiam collocasset, quasi Syllæ partibus addictus, a Damasippo in senatu interfectus est. *Plut. in Pompeio.* PRUSTEUS.

Cap. 64. *L. Sisenna*] Sisennam cognomen in Gabiniis apud Valer. Max. lib. VIII. cap. 1. et Dion. lib. XXXIX. et in Statiliis apud Paterculum lib. II. invenio, neque tamen scire certo possum, ex qua gente L. hic Sisenna fuerit, de quo Paterculus ita scribit; *Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis, sed opus belli civilis Syllani post aliquot annos ab eo seniore editum est.* Videtur Latine Sisenna id bellum scripsisse, ut patet ex lib. I. et II. de Divin. Ovid. lib. II. de Trist. hoc addit:

Vertit Aristidem Sisenna, nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse jocos. CORN.

In studio] Lamb. *in studio.*

Cap. 65.] *Idipsum*] Vict. *malle ipsum.*

Discendi] Vict. Man. Grut. *dicendi.*

M. Crasso] M. Licinius Crassus, Romanorum ditissimus, amplissimis magistratibus ipsoque consulatu iterum perfunctus, Syriam proconsul obtinuit anno DCCI. belloque adversus Parthos infeliciter gesto, amissa maxima exercitus parte, occisus est. Aurum liquidum in os cadaveris infuderunt barbari, *ut cujus animus*, inquit Florus, *arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum et exangue corpus exureretur.* PRUSTEUS.

Cap. 66. *C. Fimbria*] C. Flavius Fimbria, qui L. Valerii Flacci consulis legatus fuit, ut Liv. lib. LXXXII. scripsit. Cum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Nicomediam interfecisset, et imperium ad se transtulisset. Ilium, quod sibi portas clausisset, undecimo die cepit, et evertit: et cum ob id gloriaretur, quod quam urbem Agamemnon decimo anno vix cepit, cum mille navium classem et universam Græciam secum haberet, eam ipse undecimo die cepisset, respondit quidam ex Iliensibus: *Non enim Hector aderat, qui pro civitate pugnaret.* Sed ille paulo post apud Thyatiram,

cum ab exercitu Syllæ obsideretur, in templo Æsculapii sua et servi manu interfectus est, ut videbis apud Liv. lib. LXXIII. Strabonem lib. XIII. Plutarchum in Sylla, Appian. in Bell. Mithrid. Orosium lib. VI. cap. 2. et Patere. lib. II. Addit autem Cicero: *Non ita diu jactare se potuit*, quod scilicet *se interemit, adolescens, quæ ausus erat, fortiter exsecutus*, ut ait Patere. loco citato, et recte *ausus erat*, quoniam fuit *homo longe audacissimus*, ut ait Cicero in Orat. pro Roscio Amerino. Vide Val. Max. IX. II. CORRADUS.

Admirando] Lamb. *admirando, irridendo, latebat in agendo.*

Cn. Lentulus] Multa huic cum L. Gellio, de quo supra, sunt communia, cum et in censura, et in consulatu collegæ fuerint; illud est hujus proprium, quod male adversus Spartacum pugnavit, ut Liv. lib. XCVI. et Orosius lib. V. cap. 24. scripserunt. Censor dicitur Verrina V. in Orat. pro Flacco, et in Orat. pro Domo. In eo vero summum consilium, et summam gravitatem fuisse, testatur in Orat. pro lege Manil. Is videtur esse, qui Philippo et Marcellino cons. decessit, ep. 6. lib. IV. ad Attic. quamvis aliter olim scripserimus. Temporibus Marianis abfuit. CORR.

P. Lentulus] P. Cornelius Lentulus Sura, is qui cum L. Sergio Catilina conjuravit; quem putat Asconius P. Lentuli illius, quem Cicero Div. principem senatus appellat, filium fuisse: quod tempora non pati videntur, ut hic Sura filius fuerit illius, quem Cicero loco citato, et lib. I. de Oratore, P. Africano vel majorem natu vel æqualem fuisse ostendit. M. Antonius certe lib. I. de Orat. de illo sic loquitur, ut de homine, qui tot annis ante obiisset, ut hujus Lentuli pater vix esse potuerit. Quin si vir tantus hujus P. Lentuli pater fuisset, Cicero ei aliquando objecisset, ut fecum in Orat. III. in Catilinam; cujus imaginem Sura non potius quam patris in annulo gestasset, si talem patrem habuisset. Videri potest igitur M. Marcelli filius. Quæstor Syllæ fuit, postea prætor, ac deinde consul cum Cn. Aufidio Oreste, anno ab U. C. DCLXXXII. Sed cum vita ejus semper, ut ait Porcius Latro, in obeundis libidinibus versaretur, ac societate turpissimorum hominum nobilitaretur, bis accusatus, et, ut lib. I. ad Attic. Cicero scribit, absolutus est; quod judices, ut auctor est Plutarchus in Cicerone, corrupisset. Non ita multo post tamen senatu motus est, et ut amissam dignitatem recuperaret, prætor iterum factus fuerat, quando cum L. Catilina conjuravit. CORRAD.

Cap. 67. *M. Piso*] M. Pupius Piso Calpurnianus, sic appellatus a quibusdam, quod eum M. Pupius in Orat. pro Domo dicatur adoptasse. Hic quæstor cum L. Pisoni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est, *Verr.* I. Hic idem in ædilitate offensiuncula (nam populus illi M. Seium prætulit) accepta, summos a populo honores, ut in Orat. pro Plancio legimus, est adeptus. Nam proconsul in Hispania fuit, unde triumphavit, ut Cic. in Orat. pro Flacco, et in Pison. significat. Illum, lib. I. ad Att. hominem perversum, vitiosum, inertem, somni plenum, imperitum appellat: quod forte facit iratus: alibi certe fere semper illum laudat. CORRADUS.

Ex virginum judicio] Post quarum absolutionem decimus annus fuit in Ciceronis consulatu, ut ait in Orat. III. in Catilin. Accusatus enim fuit Catilina incesti; quod cum Fabia virgine vestali commisisse arguebatur: sed Catuli gratia fultus evasit, ut Orosius lib. VI. cap. 3. scribit. Sed et Fabia ipsa causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur, eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis, ut ait Asconius. Virgines vero ipsas P. Clodius accusavit, et M. Cato defendit, ut Plutarchus in Catone scribit. In eo judicio M. hic Piso magnam laudem est adeptus, ut hic ait. IDEM.

P. Muræna] P. Licinius Muræna,

qui sublatus infra fuisse dicitur: cujus historiam quærent alii. Nos apud Macrob. lib. III. Saturn. invenimus, Varronem asseruisse, eodem modo Licinios appellatos Murænas, quo Sergius *Aurata* cognominatus; quod ei pisces, qui auratæ vocantur, carissimi fuerint. Hanc gentem plebeiam fuisse Cicero in Orat. pro Muræna testatur. IDEM.

C. Censorinus] Quæstor an. DCCXIV. Marianæ factioni addictus, Cn. Octavium consulem occidit, et ipse vicissim occisus est reverso Sylla, anno DCLXXII. PRUSTEUS.

L. Turius] De quo nihil, quod sciam, exstat. CORRADUS.

C. Macer] C. Licinius Macer, de quo Cicero prætor incredibili ac singulari populi voluntate transegit. Damnatus est autem, ut κρινόμενος κλοπῆς, ut ait Plut. in Cicerone, id est *repetundarum*, ut scribit Valer. Max. lib. IX. cap. 12. IDEM.

Cap. 68. *C. Piso*] C. Calpurnius Piso, quo prætore Cicero Q. Roscii comœdi causam defendit, quemque in causa Cæcinæ adversarium habuit. Is cum M'. Glabrione consul fuit, anno ab U. C. DCLXXXVII. et tum Pompeium voluit impedire, ne adversus piratas proficisceretur. Tunc etiam legem Calpurniam de ambitu tulit, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque est adjecta, ut scribit Asconius, et Cicero meminit in Orat. pro Muræna. Postea proconsul in Galliam profectus est, sed domum cum rediisset, repetundarum postulatus est, et a C. Julio Cæsare oppugnatus propter cujusdam Transpadani injustum supplicium; quare postea cum illo graves exercuit inimicitias, ita ut impellere Ciceronem tentarit, ut Cæsar inter conjuratos nominaretur, ut ait Sallustius. Piso, Cicerone consule defendente, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est Reip. conservatus, ut leges in Orat. pro Flacco. Nondum mihi satis constat, an is ille sit, quem Plutarchus ἄνδρα ἰστορικὸν vocat, cum Cicero nihil hac de re dicat: quod mirum sit, cum Plutarchus testetur illum de Mario scripsisse, ne quis forte putet illum esse, quem supra diximus L. Pisonem vocatum fuisse, et multo ante vixisse. IDEM.

M'. Glabrionem] M'. Acilium Glabrionem: et Acilium, non Attilium, ut in libris sæpe leges, scribere debemus, quoniam gens hujus Glabrionis Acilia fuit, et pater ab Asconio M'. Acilius appellatur, qui legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne comperendinari quidem licebat reum, ut legitur Act. I. Ver. Hujus gens plebeia fuit, ut ostendit Livius, qui lib. XXXV. scribit, P. Scipioni de plebe M'. Acilium Glabrionem collegam additum fuisse. Hoc vero M'. Glabrione prætore Cicero Verrem accusavit, ut Asconius scribit, et in ipsis Verrinis apparet. Hic et cum C. Pisone consul fuit, et, ut Plutarchus scribit, in Bithyniam profectus est. CORRADUS.

L. Torquatus] L. Manlius Torquatus, et quidem patricius, ut in Orat. pro P. Sylla cognosces, cum Manliorum familia duplex esset, ut supra diximus. Hic Ciceronis et Attici condiscipulus, ut Nepos ait in Attico, fuit. Cum L. Aurelio Cotta consul est facto anno ab U. C. DCLXXXIX. quos Antronius, Catilina, et alii in Capitolio Cal. Jan. ut scribit Sallustius, interficere pararunt. Post consulatum videtur in Macedonia res ita magnas gessisse, ut Cicerone, jam tum Consule, referente, absens imperator sit appellatus, ut in Orat. in Pisonem dicitur. IDEM.

D. Silanus, vitricus tuus] Bruti mater Servilia, cum esset vidua, ipsi Silano nupsit. Silanus autem consul designatus censuit eos, qui Remp. delere conati fuerant, morte esse multandos. Lege Orat. IV. in Catilin. Fuit vero consul cum L. Muræna, anno ab U. C. DCXCII. IDEM.

Q. Pompeius, A. F. qui Bithynicus dictus est] De quo nullam mentionem, nisi in hoc dialogo, fieri vidimus, et apud Oros. lib. VI. cap. 15. in Ægypto interfectum fuisse legimus.

Auli filius; credimus eum esse istius filium, qui obiit in Capitolio, cum deos salutasset, ut Plin. lib. VII. cap. 53. scribit. IDEM.

Discendi] Vict. Man. Grut. *dicendi.*

P. Antronius] Qui se Ciceronis condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quæstura commemorabat fuisse: qui consul designatus, cum accusaretur ambitus, judicium tollere ac disturbare primo conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concursu, sed damnatus ita se gessit, ut Cicero in Orat. pro P. Sylla scribit: ubi nobis illum hominem, ut paucis dicam, scelestissimum describit. IDEM.

L. Octavius Reatinus] De quo nihil nos aliud invenimus. IDEM.

C. Stalenus] C. Stalenus Pætus. Hoc enim sibi cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine videretur, ut ait in Orat. pro Cluentio. Sed in Orat. pro Sextio ita scribit: *Ex novem tribunis plebis, quos tunc habuerem, unus, me absente, defluxit, qui cognomen sibi ex Æliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis ejus esse quam generis videretur.* De eo pluribus agit Cicero in Orat. pro Cluentio, et in Topicis. IDEM.

Cap. 69. *C. et L. Cæpasii*] Homines industrii, atque eo animo, ut quæcumque dicendi potestas est data, in honore atque beneficio ponerent, ut in Orat. pro Cluentio loquitur; ubi ita de illis verba facit, ut eos irridere potius quam laudare videatur. IDEM.

Oppidano genere dicendi] Oratio est non urbana, nec elegans, nec nitida: sed velut vicana et municipalis, aut castellana: quod in oppidis, vicis, castellis, municipiis non tam integre incorrupteque, quam in urbe loqui solerent. Sed et *homo repentinus* ibidem dicitur homo novus, qui subito repenteque in hominum cognitionem, famam, commendationemque pervenit. Sic autem scribit: *Ignoti homines et repentini, quæstores celeriter facti sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi.* TURNEB. Advers. XIV. 22.

C. Cosconium] Qui in Orat. pro Sylla videtur prætor fuisse, consule Cicerone; cum tamen eodem Cicerone prætore fortasse extra ordinem in Illyrico proconsul fuisset; nisi fuit alter, præsertim cum *Cneus*, non *Caius* ab Eutropio lib. VI. ille dicatur. Hic certe in Orat. pro Cluent. Caius appellatur. IDEM.

Q. Arrius] Is videtur esse, qui prætor Chrysum fugitivorum ducem cum viginti millibus hominum cecidit, ut Liv. lib. XCVII. scripsit; quique C. Verri successurus putabatur, ut Verrina II. et IV. dicitur. Is cum esset loco infimo natus, ut hic ait, post præturam diu jacuit: sed Cæsare et Bibulo consulibus, cum Pompeius, Crassus, et ipse Cæsar Remp. tenerent, se consulem fieri posse speravit: verum destitutus ægre tulit sibi ereptum fuisse consulatum, ut ep. 5. et 6. lib. II. ad Attic. videbis. IDEM.

Judicialis anni] An, quemadmodum suspicantur Corradus et Manutius, intelligendus annus DCCII. quo Cn. Pompeius tertium consul, teste Asconio, breviorem judiciorum formam reis lege præscripsit? PRUST.

Cap. 70. *T. Torquatus*] Alii quærent historiam. CORRADUS.

M. Pontidius] Idem fortasse, qui laudatur in II. de Orat. 68.

M. Messalla] M. Valerius Messala, quem Cicero consul constituit cum aliis, qui omnia judicum dicta perscriberent, cum tunc ille præturam peteret, ut in Orat. pro P. Sylla testatur. Hic postea cum M. Pisone, anno ab U. C. DCXCIII. consul fuit, et quidem egregius, fortis, contans, diligens, Ciceronis laudator, amator, imitator, ut lib. I. ad Attic. describitur. IDEM.

Duo Metelli, Celer et Nepos] Duo fratres, aut potius patrueles, ut conjicit Corradus. *Q. Metellus Celer*, prætor urbanus, vir strenuus, egregiam Cicerone consule adversus Catilinæ

copias operam Reip. navavit. Triennio post consulatum adeptus est. Eum a Clodia uxore veneno sublatum esse in Coeliana Cicero deplorat. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*, tribun. pleb. anno DCXCII. graves cum Cicerone inimicitias exercuit: cui, cum abiret e consulatu, de rebus a se gestis disserere paranti silentium imposuit, quod indicta causa cives condemnasset accusans: cumque jurare tantummodo permitteret, Cicero juravit Remp. sua unius opera esse salvam. Consul fuit hic Metellus anno DCXCVII. PRUSTEUS.

Cn. autem Lentulus Marcellinus] Hunc nos a principio credimus Claudium Marcellum fuisse, sed ab aliquo Cornelio adoptatum, Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, non autem Cn. Cornelium Lentulum Clodianum, ut mos erat, appellatum, ut cognosci posset, utra ex familia fuisset, cum duæ familiæ Claudiæ essent; quarum quæ Marcellorum appellata est, plebeia; quæ Pulchrorum, patricia fuit. Cicero certe lib. XV. Famil. et Div. Marcellos et Marcellinos ita conjungit, ut fuisse propinquos ostendat. Consulatum iniit cum L. Marcio Philippo anno ab U. C. DCXCVIII. CORRAD.

C. Memmius] C. Memmius Gemellus, ep. 19. lib. XIII. Famil. Tribunus pleb. M. Lucullum accusavit, et diu prohibuit, ne L. Lucullus triumpharet, ut Plutarch. in Lucullo et Catone scribit; atque id ipsum triennio ante Ciceronis consulatum. Nam Cicero consul, ut ait lib. II. Acad. Quæst. currum Luculli in urbem introduxit. L. Pisone et A. Gabinio consulibus prætor fuit, ut ep. 2. lib. I. ad Q. Fratr. cognoscimus. Post vero præturam Bithyniam provinciam sortitus est: quo secum Val. Catullum poetam duxit; ut ipse Catullus ad Veranium et Fabullum scribens, testatur, quo loco illos Pisonis comites vocat. Inde reversus cum M. Scauro, M. Messala, Cn. Domitio, consulatum petiit, et quidem Cæsaris auxilio fretus, cujus opibus et militia confirmabatur, et commendabatur, ut lib. IV. ad Attic. et lib. III. ad Q. Fratrem videre licet. Ille tamen repulsam tulit, et ambitus a Q. Curtio fuit accusatus, et Pompeio consule III. fuit condemnatus, ut Appian. lib. II. scribit; quamvis Ciceronis esset cliens, ut ep. 19. lib. XIII. Fam. refert Cicero, et ostendit illum Patris exulasse. Lucretius huic, ut poeta poetæ, et Epicureus Epicureo suos libros de Rerum Nat. scripsit. Nam C. Memmius poeta fuit etiam lascivus, ut Plin. ep. 3. lib. V. et Ovid. lib. II. de Trist. affirmant. IDEM.

Cap. 71. *Cæsare*] C. Julio Cæsare dictatore. CORRADUS.

Marcello] M. Claudio Marcello, quem Cicero in Orat. I. in Catilin. Catilinæ quidem sodalem, sed virum tamen optimum et fortissimum vocat; de cujus magistratibus nihil pene possumus affirmare, nisi illum anno ab U. C. DCCIII. cum Servio Sulpicio Rufo consulem fuisse. Post bellum civile, in quo Pompeium secutus est, timens Cæsarem veterem suum inimicum Marcellus exulabat; quo tempore Cæsar ejus acerbitatem accusavit, sed tamen repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. Quare, cum reliqui gratias Cæsari egissent, Cicero longa satis oratione, quæ nunc extat, idem fecit, ut ait lib. IV. Famil. ubi sæpe monet illum, ut domum revertatur: quod cum ille jam facere cogitaret et vellet, a P. Magio Chilone, familiari suo, fuit interfectus, ut lib. IV. Famil. lib. XIII. ad Attic. et apud Liv. lib. CXV. et apud alios etiam leges. IDEM.

Liceat] Lamb. *cum jaceat in hoc.*

Cap. 72. *Ut cogitata*] Abesse non videtur posse illud *ut*, quod unus tamen Lambinus agnovit. Infra, pro *cujus*, vide an *hujus* reponendum sit. OLIVETUS.

Lamb. *non pro derelicto.*

Cap. 73. Vict. *non solum, sed.*

Cap. 76. *C. Sicinius*] Quæstor anno DCLXXVII. PRUSTEUS.

C. Visellius Varro] In Asia tribunus militum fuit C. Nerone prætore, cum Verres legatus esset Dolabellæ, ut Verr. I. videre licet. Huic cum J. Cæsare magna fuit consuetudo, ut in Orat. de Provinc. consularibus ostenditur. Atque nisi cognosceretur hic ante mortuus, dicerem ipsum cum Cicerone in Ciliciam profectum fuisse, cum dicat Cicero ep. 7. lib. III. Famil. se Varronem App. Claudio obviam misisse; nec M. Varronem illum doctum possit significare, qui tum Romæ fuit, ut ep. II. lib. V. ad Attic. cognosces; nec ita multo post ivit legatus in Hispaniam ulteriorem. Hunc Visellium Valer. Max. lib. VIII. c. 2. scribit gravi morbo correptum trecenta millia nummûm ab Octacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passum fuisse, et ab Aquilio, cum postea convaluisset, absolutum. CORRADUS.

L. Torquatus] L. Manlius L. F. Torquatus, qui adolescentulus eripuit P. Syllæ consulatum, et ad patrem suum retulit. De hoc Cicero in Orat. pro P. Sylla ita scribit: *Harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute omnium suscepi et gessi, L. ille Torquatus, cum esset meus contubernalis in consulatu, cum signifer esset juventutis, atque in prætura fuisset, auctor, adjutor, particeps extitit.* IDEM.

Triarii] C. Valerii Triarii, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulit, ut ait Asconius; unde nos suspicati sumus Verr. I. ita esse legendum: *P. Lentulo, C. Triario quæstoribus urbanis.* Hic, ut auctor est Asconius, postea L. Luculli in Asia Pontoque legatus fuit: et ut Liv. lib. XCVIII. scribit, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit, et quidem apud Zielam, quæ nobilis clade Triarii ob id, opinor, a Plin. lib. VI. c. 3. dicitur; quam quidem cladem Plutarch. in Lucullo, et Appian. in Mithridat. pluribus describunt. Triarios vero e gente Valeria fuisse, ostendit etiam Valeria, quæ Triarii soror ep. 7. lib. VIII. Famil. vocatur. IDEM.

Cap. 77. *M. Bibulus*] M. Calphurnius Bibulus a Plutarcho in Cæsare vocatur, quanquam Bibulus cognomen in gente Publicia frequentius, ut apud Liv. lib. XXII. et XXIII. et apud Plut. in Marcello, reperiatur. Is igitur Bibulus, ut Cæsar lib. III. de Bello Civ. refert, iracundia summa fuit, inimicitiasque habuit privatas cum Cæsare ex ædilitate conceptas et prætura. Bibulus consul factus Cæsari collegæ ferenti legem agrariam cœpit adversari et obnunciare, sed armis foro pulsus est. Ac postero die Bibulum in senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere auderet, qualia sæpe multa in levioribus turbis decreta erant, in eam Cæsar coegit desperationem, ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnunciaret: in quibus Cæsarem inter conjuratos fuisse dicebat, eumque Bithynicam reginam vocabat, ut scribit Sueton. quæ quidem edicta vel ob id Cicero lib. II. ad Attic. *Archilochia* vocat. De rebus hujus Bibuli Plutarch. Dion. et Appian. plura scribunt. CORRADUS.

Appius Claudius] Appius Claudius Pulcher, ejus Appii, qui cum P. Servilio consul fuit, filius, ut in Orat. de Responsis agnosces. Hic pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus est relictus, ut Varro lib. III. cap. 16. de R. Rust. testis est. P. Clodium ejus fratrem fuisse cognosces ex orationibus pro Domo, et in Pisonem. Tandem cum L. Domitio consul fuit, ad quod usque tempus videtur durasse, quod inter eum et Ciceronem simultatis fuit. Tunc enim demum sunt reconciliati, vel paulo ante, ut lib. I. Famil. cognoscimus: atque ad ipsum per Cn. Pompeium, ut ad Brutum scripsit, quod Quintil. lib. IX. cap. 3. refert; vel per Graios, ut ep. 10. lib. II. ad Q. Fratrem scribit: quem reditum in gratiam *illustrem* vocat ep. 10. lib. III.

Famil. A Pompeio Achaiæ cum esset præfectus, eventum gravissimi motus explorare, ut ait Val. Max. lib. I. cap. 8. cupiens, Pythici oraculi fidem voluit experiri, quod Oros. lib. VI. cap. 15. scribit; et oraculum accepit, quod Lucanus lib. V. sic explicat:

Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
Bellorum, Romane, minas, solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis.

Et sane ibi, ante Pharsalicum certamen, morbo consumptus, prædictum a deo locum pro sepultura possedit, ut Val. Max. lib. I. cap. 8. scribit. Ob id fortasse Cicero postea Tusc. I. scripsit Appium παρομάντια fecisse, et lib. I. de Divin. sortilegiis et ψυχομαντία uti solitum fuisse. IDEM.

L. Domitius] L. Domitius Ænobarbus, qui filius fuit Cn. Domitii, quem supra diximus cum L. Crasso censorem fuisse. Hunc adolescentem clarissimum, ac principem juventutis Ver. I. vocat; ubi scribit in eo tantum pudorem fuisse, ut Chelidonem meretricem ab se nominari vix sibi honestum esse arbitraretur. Dedit vero, quam contemneret populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima, ut ait Cicero in Orat. pro Milone. Dion. lib. XLI. scribit eum admodum divitem fuisse, quod Syllanis temporibus sibi divitias ingentes comparasset; quod vereor ne sit falsum, cum Domitius illis temporibus admodum adolescens, et pæne puer esset; ita ut vix rem familiarem curare posset; nisi forte pater eo modo divitias filio comparavit. De morte ejus non una est apud veteres scriptores sententia, cum Suetonius et Lucanus in acie Pharsalica cecidisse dicant, quamvis aliter legas apud Appianum. CORRADUS.

P. Lentulus] Cornelius Lentulus Spinter, ædilis curulis, Cicerone consule, omnium illius consiliorum particeps, periculorumque socius fuit, ut in Orat. post Redit. ad Quirit. est scriptum. Cæsare et Bibulo consulibus, ipsius Cæsaris beneficio in collegium pontificum venit, et hinc Cicero in Orat. de Resp. illum pontificem vocat, et in Orat. pro Domo cum illo, tanquam pontifice, loquitur. In Ciliciam proconsul profectus rem sic præclare gessit, ut imperator sit appellatus, ut ostendunt inscriptiones epistolarum lib. I. Famil. quas eo tempore Cicero scripsit. Quin, ut ego ex ep. 21. lib. V. ad Atticum conjicio, triumphavit; sed ob id tantum æris alieni videtur fecisse, ut Cicero in Cilicia proconsul audiverit, quod ep. I. lib. VI. ad Attic. scripsit, eum prædium Tusculanum proscripsisse. In bello civili Pompeio adhæsit, sed quid postea illi factum sit, nescimus: id scimus, Ciceronem multo post audivisse illum Rhodi esse, quod ep. 13. lib. XI. ad Attic. scripsit. ID.

L. Lentulus] Ne longum faciam, mittam conjecturas, quæ multæ sunt, cur ego credam hunc esse L. Cornelium Lentulum flaminem Martialem, quem Asconius Nigrum vocat, quemque Cicero dicit in Orat. in Vatin. Gabinii competitorem fuisse; cum multo plures sint, cur arbitrer, atque adeo affirmem, esse L. Cornelium Lentulum Cruscellum, qui Pisone et Gabinio consulibus prætor fuit, ut ep. 2. lib. I. ad Q. Fratrem, et in Orat. in Pisonem leges. Ejus res reperiuntur passim apud Plutarchum, Appianum, Dionem, Val. Max. et alios. IDEM.

Verba non horrida sane, ut plena esset animi, et terroris oratio] Fuit qui persuadere vellet, aut mutandam esse vocem *terroris:* aut delendam negationem. At non cogitabat particulam *ut* eodem esse sensu intelligendam, quo *etiamsi, quamvis.* Hoc ergo vult Cicero, P. Lentuli *verba* fuisse *non horrida*, etiamsi *plena* esset *terroris oratio.* Posse autem sine horrore illo verborum, et cum suavitate orationis terrorem consistere, docuit ipse supra, (cap. 11.) ubi hæc de Pericle: *Hujus suavitate maxime hilaratæ sunt Athenæ: hujus ubertatem et copiam admiratæ, ejusdem vim dicendi, terroremque timuerunt.* ANON.

T. Postumius] Is mihi videtur esse, de quo, belli civilis initio, nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret, ut ep. 15. lib. VII. ad Att. scribitur. CORRADUS.

M. Servilium] M. Servilius Geminus, tribunus pleb. An. DCXCIV.

Cap. 78. *C. Cornelium*] Qui Pompeii quæstor fuerat, dein tribunus plebis, quem Cicero prætor defendit, ut ipse in Orat. in Vatinium, et alibi sæpe testatur. CORRADUS.

T. Accium Pisaurensem] Quem bonum adolescentem et disertum vocat in Orat. pro Cluent. IDEM.

Genero meo] Primo. Nam Cicero tribus viris, Pisoni, Crassipedi, et Dolabellæ Tulliam filiam collocavit, ut in Quæstura diximus. Consulibus L. Julio Cæsare et C. Marcio Figulo eam C. Pisoni despondit, anno antequam consul ipse fieret, ut lib. I. ad Attic. scribit. Sed tamen Piso eam non videtur duxisse, ep. 4. lib. XIV. Famil. et priusquam Cicero Romam rediret, vel paulo post reditum, decessisse. IDEM.

Cap. 79. *M. Cœlium*] Significat M. Cœlium, M. F. Rufum, cujus vitam magnam partem Cicero scribit in Orat. quam pro illo dixit. Extant quædam illius epistolæ. Fortuna ei fuit adversa, nam senatus decreto ab Rep. remotus, a consule senatu prohibitus et de rostris, cum vellet concionari, deductus, Turios pervenit, ubi ab equitibus Gallis atque Hispanis, qui eo missi fuerant, interfectus fuit, ut Cæsar lib. III. de Bel. Civ. Livius lib. CXI. et Paterc. lib. II. scribunt. Quod ad mores attinet ejus, vide Senecam lib. III. cap. 8. de Ira. IDEM.

M. Calidio] M. Calidio Q. F. ut ait Asconius: Apollodori discipulo, ut scribit Eusebius. Is fuit ex ordine equestri: Cn. enim Calidius eques Romanus Verr. IV. nominatur, et Q. Calidius trib. pleb. sua lege Metellum Numidicum restituit; unde cognosci potest gentem Calidiam plebeiam fuisse. Is Lentulo et Metello coss. prætor fuit, qui statim designatus sententia sua, quam sibi esset cara Ciceronis salus, declaravit; ut in Orat. post Redit. in senatu legimus. Is postea consulatum cum L. Paulo et C. Marcello videtur petiisse, et repulsam tulisse. Nos certe sic ep. 4. lib. VIII. Famil. legendum putamus: *M. Calidium a repulsa postulatum a duobus Galliis.* In bello civili Cæsarianas partes secutus Placentiæ obiit, ut scribit Eusebius. ID.

Cap. 81. *C. Curionem*] C. Scribonius Curio, patris consularis ac triumphalis eloquentia et ingenio similis, perditis moribus dissimillimus; quem Velleius lib. II. egregie describit: *Vir nobilis, eloquens, audax, suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico; cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus neque opes ullæ, neque civitates sufficere possent.* PRUSTEUS.

C. Licinium Calvum] C. Licinium Calvum, C. Licinii Macri filium, ut apud Valer. Max. lib. IX. cap. 12. videre poteris. Hujus vitam Crinitus et Lilius scripserunt. Catullus eundem non semel ut oratorem et poetam describit. Ut poeta igitur versus in Cæsarem scripsit, ut Suetonius ostendit. Scripsit et in Tigellium; unde versum refert interpres Horat. *Sardi Tigelli putidum caput venit.* Hinc Cicero de Tigellio loquens ep. 25. lib. VII. Famil. scribit ita: *Eum addictum jam tum puto Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Hic amavit Quintiliam, ut Catullus, et Propertius lib. II. sunt auctores; et carmina cum ingentis animi plena, ut ait Seneca lib. IV. Controv. tum sæpe etiam lasciva scripsit, ut Ovid. lib. II. de Tristib. ostendit. CORR.

Cap. 88. *Hortensius igitur, &c.*] Hic fuit eques Romanus, ut ait Asconius, Quæstor Verr. I. et III. fuisse dicitur. Ædilis Verr. I. significatur, et ab Asconio vocatur; et sane fuit Octavio et Cotta coss. Prætor Act. I. Ver. cognoscitur, et ab Asconio in III. nominatur. Ædilis, vel prætor, cum sesquimodios populo Ro-

mano in capita descripsisset, gratissimum omnibus fecit, Verr. III. Consul fuit cum C. Cæcilio Metello Cretico, ut Asconius scribit. Fuit etiam augur, et Ciceronem in augurum collegium cooptavit, ut in initio diximus; unde Cicero ep. 8. lib. III. Famil. suum collegam vocat et familiarem, quod essent conjunctissimi omnium consiliorum societate. Cicero illum sæpe laudavit, ut hic, lib. III. de Oratore, et in Orat. pro Milone, ubi vocat illum lumen et ornamentum Reip. et de nomine ipsius librum, in quo cohortatus est ad philosophiæ studium, *Hortensium* inscripsit, ut ostendit lib. I. de Fin. Tuscul. II. et III. et lib. II. de Divin. Atque in his quidem omnibus videtur Cicero βαθύτητα, qua de loquitur ep. 6. lib. IV. ad Attic. servasse; cum revera se ab Hortensio scelestissime et insidiosissime tractatum esse sentiret, ut ep. 3. lib. I. ad Q. Fratr. et ep. 9. lib. III. ad Attic. declarat. Dives admodum videtur fuisse, qui Tusculanum haberet, ut Plin. ostendit lib. XXXV. cap. 11. villam ad Baulos, ut Cicero lib. II. Acad. Quæst. et Varro lib. III. cap. 17. de L. L. testantur; quædam ad portam Flumentanam, ep. 3. lib. 7. ad Attic. villam in Laurenti agro cum sylva magna, ut Varro lib. III. cap. 13. de Re R. testis est; et domum tam pulchram, ut postea L. Lentulus eam sibi in bello civili desponderit, ep. 6. lib. XI. ad Attic. et super decem millia cadûm heredi reliquit, ut Plin. lib. XIV. cap. 14. scribit. Fuit certe sumptuosus ita, ut, quod Dion. lib. XXXIX. scribit, consulibus legem sumptuariam ferre volentibus sit adversatus. Male audivit, et quod judices corrumperet, ut Cicero in Verrinis significat et Asconius interpretatur, et quod munera a clientibus acciperet. Solitus erat gloriari, quod nunquam bello civili interfuisset, ut ep. 16. lib. II. Famil. scriptum videbis. CORR.

Cap. 96. *Amatorum*] Vict. Man. Grut. *armatorum*.

Cap. 97. *Si operosa est concursatio magis opportunorum*] Hic multi multa deesse, aliqui aliquid, nonnulli nonnihil, omnes fere locum mendosum esse putant; nos, ut aliquid concedamus, multa tamen non credimus deesse, cum facta et dicta sint omnia, quibus dialogi texi et finiri soleant, et Tacit. in Dial. de Orat. hanc extremam partem fuisse doceat. Fieri igitur potest, ut aliquod verbum desit, aut, quæ sunt hic verba, ita sint mendosa, ut sensus elici non possit: etsi videtur hoc modo elici posse: Tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, me non magni hoc studium dicendi facturum fuisse, si tamen operosa est concursatio magis opportunorum ita, ut difficile sit cognoscere, qui sint oratores magis opportuni: cum quivis id possit intelligere, et ita judicare, an ego in multis sim numerandus, an inter paucos collocandus. Ἀποσιώπησις vero post verbum, *multis*, loco et dedita opera facta est, ne, si totam rem protulisset, arroganter loqui videretur. Itaque reliquit nobis intelligendum, aut addendum, *non magni facturum*, aut tale quid. Quod autem pertineat ad illa verba: *Si operosa*, video etiam legi posse: *etsi operosa*, vel *sed operosa*, præsertim cum Cicero hac particula, *sed*, post ἀποσιώπησιν frequenter utatur. CORRAD.

O R A T O R.

AD

M. BRUTUM.

Cap. 2. *Ialysi*] De hac Ialysi imagine vide Gellium, lib. XV. cap. 31.

Coæ Veneris] De hac Venere Plinius, lib. XXXV. cap. 10.

Jovis Olympii] De quo Plinius, XXXV. 8. et Pausanias in Eliac.

Doryphori] Plin. ibid.

Quo non pulchrius sit, &c.] Methodum hic Platonicam ab Aristotelea diversam sequitur Tullius. Plato via sapientiæ altissimas rerum causas investigat; ideas rerum perfectissimas mente exprimit, et ab universalibus, ut aiunt, ad singularia descendit. Aristoteles via scientiæ proximas rerum causas inquirit, et a singularibus ad universalia progreditur. De perfecto oratore si disserendum sit Aristoteleo more, videndum quid in singulis oratoribus sit eximium, et collatis singulorum virtutibus, exprimenda generatim oratoris imago. At si dicendum sit more Platonico, perfectæ eloquentiæ species cogitatione comprehendenda, ad quam singulos oratores dirigamus. PRUSTEUS.

Cap. 3. *Appellat ideas*] Idea Platonica aliud nihil est, nisi rei naturalis exemplum: ut enim prudens artifex ex imagine quam animo informavit, opus dirigit et efficit; ita Deus, cujus infinita est providentia, ex specie, quæ divinæ menti insidet, omnia molitur. Hæc porro species est idea, quæ non gignitur, sed semper est, ac ratione et intelligentia continetur. Quo propius ad illam ideam accedit o[illegible] aliquod, eo perfectius censetur. [illegible]li gratia, pulchritudo in cor[illegible] est magis expressa ideæ [illegible]do. Ejusmodi rerum ideæ utrum hominum animis innatæ sint, an adventitiæ, et usu acquirendæ, disceptant Platonici. Vide Platonem in Parmenide, in Timæo, lib. X. de Rep. &c. IDEM.

E media philosophia] Mediam philosophiam dicit illam secretissimam, quia secretiora sunt ea quæ rebus in mediis latent. *Antiquam*, accipe Platonicam. *Subobscuram*, quod idearum species non cadit in sensum, sed in mentem et cogitationem. STREBÆUS.

Cap. 4. *Ut palæstra histrionem*] Histriones sunt actores fabularum, qui mitti solebant ad palæstritas. Et id Quintilianus fieri suadet, ut exercitatione palæstræ membra decentius et corpus moverent, aptinsque gestum componerent: cujus exactores severos Athenienses fuisse constat, atque Romanos, recepta celebritate et magnificentia ludorum scenicorum. Ut igitur in scena videntes histrionem prudentiores, operamne palæstræ dederit, intelligunt: ita qui dicentem audiunt oratorem, sentiunt quantum disciplina et eruditione profecerit: utque plus habet histrio quam palæstrita, sic summus orator, quam philosophus ille cui popularis eloquentia deest. STREBÆUS.

Cap. 6. *Tria sunt genera dicendi*] Hæc est Græcorum doctrina, qui triplicem dicendi characterem statuunt, ἀδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον, *uberem, gracilem, mediocrem.* Uberi dignitas est et amplitudo: gracili venustas et subtilitas: medius in confinio est, utriusque modi particeps. His singulis virtutibus vitia agnata sunt. Sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squallentes et jejuni dicti pro

gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus. *Gellius lib.* VII. cap. 14. Grandiloquus est Cicero in oratione pro Milone, tenuis et acutus cum dicit pro Cecinna, temperatus in oratione pro lege Manilia. PRUS.

Ut cinnus] Perperam nonnullis in editionibus habetur *vicinus*. Veram lectionem ex Nonio Marcello ab eruditis detectam attulimus. *Cinnus*, inquit, *est commissio plurimorum, unde et* concinnare *dicitur*. Deinde locum hunc integrum subjicit. IDEM.

Ut in corona, toros] Volubile genus orationis et rotundum ut corona, suscipit ad ornamentum partes eminentiores, quasi toros, ne tanquam politum marmor, varietatis jucunditate careat. STREBÆUS.

Cap. 8. *Non ita lato*] Decem fere leucis Gallicis Rhodus distat a litoribus Cariæ. PRUST.

Jocatur Demosthenes] Verba Demosthenis sunt: Πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο οὐχ' ὁρᾷς γεγονε τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, ἐι τουτὶ τὸ ῥῆμα ἀλλ ὁ μὴ τουτὶ δι λέχθην ἐγώ. ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ, παρήνεγκα. *Præclare sane se habeant fortunæ Græcorum, uti videre potes, hoc si verbum, non illud locutus sim: aut si manum huc, non illuc, protulerim.* Ex his facile est intelligere, locum Ciceronis esse corruptum, et hoc modo legendum. *Negat in eo positas esse fortunas Græciæ, hoc an illud dixerit verbum, huc an illuc manum porrexerit.* STREBÆUS. Emendavit Lamb. *hoc an illud locutus sit.* Quæ sit sententia, vident omnes: quæ fuerint Ciceronis verba, nemo.

Cap. 9. *Atticorum igitur aures teretes*] Dixit hic Cicero *teretes aures*, sicut Horatius os rotundum: *Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.* Acron interpretatur os perfectum. Aures ergo *teretes*, perfectæ, perpolitæ, delicatæ, quæque sonis asperioribus facillime lædantur. *Religiosæ* vero, quæ nihil corruptum, nihil fœdum, nihil putidum admittunt: contra legunt pura omnia, sancta, et incorrupta, ut fieri solet in observatione cæremoniarum. IDEM.

Quale] Lamb. *quale id cumque.*

Hi unum modo quale sit] Sensus est: Attice dicentium plura sunt genera; sed Latini qui se dicere Attice putant, unum sibi genus qualecumque sit, fingunt. PRUSTEUS.

Nomen ejus non exstaret] Ita Lambini editiones, quod cum verbis sequentibus magis congruit. Ut sententia sit; Nunquam Thucydides locum inter oratores habuit, celebris est tantum historici nomine: non continuo tamen, si historiam non scripsisset, oblivioni fuisset traditus, si quidem et nobilitate et honoribus Athenis inclaruit. In aliis editionibus particula negans supprimitur. IDEM.

Cap. 10. *Omnibus terris*] Post hæc verba vulgati omnes virgulam adscribunt, quæ videretur delenda esse, ut sic ordinentur voces: *Ergo Gallia una non ardet incendio communi terris omnibus.* Potest etiam scribi, *ex omnibus terris*, quo modo ante Victorianam editionem vetustiores habuerant OLIVETUS.

Una Gallia] Trajecturus in Africam Cæsar adversus Catonem et Scipionem, Bruto Galliam Cisalpinam, magna illius provinciæ felicitate, commisit. *Plutarchus* in *M. Bruto.* IDEM.

In Italiæ luce] In Gallia, quæ sit lux Italiæ. Ad quod faciunt hæc in Antoniana tertia. *Nec vero de virtute, constantia, gravitate provinciæ Galliæ taceri potest. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis.* Illic Italiæ florem Galliam, hic optimorum civium florem: illic imperii firmamentum, hic optimorum civium robur varie dixit. STREB.

In maximis occupationibus] Adeo studio litterarum deditum fuisse Brutum scribit Plutarchus, ut in castris daret operam legendis libris, et paulo ante Pharsalicam pugnam, alii[illegible]e eventu pugnæ sollicitis, ipse [illegible] epitomen componeret. PRU[illegible]

Catone absoluto] Non est [illegible] *major*, seu liber de Senec[illegible]te, sed

laudatio Catonis Uticensis, qui, ne veniret in potestatem Cæsaris, ipse sibi manus attulerat: in quem Cæsar Anticatones edidit, ut Ciceronem refutaret. STREBÆUS.

In quo tamen] Si culpatur judicium meum, quod opus aggressus sim, cui efficiendo non eram idoneus; laudabitur quidem voluntas dandi hujus tibi muneris. ANONYMUS.

Cap. 11. *Præscriptum*] Litterarum characteres prius scripti, quos ludi magister pueris imitandos proponit. PRUSTEUS.

Panegyricum] In quo elaborando decem aut etiam quindecim annos Isocratem consumpsisse tradunt. Oratio ex suasione et laudatione mixta, cujus prima parte laudes Atheniensium persequitur, altera eosdem ad bellum regi Persarum inferendum impellit. IDEM.

Ἐπιδεικτικὸν] Quod quid differat a laudatione, Quintilianus, III. 4, ostendit his verbis: Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non ita demonstrationis vim habere, quam ostentationis videtur, et multum ab illo encomiastico differre. Nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, et plerumque de utilitatibus Græciæ loquuntur. Hæc ille. Unde scias ἐπιδεικτικὸν genus latius patere, quam quod laudativum vocatur. STREBÆUS.

Panathenaico] Isocratis oratione sic appellata, vel quod habita fuerit Panathenæis solemnibus feriis, vel quod Atheniensium omnia egregie facta, eorumque laudes ab ultima origine repetit. Eam orationem scripsit annos natus nonaginta quatuor, et in exordio fatetur Isocrates juniorum se rhetorum flosculos studiosius conquisivisse. PRUSTEUS.

Ἀγοραδιδάλους] Id est, artificiosi sermonis fabricatores.

Versiculorum] Lamb. *versicolorum*.

Cap. 13. *Leviter et erudite*] Quid si pro *leviter* legas *leniter?* Hujus quidem adverbii significatio accommodata est ad naturam M. Bruti, qui benignitate summa fuit. Quod Cicero in hoc libro testatus est. MURETUS.

Junxisse] Grut. *vinxisse*.

Cap. 14. *Qua tamen in causa vacua est prudentia*] Locum sane difficilem sic opinor posse explicari: ut sit correctio. Dixit invenire, judicare, propria magis prudentiæ esse, quam eloquentiæ. Tum subjungit, quasi corrigendo: Sed tamen qua in causa esse potest eloquentia sine prudentia? Nulla causa est, nullum genus dicendi, in quo eloquentia esse possit vacua, destituta prudentia. Est enim, quemadmodum infra dicetur cap. 21. *eloquentiæ, sicut cæterarum rerum fundamentum sapientia.* ANONYMUS.

Ut ornatius et uberius dici possit] Lego, *posset*, ut melius se habeat ratio Latinæ linguæ, quia in constructione præcedit, *exercuit*, verbum perfecti temporis. Et ita legitur in Ms. Harleiensi, qui penes est honoratissimum Comitem Oxonii. PEARCIUS.

Cap. 17. *Nam et infantes*] Actionem plurimum valere probant eventus. Nam et *infantes*, id est, infacundi viri, rudesque dicendi, ut Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona et decora pronunciatione, eloquentiæ fructum et gloriam tulerunt. Et *diserti*, quibus e diverso opponuntur infantes, deformitate agendi, hoc est indecora et fœda pronunciatione, a multis infantes et indiserti putati sunt: cujusmodi L. Cottam dicit Cicero fuisse. STREBÆUS.

Cap. 18. *Est autem cantus*] A natura datur vox, ab arte flexus, a flexu gignitur cantus. Qui si temperatus est in actione, decet oratorem maxime in affectibus movendis. STREB.

Ipsa enim natura] Cantus hic in oratione, sicut cætera omnia, cepit a natura seminarium, arte et humana industria colendum. Natura modulata est hominum orationem, certasque voces ad agendum dedit: et ut impetu quodam proferrentur animo concepta, et aurem ferirent, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, ut esset varietas: nec a

postrema syllaba citra tertiam, ne quid spiritus laboraret. Omne verbum aut unius est syllabæ, aut duarum, aut trium, pluriumve. Si in verbo trium syllabarum pluriumve fuerit accentus in tertia ab extrema, is semper erit acutus, ut φιλόσοφος, dominus. Si fuerit accentus in secunda a fine, aut acutus erit, ἀνθρώπου, virili, λόγος, deus: aut circumflexus: ut σημεῖον. μῶσα, Romanus, Roma. Quod igitur inflexus ex acuto est et gravi, non defuerit acutus, si ponetur inflexus. In ultima nunc est acutus, βασιλεύς, dux: nunc circumflexus, βοῦς, bos. Nihil refert an unius sint syllabæ verba, an vero plurium. Nunquam gravis erit ultima, nisi cum verbum acutum ceperit aliam ab ultima sedem, propter quod mutarit accentum, ut ὁ βασιλεὺς ἶφι, dux locutus est. Jam gravis hic est pro acuta. Ergo natura in omni verbo posuit acutam vocem, quæ cum altius ederetur, et reliquæ summissius consonarent, jucundam e varietate cieret modulationem. Interim unum verbum duos habet accentus acutos, sed unum ab alio verbo ducit, ut φιλόσοφοί τε, dominive. An acutam vocem dicit eam quæ clarius auditur, magisque ferit aures, non illam tantum, quam proprie dicimus acutam? STREBÆUS.

Nulla mollitia cervicum] Dixit rectum casum *mollitia*, non *mollities*, propter litteram sequentem: et *cervicum*, non *cervicis*, quod illud verbum singulariter rarius usurparetur. Nam primus Hortensius *cervicem* singulari numero dixisse fertur. STREB.

Cap. 19. *Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit*] Cicero de Orat. III. 35. sic de eadem (ut videtur) re loquitur: *Aristoteles, cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret.... mutavit repente totam formam prope disciplinæ suæ... Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit.* Et in Tuscul. I. 4: *ut Aristoteles.... cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit adolescentes docere.* Ex his duobus locis mihi videtur hic legendum esse, *Aristotelem Isocrates ipsum lacessivit.* PEARCIUS.

Et gravitate] Lambinus una voce auctior, *et suavitate, et gravitate.* Velim ex Mss. Ut ut est, non displicet sane.

Nihil iratum] Id est, quod iram concitet audienti: nihil invidum, quod invidiam moveat: nihil atrox, quod exaggeret facinus: nihil mirabile, quod audienti afferat stuporem: nihil astutum, quod capiat fallatque disceptatorem: sed est casta sine popularium opinionum corruptela, custos veritatis illius naturalis, virgo incorrupta quodam modo, simplex oratio, integerrima virtutis indagatrix. Intellige orationem Platonis, Xenophontis, Theophrasti, et optimorum, non istorum qui se vocant philosophos, cum sint tamen infantissimi. Oratio eloquentis invidet, atrociter adauget, admirationes inducit, nolentem trahit, se commiscet populari contagione, ut ad sanitatem reducat: audax irrumpit, et tanquam virago et Amazonum fortissima aditum rumpit, quæritque victoriam. STREB.

Cap. 20. *Poetæ quæstionem*] Id est, ut dubitaremus effecerunt, quidnam esset illud pro ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, et versu, tunc cum Homerus, Hesiodus, Euripides, aliique veteres scripserunt ante tempora Thrasymachi et Isocratis, qui primi numeros invenerunt. Ut autem cætera, sic etiam numerus poeticus ab oratorio differt. In illo certi atque numerati pedes. In hoc pedes quidem sunt, sed neque certi, neque numerati. In illo certa spatia, certi ordines, certique fines: oratorio numero neque certa spatia, neque certi ordines, neque certi fines, sed ad aurium mensuram longis et brevibus ad finem usque decurrit. STREBÆUS.

Nec vero, si quid est] Unum inter eos simile est, judicium, electioque verborum, quod utrique, ut ante diximus, electis verbis, compositis, modificatis, numeroque comprehensis

utuntur. Quod accipe dictum de elocutione: alioqui multa sunt inter eos similia, multaque dissimilia, tum in inventione, tum in collocatione. Sed id nihil habet quæstionis, id est, controversiæ: et si quid habet, ad id quod propositum est, non est necessarium: quoniam de elocutione, non de inventione et dispositione proposita quæstio est. IDEM.

Cap. 22. *Pictor ille*] Timanthes pictor ingeniosissimus, cujus est tabella Iphigeniæ stantis ad aras et perituræ. De qua Plinius lib. XXXV. c. 10. PRUSTEUS.

Cap. 24. *Unum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suave, &c.*] Lambinus vidit hanc vulgatam lectionem ferri non posse: reposuit igitur (conjectura, opinor) *ornamentum illud suave*. At, cum Mss. habeant *ornatum*, sic legendum esse, punctis solum mutatis, censeo: *unum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus ornatum, illud suave et affluens*. Potius enim Cicero videtur dixisse *quartum ornatum*, quam *ornatum suave*. PEARCIUS.

Sonat] Lamb. *sonant.... explanant.*

Factum] Lamb. *sumptum aliunde, ut mutuum:*

Aut translatum, aut factum *aliunde, ut mutuo*] Suspicor illam vocem *factum* natam esse ex sequentibus, in quibus occurrit *aut factum ab ipso*. Quamvis enim verba aliena secundi generis proprie dicantur *facta* esse, hæc de quibus Cicero jam loquitur, *aliunde sumpta* potius, vel *ducta*, esse dicenda sunt. Adde, quod non diversæ sunt res, id quod *factum* sive *sumptum* sit *aliunde;* et id quod *translatum* sit. Unde libenter assentior Lambino legenti, *aut translatum* et sumptum *aliunde*, &c. Quam quidem lectionem firmant ea, quæ Cicero dicit de Orat. III. 38. *Hæ translationes quasi mutuationes sunt; cum quod non habeas*, aliunde sumas. PEARCIUS.

Aut factum ab ipso, aut *novum*] Disjungi non debere videntur voces *factum* et *novum:* quæ enim *facta* sunt *ab ipso* ideo sunt *nova*. Nec aliter Cicero de Orat. III. 38. *Novantur verba quæ ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis ....vel sine conjunctione*. Aut igitur legamus cum Lambino *ut novum*, aut (ut ego malim) *et novum*. Utrovis modo rectius se habebit sententia, quam si sequamur Mss. Harl. qui deleto, *aut*, exhibet *aut factum ab ipso novum*. IDEM.

Cap. 25. *Paria paribus relata*] Πάριον Græci dicunt cum membrum unum alteri prope ex æquo respondet. Cujusmodi est istud Ciceronis ad Quintum fratrem lib. II. ep. 11. *Tu vero ut me appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare velim*. PRUST.

Similiter conclusa] Cum voces simili sono claudunturut in illis versiculis ab Hadriano imperatore moriente, ut refert Spartianus, compositis:

Animula, vagula, blandula
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos. IDEM.

Immutatione litteræ] Quale est illud Ovidii de Arte Am. I. 244.

Et venus in vinis, ignis in igne fuit.

Iterationes] Qualis est hæc I. Catilinaria n. 4. *Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam*. IDEM.

Cap. 27. *Alio modo transtulit*] Alia est translatio, cum sumit Ennius *arcem* pro Capitolio; alia, si sumeret *arcem* pro patria. Primus translationis modus refertur ad synecdochen, qua genus ponitur pro specie. Alter ad metaphoram, qua propter similitudinem res una substituitur alteri: ut enim arx et defendit et defendi debet, sic patria cives tuetur, eamque singuli debent tueri. Damus fortasse plusculum conjecturæ, sed quid aliud in evolvendis veterum fragmentis expectes? PRUSTEUS.

Cap. 29. *Neque quidquam mortale*] Idea ex mente Platonis nec mutati-

oni, nec corruptioni obnoxia est: orator autem caducus et mortalis. PRUSTEUS.

Cap. 30. *Quid enim tam commune*] Pro Roscio Amerino, cap. 26.

Uxor] Pro Cluentio, c. 70.

Cap. 32. *Quanquam aliud*] Lamb. *Quanquam enim aliud videatur esse oratio, aliud disputatio: nec idem loqui esse, quod dicere: et quanquam disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit; oratorum autem, dicendi, et ornandi: attamen utrumque in disserendo est. Zeno quidem, &c.*

Cap. 33. *Quæ sint ejusdem generis sive formæ*] Generis cujusque suæ sunt partes. Logici species, formas appellant rhetores. Exempli gratia, virtus est genus, cui subsunt partes justitia, prudentia, fortitudo, et temperantia. PRUSTEUS.

Cap. 34. *Quid est ætas*, &c.] Quomodo differant *res veteres* a *superioribus* non intelligo, cum *superiora* dicantur quæcunque sunt præterita; adeoque non minus vetera, quam proxime, ut ita dicam, superiora. Videtur omnino hoc velle Cicero, nihil esse vitam hominis ad comparandam prudentiam, si ea tantum teneamus quæ vidimus, et ab oculatis testibus audivimus; sed oportere ea, quæ tempore nostro contigerunt, cum superioribus veteribusque contexi, ut seriem totius historiæ animo comprehensam teneamus. Verum, ut hoc diceretur, oporteret scribi: *Quid est ætas hominis nisi memoria rerum* nostrarum *cum superiorum ætate contexitur?* aut *recentiorum* loco *superiorum*, sed prius magis placet. Videtur primum oscitans librarius, pro *nostrarum* scripsisse *vestrarum*, ob soni et significationis adfinitatem, aut etiam ob similitudinem ductuum. Cum vero vocis *vestrarum* nullus esset sensus hoc in loco, Grammatici ex ea fecisse videntur *veterum*, quod tam manifesto ineptum est. CLERICUS. *Art. Crit.*

Cap. 37. *Pro familiari reo*] Pro Verre, qui familiaris erat Hortensii.

Privata in causa] Vide Cic. in Bruto, cap. 60.

Cap. 38. *Sublato etiam filio parvo*] Quod præstitit, cum pro P. Sylla peroraret, (cap. 31.) *Hic vos orat, judices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis, &c.*

Cap. 39. *Et reliqua, ex collocatione verborum*] Tullium ab his ipsis verbis ad finem usque capitis, quod proxime sequitur describit Quintilianus, IX. 1. apud quem τέχνικα hæc omnia diligenter, ut solet, expendit vir singulari doctrina, Claudius Capperonnerius, quo non ῥητορικώτερος alter.

Cap. 44. *Quam lepide lexeis*] Vide lib. III. de Orat. cap. 43.

Quin (lego, qui *vocales nolit conjungere*] Id valet quoties vocales concurrunt, quasi de duabus unam facere, et, ut paulo post dicit, *contrahere;* ubi idem præcipit, cujus contrarium est *distrahere*. *Nobis*, inquit, *ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur*. Est igitur hic *conjungere*, et *contrahere*, Græcis συναλείφειν, a quo est συναλοίφη, quod Eustathius κράσιν et συναίρεσιν recte interpretatus est: *distrahere* autem διαιρεῖν, et συγκρούειν, et διασπᾶν. Utriusque rei luculentum exemplum est apud Demetrium in aureolo libro illo περὶ ἑρμηνείας, ubi διαιρεθέντα δὲ καὶ συγκρουσθέντα, inquit, εὐφωνότερα, ὡς τὸ, πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλὰ ἐστίν. εἰ δὲ συναλείψας εἴποις, καλὰ ἐστίν. Hoc eo dixi, quod Victorius in variis lectionibus et commentariis in hunc Demetrium, et qui Victorium sequitur Lambinus, corrigunt, et legunt in Cicerone, *Nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit conjungere*. Video quid velint: quod si illis conceditur, quid fuerit Cicerone ipso rusticius? in ipso ingressu primæ ep. ad Lentulum, *Ego omni officio ac potius pietate erga te*, et quæ sequuntur; ut mittam alia ejusmodi infinita. Ac prope eram oblitus Lambinum pro *vocum* et *voces* ibidem reponere *vocalium* et *vocales*. Certe immerito: sic enim vocalis I in Ausonii monosyllab. *vox*, et a Terentiano *E, vocula* dicitur: et sic poeta vetus apud Athenæum in griphis lib. X. τὸ ὦ τῶν ἑστὰ

φωνῶν, &c. quippe quod eæ litteræ, ut ait Plato in Theæteto, cum de vocalibus disputaret, φωνὴν μόνην ἔχουσι. FABER, in *Acad.* I. 1. Vide Victorii Var. Lect. XII. 17. et Turnebi Adv. VIII-3.

Vocalium] Vict. Grut. *vocum.*

Cap. 45. *Vocales*] Vict. Grut. *voces.*

Palm' et crinibus] Lamb. *passi' crinibus.*

Axilla, Ala factus est] Plerisque lexicographis imposuit hic locus. *Axillam* interpretati sunt minutam alam, absurde. Viri proprium nomen est, qui primum Axilla, deinde Ahala, postea Hala, denique Ala dictus est. *Vester* Axilla appellatur a Tullio, quia librum hunc scripserat ad Brutum, qui maternum genus referebat ad Servilium Alam. PRUSTEUS.

Maxillis] Pro *maxillis* malas, pro *taxillis* talos, pro *vexillis* vela, pro *paxillis* palos dicimus. IDEM.

Ex eo est mecum] Quæret aliquis, cur ergo dicimus, *mecum, tecum, secum, quicum, vobiscum*, et cætera id genus, quæ nullam fugiunt διεγχρολογίαν: *Ut esset*, inquit, *simile illis nobiscum*, &c. Hoc igitur ad effugiendum cacophaton, illa ad analogian quandam reperta sunt. Cicero de Oratore: *Noluimus*, cum me, *et* cum te *dicere, ne eidem computationi adjungendum esset* cum nobis: *sed potius* mecum *et* tecum, *et* secum, *et* nobiscum *diximus*, cum præpositione, quæ facit obscœnum, assidue postposita. STREBÆUS.

Cap. 46. *Patris mei*] De sententia horum et sequentium versiculorum, auctore me, nemo vehementer laboraverit. Desumpti sunt ex veteribus poetis, quorum carmina maximam partem periere. PRUSTEUS.

Censoria tabulæ] Commentarii et litteræ censorum, in quas referunt civium nomina, et singulorum censum. Sunt et censoriæ tabulæ, quibus ignominiosi notantur, in quos a censoribus subscriptum est. STREBÆUS.

Dua] Antiquo more dictum. Quam in rem Quintilianus libro I. cap. 5. *Quid quod*, inquit, *quædam, quæ singula procul dubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? Nam et* dua, *et* tre, *et* pondo, *diversorum generum sunt barbarismi: at* duapondo, *et* trepondo *usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messala confirmat.* PRUSTEUS.

Cap. 47. *Imminutum*] Imminuta et diminuta vim eandem habent apud Latinos scriptores, sed a rhetoribus et grammaticis bifariam distribuuntur. *Imminuta* sunt vocabula, quibus aliqua syllaba per syncopen seu concisionem detracta est; quibus vocabulis respondent *plena*, ut *maxilla* plenum est, *mala* imminutum vocabulum. *Diminuta* minuunt significationem rerum, et numerum augent syllabarum, ut *homulus, homunculus, homuncio.* Iis opponuntur *integra*, ut *homo.* PRUSTEUS.

Cap. 48. *Inclytus*] Vide Gellium, lib. II. cap. 17. PRUSTEUS.

Nusquam nisi in vocali] Huc pertinent quæ Fabius lib. I. cap. 5. tradit de aspiratione: *Parcissime ea veteres usi, etiam in vocalibus, cum* ædos, ircosque *dicebant. Diu deinde servatum ne consonantibus aspiraretur, ut in* Græcis *et* triumphis. *Erupit brevi tempore nimius usus*, ut choronæ, chenturiones, præchones *adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma est:*

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et hinsidias Arrius insidias. &c. IDEM.

Aliquando, idque sero] Consuetudo et usus aspirandi veteribus Romanis fuit, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, ut *homo, inhumanus, vehicula, trahebat.* Hanc veluti legem secutus Cicero, reclamante populo dicebat sine aspiratione *puleros, Cetegos, triumpos, Cartaginem*, et cætera id genus. Aliquando tamen, idque sero, cum veritas, id est vera loquendi ratio extorta esset homini aurium convicio, hoc est auribus ipsius indignantibus, et tacite conviciantibus illa sicciora durioraque sentiri, tum cœpit ire per viam publicam, et cum populo dicere *pulchros, Cethegos, triumphos, Carthaginem*, quæ nunc quo-

que scribendo servamus aspiratione mollita: sed ut plerisque pronunciatio est, aspiratio non auditur. *Usum*, inquit, *populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Ex arte præceptisque scientia comparatur, a qua si loquendi consuetudo dissentit, tum censet consuetudini potius et auribus quam scientiæ parendum. STREBÆUS.

Qua pontus Helles] Non dubium est, quin admittenda sit scriptura, quam e Seneca eruit Lipsius noster, Quæst. ep. V. 5. et Senec. ep. 81. *Qua ponto ab Helles.* GRUTER.

Insuavissima littera] S nimirum, quæ, teste Halicarnasseo, libro de compositione nominum, ingratum efficit sonum, et si sæpius usurpetur, vehementer offendit: quare caute a veteribus adhibita est. Porro Asias, ubi duplex S. genitivus est antiquus, ut *familias*, &c. PRUSTEUS.

Cap. 51. *Is igitur versum*] Aristoteles lib. III. Rhetor. cap. 8. de numero præcipit, *Ut dictionis forma neque versibus constet, neque numero careat.* PRUSTEUS.

Theodectes] E Lycia orator, Platonis, Isocratis, et Aristotelis discipulus. Scripsit versu artem oratoriam: animum etiam ad poesim tragicam summa laude appulit. Obiit anno ætatis XLI. Floruit Olympiade CIII. *Suidas.* IDEM.

Quia ipsi suis sensibus] Est qui malet, duce Lambino: *Quid? ipsi suis sensibus non moventur?*

Cap. 52. *Id autem est genus*] Collocationis verborum, ut ante Cicero explicuit cap. 44. triplex est genus: primum, ut inter se verba aptissime cohæreant extrema cum primis: alterum, de quo hic agitur, ut ipsa verborum concinnitas conficiat orbem suum: tertium, ut comprehensio numerose cadat. PRUSTEUS.

In eo libro] In oratione ad Philippum, qua eum hortatur, ut præcipuis Græciæ urbibus reconciliatis, bellum Persis inferat. PRUSTEUS.

Cap. 54. *Quod voce jucundum est, et quod moderatione absolutum*] Fortasse, *modulatione*, ut et lib. I. de Orat. (cap. 60.) ubi omnes vulgati: *adstrictus certa quadam numerorum moderatione, et pedum.* Hic etiam placeat, *modulatione.* MURETUS.

Cap. 55. *Neque enim ipse versus ratione est cognitus*] Si rhythmus et metrum ratione cognita essent, ratio redderetur: sed a natura parta sunt, a sensu notata, ratione dimensa. Quamobrem tantum dici potest, rationem mensura comprehendisse, quæ natura peperisset. Ergo ratio versum numerumque metitur, sed non parit. STREBÆUS.

Eadem, superiorque ætas] Quintilianus, IX. 4. Ciceroni refragatur. *Nec mihi*, inquit, *quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit Lysiam, Herodotum, Thucydidem parum studiosos ejus* numeri fuisse. PRUSTEUS.

Cap. 56. *Nondum*] Sic Lambinus: sed Victor. *non modo:* Man. et Grut. *non domo.*

Pes enim] Cujus loci hæc est sententia. Pedes ex quibus numeri conficiuntur, triplicis sunt generis. Alii sunt æquales, et unam partem habent æqualem alteri: tales sunt spondei: qui constant ex duabus longis, tales dactyli, quorum prima longa duabus brevibus æqualis est. Alii duplices sunt, quorum una pars altero tanto major est altera: ejusmodi iambus est, brevis enim syllaba longa est dimidiata. Alii denique sunt sesquiplices, quorum altera pars altera dimidio major est, ut pæon sive pæan, qui longa una syllaba et tribus brevibus constat. At longa syllaba in temporum metricorum ratione duas breves æquare dicitur. Ita fit ut tres breves longam unam dimidio superent. Nam ternarius ad binarium relatus sesquialteram proportionem habet. Ita fere Budæus lib. I. de Asse. PRUSTEUS.

Sesqui pæon] Vict. *sesqui pæan*, Lamb. *sesquiplex pæan.*

Quod vehementer est vitiosum] Nec cavit Cicero, cui interdum versus etiam heroici exciderunt: ut pro Archia,

In quo me non inficior mediocriter esse

Versuum. Immo lib. III. de Oratore, quo vitium hoc exagitatur, inventum est integrum distichum. Sic enim loquitur Crassus, cap. 5. *Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo*

Compleri, plus multo etiam vidisse videntur,
Quam quantum nostrorum ingeniorum acies

Intueri possit. Vide Vossium lib. IV. Institut. Orat. PRUSTEUS.

Cap. 57. *Æqualem dactylo*] Æqualis est dactylo spondeus ratione non syllabarum, sed intervallorum: ut enim quatuor habet spatia dactylus, duo priora ratione unius longæ, duo posteriora ratione duarum brevium, sic spondeo propter duas longas quatuor sunt spatia. PRUST.

Si ponatur extremus] Numerosum est hoc quartæ Catilinariæ exordium. *Video, P. C. in me omnium vestrûm ora atque oculos esse conversos*. Desinat trochæo, *conversos esse* vel *esse conversos video*, mirum quantum deficiet. IDEM.

Cap. 62. *Adhibenda*] Lamb. *adhibendum.... retinendum..... commutandum*

Quam ipse includit] Hæc verba arbitror non esse Ciceronis, sed aliena, atque ab aliquo ad oram libri adscripta, quibus significabat ille, quisquis fuerit, perorationem numeratam, et quodam modo inclusam esse in iis orationis partibus, in quibus numerose fusam orationem locum habere dicit M. Tullius. Quod si quis contendat esse Ciceronis, ita esset legendum: *quam ipse inclusi*: quod tamen loquendi genus non esset satis concinnum. Quod autem alii hæc verba, *quam ipse includit*, sic interpretantur, quam ipse orator terminat, ut sit hæc hujus loci sententia, De peroratione non esse opus præcipere, quamdiu hæc numerosa oratio in ea sit retinenda; utpote quam ipse orator includit ac terminat, ut longior esse non possit: multo minus probo. Dixisset enim potius, *quam ipse finit ac terminat*, vel, *claudit ac terminat*. LAMBINUS.

Κόμματα et κῶλα] Κῶλον *membrum*, et κόμμα *incisum*, nonnisi longitudine differre sentit Hermogenes lib. IV. de Inventione. Periodus sententiam comprehendit, in qua protasis est, et apodosis. Quæ autem sententia est uniusmodi, simplex, nec in se reflexa, si ultra versus heroici longitudinem progrediatur, Hermogeni membrum dicitur, ut illud Ciceronis Philippica II. cap. 22. *Omnino nulla causa justa cuiquam esse potest, contra patriam arma capiendi*. Quæ brevius concluditur sententia, appellatur incisum: ut *furor arma ministrat. Trahit sua quemque voluptas*. Membratim dixit Cicero lib. I. in Verrem cap. 89. *Placent vobis hominum mores? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, ut per hæc tempora tractatos videtis? Cur hæc a me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media oratione consurgitis, atque disceditis? Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere*. PRU.

Cap. 63. *Tum incitatius, brevitate pedum*] Id præcipue patet in versibus. Quid his Virgilii numeris incitatius?

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis, ferit æthera clamor.

His autem quid tardius?

Belli ferratos rupit Saturnia postes. ID.

Hæc quidem duo] Nempe verba *O Marce Druse*, et *patrem appello*, exprimuntur incisis duobus pedibus, *O Marce* antibacchius est, *Druse* choreus: *patrem appello* duplex spondeus, vel iambus et choreus. PRUST.

Hæc item membra ternis] Horum membrorum *(Tu dicere solebas)* et *(sacram esse rempublicam)* primum quidem continet spondeum, tribrachyn, et spondeum; alterum autem, si nulla fiat elisio, constat ex anapæsto, iambo, et dactylo. IDEM.

Dichoreus] Qui hoc vocabulo *persolutas* habetur. Neque enim refert,

ultima syllaba longa sit an brevis. Ex Terentiano Mauro ut versus, sic

Commataque hoc ipsum juris habere volunt. IDEM.

Cap. 64. *In incisionibus vero multo magis, et in membris*] Sensus indicat legendum: *multo magis, quam membris.* Incisa enim Cicero distinguit nominatim a membris, quod manifesto exponet paulo posterius. Et quod sequitur, nostram sententiam confirmat: *Paucitatem enim pedum gravitate sive tarditate compensat.* Scilicet, cum in *incisionibus* pauciores sint pedes, quam in *membris*, spondeus in illis compensat *paucitatem sua tarditate.* Etenim si spondeus aptus sit *incisionibus*, et *membris*, nullum video tertium, cui minus aptus esse possit. ANONYMUS.

Pedum] Lamb. *syllabarum.*

Choreo] Lamb. *trochæus*, Man. *choreus.*

Dactylus] Tradit hic Tullius dactylo et spondeo periodum volubiliter finiri. Qui congruit hæc præceptio cum iis quæ superius dixit? et in Partitione oratoria cap. 72. expressis verbis ait, orationem circumscribendam esse *numerose, non ad similitudinem versuum.* Qui convenit cum præcepto Quintiliani lib. IX. cap. 4. *Ne dactylus quidem spondeo bene præponitur, quia finem versus damnamus in fine orationis.* Mihi quidem vitiosa tum videtur conclusio, quæ fit duabus vocibus, quarum vel altera sit dactylus, altera spondeus, ut *Gaudia pelle;* vel altera sit choreus, altera bacchius, ut, *Pelle timorem:* sic enim vulgo desinunt hexametri versus. At si unico vocabulo comprehendantur et dactylus et spondeus, numerose claudet periodum, ut patet ex lib. I. in Verrem cap. 13. *Cum in tantis incommodis aratorum injuriisque decumanorum, nullum ex isto præclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem judicium inveniatur.* Item eleganter claudet periodum vox ex duabus brevibus totidemque longis composita, præsertim si ex pluribus syllabis compositum vocabulum præcedat: ut oratione post reditum in Senatu cap. 9. *Qui mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dexteramque porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit.* Aurium enim judicio hujuscemodi clausulæ, licet in iis sit dactylus et spondeus, vix ullam videntur habere cum versu similitudinem. PRUSTEUS.

Nunquam enim interest] Dissentit a Cicerone Fabius lib. IX. cap. 4. *Neque ego ignoro*, inquit, *in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori ex eo quod insequitur, accedere. Aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrum ne longa sit quæ cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere*, incipientem timere, *quam illud* ausus est confiteri. PRUSTEUS.

A quibusdam] Quibus accedit Quintilianus lib. IX. cap. 4. ubi ait pedes non excedere tres syllabas, adeoque pæonem et dochimum numeros esse, non pedes. PRUSTEUS.

Dochmius] Vulgo *Dochimus.* Primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam, ut *amicos leves.* Grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves; ut *hyacinthini.* TURNEB. Nescio quo bonarum litterarum fato factum fuisse dicam, ut post tot Fabianæ Institutionis editiones a tot tamque doctis viris adornatas hæc barbara vox *Dochimus* huc usque locum tenuerit τοῦ *Dochmius:* quam veram esse lectionem, satis demonstratur ex Hephæstionis opusculo περὶ μέτρων, et ex veteribus Grammaticis edit. Putsch. in quibus constanter legitur δόχμιος, *dochmios*, et *dochmius.* Vide Diomedem pag. 419. Cæsium Bassum pag. 267, et Rufinum pag. 2714. Attamen pravæ lectionis illius *Dochimus* macula omnes, quas quidem viderim, Ciceronis ipsius editiones inlecit. Quid? quod ipse Vossius, et ipse Jovita Rapicius, qui de oratorio numero unus fere omnium optime scripsit, depravatam illam lectionem

passim secuti sunt. Futurum jam spero, ut, qui oratoriarum artium scriptores in lucem deinceps edituri sunt, pro τῷ *Dochimus*, quod ferri nequit, τὸ *Dochmius* typis curent excudendum. CAPPER. ad Quint. IX. 4. n. 346. pag. 605.

Cap. 67. *In alienos insanus insaniti*] Victorius lib. XVIII. cap. 9. Variarum Lectionum, non videre se ait quem locum hîc habeat harum vocum secunda. PRUSTEUS.

Omnia] Lamb. *omnis.... comprehensio longior sustinetur..... dichoreoque finitur.*

Tanquam crepidine] Ad Græcorum imitationem Victorius ibidem ostendit expressam hanc metaphoram. PRUSTEUS.

Membratim tractata] Legit Manutius *tracta*, quod verbum ad sententiam et ad usum Latinæ linguæ aptius existimat. IDEM.

Quam] Omittunt Vict. Man. Grut.

Binis, aut ternis ferire verbis] Exemplum in eo genere sit illud ex I. Catilinaria cap. 1. *O tempora! o mores! Senatus hæc intelligit, Consul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrûm. Nos autem viri fortes satisfacere reip. videmur, si istius furorem ac tela vitemus.* Vides Catilinam incisis primum acriter urgeri; tum membra succedere, quæ omnia denique periodo tanquam crepidine sustinentur. PRUSTEUS.

Inter quas] Lamb. *inter quæ.*

Cap. 68. *Interductu librarii*] Id est, virgula aut puncto quod figit is qui libros manu scribit. Non enim quia punctum est, quiescit ambitus: sed quia desinit comprehensio, signum interducitur. STREBÆUS.

Tantumque abest, ne, quod ii, &c.] Legendum omnino: *Tantumque abest, ut, quod....* Nam hoc loco *ne* stare non potest. Est hujus loci sententia: Tantum abest, ut compositio verborum enervet orationem (quod ii soleat dicere qui hoc.... non sunt assecuti,) ut sine compositione nec impetus ullus, nec vis in oratione esse possit. Sic enim Cicero sæpe *ut* geminatum ponit cum ea formula *tantum abest.* Exempla suppeditat Godescalcus Stewechius, in libro *de Particulis linguæ Latinæ*, v. *Tantum abest ut, ut.* ANONYMUS.

Cap. 70. *Trallianus*] Trallis Ptolemæo Phrygiæ urbs, ubi corrupta et inquinata dictio, ab Atticorum elegantia longe remotissima. PRUST.

Cap. 71. *Sed si quos*] Hujus loci sensus est: Si quis pressum, concisum, et a numeris alienum dicendi genus usurpare voluerit: usurpet sane: ea tamen conditione, ut singulis incisis et membris substet laudabilis sententia. Sit ejus dictio similis clypeo Minervæ, quem sculpsit Phidias: qui si dissolvatur, tolletur quidem universa species clypei, at in singulis partibus, puta in sua quam Phidias ipse fabricatus est effigie, supererit venustas. Tolerabile est non absolutas periodos conficere, si reliqua suppetant ornamenta, ut in Thucydide, cui præter orationis comprehensionem et ambitum vix quicquam deest. PRUST.

Phidiæ clypeum] Phidias *clypeo Minervæ effigiem suam inclusit: qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.* Valer. Maxim. lib. VIII. cap. 14. ID.

Quæ duo sunt ad judicandum levissima] Ut vulgus, sic instabile vulgi judicium, cui tamen probari debet orator. Deinde judicium aurium non modo superbissimum ac fastidiosissimum est, sed etiam incertissimum. Aliud aliis placet, atque hinc non leves inter peritissimos artis magistros de numeris oratoriis controversiæ. ID.

Impudentiam] Fortasse, *imprudentiam*, ut, unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Hinc enim orsa est: *Malo.... desiderari a te prudentiam meam*, &c. MURETUS.

TOPICA.

AD C. TREBATIUM.

Cap. 1. *Rationem*] Lamb. *ratione et via.*

Tuaque, et tuos vidi] Trebatii paternæ possessiones Veliæ erant. Vide epist. Ciceronis ad Trebatium, Fam. VII. 19. et 20. GOVEANUS.

Cap. 2. *Dicuntur*] Lamb. *ducuntur.*

Si neque censu] Ciceronis temporibus libertate donabantur servi triplici modo, censu, vindicta, testamento. *Censu* quidem, cum quis jubente aut consentiente domino nomen deferebat in censum; soli enim cives Romani olim censebantur. *Vindicta*, cum lictor vindictam, quæ virgula est, manumittendi servi capiti imponens, eundem servum hac solenni verborum formula, *Liber esto*, in libertatem vindicabat: quo tempore dominus servum alapa percussum circumagebat in gyrum, ut sic intelligeret sibi licitum in quamlibet partem abire. Denique *testamento* manumittebantur, cum quis servum suum testamento liberum esse jussisset. PRUSTEUS.

Cum lex assiduo] Hæc verba, *Ælia Sentia*, quæ Victorius, Manutius, et Gruterus hic admiserunt, inducenda censet ac tollenda Lambinus, quem Prusteus secutus est. Præiverat Goveanus, qui certe non ignorabat, *Æliam Sentiam* nonnisi multis post Ciceronis obitum annis sancitam fuisse, anno scilicet DCCLV. An vero emendationem hanc ipsam divinasse visus est sibi nuper quidam Vicentinus, qui suas Epistolicas Diatribas edidit Venetiis? An sine Goveano, Lambino, et Prusteo, etsi post ipsos, vidit quod jam ante viderant? OLIV.

Assiduum] Lex est XII. Tab. quemadmodum testatur Gellius lib. XVI. cap. 10. iis verbis scripta, ASSIDUO ASSIDUUS VINDEX ESTO: PROLETARIO CIVI QUIVIS VOLET VINDEX ESTO. Cujus vis et sententia hæc est: Locupleti fidejussor locuples sit, inopi quivis. In quo summa æquitas est. Quem enim homo tenuis locupletem pro se fidejussorem inveniat? Gov.

Ære] Lamb. *asse dando.*

Cap. 3. *Forma*] Vict. Man. Grut. *formula.*

Conjugata] Locum hunc ut inutilem improbat Fabius lib. V. cap. 10. immerito, cum sæpe vim ad persuadendum habeat. Ut cum ait Tullius pro Marcello, cap. 32. *Ingratus est injustusque civis, qui* armorum *periculo liberatus, unimum tamen retinet* armatum. PRUSTEUS.

Quoad suum nomen retinet] Forma quoad generis nomen retinet, nunquam a genere separatur: tum separatur, cum amisit. Legavit vir uxori ligna omnia, arbores stantes non legavit. *Suum* pro *ejus*, non semel a Cicerone dicitur: nisi malis *suum nomen*, naturale esse nomen: ut numi argentei nomen naturale sit *argentum:* quod quidem amittit, cum percussus est: tum enim *numus* dicitur. Gov.

Si ita Fabiæ] Ut Ciceronis mens intelligatur, observandum ex Boetio, tribus modis apud veteres Romanos duci solitam uxorem, farre, usu, et coemptione. Confarreatio ad pontifices tantum pertinebat: erant sacræ nuptiæ dictæ, ut ait Dionysius in Romulo, quod eodem farre conjuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Usu fiebat matrimonium, cum uxoris et mariti convictus

per annum constans et stabilis fuerat tumque dicebatur uxor usucapta. Denique coemptio certis solemnitatibus peragebatur, et sese in coemendo invicem interrogabant. Vir ita, an sibi mulier materfamilias esse vellet. Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet: ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem: quod, teste Varrone, mulieres assem unum tanquam emendi causa marito darent. Jam vero ut ad exemplum a forma petitum redeamus, uxor genus est: ejus duæ formæ: altera matrum familias, altera uxorum tantum. Si cui uxori, quæ mater esset familias, legata sit pecunia: a forma recte concludetur nihil ei jure deberi, quæ uxor tantummodo habetur. PRUS.

Cellis vinariis et oleariis] Earum rerum quæ usu consumuntur, usus fructus neque naturæ jure, neque vero civili constitui potest: cum *usus fructus*, uti Paulus ad Vitellium scribit, aliud nihil sit, *quam jus aliena re utendi fruendi, salva rei substantia:* ut re sublata et consumpta, tolli usum fructum necesse sit. Cum igitur oleum, vinum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, quæ et ipsa usu et assidua permutatione quodam modo extinguitur, utendo consumantur, neque in hoc rerum genere constitui ususfructus possit: non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, vino et oleo relictis, putare jus sibi esse utendi fruendi. Usus enim ei, non abusus relictus est. GOV.

Cap. 4. *Se capite nunquam diminuit*] Capitis diminutio est prioris status permutatio. Triplex autem recensetur. Tria enim, inquit Paulus, habemus, libertatem, civitatem, familiam. Cum hæc omnia amittimus, maxima est capitis diminutio. Cum civitate amissa, libertas retinetur, ut cum quis in colonias Latinas transmigrabat, erat media capitis diminutio. Minima autem, cum familia tantum mutabatur, cum quis adoptabatur, vel alieno juri subjiciebatur, vel emancipabatur. Mulieres autem antiquo jure tutela perpetua continebantur, nec recedebant a tutoris potestate, nisi in manum viri convenissent; atque ut tunc erat status prioris mutatio, ita dicebatur capite diminuta. Adde quod cum ejus familia uno capite, id est, una persona diminuta esset, uxor in viri familiam transiens, diminuta capite non immerito vocaretur. PRUSTEUS.

Si viri culpa] Quæstio est, an mulier facto divortio debeat partem dotis viro relinquere, unde communes liberi alantur. Solvitur ab antecedentibus. Si viri culpa factum est divortium, verbi gratia, si conjugem asperius tractaret, licet uxor secesserit a marito, eam nihil oportet relinquere liberis, qui in patris potestate sunt. IDEM.

A consequentibus] A consequentibus ducitur argumentum, cum propositis duobus, a posteriore argumentamur, hoc modo, Mulier servo cui imprudens nupserat, nuncium remisit: qui ex ea conjunctione nati sunt, patrem non sequuntur. Quare pro liberis ex dote apud patrem manere nihil oportet. Id quod ex eo collegi, quia patrem liberi non sequerentur: quod e duobus quæ proposui, posterius est. GOV.

Ancillarum usumfructum] Ususfructus ancillarum, omnis ea utilitas est, quæ ex ancillis percipi potest, præter earum partus, qui in fructu non sunt, sed ad proprietatis dominum pertinent: neque enim placuit homines in fructu esse, *quorum gratia rerum omnium fructus natura comparavit.* IDEM.

Omnibus] Exemplum hoc aliquanto obscurius, statu quæstionis proposito, sic explicari potest. Jus est omnibus, ad parietem communem adjungere vel solidum vel cameratum parietem. Sempronius ad parietem sibi cum Titio communem, pro suo jure fornicem adjunxit. Titius cum

subinde vellet aliquid extruere, de pariete communi nonnihil demolitus est, pollicitus damnum, si quid ex ea demolitione contingeret, se reparaturum. Eversus est cum reliquo pariete fornix: postulatur damni Titius, quod parietem communem subverterit. Hic ab efficiente causa sic se purgat: Nisi fornicem adjunxisset Sempronius, accisus murus non corruisset; non igitur damnum præstare debeo, quod meo vitio factum non est. PRUST.

Quod in re majore] Hotomano lib. II. Observ. cap. 2. placet eorum sententia, qui duplicem hic negationem deesse putant, ut locus sic legatur: *Quod in re majore non valet, non valeat in minore:* quoniam, ut ex eo tertio Aristotelis Topicorum libro patet, argumentum ex majore ductum, tantum valet ad refellendum, et majus id dicitur, quod probabilius est. Itaque allatum a Cicerone exemplum, uni refutationi idoneum est, quasi videlicet probabilius fuisset fines in ea urbe regi, quam aquam in eadem arceri. Hoc idem exemplum Cicero inferius ad similium locum retulit. IDEM.

Licet idem exemplum] Exemplum superius convertatur, fiet comparatio a minori ad majus, hoc modo. In ea civitate aqua arcetur; ergo multo magis fines reguntur. Minus enim quiddam est aquam arcere, quam fines regere. IDEM.

Quoniam usus] Hæc est lex XII. Tabularum. USUS AUCTORITAS FUNDI BIENNIUM ESTO: CÆTERARUM OMNIUM RERUM USUS, ANNUS ESTO. Hotomanus pro *biennium* definit reponendum esse *biennis*, et *annuus* pro *annus*. Sed frustra, cum in oratione pro Cæcina cap. 19. etiam idem fere legatur. *Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium: at utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* Hic *auctoritas* est jus dominii. Quod autem a pari ducatur argumentum, ex ipsis Tullii verbis et interpretatione nostra manifestum est. In eo conveniunt ædes et fundi, quod sint res non moventes. PRUST.

Si ita respondeas] Id est, *Si respondeas id æquum tibi videri, quod de ambitu ædium dixit Scævola; nempe id esse tantummodo ambitus ædis, quoad uterque vicinus communem parietem projecerit: unde divortium aquarum fiat, et in cujusque illorum ædes aqua pluvia defluat*, nimirum ut dimidia parietis pars ad unum, altera ad alterum pertineat: et linea communem parietem æquabiliter secans, ambitum ædium utrinque designet. PRUS.

Id solum esse ambitus] Obscurum et implicatum locum interpretati sumus ex mente Hotomani, qui lectionem sic putat restituendam; ut *quoad* pro *quod* reponatur, et vox *tectum* tollatur. Cautum erat lege XII. Tabularum, ut inter vicinorum ædes ad circumeundi facultatem spatium esset pedis sestertii, sive, ut exponit Volusius Mæcianus, duorum pedum et semis. Ejus structuræ domus, insulæ dicebantur, quarum ambitum definire cuivis facillimum erat. At juris controversi fuit earum ædium ambitus quæ communi pariete jungebantur. In interpretatione exposuimus Scævolæ mentem, quæ Hotomano videtur perquam obscura. Ista enim ratione videretur Scævola significare, non licere in communem parietem tigna immittere ultra lineam, quæ medium parietem intersecat; cum tamen aliud in jure definiatur. Fortasse ad eam controversiam Scævolæ responsum pertinet, quo uterque vicinus communi pariete uti vult in ædificando, et suis trabibus pari eodemque loco immittendis. Quo casu locus esset Q. Mucii sententiæ, ut recte conjicit Hotomanus, Observ. lib. II. cap. 3. IDEM.

Protexisset] Protegere est tectum projicere, inquit Budæus: protecta et projecta partes sunt domus prominentes, qualia sunt, meniana, et podia pensilia, unde aspectus est nobis in vicos et plateas. IDEM.

Cap. 5. *Conformatio*] Pro eodem dicit M. Tullius *conformationem, notionem*, et *intelligentiam:* quam Græci ἐννοιαν appellant. Tutelæ igitur con-

pus nullum subest: est tamen notio quædam in animis nostris impressa, quæ sæpe definienda est. Neque enim facile est intelligere id quod neque videtur, neque tangitur, nisi definitione explicetur. Neque tamen putandum est, ita dicere M. Tullium, rerum earum quarum nullam subest quasi corpus, notiones esse, ut earum rerum quarum subsunt corpora, notiones esse neget. Cum enim hæ quoque res definiantur, nihilque nisi notio possit definiri: negari non potest, quin harum quoque rerum notiones sint. Sed hoc interest, inter fundum et tutelam, quod fundi et notio sit, et corpus quoque aliquod subsit: tutelæ nullum quasi corpus subest, notioque duntaxat est. Gov.

Quæ mancipi est] Res mancipi dicuntur quæ sunt in nostra potestate, quas ex nostro ad alterius dominium transferre possumus. Mancipi est indeclinabile in singulari et plurali Prusteus.

Nexu] Nexum, vel nexus (utroque enim genere dicitur) id est quod per libram et æs agebatur, quemadmodum scribit M. Tullius III. de Oratore. Agebatur autem ita, adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, et præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur librípens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit, *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio:* isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutit libram: idque æs dat ei a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Gov.

In jure cessio] Hoc fiebat modo. Apud magistratum populi Romani, vel apud prætorem (hoc enim est, *in jure)* vel præsidem provinciæ, is cui in jure ceditur, rem tenens ita vindicat, *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio.* Deinde postquam hic vindicaverit, prætor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet. Quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit: idque legis actio vocabatur. Idem.

Inter quos ea jure civili fieri possunt] Jure civili fieri aliquid non inter alios, nisi inter cives Romanos potest, quorum est etiam jus civile, quod duodecim Tabulis continetur. Boetius.

Græci ἰδέας vocant] Plato princeps *ideas* induxit, easque, uti scribit M. Tullius, mirabiliter est amplexatus. Ideas autem vocabat, quædam veluti simulacra, exemplaria, typos, imagines rerum cæterarum: quas intuens Deus Opt. Maximus, ad earum similitudines manum veluti in fingendis rebus dirigeret, nihilque nisi perfectum faceret. Dictæ itaque videntur ἰδέαι a verbo ἰδεῖν, quod est εἰσορᾶν et intueri: quoniam eas Deus faciens quid, semper intuetur. Qua eadem ratione *species*, a Latinis sunt appellatæ a verbo *specire*, quod videre est: vimque Græcæ dictionis melius *species*, quam *forma*, exprimit: quanquam M. Tullius eodem nomine idem significari putet, malitque formam quam speciem dicere, propter duritiem quorumdam casuum: teretes enim et molles ejus aures, *specierum* et *speciebus* audire non possunt, *formarum* et *formis* non respuunt. Gov.

Formas qui putat idem esse, quod partes] Formæ ad *genus*, partes ad *totum* referuntur. Inter genus et totum hoc interest, quod genus de suis formis affirmatur, totum de partibus nunquam: genus ex suis formis non constat, totum ex suis partibus constituitur: genus formis prius natura est, totum partibus et tempore et natura posterius: generis natura universa in unaquaque forma includitur, natura totius universa in nulla suarum partium inest. Govean.

Cap. 8. *Partitione*] Etsi vix quicquam est discriminis partitionem inter ac divisionem, nonnihil tamen hic ex rhetorum institutionibus statuit Tullius. Partitionem vult esse totius in partes, divisionem generis in formas. Cum totum infinitas aliquando partes habeat, in partione minus insignes omittere non est vitiosum. At cum certus sit formarum numerus, quæ generi subjiciantur,

in divisione aliquas omittere vitiosum est. PRUSTEUS.

Itaque in oratoriis] Sententiam exemplo probat Cicero. In arte oratoria quæstionis genus dividendum proponatur: nefas erit vel unum præterire. Dicendum erit triplicem esse quæstionis statum: primum conjecturæ, alterum definitionis, tertium denique qualitatis. At si recensendis elocutionis luminibus ac figuris partitionem volueris adhibere, non est necesse singula tum verborum, tum sententiarum ornamenta persequi: hoc enim infinitum foret: illustriora satis est enumerare. IDEM.

Mancini] Vide lib. I. de Orat. c. 40.

Cap. 9. *Aquam pluviam*] Definitur ab Ulpiano aqua pluvia, quæ de cælo cadit, atque imbre excrescit, sive per se hæc aqua cælestis noceat, sive cum alia mista sit. Hinc posset aliquis argumento a conjugatis ducto sic ratiocinari. Aquam pluviam licet arcere, ergo fluvium qui aqua pluvia crevit. PRUST.

Ut aqua pluvia] Argumenta non esse ab ultimo genere repetenda probat exemplo Tullius. Aqua pluvia genus est ultimum, cui subjiciuntur duæ species, aqua pluvia nocens, et aqua pluvia non nocens. Rursus aqua pluvia nocens fit genus, ejusque species sunt nocens loci vitio, et manu nocens, cum de industria alio derivatur ad alterius detrimentum. Si quis contendat arcendam esse aquam pluviam, generibus illis superioribus prætermissis, hæreat in infimo, atque ostendat aquam pluviam manu nocentem arceri oportere. PRUST.

Cum ex toto] Totum pro genere, partes pro formis seu speciebus sumuntur. Multum igitur ab enumeratione partium distat locus. PRUST.

Cap. 10. *Si in urbe*] Si cum de finibus in urbe disceptas, non potes uti arbitro finium regundorum, quia fines videntur agrorum magis quam urbis; ne arcendæ quidem in urbe aquæ, quia res tota magis agrorum est, arbitrum adigere possis. Arceri enim aquam in agris tantum dici solet, ut observat Boetius, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur, et defluens in campos vicini pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendæ aquæ a magistratibus statuebantur. IDEM.

In Curiana causa] Vide lib. I. de Orat. cap. 39.

Mancipio aliquem dedisse] Mancipio dare, est rem ita dare, ut evictionem præstaturos nos spondeamus; mancipio accipere, est eadem lege emere: mancipium enim significat dominii traditionem. Furtiva mancipio dari non possunt. Quare apud Plautum in Persa, Actu IV. Scena III. de muliere furto abducta dicitur:

Ac suo periculo is emat qui eam mercabitur,
Mancipio neque promittat, neque quisquam dabit. PRUSTEUS.

Cap. 11. *Non quemadmodum quod mulieri debeas*] Quanquam et mulieres et pupilli sub tutoris potestate sint, mulieri tamen recte solvi potest sine tutoris auctoritate: pupillo qui ita solvit, non liberatur. Nam neque hæreditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hæreditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa sit: ne ullam scilicet damnum habeant. De mulierum perpetua tutela nihil in libris Pandectarum legimus; quin contra legimus, emancipari, suique juris fieri non aliter quam mares possee. Cicero tamen in Oratione pro Muræna his verbis scribit: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt:* &c. Idem pro Cæcina, *Quod mulier sine tutore auctore promisit, non debetur.* De qua tutela legitima intelligendum puto Ciceronis illud in Oratione pro Flacco, *Usu*, inquit, *non potuit: nihil enim potuit de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui*, loquens de muliere quæ omnia sua bona doti dixerat. Dicendum igitur est, legibus XII. tabularum constitutam perpetuam hanc

mulierum tutelam; sublatam postea fuisse, ut pleraque alia. Plus tamen esse consilii in fœmina 12. annorum, quam in mare 13. eædem leges XII. tabularum statuebant: credo quod celerior sit cursus fœminarum, ut pubertatis, sic etiam prudentiæ. Gov.

Ut si hoc est, illud non est] Locum corruptum esse arbitror, legendum autem sic, *Ut est hoc illud, hoc illud non est*. Hæc enim ἀποφατικὰ sunt, illa minime, cum idem de eodem in illis non affirmetur et negetur. Gov.

Exemplum paulo ante] Repete supra, cap. 4.

Cap. 12. *Gallus*] C. Aquilius Gallus, de quo in Bruto.

Ne si nihil nisi quod ad te pertinent, scribendum putaris] Jocatur M. Tullius cum Trebatio, quem Epicureum esse sciebat, cujus disciplinæ erat se ipsum amare, et sua causa omnia facere. Vide ad Fam. lib. VII. ep. 12. Goveanus.

Cum primum assumpseris] Septem syllogismorum hypotheticorum, seu conditionalium, ut vocant, modos hic subjicit Tullius. Ac primus quidem is est, quo cum assumpseris id quod primum est, recte concludis quod conjunctum est: verbi gratia: Si justus est, jus suum unicuique reddit; atqui justus est; ergo jus suum unicuique reddit. Prusteus.

Cum id, quod annexum est] Alter syllogismi modus priori oppositus, quo cum negatum illud fuerit quod conjunctum est, id quoque cui fuerit conjunctum negari oportet: ut, Si jus unicuique suum non reddit, justus non est: atqui jus suum unicuique non reddit: ergo justus non est. Improbabitur a severioribus dialecticis hic argumentandi modus; contendunt enim ex propositionibus negantibus nihil posse colligi. At facile fuerit ad legitimam formam sic revocare. Qui jus suum unicuique reddit, justus est; atqui hic jus suum unicuique non reddit; ergo hic justus non est. Idem.

Cum autem] Tertius est hic argumentandi modus, quo, ut explicat Visorius, pronunciato connexo duplex negatio additur, quarum una toti propositioni, altera posteriori parti præfigitur: tum in assumptione prior pars affirmatur, ut in conclusione negetur posterior: cujus hoc sit exemplum. Non si jus suum unicuique reddit, non justus est; atqui jus suum unicuique reddit; justus est igitur. Ad primam argumentandi formam refertur hic syllogismus: duplex enim negatio vim habet affirmationis. Idem.

Enthymemata] Vulgari notione significat *enthymema* syllogismum imperfectum ex duabus constantem partibus, qualis est hic: Laudanda est omnis virtus, ergo et ipsa justitia. Hic autem enthymema sumitur pro acuta sententia, quæ ex contrariis conficitur. Tale est illud Ciceronis pro Milone: *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?* Enthymema proprie est cogitatio, inventum, ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, *intelligere, concipere*. Idem.

Cap. 14. *Aut hoc, aut illud*] Quartus hic argumentandi modus est hujusmodi: Judex hic aut justus est aut injustus; est autem justus; non igitur injustus. Prusteus.

Aut hoc, aut illud] Quintum hic exponit argumentandi modum, cujus hoc exemplum: Judex hic aut justus est aut injustus; non est autem justus; ergo est injustus. Prust.

Non et hoc] Exemplum sit: Non et justus est et injustus; est autem justus; non igitur injustus. Idem.

Non et hoc] Tale est illud: Non et justus est et injustus; non autem injustus; ergo justus. Idem.

Cap. 17. *Ex quo aries ille*] Id est, ex quo firmissima illa defensio. Metaphora ducta a machina bellica, quæ aries dicitur. Prust.

In arbitrio rei uxoriæ] Arbitrium uxoriæ rei tunc erat, cum post divortium de dote controversia oriebatur. Matrimonio contracto, dos penes virum erat; at ubi divortium contigisset, si viri culpa, bonum et æquum

exigebat nihil apud virum manere: si mulieris, ipsa dotem amittebat. PRUSTEUS.

Cap. 18. *Pervagata*] Lamb. *pervagata, ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, et faciant, angustis.*

Cap. 20. *Ut Staleno*] Rem aliquanto fusius narrat Cicero in Cluentiana cap. 28. *Illo ipso tempore in ædes T. Annii hominis honestissimi, necessarii et amici mei noctu Stalenus accersitus ab Oppianico venit. Jam cætera nota sunt omnibus: ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia: ut ille se redditurum dixerit: ut eorum sermonem omnem audierint viri boni, qui tum consulto prope in occulto stetissent: ut res patefacta atque in forum prolata, et pecunia omnis a Staleno extorta atque erepta sit.* Vide Brutum cap. 241. PRUSTEUS.

De Lacedæmonio] Pausanias Lacedæmonius cum de patria Persarum regi tradenda cogitaret, Argilio adolescentulo epistolam ad Artabazum ferendam dedit. Argilius in suspicionem venit aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant: resignata epistola cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille litteras ephoris tradidit, qui Argilium jusserunt ad aram in fanum Neptuni confugere: locum autem sub terra fecerant, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias audita causa cur Argilius supplex in ara sederet, perturbatus orare cœpit, ne quid enunciaret, nec se meritum de illo optime proderet. His cognitis, ephori hominem suo convictum testimonio, in æde Minervæ conclusum fame enecarunt. Anno 2. Olymp. LXXVIII. *Thucydid. lib.* I. *et Cornelius Nepos.* PRUST.

In Palamedem] Hic Ulyssis, qui, ne ad bellum Trojanum proficisceretur, insaniam simulabat, fraudem detexit. Irritatus mox inde Ulysses, supposititias Priami ad Palamedem de prodendis Græcis litteras fingit, quibus magnam se pecuniæ vim mittere aiebat Priamus. Accusatur Palamedes, cujus interim in tentorio auri pondus furtim infodi curaverat Ulysses. Hic illius causam tueri se simulat, nec ante damnandum contendit, quam aurum a Priamo missum reperiretur. Auro reperto Palamedes quasi reus lapidibus obrutus est. *Servius in* II. *Æneidos.* PRUSTEUS.

Quasi opera divina quædam] Quasi *oracula* divina quædam, legendum puto. Dii enim per res mutas et inanimes (cujusmodi mundus est, et ejus omnis ornatus) loqui nobiscum videntur, et futura præmonstrare: quemadmodum scribit Tullius in libris de Divinatione. GOVEANUS.

Cap. 21. *Propositum pars causæ est*] Est quasi pars: videtur enim causa propositum includere. Verbi gratia hæc causa, *An bellum Romani debeant inferre Carthaginensibus*, includit hanc quasi partem, quod propositum est; An bellum inferri debeat. PRUSTEUS.

Cap. 23. *Ad definitionem*] Id est, ad statum definitionis. PRUSTEUS.

Una pars legitima] Jus institutum tres in partes distribuitur: una pars legibus, altera pactis et conventis, tertia consuetudine antiqua constat. PRUSTEUS.

Cap. 24. *In quo primum insistit*] Verbi gratia sic procedat accusatio, *Roscius occidit patrem;* repugnabit defensio, *Roscius non occidit patrem.* Hic quodam modo hæret accusatio. Hic status conjecturalis: inquirendum enim ulterius, an Roscius patrem occiderit. Eadem est cæterorum statuum ratio. PRUSTEUS.

Contra Catonem meum] Cujus Fragmenta Tomo III. pag. 579.

Qua de re agitur] Quoniam ad jureconsultum scribit, jureconsultorum verbis lubenter utitur, quale est hoc, *Qua de re agitur:* quod nunquam vult, quam judicationem aut disceptatio-

nem, quæ κρατούνου propria translatio est. GOVEANUS.

Cap. 26. Man. Grut. *moderatæ.*

Rutis cæsis receptis] Q. Mutius libro singulari τῶν ἔρων, In rutis, inquit, et cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur. Recipere autem, est excipere et reservare sibi. GOVEANUS.

Quasi mancipio dare] Recte adjunxit particulam *quasi.* Nam mancipio dare, est alienare, ita ut rem accipientis omnino faciamus. At ita liber hic datus erat Trebatio, ut in eum jus etiam Cicero retineret. PRUS.

ORATORIÆ

PARTITIONES.

DIALOGUS.

ARGUMENTUM.

Utra potior sit inscriptio, DE PARTITIONE ORATORIA, *an* PARTITIONES ORATORIÆ, *disputent otiosi interpretes. Utramque rectam esse constat.* PRUS.

Quandoquidem habet hic libellus brevem duntaxat enumerationem eorum omnium, quæ multis hactenus de ratione dicendi, variisque sunt a Cicerone disputationibus explicata; nihil esse in eo difficultatis potest, quod superiorum jam librorum explanatio non expedierit: nisi forte quam affert socia brevitatis et comes obscuritas. At hæc ipsa neminem vel morabitur, vel terrebit, quisquis in libris hujus voluminis prioribus legendis fuerit bene ac diligenter versatus. Ad hunc librum sic paratus qui veniet, artem summi oratoris universum, præceptaque omnia regustabit cum voluptate; atque hoc agnoscet quam non frustra sit a me dictum in prologo, Ciceronis interpretem esse nullum Cicerone opportuniorem. *Si tamen explicationibus carere nequeunt juvenes, vel discipuli, vel magistri; habent in has Partitiones Commentarios uberes, ad puerilem institutionem apprime accommodatos, a duobus adornatos eruditis hominibus, atque in hac palæstra valde exercitatis, M. Ant. Majoragio, et Joan. Lud. Strebæo, quos describere neque hujus instituti est, neque vero spatii.* OLIVETUS.

Cap. 2. *Quæ infixa sunt rebus ipsis*] Post illa verba, nescio quid in editionibus Victorii et Manutii legitur: quod Lambinus e Partitionibus amovit, ut supervacaneum, et huc translatum e Topicis. Neque a Lambino, quod mirum, dissentit Gruterus. Ego igitur Lambino præclare admonenti parendum esse duxi. OLIVETUS.

Cap. 13. Lamb. *disputando confirmabimus.*

DE OPTIMO GENERE.

ORATORUM.

ARGUMENTUM.

Hic liber, Carisii testimonio, cui sane multum tribuo, (nam Pedianus, in argumento orationis pro Milone, ita loquitur, ut non affirmet) Ciceronis est: mutilus tamen mihi videtur. Nam et suspectam habeo brevitatem nimiam: et illa pars de conversis duabus Græcis orationibus, Demosthenis, et Æschinis, nullam cum hoc libro societatem videtur habere posse. Aut enim proœmium hoc est, propositum duabus illis orationibus; aut liber est de optimo genere Oratorum. Si proœmium: quorsum illa de Græcis oratoribus? quæ, si Carisio credimus, ad librum pertinent. Sin liber est: unde illa de conversione orationum? Præterea, in parte, quæ ad oratores pertinet, oratio significatur pro Milone habita, Cicerone jam senescente: at illas duas orationes non senior, sed adolescens potius convertisse Cicero videtur; ideoque divus Hieronymus non admodum in ea conversione Ciceronis probavit industriam. MANUTIUS.

Cap. 1. *Quod magis est tractatum a Latinis*] Fortasse, *quod magis est tractatum* a Græcis, quam *a Latinis*. MURETUS. Miror Ciceronem scripsisse dithyrambicum poema magis tractatum fuisse a Latinis, cum constet neminem unquam Latinorum carmen dithyrambicum composuisse. Itaque placeret, si hic locus ita legeretur, ut ex manuscripti libri corrupta scriptura, amicus meus homo doctissimus emendavit: *Poematis enim tragici, comici, epici, melici, dithyrambici etiam ac iambici, quod magis est tractatum a Latinis.* URSINUS. Memini, cum Romæ essem, hunc locum sic a Romulo Amasæo restitui: *quod* minus *est tractatum a Latinis.* Nam revera dithyrambicum poema nemo unquam Latinus scripsit, ut ille dicebat. LAMBIN. Mirum, cum dithyrambici carminis genus dicatur maxime tractatum a Latinis, ejus monumenta omnia vel injuria temporum, vel veterum incuria periisse. Nisi cui forte magis arrideat interpretatio Turnebi, lib. I. Advers. cap. 4. qui, *quod magis est tractatum a Latinis*, non ad dithyrambicum, sed universim ad poematum genus referendum putat. PRUSTEUS.

Certus sonus] Sonus in hoc genere verbum Ciceroni usurpatum in Bruto, c. 26. ubi de Fannii oratione quadam sic scribit: *Sed nec ejusmodi est, ut a pluribus confusa videatur; unus enim sonus est totius orationis, et idem stylus.* STATIUS.

De hominibus] Id est: Dicit aliquid de hominibus, quorum aliis alius est dicendi character; panca dicet de ipsa eloquentia, cujus idea perfectissima quæritur. PRUSTEUS.

Oratorem genere non divido] Oratoris munus est docere, delectare, permovere: quo si quis non fungatur, inter oratores non numerabitur. Ut autem id alius alio melius præstet, non genere ipso, sed gradu distabit a cæteris. Poetæ differunt genere: qui enim in arte dramatica excellet, si minime sit epoposiæ peritus, is ab epicorum poetarum genere exclusus locum inter comicos tenebit. PRUST.

Cap. 3. *Sed quatenus valuerunt*] Edendum curavi, *Sed* qui hactenus *valuerunt*, libris omnibus reclamantibus, sententia ipsa, et ratione postulante. Hoc enim sentit Cicero: *Qui hactenus valuerunt*, ut vitia vitarent, *sani dintaxat, et sicci habeantur*, et liceat illis *palæstrice in xysto spatiari;*

non autem coronam ab Olympiis petant; id est, non habeantur in principibus, oratoribus, neque perfectæ eloquentiæ laudem ferant. LAMBIN.

Cap. 4. *Nam si arrideantur*] Novum, opinor, loquendi genus: et malim, *arrideatur*. MAN.

Ad picturam probandam adhibentur] Rectius puto, *adhibeantur*. ID.

Quasi sicce et integre. At si ample] Ita locum hunc Lambinus restituit. Victorius, *quasi sicce et integre: et ample, &c.* Gruterus, *quasi sicce. At integre, et ample, &c.* Fed. autem Morellus ita legit, et interpungit, *eos solos Attice dicere. Idcirco si sicce et integre, et ample, &c.* Judicium esto doctorum.

Cap. 6. *Æschines, tanquam Æserninus*] Hic Æserninus fuit Samnis, id est, gladiator, et compositus cum præstantissimo gladiatore Placidiano, seu Pacidiano, quem commemorat Horat. Satyr. II. 7. 96. Proferuntur autem hi versus a Nonio Marcello ex Lucilio, c. 4. in *spatium:*

Æserninu' fluit flacco ore:
Samnis spurcus homo, vita illa dignu', locoque.
Cum Placidiano componitur? optimu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus?

Vide Tusc. I. 24. et ad Q. Frat. III. 4. LAMB.

Quam Græcas] Verborum ordo hic est apud Victorium, Manutium, et Gruterum: *quam Græcas. Iidem Andriam, et Synephebos: nec minus Terentium, et Cæcilium, quam Menandrum legunt: nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant: sed tamen Ennium, et Pacuvium, et Accium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Quod igitur, &c.*

Cap. 7. *Qui a senatu*] Vulgo, *quia in senatu. Demosthenes,* &c. Quam labem omnibus in editionibus inveterasse hactenus, eo mirere magis, quod anno jam M. D. XCVI. Federicus Morellus malo remedium attulerat, data in lucem hac opella, *cum insigni,* ut ipse inscripsit, *emendatione loci hactenus deplorati.* Qui locus hic ipse est, in quo nunc versamur. Atque ita quidem Muretum emendasse, testis est liber a me olim inspectus Romæ, de quo in præfatione admonui. Quid, quod eandem Petrus Faber, uti ex conjectura sibi oblatam emendationem proponit, in commentario ad Ciceronis Lucullum, cap. 4. Quis igitur hanc lectionem primus conjiciendo divinaverit, incertum est: sed negligere illam neque debuerant critici posteriores, nisi forte ignorabant, neque ego volui. Duces hic sane quatuor meos omitto: at fidem illis eatenus obligavi, ut fas mihi esset aliquando ab eorum recedere consensu; hoc est, ubi non posset videri dubium, quin a Cicerone ipsi recederent. Esse autem ab illius manu quod edendum curavi, ambiget nemo, qui Atticarum in Legum collectione, Tit. VI. n. 3. *De præmiis bene de Rep. meritorum,* eam viderit legem, quam hic Tullius respexit, et Latine sic reddidit, ut prope verbum verbo. Ἐὰν μὲν τινα ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων στεφανοῖ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὸν στέφανον ἀναγορεύεσθαι. ἐὰν δὲ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. OLIVETUS.

DELECTUS

COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS SECUNDI PARTEM PRIMAM.

ORATIONES.

JOSEPHUS OLIVETUS

LECTORI.

VETUS adagium est,* *Magnus liber, magnum malum.* Quod ut non usquequaque sit, et in omnibus fortasse verum; omnino est in Commentariis ad Latinos vel oratores, vel poetas, verissimum. Quid enim? librum tu mihi magnum affers, alterum ut intelligam non longiorem isto tuo, ac sæpe etiam breviorem. An est hic adeo tenebricosus, ut non aliter quam operosis possint molitionibus erui sensus, atque in apertum proferri? Pascat ergo blattas in tenebris: nec torqueas te frustra, ut scias, doceasque, quid chartis illeverit scriptor adeo non bonus, ut in eo vitium sit, quo nullum in scriptione capitalius, obscuritas. Hujus quidem tam est expers Cicero, quam omnibus abundans eloquendi virtutibus. Qui profecto si quid habet, quod intelligentiam fugiat ejus hominis, cui nec sensus communis desit, nec usus Latini sermonis; non in Cicerone culpa est, sed aut in librario, qui bene scripta male descripserit; aut in longinquitate temporis, quæ lectorem ab Romanis moribus, rebusque Ciceronianis procul segregarit. Quidquid autem occurrit difficultatis; id aut verba, aut res verbis subjectæ continent. Age ergo, ad utrumque genus profligandum, quid auxilii ab interpretum opera proveniat, exquiramus tantisper: quo quisque perspiciat, quam nihil, depascenda Com-

* *Callimachus*, apud Athenæum, lib. III.

mentariorum luxurie, iis perierit, qui, præter Ciceronem, in Cicerone quærunt nihil.

Primum de verbis. Hic ego interpretes in triplici ordine video posse collocari. Primus eorum esto, qui varias lectiones, etsi unam in illis agnoscant probam esse ac tenendam, omnes tamen colligunt. Alter eos comprehendat, qui, cum nihil certi habent, quod ab auctore profectum fateantur, librariorum vel conjecturas, vel aberrationes curoise, et quasi per ludum expendunt. Tertium genus est eorum, qui plausibile in codicibus quod nihil videant, aliquid ipsi, quod arrideat magis, comminiscuntur, et auctori supponunt.

Atque illi quidem, quorum obscura, ut scrutariorum, diligentia in lectionum varietatibus, et codicum quisquiliis occupatur, quousque tandem abutentur patientia nostra? Hoc nimirum volunt nos docere, non fuisse olim librariqs minus, quam nunc sunt, inertes ac mendosos. Putidiusne is faceret, qui librum hac scriptum ætate, ac sæpe jam typographorum manus et negligentiam expertum, sic in lucem nova editione reduceret, ut simul erratorum indices ex aliis editionibus attexeret? Quem enim habent fructum majorem toties ingesta nobis lectionum monstra, quæ qui alii ex aliis congerunt, monstra esse non diffitentur? Victorii quidem, Manutii, Lambini, et Gruteri immortalibus in Ciceronem meritis dedi, ut, quod illi ediderant, alicubi exhiberem. Varietates autem plerasque alias, quibus suffarcinatos videmus quosdam interpretes, si apponerem, non minus odiose facturum me existimavi, quam si glandes, inventis frugibus.

His proximi sunt, qui lectiones, si verba spectes, diversas; si pretium, æquales versant longis disputationibus, ut vocem unam aliquam, cujus se patronos faciunt, ante alias, quasi competitrices, promoveant. Videre est operæ pretium aliquando eorum ambitionem, et multiplices, longosque excursus: quot locos auctorum obscurent, unum ut scilicet illustrent. Vagantes si sequare, *modo Thebis* te ponent, *modo Athenis;* donec fessus de via, quo fuerat perveniendum, et unde sis egressus, tandem ignores. Atqui ego non invitus feci, ut ne lectores in hujus loquacitatis molestiam conjice-

rem. Quamvis enim longe absit, ut in grammaticis legendis animadversionibus existimem bonas horas male collocari; tamen ex una Sanctii Minerva plus auxilii ac luminis, quam ex innumerabilitate Tullianorum interpretum existere posse arbitror.

Tertium genus est eorum, qui in his locis, quæ videntur mendosa (et multa non temere videntur) sic divinant, ut in latente morbo circulatores. Alter, *Est hic vitium*, inquit. Alter, *Illic est*. Inopia laborat. *Immo redundantia*. Excidit inter scribendum una vocula, quam repono. *Contra, hæc tota comprehensio e margine in contextum irrepsit*. Corrigo. *Corrumpis*. Ita pugnant; idque, ut plurimum, *de lana caprina*. Pugnent vero, ac mutuis sese vulneribus, ut Cadmei milites, conficiant. At neque meum est, hic illis campum dare: neque tuum, si temporis pretium noris, hos audire ariolos, Cicerone omisso. Quæ tamen non sic velim accipi, ut ab homine dicta, qui conjecturis nihil loci relinquat, aut meriti. Aliquot video esse a viris doctis prolatas, quæ et voluptati sint, et fructui: aliquot, inquam, non multas. Reliquarum amputatio vix credibile est in quam breve cogat ampla Criticorum volumina.

Hactenus de verbis: nunc de obscuritate ea, quam afferunt res ab nostra memoria propter vetustatem remotæ. Quarum, in Ciceronianis, multæ idoneam ex veterum libris, qui supersunt, lucem accepere: nonnullæ etiamnum latent. Quæ nota sunt, in iis tanta est interpretum consensio, atque etiam communicatio, ut ea quisque describat ex aliis, neque aliena usurpare, sed communia, et in medio posita sumere videatur. At vero de aliis dissidia, lites, controversiæ, andabatarum certamina, nimirum in tenebris. Ubi autem nulla dissensio est, unicum advoco interpretem, et eum plerumque, qui verborum parcior. Ubi nihil certi; hoc ipsum admoneo, certi esse nihil. Plures enim devorandas male occupato lectori cur paginas offeram? quas perambulando defessus, mihi Terentianum illud obganniat, *Ut te cum tua monstratione magnus perdat Jupiter*.

Aristotelis interpretes Turnebus festive ejus facit hominis

similes, qui, quæ via ad urbem ferat, rogatus dicat: *Hanc viam* Alexander *secutus est, sed in puteum cecidit: istam* Themistius, *sed in præcipitium ruit: illam* Simplicius, *sed incidit in latrones: aliam illam* Philoponus, *sed toto triduo erravit, nec in urbem venit. Ut opinor,* inquit Turnebus, *isti nugatori diceretis: Non quærimus, qua non sit eundum, sed qua minimo negotio, nullo periculo, brevi compendio, in urbem veniendum sit.* Quam eruditi hominis censuram si traducas ad Tullii interpretes, nihil feceris præter æquum et bonum. Quare optandum fuit, ut hanc notarum silvam cum densarent multi, otio abundantes, ac, si volumus, etiam doctrina; alii non minore judicio sublucarent.

Anno MDXXXIX, Basileæ in lucem prodiit *Bibliotheca Commentariorum in M. T. Ciceronis Orationes,* volumen ingens: cui alterum tantum molis accessit Lugduni, anno MDLIV. At rejectis fere omnibus, qui tum in corpus illud coaluerant, alios, nec fortasse pauciores, in suam collectionem admisit *Joannes Georgius Grævius,* Criticorum nostra ætate princeps. Voluine igitur, *ab imo ad summum totus moduli bipedalis,* cum heroe memet componere? Quod literati homines, etiam tacente me, intelligent, id me palam atque ultro profitentem exaudiat quivis e populo, sibi a me vix offerri aliud, quam derivationem ubertatis Grævianæ. Plenis effudit, non tam manibus, quam calathis, flores omnis generis, atque herbas: legendi laborem commisit lectorum patientiæ, judicio delectum permisit. Itaque cum viderem ex hac tanta copia, si quorumdam expleatur curiositas, satietatem longe pluribus suboriri; meam iis dedicavi operam, qui necessariis contenti, in superfluitate nauseant.

Proinde non id spectavi, quod est ultra spem omnem, et neque annotationum Græviana congeries, neque humana sedulitas ulla consequetur, ut in Cicerone nihil difficultatis supersit. Erunt semper quæ non intelligas: et quo fiet tibi notior Cicero, et familiarior, eo senties magis, vanos esse promissores, quicunque persuadere volent, amplissima luce, quam attulerint, omnem esse discussam caliginem. At factum bene, quod loci omnes illi, qui lucem pertinaciter recu-

sant, non plurimi sunt numero, et legendi fructum non excludunt. Quis in amnem multa riparum amœnitate inumbratum descendere aliquando noluit, quod in fundo lapillos fortasse aliquos conspiceret? Tu vero immerge te in hoc amœnissimum eloquentiæ atque elegantis doctrinæ flumen: ejus te copia ac suavitate totum perfunde. Interea litigent in obscuris et ignorabilibus Critici. Tu ex iis, quæ tam multa in Cicerone perspicua sunt, præcepta bene et vivendi, et sentiendi, et dicendi haurias; ab eoque discedas, non solum doctior, et facundior, sed, quod præ cæteris optandum, melior.

Jam ad id, quod tantisper omisi, ut redeam: si Græviana e messe lectas tantum spicas, non ipsam huc omnem comportavi; non tamen hic nihil est, quod illic non sit. Præterquam quod enim multa aspersi, vel a me animadversa, vel ab aliis; quod facile intelliget, qui nostra cum Grævianis conferre voluerit: *Frontonis Ducæi** commentariolum e bibliothecæ Regiæ, non dicam pulvere, qui nullus ibi est, sed forulis excitavi. Quis autem Fronto Ducæus fuerit, qua doctrina, qua elegantia, nemo nescit. Aliquid in Verrinas mutuabor a *Nicolao Hortensio*, Viromanduo, qui etsi nihil admodum novi affert, vetera tamen brevius proponit nonnunquam, ac planius. Accedet huc etiam aliquid e *Clavi Ciceroniana*, quam nuper confecit *Joannes Augustus Ernestus*, Germanus, vir eruditus inter paucos. Plura suppeditabunt Patavini duo litterarum doctores, *Jacobus Facciolatus*, et *Marcus Antonius Ferratius*, qui cum se ad illustrandas Ciceronis orationes contulissent, id præstitere, quod ab hominibus poterat probæ latinitatis, ac Romanarum antiquitatum valde peritis expectari. Plura item, nec dubito, præbuisset *Hieronymi Lagomarsini*, Rhetoris Florentini, diligens industria, qui, dum hæc Parisiis molior, ipse Venetiis has ipsas Orationes edit, cum veteribus ducentis codicibus, ut fama est, collatas ac recognitas. Quod unum licebit, si ante Veneti tomi ad nos commeent, quam ultimus meus officinam reliquerit, in hunc mantissa ex illis collecta

* In Orat. *de Prov. Consul.* et in *Philipp.* XI.

conferetur. Italiæ gratulemur interim, bonarum artium parenti, quod egregiorum hominum, quos ipsa peperit, studiis æterna sit Latinæ facundiæ, in majorum suorum ac suis sedibus, propagatio.

Quod superest: de tribus illis, quæ ante annum, deque his totidem, quæ nunc emitto, voluminibus, quid aliud existimare possim, nisi id contigisse mihi ex lassitudine, quod plerisque aliis *opere in longo?* ac mihi etiam magis, ut qui molem hanc solus sustineam. Quædam aut prætermissa fuerint, quæ posita oportuerat: aut secus, quam oportuerat, posita. Quamobrem omnes, qui plus vulgo in his rebus vident, oro per communia litterarum sacra, atque obtestor, ne indignum putent, omissa suggerere, et male posita emendare. Utrisque in ultimo volumine dabitur locus; atque ibi tum ostendam, si quid accepero, scire me quod ille ait, *benignum* esse, ac *plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Verbum non addo: ne hæc præfatio id vitium, a cujus reprehensione orsa est, habere videatur.

M. TULLII CICERONIS

ORATIONES.

PRO PUBLIO QUINTIO.

ORATIO I.

ARGUMENTUM.

Societas fuerat mercaturæ causa inter C. Quintium, et Sex. Nævium. Mortuo C. Quintio, jus et bona societatis ad Publium ejus fratrem ex hereditate pervenerunt. Hinc, ut fere fit, lis orta cum socio Nævio de rebus dividendis: in qua ita per aliquod tempus velitatum est, ut Quintius denique sive socordia sua, sive Nævii insidiis vadimonium deseruisse videretur. Quare quæ fuerat causa meriti, *facta est causa* ordinis, *ut nostrorum judiciorum formulis utar, tironum gratia. Cum enim litigatore uno vadimonium deserente, alter bonorum ejus possessionem a prætore postulare posset, Nævius aiebat, se et edictum obtinuisse Prætoris, et bona possedisse. Volebat Quintius causam instaurare de rebus societatis; nec Dolabella prætor vetabat, dummodo satisdaret judicatum solvi. Satisdare autem debebat is, qui vadimonium non stitisset, et possessionem bonorum suorum amisisset, ea ratione, quæ affertur infra. Quod si nollet satisdare, Prætor jubebat, ut sponsione adversarium provocaret, hoc est certam pecuniam sponderet,* ni probaret, bona sua edicto Prætoris possessa non esse, *et in hanc formulam litem contestaretur. Utrumque erat illi incommodum. In primo enim infamiam subibat, quod fateretur, se vadimonium deseruisse; in altero cogebatur priore loco causam dicere, hoc est actoris partes suscipere, cum re vera reus esset. Maluit ex sponsione agere. Genus igitur causæ hujus judiciale est: ipsa vero causa privata. Status conjecturalis est,* Utrum bona Quintii ex edicto Prætoris a Nævio possessa sint. *Judex datus est a Prætore C. Aquilius Gallus jurisconsultus, Q. Mutii auditor, quem Cicero supra modum laudat in Orat. pro Cæcin.* cap. 17. *Is autem jurisperitos tres in consilium advocavit, P. Quintilium, M. Marcellum, et L. Lucilium. Acta est causa in comitio, ubi privata judicia fieri solebant, M. Tullio Decula, et Cn. Cornelio Dolabella Coss. anno U. C. 672. Sylla dictatore, cum Cicero ageret ætatis annum 26, ut contendit Gellius, lib.* 15. *cap.* 28. *Albertus Fabricius in Latina Bibliotheca, lib.* 1. *cap.* 8. *actam putat anno U. C.* 673. *post idus Mart. Quæ fuit etiam sententia And. Schotti, Tullianarum Quæst. lib.* 4. *cap.* 7.

Partes Orationis quinque sunt; exordium, narratio, partitio, confirmatio, peroratio. Quibus adde amplificationem, sive ipsa per se constet, sive ad perorationem sit referenda. FACCIOLATUS.

Præter adnotationes paucissimas, quæ subscriptum habebunt nomen aliud, cæteras omnes, tum in hanc orationem, tum in eam quæ proxime sequitur, acceptas referes viro inter Grammaticos excellenti, Jacobo Facciolato, qui Exercitationes in duas priores Ciceronis orationes *Patavii non ita pridem edidit, in quibus, ut ipse admonet, de te, bone Lector, cogitavit.* Qui veteres, *inquit,* scriptores interpretandos suscipiunt, non omnes eodem spectant. Alii enim hac via et ratione, eruditionis famam aucupantur: alii Criticæ artis peri-

tiam jactare volunt: quidam etiam interpretandi specie, bibliothecis suis, et antiquis monumentis lucem quærunt. *Facciolatus vero, interpretis vocem et vim meditatus, non alio consilio scripsit, nisi ut iis consulat, qui Ciceronem cognoscere volunt, et quam minimo labore cognoscere. Paucis igitur verbis, quæ sunt explicanda, explicat; neque usquam Ciceronis contextum per longas commentationes oculis subduxit. Quod si cunctas ejusdem Orationes interpretatus esset, mihi dedisset immunitatem magni quidem muneris, nullusque in hoc meo Commentariorum delectu fuisset labor.* OLIVET.

Cap. 1. *Gratia*] Ad hunc locum hæc habet Hotomanus: *Gratia, copia est plurimorum amicorum, ut scribit Asconius.* Verum, quamvis hoc loco *Gratia* sumatur pro πολυφιλία, tamen generatim atque universe considerata, est benevolentia, et favor modo unius hominis, modo plurium; cujus rei passim occurrunt exempla. Sic *gratiosus* dicitur aliquis promiscue apud unum, et apud plures.

Vereor] Eloquentiam vereor, gratiam metuo. *Vereor* minorem vim habet, quam *metuo*. Idem de Senect. cap. 11. *Metuebant cum servi, verebantur liberi.*

Dicendo] Sic nostri quatuor editores. Græevius vero, *in dicendo*, quod Ursinus et Gruterus in suis manuscriptis legi testantur. OLIVETUS.

M. Junius] Hunc M. Junium Cicero III. de Legibus sodalem suum appellat, qui scripserat ad patrem suum de potestate et jure magistratuum. PASSERATIUS.

Aliquoties] Hotomanus, *apparet*, inquit, *aliquoties ampliatam hanc causam fuisse.* Interpretationem hanc sumpsit a Manutio, ab eo deinde Freigius, postremo Græevius. Non facile probabitur ab eo, qui legat, ac serio perpendat Ciceronis verba cap. 10. *Instat Hortensius, ut eas in consilium; a me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur, priore patrono causam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar istam manere suspicionem, nos rem judicari nolle.* Ergo M. Junius aliquoties causam egerat, et Cicero rursus agebat, quod nondum *perorari potuisset*, quod nondum Aquilius *isset in consilium*, quod *tempus dicendo esset absumptum*: itaque suspicio erat, Quintium; et Quintii patronos *rem judicari nolle.* Hinc satis, opinor, manifeste constat, causam non fuisse *ampliatam.* Non enim poterat *ampliari*, nisi judices ivissent in consilium, et rem judicassent. Tunc enim per tabellas *N. L.* hoc est, *Non liquet*, pronuntiabatur, causam *amplius* esse cognoscendam. Hinc Sigonius de Jud. lib. 2. cap. 22. *Ampliatio ex incerta judicum sententia nata est.* Ad hæc Asconius lib. I. in Verrem, cap. 9. de ampliatione: *Ea pars, interposita dilatione, dicebat, in cujus peroratione videbatur obscuritas.* Atqui ex loco Ciceronis allato hæc causa, *priore patrono defendente, nunquam perorata est.* Igitur neque ampliata.

Nova legatione] Non constat qua legatione, certe improvisa.

Cap. 2. *Priore loco*] Quia sponsionem facere coactus erat, priore loco dicere debebat quasique actoris partes sustinere, cum revera defenderet. V. Argum.

Prætoris] Cn. Cornelii Dolabellæ, prætoris urbani, qui, proposito annuo edicto, jus dicebat inter cives in privatis causis, id est, judicem, jurisque formulam dabat: ipse vero non judicabat. Eodem modo prætor peregrinus jus dicebat inter cives et peregrinos, non judicabat. MANUTIUS.

Iniquitate] Quam in jus dicente ponimus, cum varie et non æquabiliter omnibus jus dicit: sed aut gratia inflectitur, aut potentia infringitur, aut adulteratur pecunia. Iniquitati autem æquabilitas opponitur. HOTOMANUS.

De probro] Utrum vadimonium deseruerit Quintius, ideoque ejus bona ex edicto possessa sint.

De re] De qua princeps erat controversia disceptanda judicio *pro socio.*

Cap. 3. *Cæterarum rerum*] Con-

structio Græca, in qua per ellipsim deest. ἀπὸ.

Inhumanus præco] Nimis acerbus et molestus. Alii legunt *inurbanus*. Præcones porro actionarios dicaces fuisse constat ex Apuleio, lib. 8. Metamorph. et ex Cicerone pro Planc. cap. 14. tum ex eodem in Brut. cap. 46. ubi multa de facetiis Granii præconis.

Tibi] De quocunque dixit, pro, quod eum sibi quisquam socium vellet adjungere. MANUTIUS.

In tua pecunia] Quia cum Nævius nihil haberet, non poterat pecuniæ fructum, nisi ex aliena pecunia cognoscere. *Pecunia* hic sumitur pro rebus omnibus, quæ sunt in patrimonio.

Pecuaria et rustica] Armenta, et prædia.

Atriis Liciniis] Atriis auctionariis, ut ab eodem Cicerone dicuntur in prima contra Rullum, cap. 3.

Sine impendio] Quia vocis proprie loquendo nullum impendium est. Sed veretur Passeratius, ne quid lateat obscœnum.

Nec mirum] Si, qui ex re minima et per se ipsa non venali fructum tulerat, is multo majorem fructum ex pecunia, et rebus vere venalibus colligendum sibi putabat.

Arbitrium pro socio] Grævius tollit *arbitrium:* Budæus legit *arbitrii:* Hotomanus *arbitrio:* Manutius *ad arbitrium*. Sensus est, quasi qui fraudentur, non qui fraudent, condemnari soleant in judicio, quod dicitur *pro socio*. FACCIOL. In judicio, quod pro socio constituitur. Quod ideo vocatur arbitrium. Non quia revera sit, sed quia, cum in ea formula, quam prætor judici dat, additur, *Ex fide bona*, id est, ut ex æquo bonoque judicet, arbitrii simile videtur. In arbitriis autem, quæ vere arbitria sunt, non accipitur a prætore formula. Mihi videtur vox *arbitrium*, ex ora libri, ubi erat adscripta et notata, quasi subaudienda, in Ciceronis orationem translata esse. Nam ita loquitur pro Flacco: *Nicomedes et furti, et pro socio damnatus est*. Hoc est in arbitrio, seu judicio pro socio est damnatus. Sic *pro socio* simpliciter appellatur *actio pro socio*, ut constat ex lib. 17. 2. Pandect. 2. et Codic. Justin. IV. 37. GRÆVIUS.

Postulat, non flagitat] *Flagitare* significat rem sibi debitam vehementer poscere. Itaque majorem vim habet, quam *postulare*. FACCIOLATUS.

Cap. 4. *Summus honos*] Quia non utile solum, sed perhonorificum erat institui heredem.

Quibus nominibus pecuniam Romæ curari] *Curare pecuniam*, curare ut pecunia detur et solvatur. *Nomen* autem dicitur, quidquid in accepti vel expensi tabulas refertur. Videtur autem in pactione cautum fuisse, ut ea pecunia Romæ redderetur. HOTOM.

Per te.... decidit] Opera tua transegit, ut in re obscura.

Propter ærariam rationem] Propter varietatem pecuniæ Gallicæ, et Romanæ.

Ad Castoris] Ad ædem Castoris, ubi publica pecunia servabatur, et omnis de re nummaria controversia componebatur. Alii, *a Quæstoribus*.

Ad denarium] Ad monetam Romanam. Aquilius enim rationes Gallica moneta, aut alia contractas ad denarium Romanum iniit, et expedivit.

Cap. 5. *Auctione venderet*] Hoc est, præconem ageret: præco enim auctionarius promittit, dominus præstat.

Paucos dies auferet] Dilationem paucorum dierum impetrat.

Vadimonium] Est sponsio quædam comparendi stato die (erat autem plerumque tertius) in judicium vel per se, vel per procuratorem. Si quis vadimonium deseruisset, et infamia notabatur, et ejus bona edicto prætoris ab adversario possidebantur. Hinc *vadari* est in judicium vocare; et *vadimonium deserere* idem, quod Ital. *cader in contumacia:* Gall. *ne point comparoître, faire défaut*. Adverte hic contra Manutii opinionem, rem esse in vadimonio consuevisse, cum ageretur apud judices, non autem apud arbitros: *Ex eo tempore*

res esse in vadimonium cœpit. Hoc est, ex quo tempore per arbitros res transigi non potuit, ut paulo ante dixerat.

Venit ad vadimonium] Sistit se ad diem dictam.

Cap. 6. *Quirina*] Hoc est, ex tribu Quirina.

Vada Volaterrana] In agro Pisano, in ora maris Tyrrheni.

Pueros] Servos.

Quod nisi ex Publicio] Ex veterum manuscriptorum fide Gruterus, et Grævius quædam hinc tollunt, itaque legunt: *Quod ubi ex Publicio agnovit, pueros circum amicos*, &c.

Necessarios] Præcones ab atriis Liciniis, et parum diversæ farinæ homines.

Faucibus macelli] Hoc est, ab angustiis inter Viminalem, et Esquilias, quæ in macellum desinunt.

Tabulam Sextiam] Ad tabernam Sextii argentarii, ubi testes signarent tabulas deserti a Quintio vadimonii.

Stitisse] Vadimonium: quasi vero alter alterum vadatus esset. Est autem *stitisse* a *sisto*, unde perperam quidam *stetisse*.

Maximæ] Quod multorum testium nomina continerent.

Nobilium] Ironice ad imminuendam eorum auctoritatem. Non enim nobiles, qui ab atriis Liciniis, qui a faucibus macelli, qui amici et necessarii Nævii abjecti præconis.

Ex edicto] Quo bona ejus, qui vadimonium deseruisset, adversario addicebantur.

Libellos] Publice propositos, quibus bona Quintii proscriberentur. Publicis locis figebantur hi libelli, ut bonorum auctionem certo die futuram edicerent.

Servulum] Quintii: nam tunc servi quoque inter bona habebantur; hodie utinam non inter mala.

Imbiberit] In animum induxerit. Sic legit Manutius, et quidem optime; alii aliter.

Cap. 7. *Populo sane suo*] Sibi favente, quasi in pugna gladiatoria.

Caput petere] Hoc est, existimationem oppugnare. Ludit in allegoria gladiatoris.

Satisdaret] Satisdare, unde *satisdatio* est sponsores locupletes dare. Hinc *satisdare judicatum solvi*, est sponsores dare, qui periculo suo litis æstimationem solutum iri promittant. Cogebantur autem satisdare, qui vadimonium deseruerant, si vellent litem instaurare, tum ne rursus impune fallerent, tum etiam quia credebantur solvendo non esse, quod eorum bona prætoris edicto adversarii possiderent. De aliis satisdationum generibus, vide Sigonium, lib. I. de Jud.

Tribuni] Ut intercedant prætoris decreto.

Producit] Propositis conditionibus rei transigendæ, differt judicium.

Juberet] Dolabella prætor. Alii *juberetur*, et referunt ad Quintium.

Sponsionem] Ne calumniantes litigatores impune discederent, cogebantur certæ pecuniæ sponsione adversarios lacessere in ea verba, *ni res ita esset*, &c. Pecunia dicebatur *sacramentum*, quod victi pars olim ob ærarii inopiam in usum sacrificiorum insumeretur. Provocatio vero illa, et mutua promissio *sponsio* appellabatur. Qui sacramento provocabat, actor erat, et priore loco dicebat; qui vero ex provocatione contendebat, rei personam sustinebat.

De re] Hoc est, de rebus societatis, non de deserto vadimonio.

Priore loco] Dolet igitur orator, Quintio impositam esse conditionem prorsus iniquam, ut quamvis reus esset, quippe de ejus fortunis et fama agebatur, tamen priore loco diceret ex vi sponsionis, quam facere jussus erat. Moris enim fuit, quemadmodum hodie quoque moris est, ut actor priore loco diceret, reus posteriore.

Nostro loco] Cicero equestri loco natus erat.

Cap. 9. *In altera re*] Si satisdedisset, inficiari non poterat, quin ipse de se minus recte judicaret.

Ex sponso] Alii *ex sponsu*. Hoc est, ex sponsione actionem instituit.

Eos] Hortensium.

In jus] Ad prætorem, cujus erat jus dicere.

Docuisses] Carpit inscitiam Dolabellæ.

Levem] Inanem, nisi abutantur ad injurias inferendas.

Cap. 10. *Eas in consilium*] Sententiam feras.

Neque pronuntiare] Erat enim Cicero eo tempore magna corporis infirmitate, ut ipse ait in Brut. cap. 91.

Semper facis] Notat nimiam Hortensii in partiendo curam: de qua et Quintilianus, lib. 4. Inst. cap. 5.

Existimatione] Qua verebor, ne me tacite reprehendatis.

Cap. 11. *Experiretur*] *Experiri*, lege agere apud Judices. Vox forensis.

Cap. 13. *Si veretur*] Si putat reum solvendo non esse.

Quibus verbis] Qua formula.

Satisdet] Non recusabat enim Quintius satisdare, sed satisdare solus; quasi vero bonorum suorum possessionem ipse amisisset, ut propterea judicatum solvere non posset.

Cap. 14. *Nostro judicio*] Quia si Quintius satisdedisset solus, ipse se suo judicio condemnasset.

Unum illud] Judicium *pro socio* de re pecuniaria.

Inter tot annos] Vix biennio. Fortasse legendum *inter duos annos;* vel, quod ego quidem malim, *integro anno;* quo anno simul vixere in Gallia. Nam cum Romam rediissent, agere Nævius coepit.

Male agere] Petere, quod sibi non debebatur; et socium, ac propinquum suum vexare sine causa.

Ingratiis] Velit nolit. Alii *ingratis* per syncopen.

Prædicas] Non verbo, sed re.

Cap. 15. *Pecuniam*] Adverte tria membra. Qui solam pecuniam amittit, consolatur se fama sua: qui amittit solam famam, consolatur se sua pecunia: qui vero utrumque amittit, miserrimus est omnium etiam mortuorum. Talis porro est Quintius, si ejus bona veneant sub hasta, ob desertum vadimonium.

Vita turpis] Locus hic mendosus videtur. Fortasse legendum, *ita turpis;* vel, quod malim, *vita ita turpis.* Fac. Hanc emendationem confirmat Joan. Clericus, *Art. Crit. part. III. sect.* I. *cap.* 8.

Magistri] Magister, in auctione is dicitur, qui bonis alicujus vendendis præest. Est autem fere unus ex creditoribus. Vide Ep. I. ad Att. lib. I.

Cap. 16. *Horæ duæ*] Aiebat Nævius, vadimonium fuisse factum Non. Febr. hoc est, quinto die, ex quo Quintius Roma egressus fuerat, ut est cap. 18. Itaque stitit se illius diei horis, quibus prætore sedente, asserebat vadimonium esse obeundum; de quibus horis loquitur Cicero: neque vero contrahit quatriduum in duas horas, aut in unam, ut putat Manutius, et eum secutus Grævius. Vide cap. 18.

Cap. 17. Lamb. *hos.*

Idem. *quos.*

Quòd] Dele accentum. Typographi enim peccata etsi neminem decipiant, indicanda sunt.

Extremam necessariam] Fortasse, *extremam*, nec *necessariam.* Hotom. Sic est legendum, *extremam*, ac *necessariam.* Lambin. Vulgatam tuentur editiones antiquiores, et codices Græviani.

Cap. 18. *Arrogas, et concedi postulas*] Ut rationem humanitatis et officii tenere non debueris.

Causa] Prætextus.

Negas] Lambinus legit, *non negas.* Videtur enim imitatus Plautum in Pseudolo, act. I. sc. 13. vers. 126.

Adstipulatore] Teste stipulationis, seu potius calumniæ tuæ.

Ad solarium] Horologium solare ad Rostra, ubi homines animi causa otiabantur. Varro de lingua Lat. lib. 5. et Censorinus de die nat. cap. 19.

Campo] Martio, ubi ludi spectabantur.

Cap. 19. *Cui heres*] Qui moriens heredem non relinqueret, ejus bona possidebantur edicto Prætoris.

Verterit] Deest aliquid. Non tamen ausim adsuere ex Hotomano, ac

Lambino verba hæc: *Dici id non potest. Qui absens judicio defensus non fuerit: ne id quidem.*

Quod prætor, non fieri, &c.] Ex multis, variisque lectionibus hæc potissimum nobis placuit. Est autem sensus: nemo putavit recusandum quod Prætor fieri jubebat, non simpliciter, sed ex edicto suo, hoc est, ex verbis sui edicti, quibus certe Quintius non comprehenditur. Idem. Probat hanc eamdem lectionem Cujacius, Observat. lib. X. cap. 31.

Cap. 20. *Ita videbare*] Lego: *Ita videbat.* Verba autem hæc non Nævio, sed Ciceroni tribuo; quo mihi videntur tricæ omnes constructionis, et sensus facile expediri. Primum enim Nævius ait: *Postulabam ut satisdaret.* Respondet Cicero: *Injuria postulabas: ita videbat, recusabat Alphenus.* Urget Nævius: *Ita: verum Prætor decernebat.* Reponit Cicero: *Tribuni igitur appellabantur.* Facillime porro fieri potuit, ut vocem *videbat* librarii auxerint syllaba *re*, qua incipit vox consequens *recusabat.*

In ea ipsa verba] In eam formulam verborum.

Non omnia] Etiam iniqua, quale erat, ut Alphenus nomine Quintii satisdaret. Nemo enim debet indefensus dici, quod iniqua judicia non acceperit, et ideo Tribunos appellarit.

Non more] Quia objecerat Nævius, appellatos fuisse Tribunos, non more et instituto, sed auxilii causa ad eludendum judicium. *Non est istud judicium pati, neque judicio defendere, cum auxilium a tribunis petas.* Grævius habet *non moræ*, secutus lectionem Lambini: id est non causa moræ, ad morandum judicium. Probarem, si pro *videturne*, esset *nonne videtur.*

Cap. 21. *Calumniante*] Ludificante, et trahente judicium.

Singulare] Sive unum, cum tamen ageretur de tot, tantisque rebus; sive inusitatum, ut superius conquestus est.

Illis dominantibus] Marianis, a quibus stabat Alphenus.

Nobili] Nobiles enim favebant Syllæ. Hic autem ludit in verbo, cum nobilis dicatur etiam gladiator multarum victoriarum.

Gladiatori] Ita appellare videtur Burrienum prætorem, hominem prægrandem et robustum.

Omnium denique illorum] Omnes interpretes, qui locum hunc attigerunt, putant hæc verba ad nobiles Syllanos esse referenda, quod Nævius Syllanarum partium esset, quemadmodum Alphenus Marianarum. Sed cum hoc affirmarunt, quam deinde laborant, ut ostendant, Syllanos tunc plurimum potuisse, cum revera Mariani dominarentur, sicut paulo ante affirmavit Cicero, et constat ex historia. Ego itaque refero verba illa, *omnium denique illorum*, ad Marianos, quasi dicat orator: Tu familiaris eras Burrieni, et omnium Marianorum, qui tum dominabantur, et plurimum audebant. Erat enim eo tempore etiam Nævius Marianus, sed postea per summam perfidiam transiit ad victores Syllanos, ut colligitur ex cap. 22. *Tu, postquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere; ut amici tibi essent, qui vincebant, effecisti.* Ecce igitur quare statim dicat: *An omnes tu istos vincere volebas*, &c. *Aude id dicere*, &c. Hoc est, tu nolebas, nobiles istos Syllanos victoriam de Marianis referre; nec palam audebis contrarium dicere, quia nos te perfidiæ ac mendacii arguemus. Adde huc verba illa ex cap. 22. *Neque enim inter studium vestrum quidquam, ut opinor, interfuit.* Id est, uterque vestrum studebat Marianis. Quem locum interpretationi suæ adversari intelligens Hotomanus, variam lectionem commentus est, reposuitque *aliud* pro *quidquam.* Ita belle Ciceronem ad sententiam suam, non se ad Ciceronis sententiam accommodat.

An omnes tu istos] Arguit eum perfidiæ, quod tum esset Marianus, nec vellet Syllanos vincere quibus se clam simulabat amicum, et ad quos postea victores aperte transiit.

Quos advocasti] *Qui tuæ perfidiæ*

(inquiunt interpretes) *sunt conscii.* Imo vero, qui non sunt conscii, ideoque tibi favent in hac causa. His tamen ipsis non audebis dicere, quia omnibus notum est, te secutum esse, non causam, sed victoriam.

Cap. 22. *Alphenus*] Vel interemptus, vel proscriptus cum Marianis.

De re] Inducit Quintium, et Nævium altercantes.

Lamb. *certatio, qua huic, ne ubi consisteret quidem, locum reliquisti: non illa, qua tu contra Alphenum velitaris.*

Locum reliquisti] Allegoriam claudit. Tu dicis, tibi fuisse iniquam certationem, id est, tibi fuisse iniquum locum ad certandum; at huic reliquisti locum nullum: si quidem Quintius nullam conditionem æquam obtinere potuerat.

Cap. 23. Lamb. *ipsi nihil deberetur, ultro,*

Ultro] Imo, e contrario Plautus, Aul. III. 5. 65. *Ubi disputata est ratio cum Argentario, etiam plus ultro debet Argentario.*

Deberet] Quia multa abraserat ex bonis societatis, ut est cap. 3.

Diem petivit] Longiorem diem petivit ad sistendum in judicio: quod est eorum, qui rem ludificando trahunt. Vel petiit longiorem diem ad dissolvendum debitum, ut placet Hotom. et Græv.

Cap. 24. *Id perseverare et transigere*] Id pendet a secundo verbo, fitque per ζεῦγμα. Non enim satis mihi probat Grævius, Ciceronem tribuisse quartum casum verbo *persevero;* quamvis deterioris latinitatis auctores tribuere non dubitaverint.

Id in tua] Adverte τὸ *id*, quod hoc loco redundat, sed magnum tamen habet vim et venustatem.

Vendente] Vendidit Sylla bona Alpheni vel interempti, vel proscripti, quod esset Marianarum partium.

Edidisti] In libello emptionis.

Eo] Hortensio.

Cap. 25. *Qui eo non accedat*] Quia histriones habiti sunt infames. L. quod sit 2. D. de his qui not. inf.

Ante V. Kal.] Hoc est, die quinto ante Kalendas. Est autem idem ac si diceret V. Kal. utroque enim modo veteres loquebantur. Dies hic est 20. Februarii.

Intercalares] Dies erant, qui interjiciebantur inter 23. et 24. Februarii; ut annus Lunaris, qui est minor, conveniret cum Solari, qui est major. Et primo quidem reipublicæ tempore, ex præscripto Numæ, interjiciebantur altero quoque anno dies 22. Ætate vero Ciceronis intercalandi potestas omnis erat penes Pontifices; quæ sæpe cum essent abusi, totam anni rationem perturbarunt, ut Juliana demum correctione opus fuerit.

Pridie Kal.] Die 29. Feb.

Statim de jure] A tribunali Prætoris statim in Galliam cucurrerit.

Cap. 26. *Malo*] Malo respondeas, te ante edictum misisse, ut fatearis improbitatem ejusmodi, quæ ne mendacio quidem tegi possit.

Si nemo recusaret] Id quod Prætor juberet. Recusare autem aliquis poterat satisdando, et judicium accipiendo.

Atque hæc perinde] Locus est difficillimus, quem interpretes omnes declinarunt, præter unum Hotomanum; a quo tamen ipso ego cogor discedere, etsi non libenter faciam in re præsertim Legali. In hujusmodi igitur causis duplex interveniebat Prætoris decretum, quorum unum dicebatur *primum*, alterum *secundum;* per illud Prætor *mittebat in possessionem*, per hoc *jubebat possidere*, L. si finita 15. D. de damno inf. Quæ tamen duæ loquendi formulæ promiscuæ habentur præsertim ab oratoribus. Primum porro decretum dabatur custodiæ causa, quod constat tum ex verbis ipsius decreti, quæ infra habentur apud Ciceronem, tum ex L. 12. D. quibus ex causs. *Cum bona possidere prætor permittit, non possidemus, sed magis custodiam rerum, et observantiam nobis concedit. Secundum* dabatur veræ possessionis ac venditionis gratia: quique ex illo possidebat, possessor *juris dicebatur*, quem-

admodum alter possessor *facti*, ut est in L. 3. §. ultimo, D. de acquir. poss. Ergo Nævius, qui nondum obtinuerat, nisi *primum* decretum, non poterat Quintium de bonis suis detrudere; sed una cum illo possidere debebat tanquam custos, donec propositis per 30. dies libellis, et a nemine dejectis, *secundum* decretum postularet ad Quintiana bona vere possidenda ac vendenda.

Cap. 27. *Simul possideat Quintius*] *De jure* tanquam verus dominus, tu *de facto*, tanquam custos.

Hoc dico ***] Quintum argumentum hoc loco desideratur, quod tamen colligitur ex anacephalæosi, quæ statim sequitur. *Omnino autem bona possessa non esse constitui*, &c.

Cap. 30. *Gallonii*] Fuit præco, ut Nævius, sed in gulæ vitia turpissime profusus: de quo lib. II. de Finib. cap. 28. et Horat. Sat. II. 2. 47.

Cap. 31. *Unde arbitratu*] Non invenit a quo peteret judicii formulam ex sententia; coactus est enim contendere de probro, cum ipse mallet de pecunia.

Ferat] ut Nævius obtineat. Plaut. in Merc. act. 2. sc. 3. *Quod posces, feres.* Passeratius suspicatur legendum *fiat*.

PRO SEX. ROSCIO AMERINO.

ORATIO II.

ARGUMENTUM.

Cum pater Sex. Roscii, pro quo habetur hæc oratio, noctu rediens e cœna occisus esset, Erucius filium accusavit parricidii, impellente Chrysogono Syllæ liberto. Impellebat autem maxime per duos Roscios, Capitonem, et Magnum, veteres Romani occisi inimicos, in quos Cicero hujus cædis suspicionem confert. Itaque non tam hæc defensio dici debet, quam artificiosissima accusatio. Ea porro erat Chrysogono causa perdendi filii, ut tuto possideret patris bona iniquissime proscripta, minimoque empta. Prima hæc causa publica est, quam Cicero egit annos natus 27. ut ostendit Gellius lib. 15. *cap.* 28. *L. Sylla iterum, et Q. Metello Coss. anno U. C.* 673. *Acta est in foro ad tribunal Fannii prætoris, et quæsitoris* inter sicarios, *assidentibus judicibus ex ordine Senatorio, qui solus hoc tempore judicabat.*

Genus orationis judiciale est. Status conjecturalis: Utrum Sex. Roscius patrem occiderit.

Partes quinque sunt, oxordium, narratio, partitio, confirmatio, et peroratio, seu amplificatio. FACCIOLATUS.

Vide, quæ argumento Orationis pro Quintio subjuncta sunt.

Cap. 1. *Sedeant*] Sedebant advocati Roscii, ut ei præsentia faverent, non eloquentia.

Defendi] Propulsari.

Periculum] Metuunt sibi a Chrysogono Syllæ liberto, qui totam hanc accusationem instruxit, ut Sex. Roscium perdat. Huc referenda sunt verba illa, *propter iniquitatem temporum;* quibus scilicet Sylla et Syllani impotenter dominantur.

Plura] Aliqui referrent ad Syllam multo plura ad invidiam conflandam.

Cognoscendi] Quia ea tempestate non solum non ignoscebatur erroribus, sed sæpe etiam, incognita causa, homines puniebantur. Id præsertim ad Syllanas proscriptiones referen-

dum est. Est autem *cognoscere*, audire aliquem in judicio. Videtur imitatus Terentianum illud in Eunucho, prol. 4. *Æquum est vos cognoscere, atque ignoscere.*

Utrumvis] Vel dicere, vel tacere.

Cap. 2. *Quæ sunt sexagies*] Sexagies centenis millibus H-S.

Dicit emisse] Aiebat Chrysogonus, se emisse sub hasta bona Sex. Roscii interfecti, quod ejus nomen esset in tabula proscriptorum.

Hoc postulat] Non hoc quidem libere, et aperte postulabat, sed per hanc accusationem postulare videbatur.

Ejecto] In exilium.

Cap. 3. *Hoc postulare*] Infinitivus hic servit indignationi. Ipse per se constat, nec ab alio verbo pendet.

Cap. 4. *Longo intervallo*] Quia bello civili Syllano intermissa fuerant judicia de ficariis, ut victores impune occiderent, quos libuisset.

Inter sicarios] De sicariis. Formula juris est, quæ adhibetur etiam cap. 32.

Futuram] Hotomanus mallet *futurum* ea loquendi forma, quam Gellius probat lib. I. cap. 7.

Cap. 5. *Qua vociferatione*] Quam severitatem in aliis causis accusatores postulare solent, eam nos defensores in hac causa postulamus.

Quos populus poscit] Ad pœnam propter multa in omnes scelera commissa.

Unus relictus] Unicus occisi Roscii filius.

Cap. 6. *Hospitiis*] Solebant cives Romani necessitudinem hospitii cum exteris hominibus contrahere, ut et ipsi eos Romam advenientes domi suæ exciperent, et iter facientes per provincias, haberent apud quos diversarentur.

Domestici prædones] Duo Roscii, Capito et Magnus, de quibus infra, una cum Chrysogono.

Proscriberentur] A Sylla victore, qui tabulam in foro fixerat, in qua plurimorum nomina scripta erant, ut ad cædem quærerentur, eorumque bona sub hasta venderentur.

Plurimarum palmarum] Homo sæpe in cæde versatus dicitur per translationem gladiator vetus, quique plurimas palmas retulit. Victori enim gladiatori palma dabatur.

Ad eum lanistam] Ad Roscium Capitonem, quem per translationem appellat lanistam, hoc est, ludi gladiatorii magistrum.

Cap. 7. *Palatinas*] Quæ erant in colle Palatino.

Cisiis] *Cisium*, vehiculi genus velocissimi.

Cap. 8. *Arbitrarentur*] Huc addenda videntur verba hæc ex Sosipatro, et Diomede, *nomen refertur in tabulas Sex. Roscii hominis, &c.* Ita censent Hotomanus, Lipsius, et Grævius.

Manceps sit] Emit sub hasta ejus bona tanquam hominis proscripti. Dicitur autem manceps, hoc est sector, quia manu sublata, ea bona nomine suo emit. *Manceps*, quia videtur quasi *manu capere.*

Imprudente L. Sylla] Non animadvertente.

Præparet] Verbum hoc refertur ad *futura* et ad *præterita*, per figuram ζεῦγμα: nec eorum (Lambini) probanda est conjectura, qui primum membrum ita legunt, *et ea, quæ præterita sunt, reputet*, vel *reparet.*

Despexerit] Quasi deorsum adspexerit, demiserit oculos, non fuerit attentus.

Felix] Sylla *felix* cognomento dictus est. Vide Plin. lib. 7. cap. 43.

Cap. 9. *Ne iter quidem sepulcrum*] Nequeo mihi persuadere, dictum hoc esse a Cicerone oratorie, quod animadvertam, idem repeti in peroratione, cap. 50. Vere igitur dici existimo, ne iter quidem ad sepulcrum patrium relictum fuisse Roscio, quod jus hoc itineris pertineret ad emptorem fundi, nisi nominatim fuisset exceptum a venditore. In re autem nostra non fuisse exceptum a Roscio, facile vel ex hoc intelligi potest, quod venditio facta est, non nomine Roscii, sed Syllæ.

Decem-primi] Decuriones decem,

quorum præcipua fuit auctoritas, ac Duumviris proxima in coloniis et municipiis.

Allegat iis] Lambinus legit, *allegat ab iis qui peterent*, quod *allegare alicui* latine non dicatur. Est autem *allegare* privatim mittere, ac de re privata, quemadmodum *legare* est publice mittere, ac de re publica.

Homines antiqui] Antiqua fide, antiquo ingenio, hoc est nimis boni.

Appromitteret] Appromittere, est pro altero promittere simul cum illo. Itaque Capito simul cum hominibus illis allegatis promittebat, seu potius confirmabat, quod illi promiserant, tanquam fidejussor.

Cap. 10. *Nepotis filiam*] Omnes fere interpretes hic mendum agnoscunt, cum ex iis, quæ habentur cap. 50. satis constet Cæciliam hanc fuisse *Metelli Balearici filiam, et nepotis sororem.* Verba igitur illa, *nepotis filiam*, rejicienda videntur, aut corrigenda. Quidam putant Cæciliam hanc alterius nepotis filiam fuisse, et Syllæ uxorem, de qua Plutarchus in Sylla.

Cap. 11. *An insutus in culeum*] An fateri se parricidam, et idcirco in culeum insui, et in flumen dejici. De hoc supplicii genere vide infra, cap. 25. et 26.

Cap. 12. *Diem dixit*] Apud populum accusavit. Vide Val. Max. IX. 11.

Ejusdem viri mortem] Occisus est Scævola in vestibulo ædis Vestæ, opera Damasippi prætoris, jubente Mario juniore C. Marii filio, qui cum Carbone consul erat. Vide Florum lib. 3. cap. 21.

Per compositionem] Erat enim auctor pacis inter Syllanos et Marianos.

Cap. 13. *Quid igitur est*] Hæc verba non videntur Hotomano et Lambino posita loco suo; sed vel collocanda esse post verbum *pugnat*, vel post *imposuit*.

Vultu] Etiam torvo aspectu læditur pietas in parentes.

Cap. 16. *Cæcilianus*] Inductus a Cæcilio poeta comico.

Assiduos] Sic Plautus Trinum. act. I. sc. 2. v. 165. *urbanos assiduos* appellat, qui in urbe assidue versantur.

Sis] Si vis: pertinet autem ad vocem *age*.

Cap. 18. *Neque revocaturus esset*] Hoc est, nemo eum invitabat ad convivia, quia neque in urbe vivebat, neque pari reddere poterat. Hoc enim sensu sæpe usurpantur *voco*, et *revoco*. Martial. lib. 2. ep. 27. *Nunquam me revocas, venias cum sæpe vocatus.*

Cap. 19. *Remniam*] Vide *Indiculum Legum*, in limine Tomi hujus.

Cap. 20. *Litteram illam*] Scilicet *K*, quæ calumniatorum frontibus inurebatur ignominiæ causa. Plinius in Paneg. cap. 35. et ibi Lipsius adnot. 296. Erat autem *K*, quia per hanc litteram scribebatur *Kalumnia* a veteribus.

Ut etiam eas omnes] Notat accusatores, qui fere illiterati erant. Ludit autem in ambiguo.

Cap. 24. *Quos nobis poetæ*] Orestem, et Alcmæonem; de quibus vide Mythologos.

Conscientiæ animi] Casus pluralis animadversione dignus, quamvis apud Ciceronem non semel inveniatur.

Cap. 26. *Etenim quid est tam commune*] Locum hunc attente lege; qui, ut ipse in Oratore cap. 30. testatur, magnis clamoribus a populo Romano exceptus est, tanquam insigniter elegans. Idem ipse tamen, ut in adolescente, non ut in viro, laudandum putat.

Abluantur] Quod unum Grævio probatur. Ego cum Hotomano retineo *alluantur*. Non enim mirum est, ut putat Grævius, parricidas in mare delatos, marinis aquis non purgari, sed marinis aquis non allui.

Cap. 29. *Nos judicio perfundere*] Speciem quandam judicii nobis offundere, re vera autem eos accusare, &c. Est enim hoc in loco *perfundere*, quasi leviter aspergere.

Sectores collorum et bonorum] Quia, ut ait Manutius, quos occidebant, eorum bona tanquam proscriptorum emebant. Ideo autem colla seca-

bantur, ut capita in rostra deferrentur. Ludit orator in ambigua hujus vocis significatione: nam *sector* a *seco*, quod verbum usurpari olim consuevit pro *sequor*, teste Servio in Æn. X. 107.

Cap. 30. *Palmas*] Cædes. Palma dabatur gladiatoribus adversarios occidentibus. Itaque cum Capitonem superius gladiatorem appellasset, non discedit a figura.

Lucius Cassius] De ejus integritate, et severitate in judicando vide Val. Maxim. lib. 3. cap. 7. et Asconium in Miloniana, cap. 12.

Ab innocentia clementissimus] Hoc est, ut explicat Hotomanus, in causa innocentium. Repugnat Grævius, et putat *ab innocentia* idem esse ac propter suam innocentiam. Ego sto ab Hotomano, primum quia nemo est clemens in alios, quia ipse integer: deinde quia membrum hoc debet opponi alteri, *contra audaciam fortissimus*; igitur *erga innocentiam clementissimus*.

Cap. 31. *Præfers*] Malim *præ te fers*, ut in manuscr. F. Ursini.

Alienissimo] Chrysogono.

Cap. 32. *Pugna Cannensis*] Existimo pugnæ Cannensis mentionem fieri, non ob ipsam pugnam, sed ob ea, quæ pugnam consecuta sunt. Quemadmodum enim post illam pugnam coactus est Romanus dictator etiam prætextatos armare, atque adeo servos ipsos inopia liberorum capitum, ut narrat Livius lib. 22. cap. 57. ita etiam post Syllanam stragem vel inepti homines cœperunt accusare, atque inopia bonorum videri boni. Itaque non tu, Eruci, bonus accusator es, inquit Tullius; sed bonum te facit pugna illa Cannensis, quæ bonos sustulit.

Ad Thrasymenum] Anno ante Cannensem pugnam Romanus exercitus cæsus est ab Annibale, ad lacum Thrasymenum, cujus hic orator mentionem facit, quia videtur respondere *lacui Servilio* in ipsa urbe Roma, ubi multa civium millia a Sylla trucidata sunt, eorumque capita publice exposita. Unde lacus iste *proscriptionis Syllanæ spoliarium* dicitur a Seneca, lib. de Provid. cap. 3.

Quis non est vulneratus ferro Phrygio?] Verba sunt Ulyssis apud Ennium (ut scribit vetus scholiastes) excusantis se, quod vulneratus ex pugna fugisset in Achillis tentorium.

Curtios, Marios, Mamercos] Celeberrimos ejus ætatis accusatores. F. Ursinus pro *Mamercos* legendum putat *Memmios* claros ea ætate accusatores, de quibus Cicero in Bruto cap. 36. Conjecturam ejus probabiliorem facit vetus liber, in quo *Memmeos*.

A præliis avocabat] Ideoque non quia pugnare, sed quia accusare poterant, occisi sunt.

Priamum] Non oblitus ferri Phrygii, Priamo comparat Antistium. Uterque senectute summa occisus est, cum nocere nemini posset.

Leges pugnare prohibebant] Si de præliis forensibus totus hic locus explicandus est, notat senem Antistium tanquam ignominia affectum, aut turpi judicio damnatum; nam, ut observat Hotomanus ex Ulpiano, hujusmodi personæ *removebantur a postulando*.

Inter sicarios] Lege Cornelia de sicariis. Vid. formulam eandem, cap. 5.

Cap. 33. *In bonis*] In bonis occisorum diripiendis.

Aliquem] Id est, Chrysogonum, in cujus clientela erant sicarii, quia eorum opera utebatur.

Cap. 35. *Automedontem*] Sic appellat Glauciam ob itineris hujus celeritatem. Fuit autem Automedon Achillis auriga, qui equos velocissimos Zephyri filios agebat.

Lemniscatam] Nobilissimam, quia lemniscis, hoc est, fasciolis ornatam. Solebant autem et coronæ, et palmæ ad majorem honorem lemniscis ornari. Quam in rem Menardus affert Ausonii locum ep. 20. ad Paulinum, vers. 6.

De ponte in Tyberim] Aliquem T. Capito in Tyberim de ponte præcipitaverat. Qua in re jocatur Cicero,

quod, ut docet Varro apud Nonium, cap. 12. n. 22. *Sexagenarii de ponte dejicerentur*. Dejici porro dicebantur, quia tanquam cives effœti a suffragiis ferendis more majorum arcebantur. Hinc senes *depontani* dicti. Suffragia autem per pontem ferri consuevisse notissimum est. Vide Sigonium de ant. jure civ. Rom. lib. I. cap. 17.

Suum volumen] Erucius dictaverat Capitoni verba, quæ pro testimonio diceret; eaque Capito Sex. Roscio minitatus fuerat.

Cap. 36. *Alter*] T. Magnus.

Magistrum] Id est lanistam.

Alter, si diis] T. Capito.

Cap. 38. *Ne palam*] Ne manifestum fiat, qua de causa legati Amerinorum venerint in castra. Vide cap. 9.

Aliqua fretus hora semper] Semper Capito aliquod Syllæ impedimentum comminiscebatur, quo fretus in singulas horas legatis aditum impediret. Duo verba moverunt difficultatem interpretibus: primum est *fretus;* alterum *hora*. Quod ad primum attinet, ita ait F. Ursinus, *FRETUM legit Victorius: at Manutius habet FRETUS, nihilo meliore sententia.* Meliore tamen, inquam ego, constructione. Quoties enim infinitus modus ita effertur, persona agens primum casum tenet; cujus rei infinita sunt exempla, præsertim apud Historicos, quibus familiarissima est hæc loquendi figura. Casus autem ille primus regit verbum, quod tacetur per ellipsim, verbi gratia, hoc in loco *pergebat*. Miror proinde præstantissimos viros fere omnes secutos esse Victorium, et ea exemplaria, quibus Victorius deceptus est. Quod vero ad alterum attinet, ego ab iis libentissime sto, qui nihil mutant. Non enim video, cur *horæ* nequeant usurpari pro negotiis ipsis, quæ qualibet hora fiunt: quemadmodum a Quintiliano lib. 6. cap. 4. Asinius Pollio dictus est *omnium horarum homo*, quod idem semper esset, omnibusque negotiis tum seriis, tum ludicris accommodatus. Juvat tamen aliorum sententias afferre, ut cuilibet fiat satis. Hotomanus pro *hora* legit *aura*, quod refert ad favorem Chrysogoni. Lambinus item legit *aura*, et per eam significari putat causam inanem, ac fallacem instar auræ. Gruterus legit *remora*, Manutius *mora:* quam vocem probat etiam Grævius. *Sed non video*, inquit, *ut præcedentia verba constitui possint. Forte:* hisce aliqua ficta mora, *quam fingebat, ut illos moraretur, ne admitterentur ad Syllam.*

Intercessore] Impediente. Sic Tribuni plebis intercedere, hoc est, impedire dicuntur.

Testimonium] Non ipse Cicero denunciat; quia is tantum poterat denuntiare, qui debebat probare, hoc est actor.

Suscipis onus] Per exprobrationem diluit tacitam prolepsim; aitque mandati onus nec grave esse nisi hominibus levibus, nec visum esse grave ipsi suscipienti. Sed quam vereor, ne desit aliquid! Non enim satis videtur Tulliano more expressa sententia. Certe hæc oratio gravissimas passa est calamitates, ab hoc præsertim capite usque ad finem.

Cap. 39. *Concredita* * *] Non est dubitandum, quin desit hic membrum respondens *fortunis vivi*, ut optimi inter interpretes observarunt: v. g. *vivum ad egestatem redegerit*, aliquid simile.

Inter vivos] Quia hujus criminis reus non modo ex honestorum hominum, sed etiam vivorum numero expungendus est, ut scribit Grævius. Gruterus legit *justos:* Hotomanus *viros*. Fortasse legendum *homines*, quam repetitionem cum exscriptor aliquis non caperet, reposuit *viros*. Nisi dicere malimus deesse *bonos*, et legendum esse, *inter bonos viros*.

In crimen mandati, judiciique infamiam revocatur.] Plerique ad Grævium usque habent *judiciumque infamia*. Sed hinc nullus erui potest sensus, ut omnes ultro fatentur. Ego secutus sum editiones Gryphianas,

et alias non minimæ auctoritatis, quas vidit Hotomanus ipse, licet non probarit. Manutius unius litteræ additione rem conficit, legitque *judicumque infamiæ*. Sed hæc lectio non probatur Lambino, quod Latine dici non soleat *judicium infamiæ*; sed *judicium existimationis, famæ, &c.* Scio equidem Lambinum improbasse etiam nostram; sed nullam tamen rationem attulit, cur improbaret. Ipse porro legit; *in crimen judicumque infame vocatur*. Sed præterquam quod nimia mutatio est, nulloque aut manuscripto, aut edito codice confirmata, accedit quod dura videtur phrasis, *vocari in judicium infame*. Quid Hotomanus? *In crimen mandatique, judicium infame revocatur*. Sed præterquam quod divinat, numerus hic orationis, et modus efferendi nonnihil offensionis habet. Grævius putat, *mandati* nomen non suo loco poni; vocem vero *infamiæ* esse interpretationem *criminis*, quæ irrepserit in contextum. Itaque mallet legere: *negligentia mandati in crimen judicumque revocatur*. Sed tamen nihil affirmat.

Per arbitrum] Judicia bonæ fidei, quale erat judicium mandati, dicebantur *arbitria*, judex vero *arbiter*.

Publice Roscio] Id est Capitoni. Sed vox *Roscio*, ut mihi videtur, redundat; et ab aliquo sciolo addita margini est ad explicationem, postea in contextum ab exscriptoribus recepta.

Cap. 40. *Tecti esse ad alienos*] Id est, tegere possumus omnia nostra consilia alienis: intimis eo ipso, quod intimi sunt, patere multa necesse est: socii ipsi societatis jure sciunt omnia. Itaque alienos cavere possumus, quia omnia nostra ignorant: cavere possumus intimos, quibus etsi patent multa, non tamen omnia: socium vero cavere nullo modo possumus, qui ut in partem, ita in cognitionem rerum omnium vocatur. Porro *ad alienos* dicitur, quasi *apud alienos*, seu *quod attinet ad alienos*. Cujus dictionis exempla passim occurrunt.

Proditor, deinde perfuga] Primum prodidit socios; deinde aperte transiit ad Chrysogonum adversarium.

Ibi scelus] *Ibi id scelus* legendum putat Grævius, et quidem recte.

Cap. 41. *Fidem magistri*] Malam Capitonis fidem, qui legationem prodidit. Dictum supra.

Discipuli æquitatem] Roscii Magni iniquitatem, qui servos in quæstionem dare non vult.

Homines nobilissimi] Metelli, et Scipiones, de quibus cap. 28.

Anne quæritur?] Id est, non quæritur in dominos; quia neque Sex. Roscius amplius dominus est, neque vos dominos esse fatemini. Ergo sive in illum, sive in vos quæratur, non quæritur in dominos.

Cum Chrysogono sunt] Altera adversariorum excusatio, quod servos non habeant in potestate; ideoque non possint eos in quæstionem dare.

Cap. 43. *Nomen aureum*] Quia nomen Chrysogoni fit a χρύσος et γένος: estque quasi *fatus aureus*.

Alii quoque] Qui bona proscriptorum civium emerunt.

Si enim hæc audientur, ac libere dicentur] Id est, si quando talia libere dici, et audiri poterunt, non de tantulo homine potissimum querentur, cum alii multo illustriores eadem injuria læsi fuerint.

Non fuit tantus] Nobiliores ac præstantiores cives proscripti sunt, de quibus esset conquerendum.

Sive Valeria est, sive Cornelia] Indignantis est, et stomachantis. Interfectis Coss. Carbone et Mario, L. Valerius Flaccus interrex, dictatorem dixit Cornelium Syllam, simulque legem tulit, ut omnia rata essent, quæ Sylla fecisset. Sive igitur, inquit Tullius, hæc lex *Valeria* est a suo auctore; sive *Cornelia* ab eo, cujus gratia lata est.

Si lege] Si lege occisus est.

Cap. 44. *Rediviam*] *Rediviam*, inquit Festus, *alii* reduvium *appellant*,

cum circa ungues cutis se resolvit; quia luere, est solvere.

Cap. 45. *Partim connivente*] Non extare verba hæc in suis antiquis codicibus monuit Gruterus, et fortasse ab aliquo sciolo addita esse. Ita opinor; non poterat enim excusari Sylla, ubi connivebat.

Pernicii] Alii *pernicies*. Alii *pernicie*. Alii *perniciei*. Omnia defendi possunt, ut est apud Gellium l. 9. cap. 14. Ipse tamen Gellius hoc in loco probat primum.

Vi, et magnitudine] Pro, magna vi, per figuram, quam Græci dicunt ἐν διὰ δυοῖν. Quemadmodum Virgilius II. Georg. v. 192. *Pateris libamus, et auro*, hoc est, pateris auratis. Putabant autem veteres, Jovem ipsum fato subjici, ac rerum ordine rapi.

Cap. 46. *** Desunt non pauca, quibus ostenditur, bona non veniisse.

Aptam et ratione] Hoc est, alii Syllæ liberti (ut supplet Lambinus) domum aptam et idoneam se habere existimant, &c. Cum enim Sylla omnibus libertis suis multa tribuisset, Chrysogonum tamen supra cæteros ditaverat usque ad delicias, et intolerandam potentiam.

Alter tibi] Vox *tibi* miram vim habet creandæ invidiæ. Solet autem adhiberi ad indignationem, aut irrisionem.

Authepsa] αὐθέψα, ex αὐτὸς, et ἕψα, quasi ipsa per se cibos coqueret. Fuit autem vas in superiore parte continens res coquendas, in inferiore ignem, qualia nunc quoque adhiberi solent ad multas sorbitionum delicias.

Cap. 47. *Pro illa tenui*] Pro illa mearum virium atque opum tenuitate, explicat Lambinus. Non tamen contemnenda est explicatio Hotomani, qui hoc refert ad partem Marii, Cinnæ, et Carbonis; pro qua parte maxime voluisset Cicero, ut componeretur.

Cap. 48. *Pati non potuerunt*] Pati non potuerunt, equites judicare. Itaque judicia ad Senatorum ordinem translata sunt.

Cap. 50. *Ne monumenti quidem causa*] Hoc maxime pertinet ad movendam misericordiam. Refertur autem ad illud cap. 9. *Cui ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.*

Cæcilia] Vide supra, cap. X.

Cap. 51. *Impedimento est ætas*] Annus legitimus causas agendi fuit decimus octavus, ut ostendit Hotomanus ex Ulpiano L. 1. D. de postul. et ex Justiniano Inst. L. 1. c. 6. §. 7.

Cap. 52. *Crudelitate sanguinis*] Non ferunt aures meæ, in Cicerone, *crudelitate sanguinis perlini*: nec hoc ulli alii condonaremus, qui sermonis elegantiæ spretor non esset. Legendum, *Crudelitati sanguine perlitarit*. Quod elegantissime exprimit crudelitatem hominis, *Crudelitati* quasi Deæ sacra facientis, eique *perlitantis*, sive κελλιεροῦντος sanguine Roscii, quem spoliaverat; hoc est, explentis crudelitatem, ut avaritiam jam expleverat. Joan. Clericus, *Art. Crit. part.* III. *sect.* 1. *cap.* 8. Ingeniosa quidem conjectura, et commoda; non tamen necessaria. Quid est enim *crudelitas sanguinis?* Omnino, sanguis per crudelitatem effusus. Amat eas commutationes vocum Cicero, atque hac arte novitatem suæ dictioni, admirabilitatemque conciliat. Vel in hac ipsa oratione multa possent non ferre qui aures habent tantum grammaticas. Cap. 2. *Pecuniam tam plenam.... Ad hanc suam prædam tam nefariam.* Cap. 5. *Quotidiano sanguine.* Cap. 10. *Quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent.* Cap. 51. *Ut Sex. Roscii vita, erepta de manibus sectorum, sententiis judicum permitteretur.* Viderant ejusmodi plurima Victorius, Turnebus, Muretus, alii majorum gentium Critici, quos non offendit *crudelitate sanguinis perlitus.* Quin est in hoc significandi vis major, et quædam colorandi efficacia, quam non norunt philosophi, sed boni oratores habent, quemadmodum poetæ. Non ita orator dicit, ut grammaticus loquitur. Huic satis est intelligi. Ille si frigide intelligitur, nomen suum amittit. Olivetus.

EVENTUS.

Credibile est, absolutum fuisse Roscium, cum dicat ipse Cicero in *Bruto* cap. 90, causam hanc tantum commendationis habuisse, ut nulla esset, quæ non digna patrocinio ejus videretur. Quæ conjectura confirmari solet ex iis, quæ habentur lib. 2. Offic. cap. 14. *Maxime autem et gloria paritur, et gratia defensionibus; eoque major, si quando accidit, ut ei suboveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur; ut nos et sæpe alias, et adolescentes contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus.* Plutarchus multo clarius videtur tribuere victoriam hujus causæ Ciceroni, cum scribit: ἀναδεξάμενος δὲ τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη. Quare metu Syllæ primum in Græciam concessit; deinde in Asiam progressus, eam fere totam peragravit; elapsoque biennio Romam rediit, ut ipse scribit in Bruto cap. 91.

PRO Q. ROSCIO COMŒDO.

ORATIO III.

ARGUMENTUM.

Tradidit C. Fannius Cherea Q. Roscio communemque cum eo fecit servum suum Panurgum, ea conditione, ut illum arte histrionica erudiret, deinde quæstus communis esset. Aliquanto post Q. Flavius quidam Tarquiniensis Panurgum occidit. Flavium Roscius judicio persequi cum vellet, cognitorem in eam rem Fannium dedit. Lite contestata, judicio damni injuria dati constituto, decidit cum Flavio Roscius, ut ipse aiebat, pro sua parte; ut Fannius, pro tota societate; fundum accepit, non pecuniam. Post aliquot annos Roscium Fannius arbitrum adegit. Arbiter fuit idem, qui in hac causa judex est, C. Calpurnius Piso. Is de re sententiam non tulit, sed Roscium rogavit, ut Fannio pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, H-S CCIↃↃ *daret, cum eo tamen, ut Fannius repromitteret, ac restipularetur, si quid exegisset a Flavio, partem ejus dimidiam se Roscio daturum. Spopondit ita se facturum Fannius: deinde Flavio litem intendit. Judex fuit C. Cluvius, eques Romanus. Ejus sententia Flavius H-S* CCCIↃↃↃ *Panurgi nomine Fannio dissolvit. Cujus pecuniæ pars dimidia, cum ex stipulatione Roscio deberetur: tamen tantum abest, ut ei quidquam Fannius dederit, ut eum etiam in judicium vocaverit, tanquam sua parte in vetere illa decisione fraudatus. Æstimabat enim fundum, quem a Flavio Roscius acceperat, H-S* CCCIↃↃↃ: *inde petebat H-S* IↃↃↃ: *quasi Roscius pro societate, non pro se tantum, decidisset. In quo lis tota vertitur.* MANUT.

Oratio Ciceronis pro Q. Roscio Comœdo, quia ἀκέφαλος est, et μείουρος, cujus, quantum licet æstimare, vix sexta pars superest, magnum nostris conjecturis locum facit. Accedit eo, quod lusisse librarii videntur, ac potius illusisse litteratorum studiis, qui in hoc potissimum Ciceronis scripto describendo, ita suis litteris ac notis abusi sunt, ut in reliquiis istis, quanta hæc pars est totius Orationis, vix quidquam salvum sit, quod sine offendiculo legi possit. Jam numerorum notæ omnes ita corruptæ, ut nesciam an una saltem aliqua ex fide descripta sit.

Cap. 1. *Tabulis tuis*] Moris erat ut patresfamiliarum, quæcunque per singulos dies aut acciperent, aut expenderent, ea primum propere ac festinanter in codicem memoriæ causa paratum, referrent, quæ *adversaria* dicebantur: deinde per otium in aliis tabulis ordine, et accurate præscriberent. Eas *tabulas accepti et expensi* nominabant. De earum fide censores cum urbem lustrarent, patresfamilias jusjurandum (ut ait Dionysius lib. 4.) interponere jubebant. Nam ex iis uniuscujuscunque civis censum æstimabant. Tabulas autem qui in potestate patris erant, nullas conficiebant: ut ex orat. pro Cælio intelligitur. HOTOM.

Qui per tabulas homines citi pecuniam expensam tulerunt] Ita legit Victorius. Manutius vero *homines honesti*, quod nimis abest a primo. Ant. Augustinus putat legendum *tabulis hominis sciti*, quæ tamen lectio nec ipsi penitus satisfacit, et jure quidem: nam non est necesse mutare *per tabulas* in *tabulis*, et proprietas *sciti* hic non habet locum. Quid si legatur *hominis acciti?* quod aliquando qui alteri pecuniam numerarent, ipsi manu sua in tabulas illam expensam non ferrent, sed alium accirent, qui eam expensam ferret. Pantagathus pro *citi*, legebat *alieni*, nimis longe a vulgata scriptura. F. URSINUS.

Nomen] *Nomen* est quodcunque in tabulas refertur, inscripto ejus, cui vel acceptum, vel expensum fertur, nomine. HOTOM.

Paulo ante M. Perpennæ] Lego: *Paulo ante M. Perpennæ, et P. Saturii tabulas poscebamus: nunc tuas, C. Fanni Cherea, solius flagitamus.* Perpenna unus erat e judicibus: Saturius, patronus Fannii: Fannius autem Græcus erat, sed donatus fuerat civitate, aut libertinus. Utrique enim patronorum nomina ferebant, et iis suum addebant. Iste igitur antea Cherea vocabatur, postea de Fannii patroni nomine C. Fannius Cherea. TURNEBUS.

Cap. 2. *Indignari de tabulis*] *Indagare*, pro *indignari* scriptum est in antiquo, et infr. *Non modo ex tuis tabulis.* URSINUS.

Ex adversariis] *Adversaria* dicuntur tabulæ ad quotidianum usum paratæ: in quibus cursim et negligenter ea scribimus, quæ post accuratius in certas, et perpetuo mansuras tabulas ordine ac disposite perscribimus: deductaque ex eo appellatio videtur, quod ibi statui soleant ubi nobis assidue obversentur: quasi adversus nos posita. Unde etiam *adversarii* dicti, quasi in quos perpetuo incurramus, vel qui se nobis assidue opponant: hoc enim proprie *adversari* significat. HOTOMANUS.

Litterarum vetustatem] Sic accipio, litteras vetustas: et litteras vetustas, vetusta nomina. Nam *litteræ* privatæ tabulæ modo dicuntur: ut Verr. II. et IV. multis locis. Ergo *memoria tradere litterarum vetustatem*, hoc significat, conservare vetusta nomina, curare ut eorum memoria in multum tempus perduret. IDEM.

Dejecta] Lambinus conjecit cum Hotomano: *disjecta, illæ in ordinem conjectæ.* GRUTERUS. Dejecta, sunt dissipata, perturbata. PASSERATIUS.

Cap. 4. *Pecunia tibi debebatur certa*] Longa disputatio, in qua ad summam hoc dicit, male Fannium egisse, qui incertam pecuniam petat ad judicem. Incertam autem Fannium ipsum judicasse, cum eandem ante *ad arbitrum* petierit. Nam *ad arbitrum* nunquam nisi incertam pecuniam peti. *Arbitrum* autem hoc toto loco etiam eum significat, qui judex est, sed in iis judiciis, quæ nunc a jurisconsultis vel *arbitria*, vel *bonæ fidei* appellantur. In quibus additur EX FIDE BONA. Quibus in causis iidem *judices* dicebantur et *arbitri*, idem *judicium* et *arbitrium*. Atque hoc est quod idem ait in Mureniana, *Jurisconsultos nondum statuere potuisse, utrum arbitros an judices appellarent.* HOTOM.

Legitimæ partis] Infra: *Cum tertia parte sponsio facta est.* Sponsione autem is, qui actor erat, lacessere dice-

hatur, et, si litem perdidisset, simul amittebat eam pecuniam, cujus facta sponsio esset: quam fuisse ex lege tertiam ejus partem, de qua litigaretur, ostendit hæc oratio. MANUT.

Formula] Quam prætor vel judici dat, vel arbitro: judici, *Si paret*, H-S ɔɔɔɔ *deberi:* subaudi, tantum solvat: arbitro, *Quantum æquius melius sit, deri:* subandi, jube. IDEM.

Ad libellam] Ad assem. Idem enim valent: materia differunt; quod as æreus, libella argenteus nummus est. IDEM.

Compromissum feceris] In judiciis *sponsiones*, in arbitriis *compromissa* fieri solebant. Illæ, ni vere actio intenderetur; hæc, ni damnatus arbitri sententiæ pareret. HOT. Compromittere dicuntur, qui hinc inde promittunt, se arbitri sententiæ staturos. Inde *compromissarius judex*. PASSER.

Repromittive] Ut ex arbitri sententia, quantum æquius et melius esset, vel daret tibi Roscius, vel se daturum promitteret: si modo pareret, eum debere. Addidit enim Cicero, *si pareret*, ut nihil prorsus debere Roscium ostenderet: quod illa formulæ verba, *Quantum æquius et melius*, aliquid eum debere significare videbantur. MANUTIUS.

Eundemne tu arbitrum et judicem sumebas?] Simul et uno tempore. Quia simul et quantum æquius melius esset petebas, et certam ac definitam pecuniam præcise flagitabas. HOTOMAN.

Infinitam largitionem] Nam arbitris, ut dictum est, certa summa non definitur, in qua vel damnent, vel absolvant: sed ex æquo et bono potestas eis de ea re disceptandi permittitur. *Infinitum* autem dixit pro eo quod vulgo dicimus *indefinitum*. IDEM.

Angustissimam] Remittendi enim potestatem judex non habet, sed ex formula sponsionis, verbi gratia, si paret, Chereæ H-S ɔɔɔɔ Roscium debere, vel omnino condemnare Roscium cogitur, vel absolvere. MAN.

Reliquum est, ut stipulatum se esse dicat] Ut hæc H-S ɔɔɔɔ sibi a Roscio deberi per stipulationem dicat. Stipulationum duo genera, unum extra litem, alterum in lite. Utrumque fiebat per interrogationem, et sponsionem. IDEM. Vid. Instit. Just. lib. III. cap. 15.

Cap. 5. *Cum tertia parte sponsio facta est*] Ut, nisi Cherea H-S ɔɔɔɔ ad libellam probaret sibi a Roscio deberi, non modo litem perderet, sed præterea tertiam partem pecuniæ a se petitæ, cujus pecuniæ sponsio facta esset. MAN.

In hanc formulam] Judicii, quæ tibi, C. Piso, a prætore scripta est. Quæ quamvis facilis sit et expedita, neque a me longiore oratione explicanda esse videatur, tamen perinde ac difficillima quæque judicia, et arbitria obscurissima de causa constituta in ea formula conclusa essent, ita longa utemur explicatione. HOTOMANUS.

Cap. 7. *Experiri*] Lege agere apud Judices. Pro Quintio, cap. 11.

Ballionem illum improbissimum] Notissimum lenonem ex Pseudolo Plauti, Comœdia cæterarum omnium facile principe. HOTOMANUS.

Persona illa lutulenta, impura, invisa] Alludit ad verba Plauti sc. 3. act. I. Pseud. *Fraudulente, impure leno, exsum.* Sic *lutulenta sus* apud Horat. Cicero in Pison. *O lutum, o sordes!* Invisos esse diis lenones ostendit in Rudente Charonidea. Nam Labrax leno ab eo dicitur naufragii causa fuisse. Act. 2. scen. 6. PASSERAT.

Nihil videtur] Deesse putabat, *causæ*, aut simile quid, Gulielmius. Edd. vett. et Pal. habent, *mihi videtur*. Turnebus reponebat e libris, *non mihi videtur*. GRUTER. Cave quicquam mutes. Nam *nihil videtur*, est non videtur. *Nihil* pro *non* sæpius legitur. Cicer. VI. ad Famil. ed. 8. *Nihil attinet me plura scribere*. GRÆV.

Cap. 8. *Veterator*] Francii sic primus interpungit. *Subridet Saturius. Veterator, ut sibi videtur, ait propter, &c.* IDEM.

Propter ipsa H-S] Id est, tantum ob lucrum et quæstum. HOTOMAN.

M. Perpenna] Ante Pisonem judicem appellatur, quia consularis, et censorius. Alius autem est ab eo, qui Sertorium occidit. Nam ille non diu post Sertorii necem, hic autem vixit ad annos 99. ut ait Plinius lib. 7. MANUT.

Dionysia] Nota saltatricula; cujus nomine oratorem Hortensium Torquatus appellabat. Gellius lib. I. cap. 5. HOT.

Laborem quæstus recepit: quæstum laboris rejecit] Hoc lumen orationis dicitur Cornificio IV. ad Herenn. commutatio, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut a priore posterior, contraria priori proficiscatur, ut, *Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas. Si poema loquens pictura est, pictura tacitum poema dicitur esse.* PASSERAT.

Quæstus] Macrobius, lib. 3. Saturnal. scribit mille in singulos dies denariis meruisse Roscium.

Et gestum, et animam ageres] Gestum ageres, quamdiu viveres, ad extremam vitæ horam: tum quoque gestum ageres, cum animam ipsum ageres. Jocatur in verbo, *ageres*, duas res, pro adjuncto nomine indicante. Nam, *agere animam*, est mori. MAN.

Cap. 9. *Nullum est arbitrium*] Cum in angustissimam formulam sponsionis concludatur: ut supra dictum est. MAN.

Ubi licet agere] Apud arbitrum Quod fecerat Cherea, sed, pactione interposita, litigare apud arbitrum desierat. IDEM.

Jacere] Objicere. IDEM.

Ubi non oportet] Apud judicem. ID.

Formula illa uti noluisti] Cœptam litem ad arbitrum persequi noluisti. Quæ sit arbitrii, quæ judicii formula, jam dictum est: illa mitis, et moderata, *Quantum æquius melius sit dari;* hæc directa, aspera, simplex. *Si paret* H-S. ıɔɔɔ. *deberi.* IDEM.

Fecit pactionem] Verba Fannii, Volebam, inquit, litem institutam persequi: sed Roscius metuens ne turpi judicio damnaretur, fecit pactionem. HOTOMAN.

Num tabulas habet, an non?] Saturium alloquitur, et de Fannio intelligit, hoc sensu, eoquid habet ejus pactionis tabulas? Omnes enim in tabulas actus legitimi referebantur, stipulationes, sponsiones, &c. IDEM. Vide Turneb. Adv. XXIX. 36.

Satisfecisti] Excusasti te, purgasti te verbis. Id enim est *satisfacere.* Hinc *satisfactionem accipere:* pro, excusationem probare. MANUTIUS.

In judicium ut denuntiaret] Ciceronem existimo scripsisse: *Quod temere commisisses, id judici ut denuntiaret rogasti; rogasti ut ignosceret, te affuturum negasti.* Alterum *rogasti* videtur excidisse: dein scribendum esse, *id judici ut denuntiaret rogasti*, sequentia statim ostendunt: *judici hic denuntiavit. Absolutus est.* Fecit nimirum Roscius, quod tu rogabas: judici significavit, te fateri, te temere commisisse; et rogasse, ut ei ignosceres: se actionem deponere, ac nolle pudore suffusum esse præsto in judicio, et tuam actionem persequi. Hac Roscii denuntiatione motum judicem absolvisse Roscium. Nihil clarius. GRÆVIUS.

Cap. 10. *Veteris histrionis*] Panurgi. Cum ironia dictum. Quo modo enim vetus histrio, si eum Fannius Roscio erudiendum tradidit, et communem gratis fecit? Tota igitur irrisio est, magnificis prolata verbis, ad exprimendam Saturii ostentationem, qui, quod magna cum expectatione exorsus est, paucissimis verbis absolvit: tantum enim hoc dixit: Panurgus fuit Fannii. Is fuit ei cum Roscio communis. Qua narratione quid humilius? MANUTIUS.

Cap. 11. *Cognitorem*] *Cognitor* præsentis dicitur: *Procurator* absentis. Hoc aliis multis locis explicavimus, et mendum Asconii libro, ubi hoc ipsum explicabat, sustulimus. HOT. Vide infra, Divinat. cap. 4.

Contestata] Instituta; cum scilicet prætor judicium dedit. MANUT.

Damni injuria] Subauditur, dati, ut, *damni injuria*, sint formulæ verba,

quam prætor dabat: quasi, propter injuriam damni dati. IDEM.

Utrum pro dimidia parte] Loquitur ex persona Roscii. IDEM.

Si fit vero] Nihil muto. Recta enim, et incorrupta est lectio. Est autem tempus præsens pro præterito, hoc modo: *Si vero hoc fit*, id est, si vero hoc factum est, &c. Hotomanus autem legit, *Si sit hoc verum:* a quo dissentio. LAMBINUS.

Cap. 12. *Vertit hic rationem*] Immutavit defensionem: aliam defensionis viam iniit. HOTOM. Quia duo proposuerat: Utrum pro dimidia parte, an pro tota societate? et unum absolvit, licuisse Roscio pro sua parte decidere; aggreditur alterum, *pro tota societate.* Vertit, inquit, Fannius rationem, non ait Roscium pro se, sed pro tota societate decidisse. MAN.

Lites redemit] Roscius, accepto fundo, liberavit Flavium litibus non suis, sed societatis. Objectio Fannii. IDEM.

Cur igitur decidit] Flavius cum Roscio. IDEM.

Non restipulatur] Non alligat Roscium promissione per stipulationem facta, neminem amplius petiturum. IDEM.

Cur de fundo decidit] Legendum: *De fundo decedit*, ut *decedere de suo jure*, pro Roscio Amer. In II. Verrin. *Si prætor vi cogat aliquem de suis bonis decedere. De possessione decedere*, in Rull. PASSERAT.

Judicio non absolvitur? Litibus non liberatur, quæ a Fannio, Roscii socio, imminent. MANUT.

Neque a Fannio] Qui potest ei litem intendere pro sua parte. MAN.

Cap. 13. *Si Flavius nihil debet*] Si, ut contendis, Roscius decidit cum Flavio pro societate, Flavius nihil debet: si nihil debet: quid ab eo auferre potes? Tamen in restipulatione dicis, *quod a Flavio abstulerò.* Quid hoc significat, nisi Roscium, vel ex tuo testimonio, pro se tantum, non vero pro societate decidisse? HORT.

At enim] Prolepsis, et transitio. *Tibi*, o Saturi. Hactenus ostendit Roscium pro sua parte tantum, et parvo pretio, decidisse: jam probaturus est Fannium etiam a Flavio, Panurgi nomine, pecuniam abstulisse, atque ideo Roscium suas, non societatis, lites redemisse. IDEM.

Initium repromissionis] Originem, et causam repromissionis Fannii. Ideo enim repromisit, quia Roscium judicabat pro sua parte, non pro societate, decidisse. MANUT.

Cap. 14. *Addictus erat tibi*] Apud veteres, qui pecuniæ damnati judicatum facere non poterant, nexi in servitutem creditoribus addicebantur. HOTOM. Vide lib. I. de Orat. cap. 63.

A Flavio non abstulit] Fannius: et verba sunt Saturii. IDEM.

Cap. 15. *Nihil mihi detraham*] Locus est subobscurus: sed, ut opinor, hic sensus est: Nihil sciens de mea existimatione detraham, nihil lubens ac volens diminuam. Quod facerem, si tantum mihi sumerem, ut de illorum exacta severissime ætate, adolescens et nulla auctoritate præditus, judicium meum interponerem. Non faciam igitur, ut mihi tantum arrogem. Conceptam enim de me opinionem imminuerem, et temeritatis atque arrogantiæ notam subirem. HOTOM.

Si ferrem judicem] *Judicem* enim actor, quem ei commodum erat, ferebat; reus aut recusabat, si sibi eum iniquum fore putaret, aut comprobabat: comprobato ab utroque judici prætor judicandi potestatem faciebat. Hinc *judex* dictus, ut scribit Varro, qui judicat accepta potestate. *Ferre* autem *Judicem* veteres dicebant pro offerre. Sic lib. de Orat. II. *Cum ei M. Flavius in aliis probris objectis P. Mucium judicem tulisset*, &c. Item, *Servilius ille Galba cum judices a Scribonio Tribuno pleb. ferat familiares suos*, &c. IDEM.

Cap. 17. *Medius fidius*] Jurandi formula. Varro de Ling. Lat. IV. 10. et Festus in *Medius fidius.*

Ballione] Supra, cap. 7.

Altera pensio] Id est, solutio. Apparet decisionis nomine trecenta Fla-

vium Fannio promisse: e quibus centum et quinquaginta, id est, dimidia pars Flavio debebatur: quam summam duabus pensionibus solutam esse ostendit. HOTOMAN.

Non tum, cum prima?] Nam, si subornare falsum testem Roscius Cluvium voluisset, certe subornasset potius ante, quam primam pensionem solveret. Non enim eam solvisset, nisi Fannius ei dimidium ejus dedisset, quod a Flavio exegisset. Cujus restipulationis verba supra recitata sunt. MANUT.

Cap. 18. *Litem contestatur*] Litem intendit: accipit a prætore judicium, ut litiget. IDEM.

Quod si quisquam petere] Alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus: Roscius cognitor non est factus; quo modo igitur tibi petiit? IDEM.

Damni injuria] Supra, cap. 11.

Nisi forte] Ironia. Nisi forte invertis æquitatem, et partem quæ Roscii est, quam a Flavio extorquere jure non potes, Roscio per vim eripere potes. HORT.

Sine cautione, et restipulatione] Cautio est Roscii, qui sibi cavit, cum restipulatus est: repromissio, Fannii, qui restipulanti, dissoluturum id spopondit. HOTOM.

IN Q. CÆCILIUM

ORATIO,

DE ACCUSATORE IN C. VERREM CONSTITUENDO: QUÆ DIVINATIO DICITUR.

ORATIO IV.

ARGUMENTUM.

Cn. Pompeio primum et M. Crasso Coss. C. Verres functus quæstura, legatione, et prætura urbana, vivo patre C. Verre, et prætextato filio, ac filia nupta, uxorem habens, cum successisset in Sicilia C. Sacerdoti prætori, eamque, non sibi succedente Arrio, per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, succedente tandem in eadem provincia L. Metello, repetundarum reus ab Siculis postulatus est: qui omnes, præter Syracusanos, et Mamertinos, M. Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt, jam pridem illis necessitudine copulatum, quod Quæstor in Sicilia fuisset Prætore Sex. Peduceo, et quod, cum decederet, in illa oratione, quam Lilybæi habuit, multa iis benigne promisisset. Accessit his, non ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis, Scipionibus, et multis aliis nobilibus viris, et præcipue ab Hortensio ipso defenderetur, facile et principe in senatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege causarum, et eodem consule designato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius prætoris Siculi, alterius prætoris urbani. His ita constitutis, extitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, et quæstor Verris, et ejusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere, has afferens causas: unam, quod ab eo læsus, et ob hoc jure illi sit inimicus, quare prævaricator esse non possit: alteram, quod, cum

quæstor ei tum fuerit, etiam ipse in quæstura crimina noverit Verris: tertiam, quod Siculus pro Siculis agat. Hujusmodi propositionibus Cicero designatus ædilis his sex capitibus respondet: accusatorem eum esse oportere, qui invitus cogitur religione officii, rogatus ab omnibus Siculis: qui pro republica agat: quem volunt, qui accusant: quem metuit, qui accusatur: qui idoneus est facundia, et innocentia: qui hoc facit imitatione majorum. Divisio principalis una de se ipso; altera de contentione sui, et Cæcilii. Divinatio dicitur hæc oratio, quia non de facto quæritur et conjectura, sed de futuro, quæ est divinatio, uter debeat accusare. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, ut, quod velint, præsentire de utroque possint. Alii quod res agatur sine testibus, et sine tabulis, et his remotis argumenta sola sequantur judices, et quasi divinent. Agitur autem causa senatoriis judiciis in invidia apud populum constitutis corruptione multorum, vexatis provinciis omnibus, ac sociis populi Romani fessis toto orbe terrarum, libidine, et iniquitate Romanorum magistratuum, accusatoribus prævaricatione infamibus, flagitante plebe judicia equestris ordinis, quæ fere ante annos 10. *victor Sylla sustulerat, cognoscente de pecuniis repetundis M. Glabrione prætore, et amplissimis quibusque senatorii ordinis judicantibus, summa expectatione cunctorum. Genus causæ, honestum. Status, qualitas negotialis comparativa de constituendo accusatore, qui potissimum de duobus, aut qui solus accuset: dicit enim Cæcilius, aut a se accusandum esse Verrem, aut a se quoque.* ASCON.

Cap. 1. *Si quis vestrûm, Judices*] Hoc toto capite soloecismi species continetur, nisi addas ET, aut IDEM: ut sit, ET subito nunc mutata voluntate ad accusandum descenderim: quare multi non, *descenderim*, legunt, sed *descendere*. ASCON. Habent omnes libri Mss. *descenderim*, et ita habuit in suo libro etiam Asconius Pedianus, ut ex ejus verbis intelligere licet. Ait autem hoc toto *capite speciem solœcismi contineri*, nisi addas *descendere*: quomodo habent hodie multa exempla. Sed Joan. Passeratius, vir doctus, admonuit me, *descenderim*, nulla re subintellecta, legi posse, et debere. Itaque, *miratur me*, legendum esse conjunctum. LAMB.

Eorum qui adsunt] Coronam populi dicit circum subsellia stantem. ASCON.

Causis judiciisque publicis] Jam hoc contra Cæcilium est, qui nunquam sui periculum fecit. Causæ autem etiam privatæ sunt: sed repetundarum, ambitus, majestatis, et cæteræ, reipublicæ causa constitutæ sunt. IDEM.

Una et id, quod facio, probabit] Principalis divisio hujus causæ bipartita est, utrum recte Cicero accuset, et utrum Cæcilio sit anteponendus. IDEM.

Cum quæstor] Narrationem in exordio multi admirantur, ac reprehendunt, sed non recte; est enim argumentalis narratio ad priorem divisionem; in qua quæritur, an recte Cicero ex defensore accusator effectus sit. ID.

Siculis omnibus] Elatorie; cum enim a duobus Quæstoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybætano, altero Syracusano, ipse vero Lilybætanus Quæstor fuerit, Sex. Peduceo Prætore, omnibus tamen se placuisse dixit. IDEM.

Veteribus patronis multis] Siculi veteres patronos habebant; in quibus Marcellus et Marcello ortus, qui Syracusas victor servavit incolumes: Scipiones, quorum auctor P. Scipio Africanus, Carthagine excisa, Siciliæ ornamenta retulit sua, quibus quondam a Poenis victoribus spoliata erat: Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium præbuit, cum fuit reus M. Lepidus in ea provincia prætor, instantibus ad accusandum eum Metellis duobus, Celere et Nepote. IDEM.

Populati atque vexati] Populati avaritia, vexati libidine et crudelitate. IDEM.

Cuncti] Simul omnes quasi conjuncti. IDEM.

Causam, defensionemque] Causa ge-

nus est ad accusationem et defensionem; et mire defensionem vult esse, non accusationem. Ascon.

Sæpe esse pollicitum] In ea oratione, quam decedens Lilybæi habuit. Idem.

Venisse tempus aiebant] Ut Terentius; *Hoc herele factum est; fac, ut promissa appareant.* Idem.

Sese jam ne deos quidem in suis] Mire imitatus est verba Siculorum, dolore oxymora, et inania: quasi deos non habeant, qui simulacra perdiderunt. Delubra vero templa esse, hic aliter ostendit Tullius, aliter cum dicit templis atque delubris? et sunt qui templa esse dicant singulorum diis attributorum locorum; delubra multarum ædium sub uno tecto a diluvio pluviæ minutarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum, mortuorum, ut Dodonæi Jovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur. Sunt etiam, qui *delubra* ligna delibrata, id est, decorticata, pro simulacris deorum more veterum posita existiment, sed male. Idem.

Per triennium] Expectabat Arrium in provincia Sicilia successurum Verri, qui non successit. Hinc triennium Verris prætura duravit. Id.

Rogare et orare] Rogare ut hominem, orare ut deos. Jam enim, quibus id facerent, non habebant. Id.

Quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret] Superbissimum videretur, si addidisset *alteri*, ut esset *nemini alteri*. Nunc hoc non addidit: quasi nec ipsi Tullio supplicare debere intelligatur. Quanquam cum anaphora sit ad personam Siculorum, non videretur invidiose orator dicere, quæ Siculos dixisse commemorat. Idem.

Cap. 2. *Graviter et acerbe*] Graviter, quod accusare nolebam: acerbe, quod Siculorum injuriis affligebar. Id.

Multorum bonorum exemplo] Ipse mox dicet, quo exemplo optimorum virorum. Idem.

Veteri consuetudine] Quia viri robustiores accusare consueverant, non, ut nunc, adolescentuli. Idem.

Non ex meo] Ut Cæcilius, qui inimicitias persequitur suas. Idem.

Tempore] Tempus pro ratione negotiorum, id est, commodo vel incommodo recenti, cui ex tempore consulendum ac prospiciendum est. Itaque libro de Offic. 2. quod sic dixerat, *Tempus quod mihi ab amicorum temporibus datur*, paulo infra sic expressit, *Ab amicorum negotiis.* Et hoc jam contra Cæcilium est, qui suas se injurias persequi dicebat. Necessarios autem suos Siculos adpellat, propter jus hospitii quod cum iis habebat. Hotoman.

In Achaia, Asia] In his provinciis legatus et proquæstor Dolabellæ C. Verres flagitia multa commisit. Asc.

Romæ denique] In prætura urbana. Idem.

Cap. 3. *Populatæ, vexatæ*] Non a Verre tantum, sed ab omnibus; hoc enim vult intelligi, prodesse se velle Reip. accusationis exemplo. Ascon.

Socii] Non Siculi tantum, sed per omnes provincias. Idem.

Stipendiarii] *Socii* incertum, ut decimas; *Stipendiarii*, certum vectigal pendunt. Hotoman.

Qui judicia manere apud ordinem senatorium] Judicia L. Sylla victor ordini equestri ademerat, et in senatorium transtulerat. Sed hoc tempore, cum ordo senatorius infamia judiciorum flagraret, populus Romanus equitum judicia requirebat. Neque quicquam propius erat, quam ut promulgaretur lex ab Aurelio Cotta prætore, ut cum equestri ordine, et tribunis ærariis judicia communicarentur. Erant autem in urbe alii aliarum partium ac studiorum. Sed falsum est quod scribit Asconius, ferri legem hoc tempore. Etenim ne prioris quidem actionis tempore, id est, tribus fere post mensibus promulgata erat: ut Cicero ostendit Verrina quinta his verbis, *Itaque cum primo agere cœpimus, lex non erat promulgata*, &c. Vide infra. Id.

Accusatores se idoneos non habere] Cæcilium tangit. Ascon.

Populus Rom. interea, tametsi multis incommodis] His enim decem annis victore Sylla civilibus bellis spoliatus est populus Romanus potestate tribunitia, judicandi jure, quod habuit: per equites Romanos* *militaris*, arbitrio creandorum sacerdotum senatus, aut judicium. IDEM.

Difficultatibus] Propter plebem rusticam, quæ partim agros, partim jus civitatis amisit, partim omnino proscripta est victore Sylla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat. Difficultatem enim paupertatem significat. Terentius e contrario: *Quam vos facillime agitis!* Et ipse alibi, *In summa difficultate esse mummaria.* ASCON.

Judiciorum desiderio tribunitia potestas efflagitata] Primus Sicinius tribunus plebis, nec multo post Quintius, et postremo Palicanus, perfecerant, ut tribunitiam potestatem populo redderent consules Cn. Pompeius Magnus, et M. Licinius Crassus. IDEM.

Ordo quoque alius ad res judicandas postulatur] C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent. Et judicaverunt per annos 40. sine infamia. Post victor Sylla leges tulerat, ut senatorius ordo judicaret, et judicavit per 10. annos turpiter. Nunc *(Vide Hotomanum supra)* Aurelius Cotta legem fert, ut senatores et equites Romani, ac tribuni ærarii simul judicent. Hoc est, quod Tullius dicit offensione senatorii ordinis fieri. Et bene addit, QUOQUE, ut, simul judicaturos alios esse, monstraret. IDEM.

Etiam censorium nomen] Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur, ut ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Iidem completo quinquennio urbem lustrabant, et Soli taurilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant. Eorum notam successores plerumque solvebant. Hoc igitur tam triste severumque nomen populus Romanus sic oderat, ut intermissum esset per plurimos annos, quos nunc orator propter infamiam corruptorum judicum dicit plebem ipsam, quæ ante recusabat, exposcere. IDEM.

In hac libidine hominum nocentissimorum] Qui prædantur socios P. R. ID.

Ordinis] Senatorii scilicet.

Cap. 4. *Cognitorem juris sui*] Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si præsentis causam novit, et sic tuetur, ut suam. Ergo cognitorem dixit modo, familiarissimum defensorem. ASCON. In Asconio corrige sic, *Aut procurator, si absentis negotium suscipit*, &c. Deest enim verbum *absentis*, quod cum ex oratione pro Cæcina intelligitur, tum ex his Sex. Pompeii verbis, *Cognitor est, qui litem alterius suscipit coram eo cui datus est. Procurator autem absentis nomine actor fit.* HOTOMANUS.

De quo non præjudicium, sed plane judicium] Præjudicium dicitur res, quæ cum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum, quod sequantur. Judicium autem res, quæ causam litemque determinat. ASCON.

Sed plane judicium] De Verre jam factum est a populo Romano judicium, eum spoliavisse provinciam, et contra leges prædatum esse: quod Siculi, qui antea legati publice, testimonium dixerant, actorem causæ

---

* *In omnibus libris impressis legitur* militaris. *Sed cum significet hisce* 10. *annis, quibus Sylla principatum in republica tenuit, spoliatum populum Romanum potestate tribunitia, et judicandi jure, quod habuit per equites* 40. *annos vocem* militaris *delendam esse putavimus, et pro ea restituendos* 40. *annos. Et hanc quidem lectionem vehementer confirmat iisdem fere verbis paulo post Asconius.* T. POPMA.

suæ contra Verrem Tullium quæsissent. IDEM.

Ne nimium familiariter inimicitias] Sensus est per jocum hæc significans: quasi dicat, Videto Cæcili, ne nimium amice inimicitias exerceas, hoc est, ne inimicum fingas, ut prævaricari possis. IDEM.

Deinde sunt testes viri clarissimi] Ordo et sensus hic est: primum causam inimici tui sublevando non videberis accusator: deinde testimoniis convinceris in eo, quod negas me a Siculis esse delectum. IDEM.

Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus] Et Marcellus, et Marcellinus inter se gentiles sunt. Qua re reddidit rationem, cur isti Siculorum patroni sunt; scilicet, quia a M. Marcello originem ducant, qui Syracusas cepit, nec tamen delevit. IDEM.

Vestrum judicium ab suo judicio] Non dixit, ab sua voluntate, ut præscribat judicibus sequendum esse Siculos: quod paulo ante tentavit. ID.

Duo crimina vel maxima] Per unam furatus est, Syracusanam: per alteram furta exportavit, hoc est, Mamertinam. Sed leviter hoc præterit, quod illos quoque conatur a laudatione Verris abducere. Syracusanorum autem crimina alii etiam de Heraclii bonis, quæ cum palestritis partitus Verres est: et de Cleomenis navarchi flagitiò, et de aliis multis rebus interpretantur. Mamertinorum, de navi quam Verri fecerunt, et quam populo Romano ex fœdere non exhibuerunt, multis aliis immunitatibus contra fas remunerati. Et, *duo crimina*, generaliter, nam multa sunt, IDEM.

Ut oculis judicare possitis] Hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant: sed aptum est asseverationi. IDEM.

Cur hoc mihi detrimento esse debeat] Cur hoc me in hac causa debeat impedire. IDEM.

Temporis, valetudinis, facultatis] Temporis, Marcelli judicantis tunc: valetudinis, Marcellini, quod erat tunc infirmior valetudine corporis: facultatis, alterius Marcelli, juris magis studiosi, quam eloquentiæ. ID.

Quam neminem] Ac per hunc neminem, Cæcilium significat. ASCON.

Cap. 5. *Civili fere actione et privato jure repetuntur*] Recte: hoc enim judicium pecuniarum repetundarum publicum est. IDEM.

Hanc habent arcem] Arx vel sedes tyranni dicitur, ut sæpe alibi, vel editus in civitate, et munitior ad salutem civium locus, ut Virg.

> *Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?*

Ergo prima spes in muris est: secunda in arce, si muros hostis irruperit. IDEM.

Non modo a populo Romano] Cur a populo Romano, si socialis est? quia ipsi socii populi Romani sunt. ID.

Quod in unaquaque re] Leges Hieronicas, Repuliasque dicit, aut regis sui, aut Rupilii de decem legatorum sententia constitutas. IDEM.

Eripuisti, atque abstulisti] Eripuisti, quidquid auri et gemmarum: abstulisti, quod in unaquaque re, beneficio senatus populique Romani, juris habui. IDEM.

Sestertiûm millies ex lege repeto] Frustra calumniantur Ciceronem homines, et modo eum sestertiûm millies dicunt repetere, modo quadringenties: cum primum non suo ore, sed Siculorum loquatur accusatorie vociferantium. Deinde si maxime ad eum sunt referenda quæ dicit, adhuc non instructus sit contra Verrem, nec ad plenum noverit causam. Tertio, cur aut calumniatoris, aut prævaricatoris personam subeat, cum aliud jam agatur? Non enim de condemnando Verre, sed de constituendo accusatore confligitur. Postremo, cur id fraudi sit Ciceroni, cum ad tempus oratorum dicta proferantur? nam eodem modo erit contrarium præsenti actioni, quod alibi dicit, (oratione scilicet tertia) *victum a se Cæcilium quæstorem fuisse, qui idoneas cau-*

sus ad accusandum Verrem multas protulisset. IDEM.

Accedere, aut aspirare] *Accedere*, est proximum fieri: *aspirare*, in eam partem, qua quid quæsitum est, vultum et oculos, ac spiritum oris advertere. IDEM.

Cap. 6. *Etiam si tacent, satis dicunt*] Tale illud est: *Cum tacent, clamant.* Et, *Victoriam ipsam vicisse videris*, et, *Philosophandum est; etiamsi non est philosophandum.* Hæc in loco nec oxymora, neq cacozela judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, ut supra positis leniuntur. Ut est illud: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio.* Et illud quod sequitur, *Verum non tacent.* IDEM.

Te ipsum ulciscantur] Ulciscor et punio significat, et vindico: nunc ergo, puniant intelligemus. IDEM.

Cap. 7. *Ecquis unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit*] Bene distribuit: omnis enim studiosa contentio aut de honore, aut de salute præcipue est. ASCON.

Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cum vehementius contendi, impetrare] Acriter ipsum inducit Hortensium confiteri consuetudinem suam in corrumpendis judiciis pervagatam. Et addit, videri sibi tantumdem se impetraturum a judicibus corruptis, si Cæcilius constituatur, quantum si plane absolvatur Verres. Et est ordo et sensus. Non enim, inquit, illud peto, quod soleo impetrare a judicibus, cum vehementius contendi. Quid? hoc scilicet, reus ut absolvatur: non id peto. CUM VEHEMENTIUS CONTENDI: cum pecuniam judicibus dedi. Significat, judicium corrumpi. Sed quare non aperte dicit? quia ipsum Hortensium inducit loquentem: et omnes homines facinora sua honestius leviusque pronuntiant. IDEM.

Quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum] Scilicet ut a Cæcilio Verres accusetur, Quo facto et non damnabitur reus: et cum hoc egerint judices, tamen non videbuntur esse corrupti, cum tantumdem fecerint. ID.

Cujus ego causa laboro] Inepti sunt homines, qui hanc clausulam notant, ut malam: cum sit ex Spondeo et Bacchio de industria durior ad exprimendam sententiam positam, more Ciceronis; ut alibi idem: *Non tu eum patria privare, qua caret, sed vita vis.* IDEM.

Aliquis metus adjunctus sit ad gratiam] Id agit corruptor, ut gratiosus judex non solum velit servare corruptori suo fidem, verum etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur ad custodiendam pactionem promissæ a se gratiæ. Quid autem est, quod metum adjungat ad gratiam? scilicet aut custos, aut signum, aut aliquid ejusmodi. IDEM.

Certos] Aut ob hoc, quod sententiam suam, cur quisque damnaret, aut cur quisque absolveret, prius dixisset: aut ideo certos, quasi sequestres hujus rei inter judices se habere dicit Hortensius, quibus, antequam tabulas in unum omnes conjiciant, atque confundant, furtim ostendant, quam quisque sententiam constituendo accusatori conscripserit. ASCON. In consessu judicum. In his autem tabulis alias fuisse notas, quam quas Pedianus commemorat, dubium nemini esse potest: neque enim de condemnando, vel absolvendo Cicerone, Cæciliove agitur. Fortasse autem in nominationibus alterutrius nomen judices scribebant, ejus scilicet quem actorem sententiæ suæ constituebant. HOTOMAN.

Non enim singulos ferre sententiam, sed universos constituere] In divinationibus, et in aliis causis majoribus universis judices in cistam tabulas simul conjiciebant suas, easque insculptas litteras habentes, *A*, absolutionis, *C*, condemnationis: cum de alicujus capite agebatur: *N L*, amplitationis: his enim litteris significabant, *Non liquere.* Vult ergo corruptionis tantam sollicitudinem circa judices esse Tullius, ut hac religione injecta pro se judicent. Singuli autem sententiam de tabula pronuntiabant in levioribus causis, et ob id ip-

sum neque nota, neque custode opus fuit, cur corruptor judicum adjungeret metum ad gratiam judicantis. Constituere autem, tabulas in cista ponere significat magis, quam decernere. Ascon.

Ceratam unicuique tabellam, dari cera legitima] Terentius Varro, frater C. Varronis consobrini M. Tullii, reus ex Asia apud L. Furium prætorem primo de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus, absolutusque est a Q. Hortensio, qui corruptis judicibus hunc metum adjunxit ad gratiam, ut *discoloribus ceris* insignitas judices tabellas acciperent, ut timeret unusquisque eorum, ne fidem pactionis non servasse videretur, si non in tabula, quam unicuique datam meminisset Hortensius, ex nota ceræ scilicet discoloris, absolutum Varronem reperiret. Ascon. Sed quomodo versicolor tabella data illis judicibus fuit, ab Hortensio: cum ex Miloniana constet, vel a prætore judicii, vel extra ordinem a consule tabellas dari consuevisse? An alias ab Hortensio, alias a prætore acceperant, utrasque inter se parva in re dissimiles? Ita puta. Huc autem quæ pertineant, præter ea quæ Pedianus tradit hoc loco, subjiciam etiam illa quæ apud Acronem et Porphyrionem reperi. Acron igitur in illud Horatii in lib. II. sat. 1. *Grande malum Turius, si quis se judice certet.* "Turius, inquit, quidam corruptissimus judex, "hic est cui Hortensius propter fratrem Varronem ceratas diversi coloris tabellas dedit. Alias Turium "Marinum judicem significat, qui "accepta pecunia pronuntiare sit solitus, qui fidem suam corruperant. "Hoc quoque tempore Verres reus "erat, et diversi coloris tabellas fertur dedisse, ut sciret qui secundum "voluntatem judicasset: quia nomina sua centumviri non adjiciunt." Porphyrion autem sic: "C. Turius "hic prætor fuit, apud quem accusatus est a Cicerone Verres, Hortensio defendente. Hic dicitur "centumviris tabellas dedisse, aliis "nigras, aliis rubras, et cera adnotasse, quas cuique dedisset, ut sciret a quibus postea pecuniam peteret, vel relinqueret: nam omnes "corruperat." Hæc illi, ex quibus utriusque et negligentiam, et ἀπιστορησίαν sane indignam licet animadvertere. Hot.

A pueris nobilibus] Appio Claudio adolescente nobili: qui cum accusaret Terentium Varronem repetundarum reum ex Asia, victus ab Hortensio est: in quo judicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur. Significat et Cæsarem, item adolescentem, in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus non est quantum oportuit, per Hortensii gratiam. Nam si non damnatus est Dolabella, quo modo postea dixit Tullius: *Jamjam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate ac solitudine reliquisti, miseret.* Significare potest sane etiam Scaurum, qui alterum Dolabellam consularem triumphalemque accusavit: et potuit eidem Hortensius resistere. Asconius.

Si a quadruplatoribus] *Quadruplatores* delatores erant criminum publicorum: in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, assequebantur. Alii dicunt *quadruplatores* esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleæ, aut pecuniæ gravioribus usuris fœneratæ, quam pro consuetudine: aut ejusmodi aliorum criminum. Idem.

Ad viros fortes] Quam grave futurum erat, si, *ad me*, diceret, cum de illo specialiter nominatimque dicat, et viros, contra pueros nobiles ponit: spectatos, contra sordidum decuplatorum genus. Idem.

Cap. 8. *Totam esse mutandam*] Amare *totam* dixit: quasi ex nulla parte bonam rationem defendendi habeat Hortensius. Idem.

Meliore conditione sit] Id est, meliorem conditionem habeat, meliorque sit: quippe qui et possit, et de-

beat honeste agere: et hoc sit facilius, quam corrumpere judices. IDEM.

Homines eos quos ipse vidit] Bene, *ipse vidit:* major enim est Hortensius Tullio: adeo, ut in libris, qui de Oratore scribuntur, etiam laudetur Hortensius a L. Crasso, et M. Antonio. Hos ante se Cicero, Catonemque veneratur, et multos alios, quos et de Oratore, et in Oratore, et Bruto collegit. Sed Crassum et Antonium vidit Hortensius: alii vetustiores sunt. IDEM.

Sine magno multorum periculo posse corrumpi] Bona occasione subtiliter et judicibus comminatur, et Siculis acrimoniam suam in accusando demonstrat. IDEM.

Susceptam] *Suscipitur* totum: *recipitur* pars. *Suscipitur*, quod principale est: *recipitur*, quod hinc pendet. *Suscipitur* solum aliquid propter se: *recipitur* etiam propter aliud. IDEM.

Ut mihi non unus] Verres. IDEM.

Omnis improbitas] Et corrupti judices, et corruptores eorum, et sequestres, et interpretes, et emissarii, et omne quod vitii est. IDEM.

Tuae tui periculum] Ἀντὶ τῆς ἀπείρας, tentamentum dicit. Hoc est, quando tu te ipse tentasti? quando vel exercuisti, vel protulisti? IDEM.

Vitam alterius totam explicare] Præstruit ad illud quod dicturus est, multa esse crimina in Verre, quæ conscius societatis Cæcilius non audebit attingere, et hoc innocentiæ est. *Vitam alterius totam explicare*, illud eloquentiæ. *Atque ea non modo in animis judicum*, et quod sequitur. IDEM.

Sociorum salutem, commoda provinciarum] Hoc est, causam patriæ suscipere: ut *recepisse* singulorum. IDEM.

Cap. 9. *Rationem vitæ reposcere*] Accusatorem esse. IDEM.

Suae reddere] Defensorem. IDEM.

Nisi a Siculis potuisse cognosci] Aut quia Siculus ipse est: aut quia, nisi quæstor in Sicilia, nihil aliud fuit Cæcilius, in quo nosceretur quid hominis esset. IDEM.

Ut est hominum genus] Amariora dicturus, ad Siculorum personam contulit dicta. IDEM.

Deportare litteras] *Asportare aliquid*, ut intereat: *deportare*, ut mutet locum. ASCON.

Deinde accusatorem firmum, verumque esse] Firmum, ut possit: verum, ut velit. IDEM.

Potamonem scribam et familiarem] Hæc omnia signa sunt falsi accusatoris. IDEM.

Retentum esse a Verre] Nam anno secundo Cæcilius de provincia decesserat: et per singulos annos quæstores Verri mutati sunt. Vide infra. HOTOMAN.

Lectissimum adolescentem] Vera laudatio. Vult enim illum non ut inimicum fratris, contra germanitatis officium, esse cum Verre, sed ideo quod Cæcilius quoque Verri carior sit. ASCON.

Cap. 10. *Queritur Sicilia tota*] Inepte quidam mirantur, cur hæc Tullius in accusando Verre non objecerit Cæcilio, et multa alia: et non intelligunt hæc ad tempus commode adjungi, quæ victo Cæcilio non sunt necessaria. IDEM.

Frumentum in cellam] Annonas prætoris dicit, quæ in frumenti certo numero præbebantur a Siculis: in quibus Verres et pecuniam pro frumento exegit, et eo pretio, ut pro duobus sestertiis duodenos in modios singulos exegerit, sexies plus quam emebatur. IDEM.

Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis] Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur sine pretio. Dabat emptum, pro quo ex S. C. pecunia solvebatur. Dabat æstimatum, quod decretum prætor in cellam, hoc est, in usus cellæ æstimare solebat, accipiens: cum interdum pro frumento pecuniam sumeret. IDEM.

Pecuniam publicam tu tractabas] Hæc erat prima senatoris administratio, quæstorem fieri, et in provincia curam gerere pecuniæ publicæ in usus diversos erogandæ. IDEM.

Ne qua deductio fieret] Modo deductio dispendium significat: alias deductio immunitio est etiam justa. IDEM.

Mancipes a civitatibus] Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines: qui quæstus sui causa si decumas redimunt, decumani appellantur: si portum aut pascua publica, portitores aut pecuarii: quorum ratio scriptura dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, et reipublicæ repræsentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem, si moderate fiat, æstimare in cellam prætori frumentum. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet. IDEM.

Quod cum faciebat] Est vera defensio, est et inanis: ut tamen aliquid dici videatur. Neutram harum habuit Verres: et tamen ita faciebat. Mire ostendit avaritiæ cæcitatem. IDEM.

Cap. 11. *Sunt alia magis occulta furta*] Inepte a quibusdam quæritur, quæ sint: nulla sunt enim: sed oratorum est, neque minuere laudes, vel crimina, neque ostendere. IDEM.

Benignissime cum quæstore suo communicavit] Joculariter irrisit, fures designans: ut tota ista quæstura ad societatem furtorum valeat, non ad accusationem. ASCON.

Si tibi indicium postulas] Certa sunt, in quibus impunitas indici datur, ut in causa proditionis, majestatis, et si quid hujusmodi est. Certæ etiam personæ sunt, quæ indices fieri possint. Itaque neque repetundarum causa per indices agi solet, neque senatoria persona potest indicium profiteri salvis legibus. Index est autem, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Est autem sensus: Index potes esse, si tibi hoc licet: accusator, de qua re agimus, esse non potes. Satis contumeliose tanquam levem hominem exagitavit Cæcilium. IDEM.

Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti] Quæ ista? nulla scilicet. Hæc enim vim comminationis, non veritatis habent. IDEM.

Cap. 12. *Et qui sis*] Non in nomine tantum, et in genere est, sed in omnibus attributis personæ. Ergo, qui sis, et quod Siculus, continet, et quod indoctus, et quod non intelligeret, et quod nullo ingenio. IDEM.

Putasne te posse] Proprium oratoris est in omni qualitate comparativa, sic agere, ut eum cui præferri velit, occasionem sibi sumat ostendendi, quam perite possit tractare id ipsum, de quo agitur. Ergo quia de constituendo accusatore ambigitur, ostendit Cicero qualis accusatio esse debeat: ut proinde, ac dicit, videatur acturus. IDEM.

Athenis, non Lilybæi, Romæ, non in Sicilia] Dicit illum Græcas litteras simul et Latinas in Sicilia didicisse, in ea insula, quæ neutra lingua bene utatur: ita enim Plautus in Persa. *Dabuntur dotis inde sexcenti tibi Logi, atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis.* IDEM.

Cap. 13. *Quod mihi ab amicorum negotiis datur*] Quod mihi licet per amicorum negotia quibus occupamur. ASCON.

Ita mihi velim deos propitios] Genus jurisjurandi id est, quod dicimus, *Tantum mihi divinitas faveat*, quantum verum est illud, quod dico tibi. Sic igitur, Ita mihi deos velim propitios, ut commoveor animo, ac toto corpore perhorresco, cum mihi illius diei venit in mentem, quo die citato reo, &c. IDEM.

Magnitudo judicii] Repetundarum judicium sine dubio magnum est, et ex persona Verris, qui post præturam de fortunis omnibus dimicat: et amplitudine judicum: sunt enim clarissimi et auctoritatis contemplatione, et multarum rerum hujusmodi. ID.

Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras] Metum ad offensionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad expectationem hominum, laborem ad magnitudinem rerum. ID.

Jovem ego Optimum Maximum]

Hæc capita solent usitata esse causidicis imperitis. Quod genus vitii in primo libro Rhetoricôn vulgare nominat. Incipiebant autem veteres, ut Virgilius ostendit, aut ab invocatione deorum, quale est:

Præfatus divos solio Rex infit ab alto.

Aut ab reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius:

Vellem cum primis fieri si fors potuisset.

Vitiose ambo cola. Et Virgilius:

Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius. Ascon.

Cujus ego ingenium ita laudo] Cur hoc Tullius dicit? scilicet, ne terreantur Siculi laude patroni adversarii sui. Idem.

Cap. 14. *Petitiones*] Rationes impetendi et evertendi adversarium. Est utique translata hæc vox a gladiatoribus in oratores. Grævius.

Factum esse, necne] Factum est, non est factum: calumniationes, et hoc genus argumenti complexio dicitur. Quæ, si probabilis est, vincitur: si necessaria, solvi non potest. Ascon.

Quid, cum accusationis tuæ membra dividere cœperit?] Hic irridet Hortensii consuetudinem, ut sæpe alias. Idem.

Transigere?] Quod manifestum est. Idem.

Expedire] Definiendum. Idem.

Absolvere] Dividendum. An transigere est, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludat: expedire, quod definitione (mss. *defensione*) solvatur: absolvere, quod per qualitatem licitum esse monstretur? Idem.

Ipse profecto metuere incipies] Mire descripsit imperitum, cui persuaderi possit, verum dicere adversarium suum. Idem.

Ex illius invidia deonerare aliquid] Hoc plus est, quam socium criminis reddere. Idem.

Sortis religionem] *Sors* sæpe est provincia, quia plerumque solebant provincias sortiri. Ut recte Gronov. ad Tacit. observavit. Inferius in hac oratione cap. 20. vocat *conjunctionem sortis, et necessitudinem sortis.* Græ.

Poterisne ejus orationis subire invidiæ?] Quasi Latine dixit, ut, Magno ponderi subire. Ascon. *Subire invidiam*, sustinere eam invidiam, quam ille tibi oratione sua parabit. Sic enim omnes omnino quos vidi, libri. Solus Asconius, *subire invidiæ.* Hotom.

Præstringat aciem] Vel a præstigiatoribus transtulit verbum, vel a tironibus, qui ignari et rudes pugnæ etiam vano armorum sonitu terrentur præstrictis luminibus. Plautus in Milite Glorioso:

Ut, ubi usus veniat, contra conserta manus
Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.
Ascon.

Magister ludi] Litterarii ludi magister. Omnem enim scholam ludum dixere Romani. Et magistri ludi dicuntur, qui primas litteras docent. Ergo libellum veterem vult intelligi attulisse Cæcilium, unde magister dictata pueris præbere consuevisset. Idem.

Prolusione] Divinatio prolusio est, un *avant-jeu*, Græcis προοίμιον. Fabius lib. 4. cap. 1. initio. Nam a citharœdis ducta metaphora est, qui ante legitimum carmen pauca aliqua artis Musicæ præludia auditoribus ingerunt; ipsum autem certamen, quasi legitimum carmen, est ipsa Verris accusatio. Menardus.

Cap. 15. *Cum subscriptoribus exercitatis et disertis*] Ironia. Subscriptores autem dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent: quos oportet summissius agere, quam dicat ille, quem sequuntur. Asconius.

In omnibus enim rebus] Hic ratio redditur, quare dixerit, *tametsi non est satis.* Nam supra ideo posuit, *est aliquid hoc*, ut ostenderet, quod sine his nihil sit Cæcilius. Idem. Legit cum Asconio Hotomanus, *in omnibus rebus*, hoc est inquit, sive in usu et exercitatione forensi, sive in facultate dicendi. Sed cæteri omnes delent *in*, et referunt *omnibus rebus* ad *ornatissimus.*

Proximum subscriptorem] Secundum ab accusatore Cæcilio. IDEM.

Habet alienum] Cæcilius scilicet. *Alienum* autem volunt intelligi proprium nomen esse quasi ab Alia, ut Virgil.

Quosque secans infaustum intervenit Alia nomen.

Alii *alienum* non nomen proprium putant esse, sed alienum, et alterius judicii, et non ex auditorio prætoris, majorumque causarum, sed a subselliis, hoc est non a tribunalibus. Sunt enim subsellia tribunorum, trium virorum, quæstorum, et hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant. ASCON. *Allienum*, gemina L. scriptum est in antiquis lapidibus. Nomen hic esse proprium, infra cognoscitur. In quo miror Asconium sentire cum iis (sic enim videtur) qui, *alienum*, non *Allienum*, legebant. MANUT.

Hinc tamen, a subselliis] Utrum hoc ad contemptum, an ad genus laudis pertinet? ego quasi ad laudem dictum accipio: ut major irrisio sit Cæcilii, qui nec a subselliis fuerit aliquando. ASCONIUS.

In clamando quidem] Hujusmodi homines in libris de Oratore non *declamatores*, sed *clamatores* idem Tullius vocat. IDEM.

Totum judicium sustinebit] Quia tu nec partem judicii sustinebis. Hoc est enim totum judicium, et spes omnis. IDEM.

Actoribus Græcis] Palliatarum scilicet fabularum. In his enim, etiamsi Latinæ sunt, Græca omnia servantur. Nam Latinæ fabulæ per pauciores agebantur personas, ut Atellanæ, togatæ, et hujusmodi aliæ. An ideo actores Græcos dixit? ASCON. Vide Turneb. Adv. I. 10. et XIX. 14.

Sæpe illum qui est secundarum, aut tertiarum] Comœdia quinque actus habet, hoc est quinquies ducitur in scenam. Est ergo persona primarum partium, quæ sæpius actu regreditur, secundarum, et tertiarum, quæ minus minusque procedunt. Terentius in Phormione:

Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio.
ASCONIUS.

Quam ille primarum] Subaudi, partium. IDEM.

Multum summittere] Subaudi, vocem, vel gestum. IDEM.

Quartum quem sit habiturus] Duos dixit, quomodo quartum nominat? scilicet ab accusatore: cum ipso Cæcilio numerans proximum Allienum. ASC.

Ex illo grege oratorum] Obturbatores quosdam sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur, et se denuo compararent ad dicendum. Et non recessit a translatione scenicorum, (qui sunt tragici et comici) dicendo quartum actorem, et gregem. ASCON. Nos, *moratorum*, reposuimus, quod ante Cujacius. LAMB. Sic omnino est legendum, itaque legisse Asconium, (quanquam ejus quoque libri impressi habeant, *Ex illo grege oratorum*) ejus interpretatio dilucide ostendit. FABRIT.

Cuicumque] Sive mihi, sive Cæcilio. ASCONIUS.

Alienissimis hominibus] Hinc apparet, etiam supra, *alienum* alieni judicii hominem significari. Et ideo de alienis, quasi exteris per jocum dicit, tanquam peregrinantibus et advenis aliquem hospitio esse recipiendum Cæcilio. ASCON. Probo interpretationem Asconii, qui ait istos alienissimos joco dici hospites, quia nimirum hospites erant in tribunalibus, cum semper antehac versati essent in subselliis. GRÆVIUS.

Quasi præteriens satisfaciam universis] Sufficit, inquit, omnibus, quod ego vel præteriens breviter dixero, pro levitate eorum, quibus respondendum est. Oblique autem Cicero removere conatur Cæcilium etiam a subscribendi spe, quod postea ille poposcerat secundarum manus: sed inhumanissimum erat dicere, ne subscriptorem quidem idoneum posse

esse Cæcilium. Quare in summa sibi subscriptorem necessarium non esse dicit. Alibi (II. orat.) ait, *Sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, facerent potestatem.* Asconius.

Cap. 16. *De populo subscriptor addatur?*] Amare, *subscriptor de populo:* quasi isti in vulgo numerandi sint. Et *addatur*, proprie, de quasi invito, et superbo, quod hujusmodi nimirum res additæ dicuntur. Idem.

Ad columnam Mæniam] Mænius, cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Mænia vocitata est. * Causis ejusmodi soliti aderant autem his rebus moratores apti talibus negotiis. Ascon. Omnes editi, non *ad columnam Mæniam* habent, sed a *columna Mænia.* Vocem tamen ultimam plerique sine diphtongo.

Vestri ordinis reos] Reos vestra defensione condignos. Ut fures et servos nequam, qui apud trium viros capitales apud columnam Mæniam puniri solent. Idem.

Custodem, inquit, Tullio me apponite] Subscriptorem non dixit, sed custodem: ut quia acerbe responsurus erat, lacessitus convicium facere videatur. Nam subscriptores non solum causarum causa, neque juvandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam ut non corrumpatur. Idem.

De isto custode toto] Hoc est, de omni genere subscriptorum, id est, etiamsi Cæcilius subscriptorem se esse deposcat. Idem.

Nunquam tales (Vulgati, non esse hos tales) *viros commisturos*] Male facturos, prave, et iniqua ratione. Nam committi fraus dicitur, atque peccatum. Sum enim et fidelis, et diligens: et ideo nec custode indigeo, et speculatorem esse inter mea secreta non patior. Idem.

Verum, ut ad te, Cæcili, redeam] Recte, quia in subscriptores παρεμβασιν fecerat. Idem.

Sed cæteri Siculi] Sæpe in Cæcilium utitur hoc convicio, ut illum non Romanum, sed Siculum dicat. Id.

Cap. 17. *Liberta Veneris Erycinæ*] Quibus Deis permissum erat senatusconsulto, aut constitutione principum, dare, donare, dicare; nihil mirum est in eorum dominio fuisse etiam servos, quos et manumitti potuisse hic locus indicat. *Et eorum*, inquit, *qui a Venere se liberaverunt*, id est, qui à servitio Veneris manumissione sunt liberati. Utrumque comprehendit Varro, ut videtur, lib. 7. de lingua Latina ad extremum. Nam fanorum servos manumissos, proportionem non servare, illo loco docet: servasse tamen Erycinæ Veneris libertos proportionem, locus hic ostendit; dicuntur enim Venerii, a Veneris servitute liberati. Menard.

Præfectus Antonii] Antonius cultator tuendæ totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium, non solum ipse nequam, verum etiam comitibus pessimis rem inauditam invasit, et indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit, antequam Pompeius contra piratas missus est. De hoc alibi ait Tullius, *Post M. Antonii infinitum illud imperium senserant.* Asconius.

Quibus se in classe uti velle dicebat] Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, et per assam vocem, id est, ore prolatam, et, ut in Argo navi, per citharam: sed quia hic, *in classe*, dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant: unde ipsi tubæ classis, nomen est positum classicum. Id.

Judicium dat statim] In provinciis et prætores, et quæstores, ut apparet, judicia in causis privatis dabant. Est

---

* *Causis ejusmodi*] Hoc et depravatum est, et videtur abundare. Potius ad illud pertinet, quod est paulo supra: *Ex illo grege oratorum.* Manut. In Mss. legitur: *doli aderant moratores.* Grævius.

autem *dare judicium* judices constituere in certa verba, ut, SI PARERET *eam se, et sua Veneris esse dixisse:* plena autem est oratio, *Tum ejus bona Veneri adjudicantur*. Nam judices a magistratu dati de facto postea cognoscebant, et eorum sententiam Magistratus exequebatur. HOTOMAN.

Non Verres, sed Q. Mucius] Scævolam significat. Hujus quæstor Rutilius Ruffus damnatus est, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani *aliquid agerent* in provincia sua. Quo cognito, equites Romani (nam tum ante Syllana tempora judicabant) damnarunt eum. Hic est Mucius, in honorem cujus Asiani diem festum *Mucia* nominabant. ASCONIUS.

Circæo poculo] Illa enim sues ex hominibus faciebat. *Redit* autem jam ad argumentum, non ad similitudinem pertinet. Vult enim innuere, quod recte fecit, alienum esse, et parvissimi temporis; proprium vero et perpetuum, quod admisit. ASCON. Nota est de Circe fabula, ex lib. Odyss. 10. quæ Ulyssis socios in sues mutavit. Et alludit ad nomen *Verris*, quasi e Q. Mucio sus factus sit Verres. HOTOMANUS.

Redit ad se atque ad mores suos] Nota, redire ad se homines. ASCON.

Cap. 18. *Hic tu si læsum te a Verre dicis*] Injuria semper injusta est: læsi etiam aliquis juste potest: nam et qui jure damnantur, læduntur, sed non injuria. Et recte contra *patiar, defendam*, posuit: contra *concedam, negabo:* et bene addit, *negabo:* potuit enim aliter atque aliter intelligi defensio: est enim hic finis, quid sit injuria. IDEM.

Perfidiosum an prævaricatorem] *Perfidiosus* dicitur, qui cum inimicus sit, amicum se simulat: *prævaricator*, qui cum amicus sit, inimicum se fingit. Illud ad C. Verrem, hoc ad Siculos refertur. HOTOMAN.

Quam ne in alio quidem probarent] Qui et idoneus orator, et integer quæstor accusandi Verris fuisset. ASCON.

Cap. 19. *Conjunctionem sortis*] Vide supra, cap. 14.

Quamobrem eum, cui quæstor fuerie, accuses] *Accuses*, pro eo quod est accusare velis. An apud nos modo accuses, cum dicas ab illo tibi injuriam factam? IDEM.

Itaque neque L. Philoni] Omnia exempla sunt quæstorum, qui prætores suos non permisi sunt accusare. IDEM.

Atque ille Cn. Pompeius] Propiora exempla, et magis similia posteriora ponenda sunt. Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompeii patrem. IDEM.

Cap. 20. *Etenim cum lex ipsa*] Vide, firmamenta argumentorum quoties in oratione sine metu fastidii repeti solent. ASCON.

Clarissimi viri nostræ civitatis] Hoc rursum extra contentionem, quam ante cum Cæcilio habuit, de suo officio, quemadmodum cœperat, repetit, ne levis videretur ex defensore repente accusator factus. IDEM.

Quæ in amicitiam populi Romani, ditionemque essent] Vetus locutio, qua eadem usus est in orat. pro lege Manil. *Cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Et infra, Verrina V. *Quod qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebant.* Aul. Gellius lib. I. cap. 7. similem ex Plauti Amphytrione notavit: *Non vero mihi in mentem fuit.* In orat. pro Cæcina eadem figura dixit, *In possessionem vestigium fecere.* Et lib. 5. de finibus, *In aliquam historiam vestigium ponere.* HOT. Indifferenter enim veteres junxerunt τὸ *in* accusativum et ablativum, nulla habita ratione motus et quietis, ut dudum Sanctius in Minerva, Scioppius in Paradoxis, et Gerard. Vossius in Aristarcho, in lib. de construct. cap. 65. docuerunt. GRÆV.

M. Catonem illum sapientem] Cato hic accusavit Serg. Galbam pro direptis Lusitanis, et P. Furium pro iisdem, pro iniquissima æstimatione frumenti. ASCON.

Cap. 21. *Accusavit M'. Aquilium*

Hic M'. Aquilius de pecuniis repetundis accusatus est. Hic est igitur Lentuli Suræ pater, in carcere strangulati, propter conjurationem. Asc. Quem A. Antonius defendit, diloricata tunica, ut cicatrices apparerent, Verr. V. et lib. de Orat. II. Hot.

L. Cottam in judicium vocavit] Hunc P. Africanus post secundum consulatum et censuram dicitur accusasse. Ascon.

Judiciisque corruptis, et contaminatis] *Corrupta judicia* sunt in iis, qui acceperunt pecuniam: *contaminata* in iis, qui offensione ordinis infamantur. Idem.

Cap. 22. *Requiret*] Amissum sentiet, hoc est enim, *nihil requiret*. Non sentiet sibi deesse aliquid ex iis rebus, quas nunquam habuit. Ascon.

Ego me dignitate superatum non arbitrabor] Ero enim defensor, ut fui, et necessitatem accusationis evadam. Hoc quidem videtur plane dicere, sed latenter hoc significat, pravo de suo judicio magis judicibus hæsuram turpitudinem, quam sibi. Idem.

PROŒMIUM
PRIMÆ ACTIONIS
IN
C. VERREM.
ORATIO V.

ARGUMENTUM.

Victo Cæcilio, et accusatione ad se delata, Cicero, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies 110, et cum filio patrui sui Tullii totam provinciam colligendis litteris in Verrem, et denunciandis testimoniis peragrasset diebus 50, quia pedestre iter ex Sicilia, et propter fugitivos, et propter Verris insidias deviabat, a Vibone transiit. Tum repente adveniens: cum videret id agi, ut a M. Glabrione prætore, et ab his judicibus qui tunc erant, ad alium annum, aliumque prætorem res tota transiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant (per hos enim Verres eludendi judicii fiduciam sumpserat) hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos daret. Qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret; ipse etiam Verres, desperato patrocinio, sua sponte discederet in exilium. Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius; ut ostendat, non dolo, nec astutia, sed necessitate facere id, quod facit: et magis adversariorum fraudibus occurrat, quam ut ipse sit captiosus; vult enim, ut diximus, omne hoc tempus, quod est ante Kalend. Januar. dispensare in totius causæ actionem, ne ad alium prætorem aliosque judices novis consulibus veniendum sit. Toto igitur hoc libro exhortatio judicum continetur, ad vere judicandum: minæ in adversarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum judicium: et expositiones Ciceronis consilii sui judicibus exhibentur, quasi inter eos tractentur communiter: ubi brevitas quoque objiciendorum criminum mira arte conficitur. Status, quantum ad crimina causæ repetundarum pertinet, conjectura multiplex inest omnibus libris: quantum ad specialem intentionem libri hujus refertur,

qualitas negotialis extra scriptum in particula juris est constituta. Inducitur enim postulatio de agendi novo genere: si quidem petit permitti sibi non uti oratione perpetua, sed breviter crimina proponere, et ad singula testes dare. Sunt autem capita orationis hæc: An talis reus, cujus damnatio prosit reipublicæ: an talia ejus consilia ad corrumpendum judicium: an talia et tam manifesta crimina ad patrocinium desperandum: an hujusmodi ab eo et ab ejus suffragatoribus, et dicta et facta ad eludendam accusationem, ut novo genere sit agendum Tullio. Quarum rerum quasi per narrationem facit demonstrationem. Expositio consilii sui, ut cum judicibus deliberatio, videtur inducta: in qua ostenditur, certandum cum Hortensio astutia, non utendo horis omnibus ad dicendum, ad tollendam, si fieri possit, comperendinationem, per testes crimina comprobando. Facit hoc Cicero, ut hæc res non solum compendio ac brevitate moram temporis tollat, sed etiam circa artificium dicendi breviter etiam in hac parte vim oratoris ostendat. ASCONIUS.

Cap. 1. *Judices*] Primum M. Acilium Glabrionem prætorem, cui sorte quæstio de pecuniis repetundis obvenerat: tum Senatores, qui ei in consilio affuerunt, uti ex judicum decuria sortitione obvenerant, ab accusatore et reo, ut mos erat, rejecti. Affuerunt designati M. Metellus prætor, M. Cæsonius ædilis cum Tullio, Q. Manlius, Q. Cornificius, P. Sulpitius tribunus plebis, M. Creperius, L. Cassius; Cn. Trémellius, tribuni militares, P. Servilius Isauricus, vir clarissimus, maximis rebus gestis, Q. Catulus, is qui Capitolium dedicavit, C. Marcellus qui proconsul in Sicilia fuerat, L. Octavius Balbus, homo juris et officii peritissimus; Q. Titinius. Acta est in foro, ad ædem Castoris. Agi autem coepit Nonis Sextilibus, duravitque ad XIX. Kal. Septembr. HOT.

Summo reipublicæ tempore] Est, maxime necessario, in quo status reipublicæ in discrimen veniebat, seu a quo salus reipublicæ pendebat. Sic *summa existimatio* est res, in qua vertitur tota alicujus existimatio. Vide Gronov. ad Livii lib. XXVI. cap. 10. GRÆV.

Ordinis] Cum ordo vester adductus esset in discrimen, manerentque penes eum judicia, an alio transferrentur? Ipse Verr. V. *At quo tempore futurum est? nempe eo, cum populus Romanus aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit.* HOTOMAN.

Qui concionibus et legibus] *Concionibus* Quintium dicit tribunum plebis, qui veneficii reum Oppianicum Cluentio accusatore defendens, victus erat illo damnato. *Legibus* autem L. Aurelium Cottam prætorem significat, qui legem promulgarat de restituendis judiciis equestri ordini. ASCONIUS.

Depeculatorem ærarii] Sub Carbone consule, cum quæstor esset. Peculator autem, qui furtum facit pecuniæ publicæ. IDEM.

Vexatorem Asiæ atque Pamphyliæ] Sub Dolabella, cum legatus ei, et prō quæstore esset, mortuo Malleolo. IDEM.

Prædonem juris urbani] In prætura urbana, quam Siciliensis secuta est, de qua nunc accusatur. IDEM.

Cap. 2. *Cum multæ mihi a C. Verre terra marique insidiæ*] Alias significat insidias, quæ vitæ ejus factæ sunt, alias, quæ integritati et existimationi. Nam UNO TEMPORE MIHI, vult intelligi etiam præmia sibi prævaricationis ostentavisse Verrem: sed TERRA MARIQUE, insidias factas suæ vitæ significat. IDEM.

Mihi, vobis] Ut Gruterus testatus est *vobis* non reperiri in Pall. et edd. primis, sic nec habetur in Francii primo. Et debet abesse. Alloquitur enim judices, quos statim nominat, *ordini, nomini denique senatorio.* GRÆVIUS.

Ordini, nomini denique senatorio] Ordini insidiatur, ne dignitas judicandi ordinem sequatur, detectis in corruptione judicantibus. Nomini, ne senatorium nomen honori sit, sed potius ignominiæ: Senatorio enim

bis subaudiitur, et senatorio ordini, et nomini senatorio. ASCONIUS.

Nihil tam munitum] Alludit ad Philippi dictum, *Nullum esse oppidum tam munitum, quod expugnari non possit, modo asellus auro onustus posset in illud ascendere.* Sic enim hic noster ad Atticum scribens testatur. HOT.

Semel ait se in vita pertimuisse] Contumaciam Verris præcipitem. Nam semel vicinum est ad pene nunquam. Ex eodem sensu est, quod semel in vita risisse Crassum scribit Lucilius. Unde Virgilius mihi videtur dixisse:

Tum primum nostri Cacum videre timentem. ASCONIUS.

Tum, cum a me reus factus sit] Quid est reum fieri, nisi apud prætorem legibus interrogari? Cum enim in jus ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo, Aio te Siculos spoliasse. Si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo: si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. IDEM.

Diem] Dies fœminino genere tempus: et ideo diminutive diecula dicitur breve tempus et mora. Dies horarum 12. generis masculini est; unde hodie dicimus, quasi hoc die. Petit autem Tullius 100. et 10 dies: Rupilius, sive Oppius, suppositus a a Verre, 100. et 8. petiit. IDEM.

Invenit iste, qui sibi in Achaiam] Alii hunc Rupilium, alii Oppium putant. Sunt, qui Rupilium dicunt accusatorem, Oppium reum. Alii Q. Metellum nepotem accusatorem, Curionem reum. Moris autem fuerat, ut agendi dies priori prior ordinaretur. Itaque, si omni tempore postulato usus esset ad inquisitionem Tullius, futurum erat, ut prior locus ad agendum daretur ei, qui biduo breviorem diem postulaverat. Cujus accusationis interposita de industria mora, cum Verres ad alios consules distulisset. IDEM.

Non qui reum suum adduceret] *Adduci* intelligo non ex Achaia; nam eum Romæ reum fecerat: sed in judicium, ut paulo supra, *Adductus est in judicium C. Verres.* HOTOMANUS.

Meum tempus obsideret] Id est, obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam causam possem accedere, quam illi centum et octo dies, ab ipso in Achaiam postulati, omnes præteriissent. MANUT.

Cap. 3. *Cum publicis auctoritatibus*] Publicis litteris. ASCON.

Perdita, profligataque] Pejus voluit esse *profligata*, quam *perdita*. Est enim *perditum*, quod inveniri non potest; *profligatum*, quod potest. ID.

Tempus emisse] Id est, dilationem temporis impetrasse. *Judicium* autem *suum* debemus intelligere sibi aptum. Et e contrario ait, *alienum tempus offenderat.* IDEM.

Quod si non modo in causa] Per innocentiam. ASCON.

Honesto præsidio] Per compensationem criminum auctoritate dicentis. IDEM.

Aut in alicujus eloquentia] Acerbe in Hortensium, quem corruptione judicum, non eloquentia sua, dicit esse confisum. IDEM.

Gratis] Amicorum plurimorum, quibus defensoribus uteretur. IDEM.

Deligeretur ex senatu, qui reus fieret] Oppius, vel Curio. IDEM.

Hoc prætore] Glabrione scilicet. Asc. Hinc patet, *Glabrione* esse glossema. Retineri tamen voluit Gruterus, quod hic, inquit, haberet nescio quam emphasin.

Hoc consilio] Lectissimorum ex omni numero senatus judicum. ASC.

Quod populus Romanus in rejectione judicum judicavit] Ex iis, quos renuit, intellectum est, eos judices habere velle, quos corrumpi posse confideret. IDEM.

Cap. 4. *Nisi Cn. Carbonem*] Carbo, Marianæ partis dux, idemque consul, desertus Arimini est a quæstore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam quæstor in exercitu de ærario sumpserat, cum ad Syllam ille transiret proditor partium Marianarum. IDEM.

Cujus legatio] Legatus per has pro-

vinciae Dolabellae proconsulis fuit, et pro quaestore, Malleolo mortuo: ejusdemque in judicio, cum accusaretur, proditor fuit. IDEM.

Suum scelus illud pristinum] Non quia et Cn. Dolabellam deseruit, sicuti Carbonem, sed quia et hunc laesit contra eum testimonium dicendo. ANONYMUS.

In invidiam suis maleficiis adduxit] Propter sua scelera, inquit, tum fecit invidiosum reum. ASCON.

Oppugnavit, et prodidit] Pejus *prodere*, quam *oppugnare:* propterea quod, *oppugnare* inimici et hostis officium est; *prodere*, gravius, cum ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc verbum. IDEM.

Cujus praetura urbana aedium sacrarum] Quemadmodum hic dicit, sic divisa sunt crimina hujus praeturae urbanae, scilicet juris dicendi, sartorumque tectorum. IDEM.

Contra omnium instituta] Qui praetores urbani ante se fuerunt. Sunt autem instituta praetorum in decretis interponendis, dijudicandisque causis. IDEM.

Ita vexavit, ac perdidit] Nimirum, *vexavit*, ingentis calamitatis usum significat. Nam et ipse supra sic ait, *Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae.* Virgil.

Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates. IDEM.

Cap. 5. *Ex aratorum bonis*] Aratores frumenti decimam dare populo Romano solent. Hos non una atque altera, sed tribus amplis decimis per mancipes a se subornatos, id est, publicanos, qui decumani vocantur, Verres exhausit. IDEM.

Socii fidelissimi in hostium numero existimati] Hic locus crimina continet exposita in ea oratione, quae inscribitur de suppliciis. IDEM.

Absentes rei facti] Ut Sthenius, et Heraclius. ASCON.

Partim regum locupletissimorum] Agathoclis, aut Hieronis, Siciliae regum. IDEM.

Nostrorum imperatorum] Scipionis, et Marcelli: dedit Marcellus, reddidit ex Africa Scipio. IDEM.

In stupris vero, et flagitiis] De Cleomenis uxore dicit. IDEM.

Cap. 6. *Proponit inania mihi nobilitatis*] Ut Curionis, et Metellorum trium, Hortensii, et Scipionis. Hi enim Verri palam suffragabantur. IDEM.

Nobiles sunt] Nobiles semper ad bonam pene partem pertinent. Notus autem maxime inclinat ad malum, quemadmodum in Caeciliana, *Mulier non solum nobilis, sed etiam nota.* ANONYMUS.

Aliud quiddam diu machinetur] Dilationem accusationis, et corruptionem judicii. ASCONIUS.

Redemptio est hujus judicii facta] Sic quidam accipiunt, quasi hoc dicat Cicero, corrupti sunt isti judices. Non hoc dicit, sed ait artifices quosdam corrumpendorum judicum pactos esse cum Verre, et redemisse semel omnem procurationem judicii corrumpendi suo periculo, absolutionisque praestandae. IDEM. Translatum a redemptionibus operis faciendi. Nam qui certo pretio opus aliquod faciendum suo periculo conduxit, *redemptor* dicitur: et qui locat, *venditor*. Opus vero ipsum, *redemptoris bona*. Et contumeliose ducta similitudo ab operariis et fabris, qui vulgo suas operas locant, quasi hi quoque artem corrumpendorum judiciorum vulgo, mercede proposita, exercerent. HOTOMANUS.

Ea maneit in conditione atque pacto] Hic est sensus de pacto, inquit, et promissione corrumpendorum judicum non est recessum. Sed postquam rejecti sunt judices, displicuit totum negotium redemptoribus, et resilierunt a conditione ac pacto. ASCONIUS.

Quod et in sortitione istius spem] Nam judices semper sortiebantur, et sortitione facta non omnes judicabant, sed electio fiebat, et ejiciebantur ab utraque parte usque ad certum numerum imparem. Hoc ergo

dixit: quod ut ex sorte veri judices venirent, fortuna fecit populi Romani: in rejectione vero ut severi non rejicerentur, mea industria. Per decurias erat senatus divisus; unam decuriam populus Romanus dabat, ut ex hac judices rejicerentur. Ergo fortuna quidem populi Romani fecit, ut ea decuria daretur a populo Romano, quæ paucos habuit malos: mea autem diligentia fecit, ut meliores eligerentur. ANONYMUS.

Renuntiata est tota conductio] Renuntiatio dicitur recusatio ejus rei, quæ in pactum et promissionem venerat. ASCON.

Libelli nominum vestrorum] Moris erat, celebrata judicum rejectione, et haberi in officio prætoris, et in arca reposi nomina judicum selectorum. Rejectio autem idcirco dicitur, quia, cum multi judices in consilio cum prætore suo judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in publica causa, verbi gratia repetundarum, ambitus, majestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, cum senatus judicaret, deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset: tertio, id est post urnam, permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus ac fama judicum illorum, quos aut rejiciebant, aut retinebant, voluntatis conjecturam facere populus, quis causæ suæ confidere, quis corrumpere judices vellet. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur. Prima enim sortitio dicebatur. His perfectis, jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent. Cum jurassent omnes præter ipsum prætorem, nomina eorum libellis, ut supra diximus, continebantur, et ubique habebantur, ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime judicarent, itaque ad prætoris tribunal considerent, ut judicaturi cum prætore suo. ASCON.

Nulla nota, nullus color, nullæ sordes] Etsi hæc Cicero, quia contra Hortensium prosunt, sæpissime repetat: tamen, in qua causa, et a quo, et quo modo hæc facta sint, meminimus in Divinatione narrasse. Illud factum tamen animadvertendum, quod allini sordes non tabulis, sed sententiis, figurate dixit. IDEM.

Ex alacri, atque læto] Alacris, sive alacer, (utrumque enim dicimus) dicitur is qui intentus est sensibus universis: quod est indicium erecti animi, atque sublimis. Nam e contraria *lacer* dicitur amputatis a corpore sensuum membris, hoc est auribus, oculisve, quæ significatio ad animum sæpe transfertur: ut enim plerumque afflicto animo sensibus non utimur erectis, sic alacer dicitur is, cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt et intenti. *Læti* vero, qui vultu indicant adesse animum sincerum sensibus suis. Qua re cognita, illud quoque intelligitur, aliud esse alacrem, aliud lætum. Sunt, qui alacrem festinantem, et properum dici putant, quasi alia acrem. IDEM.

Ecce autem] Proprium hoc Ciceronis est in rebus improvisis. Quod cum cura Virgilius et legit, et transtulit, ut, *Ecce autem gemini a Tenedo.* IDEM.

Comitiis consularibus] Sunt etiam ædilitia, et prætoria, et tribunitia comitia. IDEM.

Eadem illa vetera consilia] Corrumpendi judicii. IDEM.

Per eosdem] Per supra dictos redemptores conductoresque facinoris istius. IDEM.

Cap. 7. *A multitudine*] Rectius fortasse, *ac multitudine.* HOTOM.

C. Curio, quem ego] Quæri solet, cur hoc de Hortensio, cur de aliis non dicat, quia nemo solebat precari veniam apud veteres de eorum compellatione nuda, quos negotium tangeret. Curionem autem patrem dicit. ASCON.

Tam aperte, palamque dixisset]

Aperte, ad verba pertinet non obscura: *palam*, ad præsentium multitudinem, et qualitatem frequentis loci. IDEM.

Ad ipsum fornicem Fabianum] Fornix Fabianus arcus est juxta regiam, in sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est. IDEM.

Aperte jam, ac perspicue nulla] Non ex sua persona hoc dicit Tullius, nam esset offensum. IDEM.

Quod tota Sicilia, omnes Siculi, omnes negotiatores] Ἐκτύπωσις: ut, quidquid subjectum est, intelligatur ejus esse, quod dixit, tota Sicilia. IDEM.

In unius potestate] Hortensii scilicet. IDEM.

Cap. 8. *Non tenebimus judicia*] Finxit senatores dicere, *Non tenebimus judicia*, mollius scilicet, quam si populares fingeret dicentes, *Auferemus a senatu judicia*. ASCON.

Transferendis judiciis?] Ad equites. ANO.

Istius perditi] Verris. ASCON.

Hominis amplissimi] C. Curionis. IDEM.

His diebus paucis, Vulgata, *illis ipsis diebus*) *cum prætores designati sortirentur*] Accusatio cœpta est Nonis Augusti; et comitia consularia fuerunt VI. Kal. Augusti. Nec multo post sortitio prætorum fuit, celebratis eorundem comitiis. ID.

Et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis] Sorte obveniebat unicuique prætori. Hic ergo M. Metellus amicus Verris successurus Glabrioni fuerat. ID.

Fiscos complures] Sportæ, sportulæ; sportellæ, nummum sunt receptacula: et sacci, sacculi, saccelli, et crumenæ, et vellereæ, et scorteæ, et manticæ, et marsupia. Ita fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. Unde quia major summa est pecuniæ publicæ, quam privatæ, ut pro sensu privato loculos et arcam et saccellos dicimus, sic pro publico thesauro ærarii dicitur fiscus. IDEM.

A quodam senatore ad equitem Romanum] Horum nomina quidam inepte quærunt; quasi certum sit, quod dicitur, et non de industria fingatur a Tullio ad invidiam adversariorum, et sui defensionem, quia cogitur novo modo causam agere horis brevioribus, quam mos est accusatoribus; itaque suspicantur senatorem alii Crassum, alii Hortensium. IDEM.

Equitem Rom.] Alii neminem proferunt, alii Publicium quendam, temporibus illis in dividenda pecunia populo famosissimum. *Pecunia Siciliensis* est ex Siciliæ prædationibus capta. IDEM.

Comitiorum meorum nomine] Ut ego ædilitate dejicerer, quam petebam. Post consularia enim, et prætoria comitia ædilitia sequebantur. *Comitiorum autem meorum nomine* addidit, ut ostenderet, excepta hac pecunia totam ad corruptionem judicii destinatam esse. IDEM.

Divisores omnium tribuum] Utrum legitimos habent omnes tribus divisores suos, quos Plautus magistros curiarum in Aulularia vocat his verbis:

Nam noster, nostræ qui est magister curiæ,
Dividere argenti nummos dixit in viros.

An *divisores* criminis nomen est? sed si hoc esset, non sibi unum ex iis *eorum* esse dixisset. IDEM.

Qui se omnia mea causa debere arbitrabantur] Locutio pro plena habetur: sed si quæras, quod integrum est, deest, *facere*, ut sit, *omnia facere*. Et bene *omnia* protulit, ut hæc proditio secreto actæ rei propter amicitiam videatur esse suscepta. IDEM.

Cum ipse prætorem petisset] Ostendit Verrem non gratis factum fuisse prætorem urbanum, et alterum, Metellum scilicet, prætorem pecunia Verris similiter meruisse prætorem. IDEM.

Q. Verrem Romilia] *Q. Verrem* nomen est proprium, *Romilia* nomen est tribus, ablativi casus, ut sit, ex Romilia. Tribus enim urbanæ rusticæque omnes XXXV. numerantur: ex quibus aliquam necesse est, cujusque ordinis fuerit civis Romanus,

obtineat. Moris autem fuit, ut cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut, si erat senator, equesve Romanus. Sic alibi ait. *L. Claudium Palatina.* IDEM.

Ex optima] Ironia est. IDEM.

Patris istius discipulum] Tanquam divisorum magistri. IDEM.

Istius] Verris scilicet. IDEM.

Cap. 9. *Urgebant comitia: instabat judicium: fisci minabantur*] Exquisite dictum. Hæ sunt res maximæ. IDEM.

Agere, quod ad judicium pertinebat, libere] Vel occupatione in petendo honore: vel quia accusatio libertatem et minas exigat, petitio blandimenta et preces. IDEM.

Minari denique divisoribus, ratio non erat.] Cur enim minarer, inquit, corruptoribus, vel divisoribus, quos accusatione Verris impeditus accusare non possem, ipsumque illi callidi homines intelligerent? ASCON.

Districtum, atque obligatum] *Districtus* potest et sine vinculis in diversum manu ducentium ferri: *obligatus* etiam nodis vinculorum in loco intelligitur. Plus est ergo obligatum esse, quam districtum. IDEM.

Qui, quamobrem arcesserentur] Bene interposuit hæc ad causam non veniendi: Nam sine hac ad designatum Consulem Siculos non venisse, contumaciæ videretur. Sane et hic, et in primo capite Verrinarum animadvertitur insequens locutio, similisque solœcismi, si quidem, *non venisse*, legeris: nam si, *non venissent*, legeris, error non erit. IDEM. Recte Asconius ostendit, si *non venisse* legatur, solœcismi similem et inconsequentem esse locutionem. Sed sic Ciceronem scripsisse, ut libri habent, vix mihi persuaserim. Si *qui* tollas, quod irrepsit, nullum σολοικοφανὲς hic quemquam offendet. Scripsit Cicero, ut vidit J. Fr. Gronovius in Observationibus; *Siculos sane in eo liberos fuisse, quamobrem arcesserentur, cum intelligerent, non venisse.* Fuit inveterata menda, quæ Asconii tempestate jam hunc locum inquinarat. GRÆV.

Cæterorum hoc anno] Criminose, ut supra diximus, in Hortensium, Metellosque. ASCON.

Cum filio blando, et gratioso] Fœminis, ac maxime meretricibus blanditiæ conveniunt: gratia vero quæ potest in adolescentibus esse sine infamia? gratiam enim amicorum copiam modo dicit. IDEM.

Appellare] Quasi familiares. IDEM.

Et convenire] Quasi de promissorum debito. IDEM.

Intellectum et animadversum] Intelligitur aliquid argumentis: animadvertitur sensibus præsenti animo utentibus: plerumque enim animadvertimus rem aliquam oculis, aut quovis sensu corporis sine animi intentione: ergo plus est animadversum, quam intellectum. An ab aliis intellectum, ab aliis animadversum, intelligi possit? quod si est, rursus plus erit quam intelligere, animadvertere. IDEM.

Ut cujus divitiæ] Magna emphasi divitias dixit; et significat breviter, etiam sibi præmia prævaricationis oblata, sed frustra. IDEM.

Sed etiam Q. Metellum] Subaudi, consulem; et ne error sit in nominibus, tenere vos oportet, tres Metellos esse, unum consulem cum Hortensio, alterum in urbe quæsitorem de pecuniis repetundis, tertium Siciliæ prætorem. IDEM.

Dedit enim prærogativam suæ voluntatis ejusmodi] Dilogia dicitur figura, cum ambiguum dictum duas res significat. Nam *prærogativa*, præter (Mss. *propter*) justum integrumque beneficium, aut dictum, aut factum aliquid significat liberalius ab eo, qui nobis bene facturus est; et rursus *prærogativæ* sunt tribus, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem can-

didatis comitia fieri: quorum tribus *primæ prærogativæ* dicebantur, quod primo rogarentur, quos vellent consules fieri: *secundæ*, jure vocatæ, quod in his, sequente populo, ut sæpe contigit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Hoc igitur dicit Cicero, Metellum vocando ad se Siculos, et eos minis deterrendo ab accusatione Verris, prope omne beneficium corruptarum a se tribuum Verris pecunia persolvisse. Vult enim: illum Verris pecunia consulem factum intelligi. Id.

An me taciturum] Est hic epitherapeusis: ubi non emendatio dicti atrocissimi, sed confirmatio ponitur recte dixisse, causa subjecta cum quadam acrimonia. Idem.

Arcessit alter consul designatus Siculos] Hæc est prærogativa, quam Metellus Verri pro prærogativis reddidit: nam hujus rei fuerat dilata narratio. Idem.

Provisum] Quomodo, si comitiorum sors atque fortuna est? Sed vult totum pecunia Siciliensi, hoc est corruptis a Verre tribubus, esse confectum. Idem.

Cap. 10. *Te non fato, ut cæteros ex vestra familia*] Dictum facete et contumeliose in Metellos. Antiquum Nævii est, *Fato Metelli Romæ fiunt consules:* cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Nævio poetæ:* de qua parodia subtiliter Cicero dixit, *te non fato, ut cæteros ex vestra familia.* Ascon.

Duo igitur consules] Q. Hortensius, Q. Metellus. Idem.

Quæsitor] Prætor de pecuniis repetundis quæstionem exercens: nam proprie quæsitores dicuntur criminalium quæstionum, ut Virgilius, *Quæsitor Minos urnam movet.* Idem.

Quæsitor] M. Metellus. Idem.

Nimium diligentem] Hæc est artificiosa laudatio judicis sine suspicione assentationis, et tamen efficax ad benevolentiam: qui autem diligentem vituperare non poterat, pro crimine addidit *nimium.* Terent. *Ne quid nimis.* Idem.

M. Cæsonius] Designatus ædilis cum Tullio, et ideo non judicaturus, quia et ædilis et judicis partes sustinere non poterat uno tempore. Ut autem sagacem integritatem ejus ostenderet, non dixit, *Quod corrumpamus*, sed *conemur corrumpere*, et non aperta et plana corruptione, sed aliqua, id est, vel exigua. Idem.

Juniano consilio] Junius quæsitor fuit in Cluentii causa Verre prætore, in qua cum Oppianicus damnatus esset, defensor Oppianici tribunus plebis Quintius, rem in invidiam adduxit, cum diceret pecuniam in judicio fuisse versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit. Hic ergo Cæsonius, damnatus aliis judicibus, non modo innocens pronuntiatus est, sed etiam ex iis fuit, qui illa crimina Staleni, et Bulbi, et Guttæ, et cæterorum judicum detexerunt, cum Verres quoque turbatus subjectos judices esse diceret, et interpolatos libellos sortitionis judicum, quos libellos ipse obsignaverat. Id.

Hunc judicem ex Kal. Jan. non habebimus] Locus animadversione dignus: ex quo illud intelligitur quod sæpe dixi, non licuisse et magistratus et judicis partes uno tempore sustinere. Etiam illud: multa in orationibus dicere Ciceronem ad tempus, non ad veritatem. Nam et Cæsonium hoc loco et Cornificium paulo infra spectatos et integros appellat: cum in prima ep. ad Atticum utrumque ut consulatu, quem petebant, indignissimum, acriter perstringat. Hotomanus.

Magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus] Eo die tribunus plebis futurus. Asconius.

Ex acerrima illa equestri familia] Novo modo laudem ab ignobilitate quæsivit, more suo laudans equites Romanos, et maxime quia, cum ju-

dicarent, sine infamia se gesserunt. IDEM.

Cassius cum ad cæteras res] Inde sunt leges Cassiæ tabellariæ de suffragiis libere ferendis non voce, sed tabula: ille ipse Cassius, qui cognoscendis criminalibus causis in primis quærendum esse dicebat, *cui bono*. IDEM.

Homines veteres] Graves, et severi; et vide figurate singulis additam laudem ex ore adversarii, veluti ostendentis, cur sibi isti omnes displiceant. IDEM.

Tribuni militares] Tribunorum militarium duo sunt genera: primum eorum, qui rufuli dicuntur; hi in exercitu creari solent: alii sunt comitiati, qui Romæ comitiis designantur.

Subsortiemur etiam] Mire ostendit securitatem rei, tanquam ipse sit omnia facturus. IDEM. Non subsortiebantur consules, sed prætor urbis, una cum judice quæstionis. Itaque hæc dicuntur ex persona Metelli, non ut consulis, sed ut amici Verris, ad spem omnem Siculis tollendam: quasi omnia in eorum manu sint. *Subsortio* vero in eorum fiebat locum, qui vel ob rejectionem, vel aliam ob causam, ut quia magistratus essent, in consilio interesse non poterant. GRÆVIUS.

Nonæ Sextiles] Sextiles, Augustæ; Quintiles, Juliæ: nondum enim nomina de Imperatoribus sumpserant: propter quam mutationem nominum Virgilius ait,

Et incipient magni procedere menses.

Hac tota argumentatione significat Cicero bis accusare se non posse, si accusandi consuetudinem servare voluerit, non servire brevitati. ASCON.

Ludos votivos] Hos Pompeius voverat, si Sertorium superasset. IDEM.

Deinde continuo Romani consequentur] Romani ludi sub regibus instituti sunt, magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno laticum regi et rerum conditarum, et diis magnis, id est, laribus urbis Romæ, dati sunt: quibus aiunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virgilius, *Magnis Circensibus actis*. Nam et *Magni*, *et Circenses* iidem sunt. ASCAR.

Deinde se ducturos] Dilaturos, moram facturos. IDEM.

Dicendo] Longa oratione. IDEM.

Excusando] Cur interdum non dicant: admittebantur enim excusationes multæ etiam pro reo, aut occupationis alicujus, aut malæ valetudinis. IDEM.

Ad ludos Victoriæ] Hos Sylla instituit bello civili victor. IDEM.

Secundum quos] Plebeios ludos, quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum. IDEM.

Quem ego hominem] M. Metellum scilicet: in cujus locum subsortiendum judicem, ex persona Verris supra dixerat: qui prætor futurus sit ex Kal. Jan. qui nunc in judicum numero est. IDEM.

Malim, et juraro suam] Cum judex sit Metellus, tabellam judiciariam juratus accipiet: cum prætor fuerit, et non jurabit, quia non est moris, et potestate habebit tabellas omnium judicum. IDEM.

Et juraro suam] Neque enim qui judex quæstionis erat, jurabat, quippe qui sententiam ipse non ferret, sed eorum, qui ipsi in concilio assidebant, tantummodo pronuntiaret. Jurabat autem urbis prætor, qui judices legebat de quæstione sententiam laturos, ut apparet ex orat. pro Cluent. HOT.

Cap. 11. *Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis*] Sermocinatio ista non decet judicum gravitatem: ideo, *taciti*: dixit: sic agit autem, ut ostendat se non debere horis legitimis abuti ad bis accusandum Verrem, cum possit pro una actione testimoniis uti tantum. ASCON.

Meo legitimo tempore] Viginti diebus: hi enim dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori ad respondendum. Ascon. Verr. I. Hotoman.

Perficiam ut nemo] Nunc illud est quod postea dicet: *Et ne aliter quam ego velim meum laudet ingenium.* Ascon.

In alia tempora reservemus] In secundam actionem. Idem.

Auctoritatibus] Confirmationibus eloquentiæ scilicet. Idem.

Ex istius tempore, et causa] Sensus est: non ingenii tui est, quod contra me malitiose exis: sed hoc ita expetit tempus hujus, hoc est periculum Verris, et mala causa, quam suscepisti. Idem.

Secundum binos ludos] Post binos ludos, votivos, ac Romanos. Idem.

Ante primos ludos comperendinem] Id est, me et te dixisse profitens, comperendinationis judicibus faciam potestatem. Idem.

Astuta] Urbana: etenim urbs ἄστυ dicitur. Terent. *An in astu venit?* Idem.

Cap. 12. *Cupiditas*] Corruptionem judicum significat. Idem.

In quibusdam judiciis] Terentii Varronis: ubi discoloribus oeris usus est, et ubi, ut supra diximus, elusit nobiles pueros. Idem.

Assidum] Molestum, addictum. Ascon.

Ex eo loco] De rostris scilicet. Id.

Hoc munus ædilitatis] Allusit ad ambiguitatem muneris, et Verris nomen bestiæ præferentis. Idem.

Qui aut deponere, &c.] *Deponitur* in sequestri: *accipitur* ab eo, qui corrumpitur: *recipitur*, id est, promittitur ab eo, qui pro judicaturo spondet: *pollicetur*, qui apud se dicit aut præmium, aut sententiæ potestatem esse: *sequestres* sunt, apud quos pecunia deponitur: *interpretes*, per quos inducitur pactio. Idem.

Cap. 13. *Paulo amplius, quam privatus*] Nam ædilitas primus est magistratus curulis, isque ad honoris amplioris gradum primus ascensus erat, et ex minoribus erat magistratibus, id est, ex iis qui minoribus auspiciis creabantur: sellam tamen curulem, et judicia, et antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum habebant. *Privatus* autem a Latinis ei qui cum imperio est, opponitur; quasi in publico, et jam in re publica, non privata versanti. Hotom.

Inter decem annos] Recte dixit: hoc enim tempus, quo senatus judicat, victore Sylla ab ordine equitum transferente judicia. Ascon.

Annos prope quinquaginta] Tanto enim fere tempore equester ordo judicavit lege Sempronia. Idem.

Nullo judice equite Romano, &c.] Hotomanus invitis libris legit de conjectura Joannis Lucanii, casu recto, *nulla, &c.* sensu egregio. Gruter. Vellem explicarent hæc verba, qui ea retinenda censent. Explicavit quidem Paulus Manutius, *nunquam, ullo equite Romano.* Sed non dura tantum hæc locutio est, sed cælo Latino in hac notione inaudita. Attentius hunc locum inspicienti plane hæc verba videntur supposititia, et nescio, unde irrepsisse. Indigna enim est Cicerone ταυτολογία. Cum *equester ordo judicaret* annos prope quinquaginta, *nullo judice equite Romano judicante, ne tenuissima.* Quid est *judice equite Romano judicante*, quam quod præcedentibus verbis dixit, *cum equester ordo judicaret.* Nam *judice equite Romano judicante* est, cum judicarit equester ordo. Ista repetitio hic inanis est plane et inepta. Ne dicam et hoc durum esse *judice judicante.* Mihi igitur hæc verba *judice equite Romano judicante*, videntur esse interpretatio illorum, *cum equester ordo judicaret*, et ex margine infulta esse male a mala manu. Si illa deleveris, nihil scabri supererit. Sin quis pertendat esse illa retinenda, quia in vetustis libris habentur, scribendum est sane cum Lucanio, probante Hotomano et Grutero *nulla*, sed pro *equite Romano judicante* legendum potius *equite rei judicante.* Nam littera *R* sæpe significat *res*, æque ut *Romanus*, ut de-

cuit Valerius Probus de notis Romanorum cap. 17. Hac locutione *res judicare* sæpius in ista oratione usus est Cicero. Sed propter causas, quas paulo ante attuli, nullus dubito hæc verba tanquam spuria esse inducenda. Ciceronis autem manum esse, *Quamobrem, cum equester ordo judicaret, annos prope quinquaginta continuos, nulla, ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem judicandam constituta sit.* GRÆVIUS.

Sublata populi Romani potestate] Scilicet sublata provocatione ad populum, hoc est, ad tribunos plebis. ASCON.

Q. Calidius damnatus dixerit, minoris sestertium tricies honeste, &c.] Q. Calidius, M. Calidii oratoris pater, ex prætura Hispaniensi accusatus a Gallio, pro quo postea Cicero dixit, atque damnatus, cum sensisset judicibus pecuniam contra se datam, in eos judices, qui parvo pretio corrupti se damnaverant, exclamavit: Vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis: hoc saltem honestatis esset in vobis, ut hominem prætorium non vili pretio venderetis: et, *honeste*, ironice dictum est. IDEM.

Q. Hortensio prætore, de pecuniis repetundis] Ordo est, P. Septimio damnato de pecuniis repetundis, prætore Q. Hortensio. Hæc enim Q. Hortensio prætori sors obtigit, ut de repetundis pecuniis quæreret; sicuti constat ex libro de clar. Orat. Sed cur nominatim Q. Hortensio prætore? An criminose hoc dictum est in Hortensium, ut Asconius interpretatur? Mihi quidem minime videtur; præsertim cum damnatum dicat Sulpitium. An igitur ut rem nemini dubiam, sed manifestam, et vel ipsius adversarii æqualis testatam prolaturum se ostendat? opinor, hæc potius causa est. HOTOM.

Lis æstimata sit] Hoc est pecunia, de qua lis fuit, et propter quam condemnatus est, in summam redacta, quæ de ejus rebus exigeretur. Duæ res enim consequebantur damnationem: altera, redditio pecuniæ iis ad quos pertinebat; in quo vel simplici, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur: altera, exilium. ASCON.

Qui ambo peculatus damnati sunt] Quid hoc, inquiet quispiam, ad judicium corruptum pertinet? Respondebimus, litis æstimationem fieri non solum ex titulo propositi criminis, sed etiam ex aliis probationibus, quæ ex ante actis rebus apud judices constiterint. Hi, peculatus crimine proposito, etiam quas judicando pecunias ceperant, reddiderunt. Similiter absolvitur etiam illud, quod supra de pecuniis repetundis positum est. IDEM.

Qui C. Verre prætore urbano sortiente] Sic hoc criminose dici, quemadmodum supra, Hortensio prætore; et totum hoc magis invidiose, quam vero, dicitur: nam ipse Verres pro testimonio dixit, in Juliano judicio adulteratas fuisse tabellas suas, in quibus suppositi judices essent ad sententiam corruptam ferendam. ID.

Exirent in eum reum] Non ex urna, ut sit, *Eorum nomina ex urna ducerentur:* sicuti nonnulli existimant. Non enim ex urna nomen Falculæ exierat: sed *irent* simpliciter accipio, quasi dictum sit, Adirent ad illud judicium, et prætori assiderent. HOT.

Quem incognita causa condemnarent] Cum causam ante non audissent. Significat autem C. Fidiculanium Falculam, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. ASCON.

Quod inventus est senator] Stalenum dicit ab utraque parte fuisse corruptum; quod adversus eum recitatum postea, in Cluentiana oratione vix purgat, ubi dicit a solo Oppianico sestertium DCXL. Caio Ælio Stalèno judici data pro numero judicum, qui corrumpendi essent. IDEM.

Ut discoloribus signis] Jam supra dictum est. Signa autem alii ceratas diverso colore tabulas, alii ab judicibus appositas tabulis ceras diversi coloris aiunt, ut hoc signum esset ad voluntatem rei sententiæ scriptæ. IDEM.

Juratorum hominum] Judicum scilicet, qui in leges ante, quam judicarent, jurare consueverant. IDEM.

Cap. 14. *Se habere hominem potentem*] Hortensium vult intelligi; scit enim hoc nimis valere ad minuendam ejus auctoritatem. IDEM.

Apud M'. Glabrionem] Prætorem præsentis anni, quique præesset huic judicio. IDEM.

Cap. 15. *Neque enim ullam aliam ob causam populus Romanus*] Per annos continuos tres populus Romanus illo tempore tribunitiam potestatem flagitabat: hoc Cicero utitur ad invidiam judiciorum et infamiam senatu judicante. ASCON.

Qui Cn. Pompeio] In invidia tunc Pompeius fuit, quod Consul redderet populo tribunitiam potestatem: sed totum Tullius ad sui temporis commodum refert, ut etiam Catuli sententiam in senatu demonstret. ID.

Cum primum concionem ad urbem consul designatus] *Ad urbem*, in urbe: et sic dici solet de iis, qui cum potestate provinciali, aut nuper e provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Pompeius autem pro consule de Hispania, Sertorio victo, nuper venerat, et statim habuerat concionem de restituenda tribunitia potestate, Palicano tribuno plebis. IDEM.

Ad urbem, in urbe inquit, Ascon. Quod quemadmodum intelligi debeat, conjectura assequi non possum. Nemini autem qui cum imperio provinciali esset, nisi aut triumpharet, aut imperium deponeret, urbem introire licebat. Ut mihi obscurior Asconii sententia videatur, nisi forte *urbis* verbum late accepit etiam pro continentibus ædificiis, ut Romæ esse dicerentur etiam qui ad urbem erant, quamvis in urbe non essent. HOTOM.

Cap. 16. *Homines in speculis sunt*] Scilicet equester ordo, et urbana plebs, et omnes, qui favent tribunitiæ potestati. ASCONIUS.

Observant] Modo speculantur, alias venerantur, Virgilius:

Preterea regem non sic Ægyptus, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant. IDEM.

Post legem tribunitiam] Ex quo lex fertur de tribunitia potestate restituenda. IDEM.

Unum hominem vel tenuissimum] Pauperem, qui, unde judices corrumperet, non haberet: Dolabellam autem significat. IDEM.

Quod tametsi non reprehendunt] Potuit enim dici, Quid ergo? noxius si pauper sit, non est damnandus? ASCONIUS.

Non Gratia] Non vult amicum videri Hortensii Verrem, sed tantummodo prædæ participatione sociatum. IDEM.

Non cognatione] Hoc ad Metellum collegam Hortensii pertinet, qui illum, tanquam si sit cognatus, defendit. IDEM.

Mediocri vitio] Mediocria vitia sustinebit, si quis nimia servitute patrocinium meruerit, aut assentatione aliqua defendi meruerit. IDEM.

Investigare] Ratione. IDEM.

Consequi] Via. Hoc totum ad terrendos a corruptione judices dicitur. IDEM.

Post hæc constituta judicia] Senatoria judicia dicit, per hos 10. annos Syllæ legibus constituta. IDEM.

Cap. 17. *Qui jampridem inventus est*] Verrem dicit. ASCON.

Quo loco sis] In tribunali. IDEM.

Fac tibi paternæ legis Aciliæ] M'. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit, de pecuniis repetundis, severissimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum. IDEM.

Fortissimum Patrem] M'. Acilium Glabrionem. IDEM.

Sapientissimum avum] Scævolam dicit, juris peritissimum, qui cum Cn. Pisone consul fuit, quo anno Tib. Gracchus occisus est. IDEM.

Gravissimum socerum fuisse] Scaurum significat. IDEM.

Scauri constantiam] Inde subjecit quid sit constantia. Et animadvertendum, hanc esse artificiosam lau-

dationem judicum ad benevolentiam, quæ tamen ab assentationis suspicione semota est. IDEM.

Ad suspicionem criminis] Quod multum rapuit. IDEM.

Ad rationem salutis] Ut corruptis judicibus reus reservetur. IDEM.

Cap. 18. *Servi designatorum consulum*] Mentionem facit illius rei, quam de Metello supra monstraverat, quod Siculos domum arcessitos jam ante conterruit. IDEM.

Quadraginta diebus interpositis] Iis, qui sunt per binos ludos, votivos atque Romanos: quos alii bini consecuti erant, Victoriæ, atque plebeii. ID.

Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit] Frequentiam dicit plebis rusticæ, cui voluit judicii exitu notam esse integritatem suam. Convenerat autem ex municipiis cujuscunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum causa, aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriæ, plebeiorum, aut ut censeretur apud censores Gellium, et Lentulum, qui tunc erant. IDEM.

Hujus judicii, et laudis fructum, et offensionis periculum vestrum] Figura Zeugma: ad singula enim subaudiendum est, puto esse oportere. ID.

Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostræ civitatis sunt, ante factum] Verum dicit. Etenim L. Licinius, et item M. Licinius, ambo consulares: Marcus vero etiam triumphalis fuit. Hi cum accusarent L. Cottam, non usi sunt oratione perpetua, sed interrogatione testium causam peregerunt. IDEM.

Illud a me novum cognoscetis] In eo se dicit novi aliquid allaturum, in quo diligentius crimen expositurus est, quam qui ante ipsum breviter accusaverunt. IDEM.

Interrogando] Apparet ex hoc dicto, testes suos etiam ipsum accusatorem interrogare consuesse. IDEM. Suspectus mihi locus est. Nam si interrogando firmavit crimen, quid est quod continuo sequitur, *Tum testes ad crimen accommodem?* Quo modo enim interrogando confirmavit, nisi adhibitis accon[illegible] Aperiam igitur q[illegible] venit, de quo eru[illegible] poterunt. Quonia[illegible] sationis libro dicit [illegible] terrogandis crimina [illegible] in suspicionem, præ[illegible] scribendo verbum *inter*[illegible] tea in conferendo, ad m[illegible] ad-scriptum: deinde vero ab[illegible]no scriptore non suo loco restitutum esse. Itaque potius legendum sum arbitratus, *Quod ita testes constituam, ut interrogando crimen totum explicem: ubi id argumentis, atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem.* Ut verbum *interrogando*, non ipsam testium compellationem declaret, sed (ut in libro sequenti) actum illum legitimum et judicialem, qui *testium interrogatio* dictus est: præsertim cum hoc ipsum aperte iisdem verbis in eo libro explicarit, *Ut in testibus*, inquit, *interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem.* Ex quibus ipsis verbis perspicue falsitas eorum opinionis intelligitur, qui locum hunc de reo interrogando interpretabantur, cum aperte de testium interrogatione Cicero loquatur. HOTOMAN.

Argumentandi, dicendique sit] Argumentari, est argumentis uti ad rem probandam: dicere, amplificatione uti ad rem dilatandam, et ad delectandum commovendumque auditorem oratione perpetua. ASC.

Si quis erit, qui perpetuam orationem] Vides quod argumentis se usurum non negat jam modo, quanquam perpetuam orationem se neget habiturum in hac actione, quæ prima est. ID.

Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque] Bene hæc separavit: ut ostenderet, etiam sine perpetua oratione accusationem tamen esse: et intelligi posset ut res non una, sed ut duæ sunt. IDEM.

Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus] Inconsequens locutio, et obscura non minus est, quam illa in fine orationis pro Ligario, nisi forte, *facimus* semel ponitur. IDEM.

Nam multa libidinose, multa crudeliter in cives, atque socios] A specie cœpit, et subjunxit genus, dicendo postea, *In deos, atque homines*. Sed non est vitium, quod pro auxesi positum, non pro ratiocinatione est. ID.

Sestertium quadringenties] Diximus de hac quæstione. Summæ variæ. In Divinatione enim sestertium millies dixit. Quod solvimus, quod adhuc non erat insinuata criminum ratio Ciceronis et quod ex persona Siciliæ loquebatur, augere voluit veritatem: et quoniam, spe dupli vel quadrupli repetitionis, quantumvis accusatori progredi licuit. Nam quamvis sestertium octingenties dupli nomine exigi usus est, sestertium tamen quadringenties tantummodo repetitum est: ad gratiamne Hortensii, an suam, an etiam conniventia Ciceronis ipsius, parum comperimus. IDEM.

Dixi] Moris veterum fuit, cum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, *Dixi:* quod etiam, ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur, prætor soleret pronuntiare, *Dixerunt*. Bene ergo Tullius denuntians adversariis compendium brevitatis, hoc verbo usus est, *Dixi*. Non autem ibi finitur prima actio: inducentur enim debinè a Tullio testes: quorum verba in oratione conscribere, nullius elegantiæ fuit. Multis autem diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diversorum, dum recitantur publicæ privatæque litteræ: quibus rebus adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret: adeo perculsus Verres, ut abiret in exilium sua sponte. Nec quid amplius in judicio gestum est, nisi quod Tullius metuens ne tantum negotium pene tacitum præteriret, finxit Verrem comperendinationi præsto fuisse, ut his defensus accusaretur iterum. Et quemadmodum victoriæ consuluerat brevitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tanquam repetita accusatione est consecutus reliquorum conscriptione librorum, qui cæteros consequuntur. ID.

ACTIONIS SECUNDÆ

IN C. VERREM

LIBER PRIMUS.

DE PRÆTURA URBANA.

ORATIO VI.

ARGUMENTUM.

Deinceps hæc omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum: quod ita factum est. Fingit Cicero adesse in judicio Verrem comperendinatum, et respondere citatum, et defendi. In cæteris enim orationibus defensor futurus, accusationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compensare decrevit, et, quoniam accusare multos indecorum Tullio videbatur, in una causa vim hujus artis et eloquentiæ demonstrare. Nam et bene intelligentes omnem virtutem oratoriam, quæcunque in criminationibus constituta est, hic expressam vident: et contra ex hoc defensionum vim in cæteris orationibus, et nervos ejus ex hac virtute cognoscunt, quæ in opprimendo exprimitur reo. Igitur rerum scena sic

facta est, ut dicit Tullius, non autem acta res est. ADEST, *inquit, Verres respondet, defenditur. Ergo cum prima actione accusatus sit, ac defensus Verres, nunc, velut defensus iterum, (sic enim mos erat) in altera actione accusatur ad ultimum rursus oratione perpetua. Crimina repetundarum, et alia pleraque ex anteacta vita sæpe firmantur. Sumitur etiam hinc sæpe defensio. Omnis enim confirmatio ab attributis personæ, et negotio sumi solet. Ergo attributa personæ maxime in anteacta vita quæri solent: negotium, in ipso crimine. Libros igitur pro qualitate criminum Tullius dividens, anteactis unum dedit, hunc scilicet solum: crimini ipsi repetundarum quatuor. Unum de jure dicendo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartum de suppliciis. Ad hanc enim similitudinem poeta Virgilius Minoem judicem apud inferos, tanquam si prætor sit rerum capitalium,* Quæsitorem *appellat. Dat ibi sortitionem, ubi urnam nominat: dat electionem judicum, cum dicit,* Consiliumque vocat: *dat cognitionem facinorum, cum dicit,* Vitasque et crimina discit. *Ergo hic liber, qui de anteacta vita est, statum necesse est conjecturalem habeat. Capita autem quæ ipse Tullius fecit, dividendo totam hanc accusationem, sunt hæc, primum in Quæsturam, deinde in Legationem et Vice-quæsturam, tertio in Præturam urbanam, quarto in Præturam Siciliensem. Nam cum omnes ejus actus quæsturæ nomine, legationis, præturæ urbanæ, Siciliensisque, quadripartita librorum divisione cognoscantur: anteacta ejus omnia hoc libro comprehensa sunt ad eorum fidem, quæ post dicentur. Proœmia sane hujus libri in simulatione constituta sunt quasi veræ accusationis in Verrem audentem adesse, atque defensum: in exhortatione judicum ad recte judicandum: tum in minis contra adversarios: et in exhibenda ratione officii sui, cur ita maluerit accusare, ut prima actione tantum testibus uteretur. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut non tam nova dicere, quam dicta libri superioris instaurare videatur. Post hæc omnia, ipsius Ciceronis per honores Verris cum criminibus junctos divisio per ordinem currit.* ASCON.

Varie Ciceronis Verrinas orationes inscribunt Grammatici: et varie in veteribus etiam libris inscriptæ reperiuntur. Hanc autem orationem Primus Accusationis liber *inscribi debere, ex ipsius Ciceronis verbis intelligere possumus, quæ sunt in Oratore ad Brutum.* Adhibenda est, *(inquit)* numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in Accusationis secundo de Siciliæ laudibus diximus: aut in Senatu de consulatu meo: aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quam doloris, ut in quarto Accusationis de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus, &c. *Prima igitur oratio, quæ* Divinatio *dicitur, nihil ad Verris causam pertinet, sed cum Cæcilio contendit Cicero uter melior futurus sit Verris accusator, ipse-ne, an Cæcilius. Secunda, præparatio quædam est ad judicium et testium interrogationem. In tertia demum incipit Verrem accusare, qui primus liber Accusationis a Cicerone quidem dicitur, a Grammaticis vero* Prætura urbana *inscribitur; cum secundus* Siciliensis; *tertius* Frumentaria; *quartus* de Signis; *quintus* de Suppliciis *inscribantur.* F. URSINUS.

Cap. 1. *Neminem vestrum ignorare arbitror, Judices*] Hoc totum figmentum est Ciceronis, ut sequentium librorum vera actio videatur. Nam Verres jam sua sponte elegit exilium. ASCONIUS.

Respondet] Recte dictum est, *respondet.* Nam apud veteres et judices, et rei, et accusatores, et defensores citabantur a præcone prætoris. IDEM.

Patior, Judices] Cum dolere debuerit, resisti sibi, *pati*, et æquo animo ferre dicit, ut pugnam victoria consequatur. IDEM.

Cap. 2. *Neque enim salus ulla reipublicæ major est*] Eadem repetit, quæ in prima actione dicta sunt, e republica esse damnari Verrem. ID.

Diligenter rejectis] Rejectos judices pro electis intelligi convenit. Ibi enim rejectio, judicum, ubi et retentio, continetur. In rejectione autem accusatoris, vel fides accusationis, vel prævaricationis perfidia, ut supra dixi, apparet. IDEM.

Et prope depositam] Desperatæ salutis, sic et Virgilius:

Ille ut depositi proferret fata parentis.

Postremo ut esset hoc judicatum]

Subauditur, *accessi*, ἀπὸ κοινοῦ, ad omnia, quibus hoc verbum in hac sententia convenit. IDEM.

Ut esset hoc judicatum] Si pro *ut* legas *utut*, locus integer futurus erit. Hoc enim dicit Cicero: Si de Verre ex voluntate populi Rom. judicatum fuerit, judiciorum auctoritatem aliqua ex parte constitutum iri: quæ tum fluctuabat, propterea quod multa judicia aperte pecunia corrumpebantur: et postremo (*utut* de Verre judicatum sit) fore, ut finis judiciariæ controversiæ constituatur. Sive enim damnetur, penes ordinem senatorium mansura judicia: sive absolvatur, neminem honeste recusaturum, quo minus ad Equites transferantur. MURETUS, Var. Lect. XIX. 12. *Ut* sæpe cum apud Ciceronem, tum apud alios scriptores poni, pro quo vulgatius *utut* ponatur, et hujus multorumque aliorum locorum exemplis ostendit Joan. Frid. Gronovius, III. Observat. cap. 6. GRÆVIUS.

Homo (vulgo *reus*) *est enim nocentissimus*] Terentius: *Et habet, quod det: et dat nemo largius.* Et de persona: *Fatuus, insulsus, tardus stertit.* ASCON.

Impie, nefarieque commisit] Nefandum, est non fandum: nefarium, quod sacra polluit farre pio solita celebrari: ergo nefarii sacrilegi. IDEM.

Cap. 3. *Agunt eum præcipitem*] Proprium Ciceronis et in orationibus, et in dialogis, et in epistolis sæpius eandem sententiam dicere, et uti eloquentiæ diversis modis, in iisdem sententiis, tamen ab aliqua occasione repetitis. Nam et hic repetitio furoris, in qua videtur insaniæ Verris causam velle monstrare. Est enim hic locus de suppliciis irrogatis: ubi ostendit, cives Romanos Verrem pro prædonibus occidisse. IDEM.

Religiones vero, ceremoniæque] De signis et furtis tacet modo, quasi minus idoneis ad furorem avaritiæ. ID.

Supplicio communi] Æstimatione litis, et exilio. IDEM.

Cui damnari expediret] Quia minor in damnatione pœna, quam in concione populi Romani, et in eorum animadversione. IDEM.

Cap. 4. *Non istum majus in sese scelus*, &c.] Non istum modo terret, sed subtiliter etiam judicibus comminatur. IDEM. Nam si absolvitur a vobis, ad populi judicium adducetur, morte multandus propter jus libertatis et civitatis, civium Romanorum nece imminutum. Observabitis, *primo*, populi solius potestatem fuisse civem morte damnandi. *Secundo*, ubi multatio bonorum erat, supplicium in corpus irrogari non solere. HORTEN.

Non is reus] Qui est nocentissimus. ASCON.

Non id tempus] Quod invidiosum senatui est. IDEM.

Non id consilium] Quod ex optimis viris lectum tale est, ut si quid in ipso culpæ fuerit, sperari melius ex senatu non possit. IDEM.

Ne actor quidem] Tullius scilicet, in quo omnia ad vincendum parata. IDEM.

Ad aliud judicium] Populi scilicet, et equitum Romanorum. ASCON.

Alieno nomine a quæstoribus urbanis] Quæstores urbani ærarium curabant, ejusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant. *Alieno* autem *nomine* dicit, Carbonis nomine, et exercitus ejus: nam consulis et militum ejus nomine pecunias ex ærario sumptas avertit, conversus ad Syllam bellis civilibus. Vel *alieno nomine*, ad frumenti emptionem, quod Siculis non persolvit. IDEM.

Aliquot nominibus] *Nomen* pro debitore poni tritum est. Quis ignorat illud Columellæ, *bona nomina non appellando fieri mala.* Dicit igitur, nonnullis decumanis, qui debebant reipublicæ de capite frumenti decumani seu de summa, quam debebant populo Romano jure pactionis, tantum detraxit, et in privatos usus convertit, quantum ei placuit. GRÆ.

De capite] Hoc in Sicilia fecit gratiosus in decumanos, ut frumentum in auctione promissum ab decumanis, usibus populi Romani (cum illi freti

Verris gratia licetentur quamplurimo) de summa detraxit, minusque eo inferre passus sit annonæ populo Romano. Quod illicitum probatur multis documentis. Ascon.

M. Marcelli, et P. Africani monumenta] Signa concessa et reportata Siculis a M. Marcello et Scipione Africano. Nam Marcellus donavit, quæ victis Siculis ademerant Pœni. Idem.

Cap. 5. *Meditetur de ducibus hostium*] Hic crimen de suppliciis esse cognoscitur: in hoc enim libro hæc latius explicantur. Idem.

Quos in eorum locum subditos] Captis prædonum ducibus, Verres illos quidem remisit accepto præmio: pro illis autem mercatores innocentissimos partim trucidavit; partim domi suæ privatim reservavit, quod diceret timuisse se, ne sibi crimini daretur, eos ipsos a se pecunia liberatos esse. Idem.

Usque dum per me licuerit] Quantum in ipso fuerit. An hoc? domi suæ privatus, quod est majestatis crimen, hostes publicos habere non dubitavit: sed finem fecit hujus audaciæ me cogente, qui institi ut de ejus domo in publicam custodiam ducerentur. Idem.

Quo me jampridem vocat populus Romanus] Se dicit, quia ædilis est factus, ut defendat libertatem pop. Rom. Idem.

Qui cognitores homines] Hoc genus defensoris in jure *cognitor* dicitur, maxime cum de alicujus statu agitur. Ipse alibi, *Cognitorem juris sui*. Idem. *Cognitores* hoc loco eosdem videtur existimare dici Asconius, qui in Divinat. cum inquit, *Cognitorem juris sui*. Ego *cognitores* simpliciter eos intelligo, quibus eorum; qui capiebantur, status et conditio nota esset, id est, qui testificari possent, eos non esse speculatores. Itaque in lib. Accusat. V. ubi hæc eadem ipsa narrantur. *Homines*, inquit, *tenues obscuro loco nati navigant: adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderant; ubi neque noti esse iis, quo venerant, neque semper cum cognitoribus esse possunt*. Et paulo post: *Clausum habuisse cum Panormo Pretius veniret: cognosceret hominem? aliquid de summo supplicio remitteres: si ignoraret, tum hoc juris in omnes constitueres, ut qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis Romanus esset, in crucem tolleretur*. Hos γνωστῆρας Græci appellant. Horom. Nimirum *cognitores* sunt, qui homini, si res exigebat, testimonium dabant de ejus statu, se illum nosse. Senecæ *notores*. Græv.

Quinque et triginta] Ac per has totus populus Romanus Tribus principio tres fuerunt, *Tatiensis* una a Tatio rege; *Ramnensis* altera a Romulo; *Luceres* altera a Lucumone, sive Lucretino, sive a Luco, quem lucum Asylum vocaverat Romulus. Post de nominibus Sabinarum plures factæ, quibus deprecatricibus parentum bellum, maritorumque finitum est. Ad postremum triginta et quinque factæ. Obtinuerunt autem nomen aut a tributo dando, aut quia primo tres fuerunt: unde etiam Tribuni dicti. Asc.

Religionem] Quia jurati testes dicebant. Ascon.

Latumiis] Latumiæ carcer Syracusis. Latomiæ autem lingua siculorum lapidicinæ dicuntur, id est, loca cæsis lapidibus exsecta. Idem. Legendum *lautumiis*: quod et ab aliis observatum. Hinc ille jocus apud Senecam, ex allusione nescio cujus Rhetoris: *Nam*, inquit, *si quid credis, lautumiæ istæ minime lauta res est*. Menardus. Scribitur et *Latomiæ*. Vide Fabri Thesaurum.

De loco superiore] De Rostris, quippe qui ædilis sum factus. Ascon.

Munus ædilitatis] Notata est a veteribus Grammaticis amphibologia, in qua jocus latet salsissimus. Ædiles enim munus edebant, id est, ludis exhibebant ferarum peregrinarum diversa genera, populo gratiosissimum spectaculum. Ædilis Cicero exhibebit Verrem notissimam feram. Men.

Cap. 6. *Quo in numero e vobis complures fuerunt*] Alia enim sortitione

nunc sedent: alia in Divinatione constituendi accusatoris fuit. Asc.

Inimicitias justas] Ad aliud argumentum victoriam suam interpretatus, simpliciter fatetur quod in Divinatione expugnaverat, non idoneam fuisse causam accusandi Verris Cæcilio commentitiam simultatem. An justas inimicitias magnas dicit? e contrario Virgilius, *Injusto sub fasce viam dum carpit*. Idem.

Cum id postularet] Bene addidit, quia in Divinatione hujusce rei mentio facta non erat. Idem.

Vim in inquirendo tantum habui] Dicit plura crimina inveniri potuisse, quam inventa sunt, si vellet Tullius non ad legem repetundarum inquisitionem facere, sed ad universa, quæ commiserat Verres. Nam certe quantum abstulerit ex Sicilia Verres, non quantum flagitii commiserit, dicere accusatorem causa compellit. Idem.

Ne quis de mea fide] Et Verris pecuniosi rapinis invidiosum: et apud judices plurimum valet: ut non sine causa de constantia Cicero dubitare videatur. Et valet ad suspicionem magnopere; immo opinionem, vel potius fidem redempti Hortensii, et fautorum Verris ad defensionem ejus: quo se quoque e suspicione hominum non excepit Tullius. Idem.

Cap. 7. *Sciebam, in rejiciendis judicibus*] Multi, inquit, ita subtiles fuerunt prævaricatores, ut in tota actione fideles actores esse viderentur: qui tamen non effugerunt suspiciones hominum, cum in rejiciendis judicibus versarentur. Rejiciens enim malos, et retinens bonos, verus accusator intelligitur. Qui vero contra facit, ut sit impedimento cæteris, et si rem astu tegat, facile tamen de hoc intelligitur quod prævaricator existat. Et est bona occasio cum causa laudandi judices oratoris. Idem. Legitur in Mss. *Et est bona accusatio, cum causa laudandi judices oritur*. Græv.

Post hunc statum reipublicæ quo nunc utimur] Qui est per 10. annos, ex quo Sylla vicit, ex quo judicat senatus. Ascon.

Quam iste laudem] Vitat argumentum, quod ipse Rhetoricorum primo reprehendit, et commune appellavit. Idem.

Qui cum P. Galbam judicem rejecisset] Bonum. Idem.

M. Lucretium retinuit] Malum scilicet. Sed tamen scire vos convenit, hunc Lucretium a Cicer. esse rejectum. Neque enim præsentem judicem vituperare fas fuit. Idem.

Rejici passus esset] Ac per hoc rejecisset ipse. Idem.

Contra honorem meum nihil posse] Quia non sum ædilitate dejectus. Id.

Deinde reliquis diebus] Apparet, multis diebus prima actione accusatum productis testibus Verrem.

Cap. 8. *Non enim spolia C. Verris*] Ut quadruplator, qui de condemnati bonis ipse aliquid sumam. Idem.

Sed existimationem] Ut bonus civis existimarer. Idem.

Cum causa] Cui rei contrarium est, *sine causa*. Idem. Etenim neque adolescentes, qui aut exercendi sui, aut ostentandæ eloquentiæ causa: neque *quadruplatores*, qui lucri cupiditate adducti accusant: causam habent idoneam cur boni cives ob accusationem existimentur. Hotomanus.

Reipublicæ consulere] Subandiendum est ad omnia, *meum fuit*. Asc.

Abstulerit] Pro certo habuerit, persuasum sibi crediderit. Idem.

Quanto periculo venturi simus ad eos judices] Vult, intelligi, metuendum esse senatui, ne equites Romani judicent: quos non solum pro integris, sed etiam pro inimicis nobilitatis vult populus Romanus judices esse. Ascon.

A porta subito retraxisset] Hoc comminiscitur Cicero, ut credamus veram fuisse secundam actionem: quæ secundum veram gestorum fidem non dicta, sed scripta est. Idem.

Non sine causa] Corruptis judicibus scilicet. Idem.

Cap. 9. *Nunc, ne novo querimoniæ genere*] Astutia Ciceronis fuit, utendo testibus; ut nihil reliqui esset Hortensio, nisi ut eos interrogare posset.

Dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipse dicendo. Etenim metuebat, ne si locum dicendi invenisset Hortensius, brevitatem temporis longa oratione consumeret: ut secunda actio ad alios judices, qui corrumpi possent, aliumque prætorem post Kal. Jan. perveniret, consulibus futuris se et Metello, fautoribus Verris. Hæc ita sunt, quemadmodum dicimus, sed Cicero sic proponit querelam Hortensii, ut et injusta, et ridicula esse videatur. Et est ordo: Nunc ne novo querimoniæ genere uti possit Hortensius, morem illi geram. IDEM.

Hic tu fortasse eris diligens] Apostropha ad ipsum Hortensium: qua ostendit, non posse se cogi uti oratione perpetua, et omnibus horis suis, si nolit uti. Et mire horis dixit, cum dies sint plurimi: ut ostendat nimiam diligentiam, et eas horas dicentis dictione esse complendas. Veteres præterea horas generaliter dicebant more Græcorum. IDEM.

Quod mihi lex mea causa dedit] De commodo proprio licet unicuique detrahere, præsertim cum inde adversario nihil possit esse incommodi. ID. Vict. Man. Grut. *eo mihi uti non licebit.*

Ea re quidem] Ut quæstionem propositam infirmaret causam propositionis affinxit, quæ sibi solutionem propositi, quam volebat, afferret. ID.

Adimo enim camperendinatum] *Comperendinatum* pro comperendinatione posuit. Et est sensus: Aufero vobis molestiam bis dicendi. Sed quid? dices utile esse bis dicere? et mihi ego denego hanc utilitatem: in qua re cur me accuses, non habes. Aut enim comperendinatio propter me magis, quam propter te, est instituta: aut non magis propter te, quam propter me. Si enim numerum dicendi consideres, ex æquo res est: si ordinem, ego sum prior et ultimus. Nam simul accusator dixerit, respondet prima actione defensor: et rursum comperendinato judicio dicit prior defensor, et defensionem tanquam duplicem in medio positam obruit ultimus accusator. IDEM.

Glaucia primus tulit] Ante legem Glanciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset reus: aut, *Amplius*, pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent judices, *Non liquet*, hoc est, obscura causa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cujus peroratione videbatur obscuritas. *Comperendinatio* vero utriusque partis recitatio est. Alii sic adnotant. *Comperendinatio* est secunda actio. Item *comperendinatio* est ab utrisque litigatoribus invicem sibi denuntiatio in perendinum diem. Namque cum in rem aliquam agerent litigatores, et poena se sacramenti peterent, poscebant judicem: qui dabatur post trigesimum diem: quo dato, deinde inter se in perendinum diem, ut ad judicium venirent, denuntiabant. Quo cum esset ventum, antequam causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant. Quod ipsum dicebatur *causæ conjectio*, quasi causæ suæ in breve coactio. Alii sic. Inter comperendinationem et ampliationem hoc interest, quod comperendinatio ex una tantum re dabatur, cum causam judex non intelligeret. Et omnino, si videbatur judicibus bona causa, absolvebant reum: si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant. Nam cum condemnandi nota esset C littera, absolvendi *A*, ampliandi signum *N L* dabant, quo significabant Non liquere: unde ampliatio nascebatur. ASCON.

Judicari] Dici sententia absolutionis. Hoc significat id, quod sequitur. IDEM.

Cito absolvi] Judicari. IDEM.

Tarde condemnari] Ampliari. ID.

Aciliam legem] Acilii Glabrionis, patris hujusce prætoris: de quo etiam supra dixit: quæ lex neque comperendinationem, neque ampliationem habet. IDEM.

Mittam in consilium] Id est, perorabo. Nam mittere judices in consili-

um, est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis, orator dixerit, Dixi. Id.

Cap. 10. *In hoc quidem genere causarum*] Conjecturali scilicet. Idem.

Sestertium quadringenties] In Divinatione, *millies* dixit. Sed cur ita variaverit fidem summæ, jam in superioribus diximus. Idem.

Calumniatores ex sinu suo opposuit] Subornavit suos amicos et familiares, qui illum accusarent. *Ex sinu suo* est ex suis familiaribus et amicis. Sic 2. in Catilin. *de sinu et complexu Catilinæ*, dicit intimos ejus amicos. *Apponere* vero est subornare, ut alibi dixit, *Apponere licitatorem*. Grævius.

Nomina sua exegisse] Tituli debitorum, nomina dicuntur, præsertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniæ commodatæ sunt. Cui rei contrarium est, mutuas accepisse. Ergo nomina, debita, vel debitores. Ascon.

Hæc eadem se audisse dicerent] Apud antiquos et de auditione testimonium dicebatur. Idem.

Cap. 11. *Ut in testibus interrogandis*] Tenere debemus, interrogationes testium et accusatoris, et defensoris esse, et ejus qui producit, et ejus, contra quem producuntur. Idem.

Sed etiam populus Rom.] Qui circum subsellia coronam fecit. Idem.

Interposuistis accusatorem] Qui iste sit accusator, vel quem accuset, in priore libro jam notavimus. Quod autem dicit, menses mihi tres cum eripuissetis, hoc dicit: 100. et 10. dies inquirendi in Sicilia postulavi: consequens erat, ut, etiamsi quinquagesimo die rediissem, ut redii, statim accusarem: quod ne possem facere, interposuistis accusatorem quendam cujusdam ex Achaia rei, qui sibi 100. et 8. peteret: ita factum est, ut, quamvis ego festinato rediissem, ille adhuc proficisceretur, non potuerim tamen agere, donec complerentur illo absente 100. et 8. dies. Sic enim erat a prætore legibus ordinatum, ut, si intra 100. et 8. dies ille inquisitor Achaicus advenisset, priore loco ageret: ita factum est, ut prope tres menses sine ludorum impedimento ad agendum appositos, sine causa Tullius amiserit adversariorum dolo: 100. enim et 8. dies plus quam tres menses sunt. Ascon.

Ut, cum horis nostris] Viginti diebus scilicet; hi enim dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori ad respondendum. Idem.

Ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset] Testes tabulæque facti dari solent; itaque ab accusatore dantur; non facti non dantur testes: ergo nihil prosunt a parte defensoris. Quid ergo facit pro defensore? Oratio scilicet, cujus potestatem Hortensius non habuit tacente accusatore: non ergo defendere Verrem non ausus est, sed, quia non poterat ut volebat, in totum prætermisit Hortensius. Idem.

Si quam diem, qui istum eripiendum redemerunt] Fingit Tullius pervenisse ad se pactionem eorum qui in se susceperant procurationem corrumpendorum judicum, et liberandi Verris: quos ita in cavendo scripsisse dicit, pro eo se promittere corrupturos esse judicium, si post Kal. Jan. de Verre judicarent. Idem.

In eam diem] Quam ego essem stultus, inquit, si quam diem illi in promittendo elegerant, ego in accusando non effugissem, præsertim cum possem effugere, si imprudens non essem. Idem.

Nunc mihi temporis ejus, quod mihi ad dicendum datur] Alii fecerunt hoc dies 20. alii plures. Idem.

Cap. 12. *Aut ex isto, quem sui simillimum produxit*] Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quod in filio Verris innoxiam lædat ætatem, ignorantes illum accusatoria arte providere, ne in epilogis productus ab Hortensio conciliet misericordiam judicum patri. Idem.

Lenonum, aleatorum, perductorum] Lenones sunt scortorum; *perductores* etiam invitarum personarum, et in quibus supra exercita legibus vindicantur. Idem.

Quæstor Cn. Papirio consule finisti] Uno nomine Cn. Papirii Carbonis et tempus criminis significavit, et crimen; legitur tamen et *consuli*. IDEM.

Cap. 13. *Obtigit sibi consularis*] Provincia, subauditur. ASCON.

Dissensio civium] Leviter dixit bellum civile gravissimum Syllæ cum Marianis. IDEM.

Quid sentire debueris] Cum quibus facere. IDEM.

Ac sorte] Potuisti enim, et debuisti, si nolles, repudiare illam sortem, aut susceptam tueri. IDEM.

Pecunia attributa] Quæ in stipendium militum de ærario a tribunis ærariis adnumerari quæstori solet: ergo Verri adnumerata intelligitur. IDEM.

Voluntatis assensionisque illorum] Syllanorun scilicet. IDEM.

Compilarit] Pilos pervellerit: sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. IDEM.

Ad nobilitatem, hoc est ad suos] Totum hoc per ironiam dicitur in Verrem, et Verris defensores. IDEM.

Cap. 14. *Accepi, inquit*] Referri ad ærarium ratio solet pecuniæ publicæ a quæstoribus. Verres igitur retulit, sed Tullius hoc reprehendit, primo falsam hanc brevem relationem esse, deinde idcirco acceptam, quia proditor Carbonis favorem sibi apud Syllam comparaverat: nam paucis verbis, quid acceperat, quid reliquerat, dixit. IDEM.

Dedi stipendio, frumento, Legatis] Hæc omnia nomina sunt erogationum: quibus, aut stipendium militibus dedisse se, dicit Verres: aut frumentum coemisse in annonam exercitus: aut legatis, et pro quæstori in sumptum dedisse: eis enim alimenta de publico dabantur. IDEM.

Pro quæstore] Id est, pro officio quæstorio; significat autem quæstoris annonas: sibi imputat pecunias publicas datas Verres. Accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos decem et septem nummos. IDEM. Vulgati, *Prequæstoribus:* sed Asconii lectionem meliorem judico: quod ubi *quæstor* esset, ibi *proquæstoribus* opus non erat. HOTOMAN.

Cohorti prætoriæ] Comitibus consularibus. Veteres enim omnem magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellaverunt. Unde et prætorium tabernaculum ejus dicitur, et in castris porta prætoria, et hodie quoque præfectus prætorio. ASCON.

Reliqui Arimini sexcenta millia] Hæc summa cum ratione consentit. IDEM.

Hoc modo aut tu, Hortensi, aut ego] Ambo enim quæstores fuerant. ID.

Quæ ne falso quidem potuit] Non enim verisimile est, tantæ pecuniæ rationem duobus versiculis confici potuisse. IDEM.

Oppidum sibi elegit Ariminum] Hoc oppidum Albinovanus Syllæ prodiderat, dux ipse Marianus. IDEM.

Recita denuo. P. Lentulo, L. Triario quæstoribus] Hoc est caput lectionis relatarum a Verre rationum ad ærarium totius quæsturæ ejus. ID.

Res rationum relatarum] Sunt relatæ rationes. Nihil hac circumscriptione tritius apud Græcos æque ac Latinos, ut *res voluptatum* apud Plautum. GRÆVIUS.

Non ut honos, et dignitas] Pro nobilitate pugnante Sylla contra Marianos, hac enim de causa se transfugisse aiebat Verres, ut dignitas et salus nobilitati restitueretur. ASCON.

Idem fecisses, quod anno post M. Piso] Exemplo urget Verrem, ut ostendat, quid facere potuisset, nisi furtum pararet. IDEM.

Cap. 15. *Beneventi esse jussit*] Beneventani plerique Syllani erant. ID.

Non modo non existit] Emergit, exoritur, exurgit. IDEM.

Malleolo occiso] Oratorie pro mortuo occisum dixit. IDEM.

Quæ in istum valebant crimina] Apertius hoc postea picturus est Tullius. Etenim accusator Dolabellæ volens indice Verre uti contra Dolabellam, librum criminum omnium Verris et Dolabellæ Verri ostendit, et promisit hæc se crimina non ob-

jecturum, si sibi Verres et causam omnem Dolabellæ proderet, et testimonium adversus eum diceret: quare Verres Dolabellam, cui legatus, et pro quæstore fuerat, oppugnare compulsus est. Inimicos autem accusatoresque Dolabellæ, Cæsarem dicit: nam Scaurus Dolabellam alium accusavit, nec damnare potuit. IDEM.

Miser cum esset] Miserum pro innocente Tullius ponit. Sic alibi: *Et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint.* IDEM.

Cap. 16. *Brevitate orationis*] Nam tanto major fides acquiritur nostris criminationibus, quanto videmur, tragœdia prætermissa, veluti nuda propositione esse contenti. Velim tamen et in hac brevitate perspicias, non abesse Ciceronis studium τῆς αὐξήσεως. Idem egit ut quamvis proponeret, tamen acerbitatem mali facinoris extolleret. Ignem parum erat dixisse: subjecit *ex lignis viridibus*, quod est intolerabilius; addidit etiam *humidis*, quo spiritus magis magisque augeri solet: superposuit *in loco angusto*, ubi densior sumus animas haurientes urgeret. Post hæc deinde intulit: *Hominem ingenuum, domi nobilem, populi Rom. socium atque amicum, fumo excruciatum semivivum reliquit.* Totum si gradatim consideres, αὐξητικὸν est. Et nihilominus visus est tantum proposuisse, non et exaggerasse, cum robustius non potuerit augere. Ita si rem spectes, magna copia est: si verba numeres, summa brevitas. ANONYMUS, cujus primum scholia in lucem prodierunt opera Jac. Gronovii.

Ex communi calamitate] Ex Syllanis temporibus scilicet. Defensionem de Sylla exclusit, ne liceret illi dicere, Sylla mihi jussit, Sylla hoc fecit. ASCONIUS.

Circumscripto] Sublato, circumducto, ac prætermisso. Alias decepto significat. IDEM.

Posteaquam Cn. Dolabellæ] Ἀνακεφαλαίωσις de Dolabella: nam supra de ejus damnatione dicebat. IDEM.

Cap. 17. *Est alius mihi locus*] De signis scilicet. An peculatus, si hinc evaserit Verres? IDEM.

Æstimatum] Imposito pretio exactum, secundum legem repetundarum. IDEM.

Cap. 18. *Ita magni fluctus ejiciebantur*] Extra fines litoris exibant. IDEM.

Temporibus exactis] Mensibus exactis. ASCON.

Sacra putatur] Sic Virgilius, *Sacra mari colitur medio.* Elegerunt potius *sacra* dicere, quam id, quod in consuetudine est, *sacrata.* IDEM.

Ut ne Persæ quidem] Cyro, Dario, Xerxeque duce. IDEM.

Diis hominibusque] Quia non solum hostes erant, utpote barbari, verum etiam more gentis suæ nulla diis in terris templa condenda esse credebant, præsertim cum uni soli, quem venerarentur, vix mundus ipse sufficeret. Erant ergo et ædium sacrarum et simulacrorum eversores. IDEM.

Cap. 19. *Equos, muneraque*] Quærendum cur equos e cæteris muneribus separavit? an, quia Asiani magno pretio æstimant equos? IDEM.

Quem quondam in comitio vidistis] Licebat enim mutua hæc signa deportare Romam ædilibus, ad ornatum ludorum, et rursum sociis reportare: nec hoc crimen distulit in orationem, quæ est de signis: quia specialiter crimen et breve est, nec habet, quod adjici possit. IDEM.

Junonis Samiæ] Hinc Virgil. *Posthabita coluisse Samo*] IDEM.

Non ad prætorem, sed Romam deferri oportere] Atqui legimus, de Oppio et de Procilio, non apud populum Romanum depositas esse querelas, sed apud eos, sub quibus agebant aut quæsturam, aut legationem. Legatus autem Verres non Neronis, sed Dolabellæ erat. IDEM.

Cum obsignandi gratia venissem] Moris fuit, ut accusator obsignaret domum, et clausa omnia ejus, quem

accusaturus erat, ne qua furtorum indicia aut in vasis, aut in signis, aut in litteris constituta, ab eo removerentur. IDEM.

Ad omnes columnas] Locus intercolumnium dicitur. IDEM.

In sylva] In viridario. IDEM.

Sub dio] Id est, sub cælo. Cælum Græci τὸν δία dicunt: sed ita declinatur, hoc dium, hujus dii, huic dio, hoc dium, o dium, ab hoc dio IDEM.

Quamdiu alium prætorem] Metellum scilicet, cum judicibus, quos in horum locum, quemadmodum supra dixit, subsortitum se Verres esse credebat. IDEM.

Nostris testibus, quam horis] Usus est enim prima actione Cicero magis testibus suïs, quam temporibus, id est, sibi ad dicendum lege datis. ID. *Uti tuis horis*, perinde interpretor quasi dixisset, *tibi commodis*, vel, tempore tuis rationibus accommodato, et apposito. Ut sit, Posteaquam vidisti nos tantum nolle in accusando temporis consumere, quantum tibi commodum fuisset. HOTOMANUS.

Cap. 20. *Quæsitorem*] Legitur et *Quæstorem*. Si *Quæsitorem*, illum ipsum Glabrionem, cujus cura est, ut sociis omnia rapta reddantur; si *Quæstorem*, eum ad quem rediguntur pecuniæ ex proscripti bonis, et a quo sociis adnumerantur. Sectorem autem dicit æstimatorem redemtoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam ex ærario, vel sociis. Contra hos igitur jam pugnat Verres, inquit Tullius, subtrahens omnia signa, non contra me, qui illum, etiam subtractis signis, testimoniis tamen possum convincere. ASC.

Trierarchus] Navi triremi præpositus. *Triremis* ternos remorum ordines habet: ita et *biremis*, et *quadriremis*, et deinceps dicuntur. IDEM.

Quem omnia intus canere dicebant] Cum canunt citharistæ, utriusque manus funguntur officio. Dextra plectro utitur: et hoc est foris canere. Sinistra digitis chordas carpit; et hoc est intus canere. Difficile autem, quod Aspendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, sed omnia, id est, universam cantionem, intus et sinistra tantum manu complecteretur. Unde omnes quotquot fures erant, a Græcis *Aspendii Citharistæ* in proverbio dicebantur, quod, ut ille carminis, ita isti furtorum occultatores erant. Valet hoc proverbium et in eos, qui multum intestinis suis commodis consulunt præter honestatem. IDEM.

Artificio superasse] Ut interius positus esset, qui intus cantare consueverat. IDEM.

Pergæ fanum antiquissimum] Apparet oppidum Pergam vocari, cujus nominativus casus *Perga* est: ergo adverbium loci *Pergæ*. Fanum, religiosissimum templum unde fata petuntur.

Cap. 21. *Quid de L. Scipione*] De quo cum senatus ambigeret, utrum idoneus esset, qui in Asiam contra Antiochum mitteretur, P. Scipio Africanus, frater ejus, legatum se obtulit ad id bellum gerendum, et victoriam reportavit. IDEM.

Quid de L. Mummio?] Legatorum populi Romani violatorum causa bellum adversus Corinthum Græcam urbem gessit populus Romanus, eamque delevit duce Memmio. Cur autem Græcorum triumphorum ponit exempla? quia de signis loquitur, quorum copia apud Græcos est constituta. IDEM.

Omnes erant ejusmodi] Boni scilicet. IDEM.

P. Servilius] Bona occasio promerendi judicis cum obtestatione conjuncta: hic enim bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphavit captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis ejus terræ urbibus. IDEM.

Olympum] Id nomen bis restituo Ciceroni, fide Strabonis, *Geogr. lib.* XIV. pro quo Lambinus, Manutius, aliique maluerunt Olynthum. GRUTERUS. In eo quidem numero non

est Hotomanus, qui eum ipsum Strabonis, indicatum a Grutero, locum descripsit. Abundantibus otio multa de his rebus disseret Henr. Noris, in *Cenotaph. Pisan.* Dissert. II. cap. 11. OLIVETUS.

Legatus quæstorius] Legatum ex quæstore agens. ASCONIUS.

Per triumphum vexit] Ferculis enim signa ante triumphantem vehi per pompam solebant. ASCON.

Ad ærarium perscribenda] Hæc fuit veterum diligentia, ut, quod quisque de subjugata provincia per triumphum apportasset, perscriptum in tabulis in ærario reponendis conservaretur. IDEM.

Figuram, statum] Figura est circa gestum situmque membrorum: status circa ornatum et habitum vestis, insignium, et armorum. IDEM.

Certe major est] Non video, quid apportet hic sensus. Nihil enim mirum, diligentiorem esse Servilium, quam Verrem, si ita est. Nisi forte, quod ait, *Certe major est*, sic accipiamus, quasi dicat, Vere major est: et quod subjunxit, argumentem sit, virtutis, quam voluptatis, majorem esse fructum. IDEM.

Cap. 22. *Dices, tua quoque signa*] Oratoria πλάσει hanc sibi objecit quæstionem, quæ genus confessionis in se habet. Nam ædili atque prætori Hortensio, et item Metellis, rapta ex provinciis signa ad ornandum forum et comitium commodaverat Verres. Olim enim, cum in foro ludi populo darentur, signis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim e Græcia commodatis utebantur ad scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerant. IDEM.

Comitium] Locus propter senatum, quo coire equitibus, et populo Romano licet. IDEM.

Qui se judiciorum dominos] Hortensium, cæterosque nobiles. ID.

Ex Asia, atque Achaia] Unde fuerant ista signa per furtum sublata. ID.

Non arbitror illum negaturum] Nam solebant magistratibus commodari reddenda. IDEM.

Quoniam quidem cum imperio ac securibus] Ἐμπολὰ μετὰ συγχωρήσεως. Cum imperio ac securibus, bene: quia licet negotiari equitibus et privatis. IDEM.

Man. Lamb. *nomine, cum imperio et securibus, mercator.*

Cap. 23. *Habeo et ipsius, patris ejus accepti tabulas*] Id est, acceptarum pecuniarum. Legitur et *ab eo*, et *accepi*. Moris autem fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex quo appareret quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset quoque die, et quid item sumptus damnive fecisset. Sed postquam obsignandis litteris reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc vetus consuetudo cessavit. Dicit igitur Tullius, habere se et patris ejus tabulas, quoad vixit, et ipsius Verris, quoad confecisse dixit: ex quibus proditur, quam multæ tabulæ pictæ, quot signa apud eum, nulla emptionis origine, furto capta noscantur. Remoraturque in eo, quod se dicat Verres non ex aliquo tempore cœpisse litteras domesticæ rationis facere, sed ex aliquo tempore destitisse: quod factum nullo exemplo defendi potest. IDEM.

De M. Antonio] Hic est M. Antonius dissolutissimus curator totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus: de quo ipse dicet, *et post M. Antonii infinitum illud imperium senserant*: et quem Sallustius ait perdendæ pecuniæ genitum, et vacuum a curis nisi instantibus. IDEM. M. Antonium oratorem non existimatum esse tabulas conficere, scribit in ipsius persona Cicero de Orat. lib. II. cap. 23. De alio tamen Antonio locum Asconius interpretatur. HOTOMANUS.

Est aliqua etiam hujusce rei ratio] Vel mala, vel bona. Dicit ergo, etsi non bonam, apparet tamen esse aliquam rationem. Aut ipse hoc dicit. Bona ratio nunquam scribendi, judicium perseveraus de tabulis non conficiendis; aliquando cœpisse, cor-

rectio erroris in melius: destitisse cum cœperis, mala ratio: est enim inconstantia et mutatio quædam in deterius. ASCONIUS.

Usque ad M. Terentium, et C. Cassium consules] Ab horum consulatu videtur tabulas Verres rationum suarum destitisse consignare: quamvis a præsenti tempore non longe abest. IDEM.

Alio loco, cujusmodi sit, consideraburus] Scilicet ad tegenda furta pertinet ista prætermissio rationum, ne conscriptis iis, quæ habuit, et iis, quæ nunc habet, extraordinaria rerum possessio cerneretur. IDEM.

Atque utinam neges] Cum enim confiteris, etsi improbe, videris tamen aliquid dicere, cum dicis, Emi, non rapui. Si autem negaveris, et convinceris, et hujusmodi defensione nudaberis. IDEM.

Impluvium] Locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit. IDEM.

Quæ sectorem expectant] Repetundarum causa ita se habet, ut si convictus reus sit, atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est, in pretium redactis omnibus furtis: quam summam pecuniæ proscriptis ejus bonis sectores curabant. Sectatores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorem semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. Solet ergo hæc duo signa dicit apud Verrem relicta, asportatis ad amicos cæteris signis. IDEM.

Cap. 24. *At, credo*] Transitus ad aliam criminum speciem. Non enim hæc, quæ ante acta sunt, sic dicit, tanquam Siciliensia crimina, propria hujus cognitionis, quæ per singulos libros constat esse divisa, ut de jure dicendo, de re frumentaria, de signis, de suppliciis. IDEM.

Ad summum Græcorum otium] Dixit hoc secundum illam sententiam de Græcis habitam, quos otiosos et leves esse consensum est. IDEM.

Cum ista a Cn. Dolabella efflagitasset] Ergo non e republica ire coactus est, sed ut mitteretur ambitione perfecit. Nicomedes autem Bithyniæ rex est, Sadala Thraciæ, ambo socii populi Romani. IDEM.

Janitorem quendam] Janitorem cum dixisset, addidit *quendam*, ut ostenderet non appellativum nomen esse, sed proprium. IDEM.

Flagitiosæ] Flagitiose. GRÆV.

Videant] Si in promptu res. ASCON.

Investigent] Quam non videant. Et ideo posterius positum. IDEM.

Cap. 25. *Homo factus istius ad libidines*] In nascendo sors est, in faciendo industria. Bene ergo non natum, sed factum dixit. Non enim naturam perductores procreare Verri, sed ipsum sibi docendo post eos fingere. ID.

Ne quid in ipso se offenderit] Ciceronem ego scripsisse censeo: *Ne quid in ipso offenderit.* Delendum omnino τὸ *se*. Sic enim loqui Cicero solet. Est autem, ne quid commiserit quo Verrem offendisset. GRÆV.

Cum suæ partes essent.] Id est, vicissitudo tangeret. Simul enim ostendere vult, nec suscipiendum sibi esse nunc hospitem, et, cum suscipiat, condignum solere suscipere. ASCON.

Una cupiditate] *Una* vel præcipua: vel vere una. Extra quam non jure, non more, non honestate moveretur.

Cap. 26. *Jus suum*] Ne Rubrium pateretur. IDEM.

Laborabat] Bene, quia invitus susceperat hospitem se indignum. ID.

Quid opus esset] Ut mulieri scilicet vis afferretur. IDEM.

Græco more biberetur] Grandibus, inquiunt, poculis, et meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis: et hoc putant Græco more potare. Est autem Græcus mos (ut Græci dicunt) συμποσίῳ κυαθιζομένους, cum merum cyathis libant, salutantes primo deos, deinde amicos suos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties et deos, et caros suos nominatim vocant. IDEM.

Poscunt majoribus] Sunt, qui producta scilicet *O* littera *poscunt* legunt,

quasi Sæpe potant. Sed *poscunt* provocant intelligendum est. Ut sit sensus: provocant se invicem. Majoribus autem poculis poscunt a pincerna, id est petunt: ut subaudiatur bibere. IDEM.

Cap. 27. *Quærunt, quid optimum factu sit*] Adeo non Græca levitate res gestæ sunt, sed agitato consilio defensa libertas. ASCON.

Levius eorum peccatum] Magna vi oratoria, etiam parcere peccatum esse dicebant, inquit, quia Verri parcebatur, sed tamen leve, quia legato. IDEM.

Sic iste multo sceleratior, et nequior, quam ille Adrianus] Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, ut alii aiunt, legatus, ut alii putant, pro prætore, vel prætor, provinciam obtineret Africam, Uticæ in prætorio suo vivus ustus est, quod corrupto servitio civitatis illius de principum nece conspirasse diceretur. Sed opportune Tullius causam tacet illatæ necis in Adriano, et inultam mortem ejus ostendit: quem dicit oratorie non in hospitio, sed domi suæ vivum crematum. Et *ille*, sic dixit, ut de notissimo videretur loqui. IDEM.

Cap. 28. *Accensus Neroni*] Accensus nomen est ordinis, et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut corniculárius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. IDEM.

Interpellavit] Interpellare, est mediam alterius orationem interrumpere, vel actioni se alterius interponere. Apparet ergo Hortensium, quamvis diu multumque tacuerit, Tertium in medio testimonio perstrinxisse, quod diceret Philodamum adeo malam causam habuisse, ut a Cn. Nerone damnatus sit. IDEM.

Putasse non oportere] Reprehensio judicati ab ea parte, qua causæ derivatio facit, ne nobis judicata obsint. Non enim causam Verris relevatam esse, sed illos damnatos, quod quoquo modo occisum hominem esse constaret. IDEM.

Cap. 29. *Pertimuit iste*] Mire orator, non Verrem vindicare mortem Cornelii damnatione Philodami, sed crimen suum relevare voluisse. Quorum alterum injuriam passi est, alterum male sibi conscii. ASCON.

Contendit ab eo] Extorsit ei. IDEM.

Togati creditores Græcorum] Noluit dicere equites Romanos, sed togatos dixit, et creditores Græcorum, ut ostenderet causas Gratificationis in Verrem. IDEM.

Accusator apponitur] Non dicit accedit, sed a Verre scilicet subornatur. IDEM.

Ex creditoribus Lampsacenorum] Et hic causa gratiæ in persona ostenditur accusantis. IDEM.

Ut de Philodamo amplius pronuntiaretur] Mos veterum hic fuerat, ut si absolvendus quis esset, statim absolveretur: si damnandus, statim damnaretur: si causa non esset idonea ad damnationem, absolvi tamen non posset, *amplius* pronuntiaretur. ID.

Cap. 30. Man. Lamb. *in altera actione.*

Quid ego nunc in altera actione] Hic apparet, etiam in amplificatione sic alteram actionem dici, quemadmodum in comperendinatione. IDEM.

Cn. Dolabellæ spiritus?] Plus significat dicendo spiritus, quam si animositatem contentionemve diceret. IDEM.

Lamb. *concursiones*

Per paucis sententiis] Per nimium paucis sententiis eum dixit damnatum, ut ostenderet vix paucos inventos, qui ad opprimendum eum numerum damnationis implerent post ampliationem. IDEM.

Idcircone exercitum, atque hostem relinquebas?] Recte dixit: bellum enim a Dolabella gerebatur in Cilicia. ASCON.

Sed etiam spoliatum auxiliis] Auxiliis pro auxilio, quæstoris scilicet. Aut auxiliis ipsius pecuniæ, quæ avertebatur. Sic Virgilius: *Auxiliumque viæ veteres tellure recludit Thesauros.* IDEM.

Ad inimicos tuos] Accusatores, scilicet Scaurum.

Nisi damnato] Non posset enim rationes falsas ad ærarium referre Verres, nisi damnato Dolabella, qui redarguere mentientem præsens valeret. IDEM.

Cap. 31. *Testimonium* publicum *tuum, quod apud Neronem dixisti*] Contra Philodamum. IDEM.

Bellum ne populo Romano] Sic enim ad Neronem scripserat Verres. IDEM.

Nisi publice satisfactum sit] Nisi decreto publico traditi ad pœnam sint culpæ auctores. Satisfacere est enim, tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. IDEM.

Ei civitati bellum indici] Ut Corinthiis, ut Tarentinis. IDEM.

Lictorem tuum] Cornelium scilicet. IDEM.

Cap. 32. *Legitimum tempus ad ulciscendum*] An vitio magistratus? accepto enim successore ad magistratum accusari possunt. IDEM.

Cap. 33. *Et ais, judicium esse factum*] Locus reprehensionis contra judicatum, ne prosit Verri, Philodamum esse damnatum. ASCON.

In alios contulisse] Non in Philodamum. IDEM.

Neque in eos, quos tu insimularis] Dixeris, vel accusaris. Sensus hic est. Et alios, inquit, non Philodamum, accusasti: et ii ipsi, quos accusasti, damnati non sunt. IDEM.

Ubi hos persequeris] Subauditur, nusquam, ἐν ἐκκλησίᾳ.

Ab accusatore interrogatus] Verres scilicet, productus in causa Philodami, et interrogatus. Loqui enim nisi interrogato testi non licebat. Interrogatur autem et ab eo, contra quem productus. IDEM.

Cur imminuisti jus legationis] Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti majestatis læsæ, reus est. ID.

Quod his Ephesi] Ephesus civitas, in qua Dianæ numen peculiariter colitur. IDEM.

Sed etiam inter hostium tela] Invidiose orator hoc addidit, cum de magistratu dicat; non legato. Nam legatorum, in fœderibus faciendis, vel legibus pacis bellique dicendis, sancta corpora jure gentium atque inviolata servantur. IDEM.

Cap. 34. *De sua classe*] Habent enim Milesii præsidiariam classem, ex fœdere præbendam populo Romano maritimis necessitatibus. Myoparo navigii nomen est. ASCON.

L. Magio, et L. Phannio] Hi transfugæ facti a Mariano exercitu apud Mithridatem agentes, ab eodem rege ad Sertorium missi erant de paciscenda societate belli adversus Romanos: quos in Italia jam positos, et ad Sertorium festinantes, et hostes judicaverat, et inquirendos mandaverat senatus. Hi tamen ad ultimum ad Romanos, prodito ex magna parte Mithridate, redierunt. IDEM.

Usque a Dianio ad Synopen] Dianium Hispaniæ maritima civitas, Sinope Ponti est, ubi rex Mithridates erat. IDEM.

Renuntiationemque ejus] Quia renuntiaverat, navem a Verre L. Magio venditam fuisse. IDEM.

Cap. 35. *Non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt*] Sensus hic est. Non solum prohibitos se scribunt, sed cur se magistratus ipse prohibere curaverit, ne, cum oporteret, in litteras publicas referrent quod gestum esset. IDEM.

Qui, tametsi Februarium mensem] Hic est mensis, quo frequens senatus postulatis provinciarum, et legationibus audiendis datur. IDEM.

Et consulum designatorum nomen expectant] Et, *extimescunt*, legitur. Nam utroque verbo idem significatur. Hortensii autem et Metelli opibus dicit legatos Milesios posse terreri, ne de myoparone dicant, præsertim cum ad beneficia petenda venturi sint Februario mense, et in manu sit consulum, quando, et quemadmodum referant ad senatum. Et bene nomen consulum dixit, ut potentiam demonstraret eorum, quorum etiam nomen formidinem efficit. ID.

Religione adducti] Quia jurati tes-

tes produci solent, non solum, ne falsa dicant, verum etiam, ne, quæ vera sunt, taceant. IDEM.

Legum domesticarum metu] Patriæ suæ legum, quibus coguntur de incommodis patriæ non tacere. IDEM.

Cap. 36. *C. Malleolo quæstore Cn. Dolabellæ occiso*] Suspicioso verbo usus est oratorie. Nam non insistit, ut probet a Verre occisum esse: sed ita vult videri, quia Verri mors ejus lucro fuit. IDEM.

Alteram tutelæ] Filii Malleoli tutor factus est Verres. ASCON.

Syngraphas fecerat] Inter syngraphas et cætera chirographa hoc interest: quod in cæteris tantum, quæ gesta sunt, scribi solent; in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutoque Græcorum: et cæteræ tabulæ ab una parte servari solent; syngraphæ signatæ utriusque manu, utrique parti servandæ traduntur. IDEM.

Extrema cera] Ultima tabula, ultima parte tabulæ. IDEM.

Nomen infimum] Ultimum titulum. Infimum autem, ut appareat falsum esse. IDEM.

Expensa Chrysogono servo] Quæritur, cujus servo. Verris scilicet, non Malleoli. IDEM.

Quadrarint] Solida facta sint, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa. Ubi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcenta, detractis quadringentis, quadrare, et solidari, vel solida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur. IDEM.

Ut illa de Cn. Carbonis pecunia] Et, ibi enim sexcenta superfulsse, mentitus est. IDEM.

Cap. 38. *Commune Milyadum*] Mire, *commune*, rempublicam. ID. Non tam urbs, quam regio Mylias intelligitur, quæ ab angustiis apud Termessum et transitum Tauri ad interiora per eas angustias extenditur montana regio, usque ad Sagulussum, et Apameensium regionem, ut Strabo ait fine libi XIII. Incolæ in nummo Græco apud Golzium, et a Stephano de Urbibus dicuntur Μίλυες. GRÆV.

Frumento imperando, æstimando] Licebat enim magistratibus in usus suos frumentum accipere, si vellent, aut pro frumento pretium: quæ æstimatio dicebatur: in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando. ASCONIUS.

Coria, cilicia, saccos] Cilicia texta de pilis in castrorum usum, atque nautarum. ASCONIUS.

Dolabellæ æstimatam] Sub quo hæc quæstor Verres admisit. IDEM.

Consistam in uno nomine] Perseverabo, inquit, in eodem titulo quæstorii criminis. IDEM.

Ex eodem genere] Furtorum scilicet Verris. IDEM.

In sua potestate ac ditione tenuit] Obnoxium criminum conscientia, et societate cum reo Dolabella, cui pro quæstore fuerat, et legatus. IDEM.

Homo adolescens] Quia cupidius accusavit, quam graviorem virum decebat et dolosius: sed excusatur ætate. IDEM.

Eorum omnium voluntatem repudiavi] Quia non, ut Scaurus, adolescens accuso. IDEM.

Non accusatorem maxime laudari volo] Accusatorium nomen ita viro bono fugiendum est, ut aut dici omnino se accusatorem nolit, aut velit se non satis accusatorem videri. Tale est illud Terentianum: *Eia, ne parum leno sies.* IDEM.

Rationes ad ærarium] Quia redargui potuit earum falsitas, si ante damnationem Dolabellæ more quæstorum rationes ad ærarium retulisset. Sic enim fiebat simul ut de provinciis quæstores Romam rediissent. ID.

Proinde quasi exscribendi] Etsi occupasset accusator tabulas rei, aut amicorum ejus, tamen ad necessarios usus licebat exscribere, id est, exempla transferre. IDEM.

Qui nunquam rationes ad ærarium referat] Hoc ideo, quia nec supe-

fioris quæstoris, quæ cum Carbone fuit, rationes ad ærarium retulisset. IDEM.

Cap. 39. *Tribus versiculis*] Ait enim, Accepi, dedi, reliqui. IDEM.

Quæstorem se exspectare] Bini quæstores in Sicilia quotannis erant singulis prætoribus, Lilybætanus, et Syracusanus. IDEM.

Omen magis, quam causa] Omen, suspicium: causa, excusatio. Omen autem ideo dixit, quia ejus exemplum attulit Verres, qui pecuniatum repetendarum damnatus est. IDEM.

Fæce] Residuis sordibus. IDEM.

Nomina] Titali, et capita criminum. IDEM.

Quod minus Dolabella] In hoc capite, ut ostendat falsitatem rationem Verris, dicit, non convenisse summas Dolabellæ cum ipsius summis: in qua re vult credi, non Dolabellam, sed Verrem fuisse mentitum. IDEM.

Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ] Sordida lucra, et furta significat. Nam eæ sunt, quæ neque de redditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima accessione, ut donationis, aut hereditatis, verbi gratia, videntur adjectæ. ASCONIUS.

Hinc ratio cum Q. et Cn. Posthumiis Curtiis] Hi sunt qui extraordinarias pecunias Verris tractabant: quæ in tabulis Verris nunquam scriptæ sunt, ne se ipse proderet, ac pecunias tantas suis litteris indicaret. IDEM.

Hinc sestertium quaterdecies P. Tudio] Et hic extraordinariarum Verris pecuniarum susceptor esse ostenditur Græcorum testimonio. IDEM.

Assiduitate] Gronovius lib. IV. de pec. vet. cap. 9. ostendit *assiduitatem* esse illorum, qui quotidie comparent, et ob oculos versantur. Merito inter vias, quibus Romæ perveniatur ad honores, poni assiduitatem. Quod Cicero ipse pluribus interpretetur in orat. pro Plancio, cap. 26. et 27. et Quintus de petitione Consul. GRÆVIUS.

Cui sit data, nihil ad me] Oratorie, quæ probari non possunt, fingit se voluntate negligere. Terentius: *En, non dico: Quasi non noris, tentatum advenis.* ASCON.

Tabulas cum conficeres] Quo modo ergo dicit, Verrem tabulas non habere, sed aliquo tempore coepisse non scribere? Hæc ergo tempora rationis tabulas confectas habent. IDEM.

His expensum non ferres] Expensum ferre, est scribere, te pecuniam dedisse. IDEM.

Acceptum Curtii referrent] Accepisse a te se scriberent, expensum tulisse te sibi scriberent. IDEM.

Cap. 40. *Ut ex utroque genere*] Summa divisio accusationis præturæ urbanæ, et criminum C. Verris in duobus constituta, jurisdictione, et sartis tectis. IDEM.

Qui auspicato a Chelidone] Auspicari dicuntur ineuntes magistratus. Et quia Chelidon, id est hirundo, urbem frequentat, facete urbanam provinciam Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam. IDEM.

Cap. 41. *Neque census esset*] Neque centum millia sestertium possideret. Nam more veterum censi dicebantur, qui centum millia professione detulissent. Hujusmodi adeo facultates census vocabantur. Alii sic intelligunt: Neque census esset, hoc est neque census ejus in quinquennium illud esset factus, quorum annorum spatio instaurari census solet apud censores, quorum administratio per lustrum, hoc est quinquennium, extenditur. IDEM.

An tentatus] Tanquam scire quis vellet, qualem se prætorem fuerit præbiturus. ASCON.

Appellat heredem] Injuriosum verbum in persona prætoris. Appellatio enim est inferioris ad potiorem. ID.

Cum intelligam, legem Voconiam] Voconius legem tulerat, ne quis census, hoc est pecuniosus, heredem relinqueret filiam. Hoc ergo caput edicti est legem Voconiam probantis prætoris. IDEM.

Cap. 42. *Non improbum, non inofficiosum, non inhumanum*] Hæc enim testamenta non solent valere. Nam improbum, contra leges: inofficiosum,

contra merita: inhumanum, contra pietatem. IDEM.

Sua sponte scelerata, ac nefaria est] Maleficia sponte et non disputatione jurisconsultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, ut veneficium, parricidium, et cætera, quæ etiam nullo prohibente evitanda sunt. IDEM.

Cornelia testamentaria, nummaria] Lex Cornelia nummaria, quæ de moneta, ne quis privatus pecuniam faceret. IDEM.

Ex certo tempore] Ut et quod semper reprehensum est, tamen a certo tempore in judicium veniat, et a certo tempore plecti possit. IDEM.

Rata esse non patietur?] Hoc totum *ἐν ἐκπλήξει*, ut quasi per indignationem dici videatur, et interrogative. ID.

Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias] Istæ omnes de jure civili sunt, nihil continent criminum capitalium, publicique judicii. IDEM.

Cap. 44. *Bona fortunasque*] Bona in ipsis possessionibus, fortunæ in fructibus earum. ASCON.

Eripies igitur pupillæ togam prætextam?] Toga communis habitus fuit et marium, et fœminarum: sed prætexta honestorum, toga viliorum: quod etiam circa mulieres servabatur. IDEM.

Man. Lamb. *in foro esset relictum?* deleto *non*.

Hoc populus Romanus non manu vindicasset] Confusa locutio: abundare enim videtur *non*. IDEM.

Posteaquam jus prætorium constitutum est] Ex quo jus prætorium stabilitum est. Sic hoc dixit, quasi diceret, Post conditam urbem Romam, aut post hominum memoriam, ex quo est jus prætorium. IDEM.

Tum, uti proximum quemque potissimum heredem esse oporteret] Ut si is intestatus mortuus esset. IDEM.

Ita secundum eum possessio daretur] Quasi ab intestato agnati ejus succederent, quamvis diceretur testamentum fecisse, si tamen tabulæ non proferrentur. IDEM.

Et hoc vetus edictum, translatitium que est] Translatitia veteres dixerunt non nova, hec nuper inventa, sed aliunde translata. IDEM.

Cap. 45. *Si habuisset iste edictum*] Quale supra translatitium dixit esse. ASCON.

Lege ageret in hereditatem] Experiretur jure, quemadmodum probaret se heredem scriptum esse: et possessionem a prætore peteret. IDEM.

Aut pro præde litis vindiciarum, cum satis accepisset, sponsionem faceret: ita de hereditate certaret] Aut peteret, inquit, ut possessor esset: aut acciperet ab adversario satis pro præde litis vindiciarum, et ipse sponsionem faceret: et ita de hereditate certaret. Lis vindiciarum est, cum litigatur de ea re apud prætorem, cujus incertum est quis debeat esse possessor. Et ideo qui eam tenet, satisdat pro præde litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. Rursus sponsione ipse provocatur ab adversario certæ pecuniæ, aut æstimationis: quam amittat, ni sua sit hereditas, de qua contendit. Prædes ergo dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est: ne interea qui tenet, diffidens causæ, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, et culta deserat. IDEM.

Si possessor, sponsionem non faciet] Subauditur, est; hoc est, si possessor est, sponsionem non faciet. IDEM.

Quid id ad prætorem?] Bene dixit. Cum enim incertum sit, cujus debeat esse possessio; cur prætor dicat, Si possessor est, quasi jam probaverit possessorem esse eum, qui incubavit? Ergo, a quo pretium accepit, possessorem illum vocat, et vetat eum facere sponsionem; et cum in possessionem mittere prætor ipse deberet; quem nondum misit, jam possessorem appellat. IDEM.

Ergo quia possessor est, non moves possessione: si possessor non esset, non dares] Contrarium posuit, ut ostenderet improbitatem gratificati præ-

toris. Ergo nec adimere tibi licet possessionem incubanti, nec dare jure poscenti; quod cum utrumque fieri oporteat, cur hunc possessorem nominas, a quo corruptus es, quasi eum, quia possessor dicitur, movere de possessione non posses? IDEM.

Si de hæreditate ambigitur] Caput est edicti Verris. IDEM.

Hoc translatitium est] Ciceronis verba sunt. IDEM.

Qui se dicat heredem esse] Verba Verris injusta. *Dabo*, inquit, si quis tabulas testamenti bene obsignatas protulerit. Sequitur, Non dabo, inquit, si se tantum heredem factum esse dixerit, quamvis ille testamentum non proferat. Apparet, Verrem contra Minuciam gentem fuisse corruptum ab eo, quem ante possessorem appellat in edicto, quam ei possessionem paratus est dare. IDEM.

Ipse in Siciliensi edicto] Figura prolepsis. Non enim adhuc pervenimus ad Siciliam: cujus crimina, in accusatione futura sunt: in tempore, præterita. IDEM.

Cap. 46. *Capite Anniano*] Proprie juris capita dicuntur. IDEM.

In quibus ita intercessit] Intercedere, ut vides, etiam prætor prætori solet, ut Piso Verri, appellatione causæ ad collegam facta. ASCON.

Quam plena ac referta Chelidonis] Plebeia quædam clientula Verris Chelido fuit, quæ illum etiam moriens fecit heredem: qua causa impune illam meretricem appellat orator. ID.

Cap. 47. *Tribunus plebis*] M. Lollius Palicanus. IDEM.

Cujus rei] Non in eodem negotio, sed generaliter, cujus criminis, id est crudelitatis. IDEM.

Suo tempore] Cum agetur de suppliciis. IDEM.

Viros bonos, et honestos] Quo modo igitur fallunt mortui voluntatem, cum ad Verrem adeunt? an vetuste bonos pro magnis, honestos pro divitibus posuit? an bonos et honestos, ut ipse crediderat? IDEM.

Dat eis possessionem] Injuste. Aut enim solvi potius debuit testamentum, quod contra legem Corneliam factum fuerat: aut integrum cum voluntate mortui permanere. IDEM.

Lex est: pœna est] Accusetur, inquit, cum fecerit, et damnetur: hoc prætoris est: non, prohibere ne faciat. Qui enim jus dicit, factorum judex est, non futurorum, duntaxat in civilibus causis. IDEM.

O modestum ordinem] Quia ordinem dixit, equitum Romanorum ordinem dici quidam putant: sed libertinos significat: quorum non conditionem, sed more suo, quasi honestorum, ordinem vocat. ASCON.

Cap. 48. *C. Sulpitius Olympus fuit*] Vetus locutio. Eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum. ID.

Ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat] Edictum in causa veteri novum adhuc ostendit, ut nummarium probet. Nam ex ipso negotio videtur edixisse Verres, ut omnis libertus non patrono tantum, sed etiam patroni filiæ sextam relinquat hæreditatis. IDEM.

L. Gellius] Sine ornamentis nomen posuit, quia per se clarum est consularis et nobilis viri. IDEM.

Adventitia] Quia ab alieniore hereditas veniebat. IDEM.

Cap. 49. *Non alienus a matris ejus genere, et nomine*] Qui putant εἰρωνικῶς pronuntiandum, non vident contra testis suæ dignitatem nunquam dicturum Ciceronem fuisse. Ergo simpliciter accipiendum est. Vult enim patrem Verris divisorem fuisse, matrem honestiorem intelligi. IDEM.

Tabulas protulit] Per quas probavit abisse a se pecunias certis nominibus inscriptas. Non enim Verres scripserat se accepisse: sed illo tempore, unde, et quo modo, et per quos dederit, scriptum in tabulis ostendit. IDEM.

Quo maximarum rerum frequentissimæ quotidie advocationes fiunt] Vel uti consulatur convenientibus advocatis, vel ut alterutri parti apud arbitros adsint, vel ut ipsi judices in rem aliquam capiantur. ASCON.

Cap. 50. *De sartis tectis*] Harum

serum cura propria censoribus datur, id est sartorum tectorum exigendorum. Verum hæc tueri et procurare, cum cæteris item tum publicis, tum privatis operibus ædilium cura est annua. Prætores, nisi senatus decrevit, de hac re minus laborant. ID.

Sine ullo intertrimento] Detrimentum vel unius partis dici potest: intertrimentum non ad unius partis spectat, sed dantis et accipientis. IDEM.

Cap. 51. *Nullam esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit*] Perpendiculum, linea laterum æqualitatem a summo ad imum latitudine probans. Hoc autem cum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetustis, ubi tumoris est aliquid, evenit, in quibus aut media, aut ima crassiora sunt. IDEM.

Sartis tectisque dominata est] Addidit, *que*, ut esset plenum dictum, nam *sarta tecta* dicuntur. ASCON.

Cap. 52. *Eques Rom. publicanus*] Aut potius parcus et attentus, quo magis indignum sit ad meretricem venisse. IDEM.

Cap. 53. *Etenim judicium id, quod prope omnium fortunarum*] Causam Mustius pecuniariam habuit Tullio defendente: cujus oratio non est edita. IDEM.

Cap. 54. *Foro ornato*] Hoc fieri ludis solebat, qui in foro etiam tum dabantur. IDEM.

Renuntiat Rabonius] Renuntiat, irritam nuntiat. IDEM.

Ab eo mancipe, quem ipse apposuisset] Rabonio scilicet fabro. ASCON.

Veteratorium] Acutum, callidum. ID.

Quod est igitur remedium? quod?] Repetit *quod*, ut deliberantis cunctatio videatur inesse verbis ejus. IDEM.

In bonis prædibus, prædiisque vendendis] Bona prædia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata: prædia vero domus, agri. Hæc omnia venduntur, si rationi publicæ locator sartorum tectorum non responderit. Ad hoc autem hæc omnia sunt obnoxia, ut pro sua voluntate agat redemptor operis quidquid suo periculo facit. Tu autem Verres, cum ego populo Romano sim obnoxius et prædibus, id est fidejussoribus, et prædiis* appositis, tu mihi non exactor sis operis, sed dominus voluntatis. IDEM.

Ut optima conditione sit] Ad hoc, inquit, astrictus redemptor tenetur populo Romano, ut optima conditione, quod vult, de redemptione sua agat. Et tu eum excludis, quem solum admitti oportuit: ut ad ejus pecuniam, ac sumptum operis, quem illi imperaturus es, alius accedat. ID.

Prædibus et prædiis] Prædia sunt res ipsæ: prædes homines, id est, fidejussores, quorum res bona prædia uno nomine dicuntur. IDEM.

Populo cautum est] Ærario scilicet. IDEM.

Cap. 55. *Ex opere faciendo, quæ pupilli Junii*] Ant. Augustinus optime, sive ea conjectura sit, sive antiqua lectio. *Lex operi faciendo pupilli Junii, quæ? dic, dic quæso clarius.* Confirmatur hæc lectio antiqua inscriptione Neapolitana, quæ totum hunc locum mirifice illustret. *Lex parieti faciendo, &c.* Unde apparet *operi* legendum esse, non *opere* URSINUS.

Corriguntur leges censoriæ. Quod enim video] Non εἰρωνικῶς pronuntiandum. ASCON.

Socium ne admittito] Eum qui tradere ædem debebat. IDEM.

Neve partem dato] Aliud enim socius, aliud particeps. Nam particeps qui certam habet partem, et non indivise agit, ut socius. IDEM.

Neve redimito] Ne ipse iterum a se redimat, aut per suppositam personam, ut alter ei redimat. IDEM.

Cujus prædia subierant periculum] Satisdatorem dicit fuisse D. Brutum. IDEM.

Si quid operis causa rescideris] Satisdet damni infecti redemptor novus

---

* *Appositis*] *Lege*, oppositis. Opponere enim *nonnunquam est pignori dari apud Catullum et alios.* GRÆV.

veteri, si quid pro necessitate operis in æde læserit. IDEM.

Cap. 56. *Qui redemerit*] Rabonium significat. ASCON.

Qui a vetere redemptore acceperit] Pupillum dicit. Huic jubet satisdare Rabonium, hoc est, ipsum sibi. Nam cum sit tutor pupilli, utrobique res ejus agitur. IDEM.

Hoc opus bonum suo cuique] Verbum est res diversas simul comprehendens, hoc est bono latere, integris mensuris, apta arena, utili calce, machinis idoneis, proba materie. ID.

Manupretii Machinæ] Manupretium dicitur, ubi non tam materiæ ratio, quam manus atque artis ducitur. IDEM. Corrigendum, *manupretium*, in recto casu, ut sit, *Quantum abstulit mercedis manupretium machinæ.* HOTOMANUS.

De populo accedere] Huc usque a capite, quod est, *At enim*, interrogative pronuntiandum est: et contra responsive, *Omnes rejecti sunt.* Omnia, inquit, facta sunt, ne quis de populo redemptor fieret, qui aut pupillo parceret, aut conscius prædæ prætoris esset. Sed quæritur, qui fieri potuit, ut, cum ex Idibus Septembribus in Kalendas Decembres diem operi faciendo præstituerit, omnes angustiis temporis excluderentur, in tanta facilitate operis faciendi, quantam ipse ostendit, cum diceret, minus esse operis illas quatuor columnas reponere, quam unam ab integro novam efficere. Respondetur, Ciceronem impensam operis parvam putare, non moram. Sed has, inquit, angustias temporis non timuit Rabonius propter convenientiam Verris. ASCON.

Cap. 57. *Istam diem quo modo assequitur*] Quo modo accurrit ad diem? IDEM.

Neque Kalendis Decembribus, neque Nonis, neque Idibus] Religiose in me* nominat vultu * divo * novit Idus Kalen.* Cicero Nonas addidit, quamvis hoc pronuntiatione solvatur. Et cum irrisione hoc dici videre possumus. IDEM. Subtilissime locum hunc interpretatus erat Asconius: quemadmodum quidem ex ejus verborum vestigiis suspicari possumus. Sed verba prope omnia in iis quidem libris quos vidimus, interciderunt. Hanc tamen illorum fuisse sententiam suspicamur: Religiosis diebus vim cuiquam fieri non licebat. Idcirco Kalendas et Idus nominavit, cum diceret Rabonio molestum neminem fuisse. Nam Idus Jovi, Kalendæ Junoni dicatæ sunt. Nonas tamen, qui dies feriatus non erat, etiam nominavit: opinor, per occasionem inductus aliorum similitudine dierum solennium. Tametsi hæc ipsa actionis ratione, ac pronuntiationis, per irrisionem dici satis intelligi posse arbitratur Asconius. Sed de actione judicare ipsi aut perquam difficulter, aut nullo prorsus modo possumus. Historiam quidem ex Macrobii Saturnalium libro primo repeti potest. HOT.

Putabat se aliquid defensionis habiturum] Ut diceret, adeo nullum apposui redemptorem, ut post diem præstitutum operi non ab eo susceperim opus, nec in acceptum retulerim. ASCON.

Ut uno minus teste haberet] Ut de tot, qui contra se sunt, testibus unum Rabonium detraheret. Cum die cæteros exclusisset, tum in ejus arbitrium ac potestatem venire volebat. Præstituendo diem angustissimam operi, duas res assecutus est Verres, inquit: et cæteros exclusit conditione temporis, et ipsum Rabonium in sua potestate habuit: qui videbat quidem sibi prædam eripi a Verre, sed non se commovebat metu temporis præfiniti. IDEM.

Qui sibi ereptam prædam arbitraretur] Rabonius scilicet, qui a Verre sibi arbitraretur lucrum redemptionis ereptum. ASCON.

Quod jam iste referre *non poterat*] Nimis enim erat invidiosum. IDEM. In libro Asconii, *referre*. Quod quemadmodum convenire possit, non despicio. Horum autem verborum sensus hujusmodi; Quoniam tantam Bruti contentionem diutius ferre non poterat, &c. HOTOMANUS.

Tabulæ] In quibus scriptum est, ad Verrem pecuniam pervenisse, quam Rabonius tutor pupilli nomine dedit Verri, tanquam si ipse a pupillo acciperet. Ascon.

Cap. 58. Lamb. *et stetisse cum patruo.*

Gracchi credo, aut Saturnini] Seditiosorum Tribunorum plebis. Idem.

Sine bulla] Simul cum prætexta etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, quasi bullientis aquæ sinus communiens pectusque puerile. Id.

Cap. 59. *Dubitamus, quid iste in hostium præda molitus sit*] Scilicet, cum piratarum navem cepit, et prædam omnem ad se avertit. Idem.

Ex L. Metelli manubiis] Ex æde Castoris, quam de manubiis L. Metellus extruxerat. Qui Metellus subactis Dalmatis Dalmaticus appellatus est. Manubiæ autem sunt præda Imperatoris pro portione de hostibus capta. Idem.

A signo Vertumni in circum maximum] Signum Vertumni in ultimo vico Thurario est, sub basilicæ angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem. Vertumnus autem deus invertendarum rerum est, id est mercaturæ. Circus autem maximus, est idem, in quo nunc Circenses spectantur. Idem.

Quam tu viam thensarum, atque pompæ ejusmodi exegisti] Sic exegisti. Exigere viam dicuntur magistratus, cum viciniam cogunt munire quam diligentissime sumptu facto. Thensæ autem sunt sacra vehicula. Pompa ordinum et hostiarum. Thensas alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere qui eas deducunt. Orbita autem duas res significat. Nam orbita et rota ipsa intelligitur, et vestigium rotæ in molli solo. Ascon.

Cap. 60. *Intercessit contra legem Corneliam*] Ut tribuni plebis aliorum quoque magistratuum capessendorum potestatem haberent, persuasisse dicitur hanc legem Opimius. Idem.

Contra alicujus hominis nobilis voluntatem] Catulum significat, qui tunc princeps fuit Syllanæ factionis. Idem.

Paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes] Catulum, Hortensium, Curionemque significat. Idem.

Manubias detrahere conatus sit]Spolia quæsita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant: et erat imperatorum hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent. Idem.

Cap. 61. *Nam de subsortitione illa Juniana, Judices, nihil dico*] Sortitus erat judices prætor Verres in judicio, quo Oppianicus accusatus est a Cluentio. Rejectione utrinque facta, subsortitus est in eorum locum Verres, ut mos est, alios. Damnato Oppianico, cum in invidia res esset, quod pecunia reus videretur oppressus: et princeps illorum judicum damnatus esset Junius, quod diceretur alios supposuisse, qui reum damnarent, non eos, quos prætor fuerat subsortitus: etiam Verres ipse, ut hæc invidia adversus Junium vera videretur, sustulit quos in suis tabulis habebat, et alios in litura scripsit, et obsignavit annulo non solum suo, sed etiam scribæ sui. Quem furtorum participem suorum, et divitem fecerat, et annulo donaverat aureo. Idem.

Ejusdem modi subsortitionem homo amentissimus suorum quoque judicum fore putavit] Obscurus locus, sed, ut opinor, hic sensus est. Putavit, inquit, Verres eodem loco supponi potuisse judices, qui se corrupti absolverent, quemadmodum suppositi erant, qui Oppianicum condemnarant. Nam Q. Curtius, sodalis ejus, judex quæstionis, subsortiebatur in locum rejectorum, quos iste redemerat, improbos judices, quibus ad venales sententias proferendas ultimo die subjectis uteretur. Facile autem pro veris judicibus improbi supponi poterant volente hoc judice quæstionis, et illis patientibus, qui veri judices erant: quia nisi citati non con-

sidebant, et grave onus erat, et incommodum judicare. IDEM.

Q. Curtium judicem quæstionis] Apparet hunc post hoc factum a Cicerone esse rejectum convicio populi, qui in corona aderat. IDEM.

Ex hac decuria nostra] Decuriam modo ordinem, ac per hoc ex vobis: quia honestiorum decuriæ, inferiorum centuriæ dicebantur. IDEM.

Cujus mihi potestatem largissimam fieri oportebat] Quæ scilicet non fieret, si pro vobis alii subjicerentur. ID.

Quos iste annuerat] Quasi diceret, suggereret. ASCON.

Sine causa] Non rejectis scilicet iis, in quorum locum alios subsortiebantur. Hoc est, unoquoque vestrum nobis manente, neque rejecto. IDEM.

ACCUSATIONIS
IN C. VERREM
LIBER SECUNDUS.
DE JURISDICTIONE SICILIENSI.
ORATIO VII.

ARGUMENTUM.

Hæc sine dubio ad accusationem propositi criminis spectat Oratio. Nam in superiore anteactæ res sunt expositæ: quæ quia magis adjuvant accusationem, quam ipsæ sint principales, in unum librum coactæ sunt judicio Ciceronis cursim enumerantis, quæ Verres quæstor, quæ pro quæstore, quæ legatus, denique prætor urbanus admiserit. Ubi ventum est ad causam ipsam, et Siciliensia crimina, quatuor libros edidit, unum de jurisdictione, alterum de frumento, tertium de signis, quartum de suppliciis: in qua distributione non ordo temporis, sed facinorum genera, et momenta servata sunt. Incipit autem a laude Siciliæ, et egreditur ad crimen Dionis, deinde Sosippi, et Epicratis. Sed de jure Siculorum everso frustra quidam Ciceronem reprehendunt, quod non inde cœperit: cum superiora crimina non egeant ejusmodi tractatu, qui ad sequentia pertinet: et oratoris consilio a magnis iisdemque clarioribus sumendum esset exordium. Itaque post hoc, duo criminum genera persequitur ad extremum. Primum de Heraclio, de expressis honoribus ab invitis, de Epicrate Bideno, deque rebus capitalibus, ubi de Sopatre, de Sthenio: quæ omnia sunt de jure dicundo. Alterum de senatoribus, de sacerdotibus, de censoribus pretio a Verre factis, de collatione in statuas, de publicanorum cum Verre convenientia in furtis, de tabulis Carpinatii pecunias Verris extraordinarias continentibus. Genus causæ in omnibus Verrinarum libris admirabile. Status principaliter conjectura. ASCONIUS.

Cap. 1. *Ea me ad hoc negotium provincia attraxit*] Hoc vero plus est, quam quod in Divinatione dixit, *Suscepi causam Reipublicæ.* ASCON.

Princeps Sicilia] Tum cum Messana civitas seditione divisa, auxilium contra Hieronem per legatos a populo Rom. petiit: quod initium fuit discordiæ. IDEM.

Nunquam postea deficerent] Apparet, quia post societates et amicitiam firmatam nihil tale commiserant. ASC.

In amicitia perpetua manerent] Quæ nunquam defecerant. IDEM.

Cap. 2. *Signis, monumentisque pulcherrimis*] Præparatio ad librum de signis. IDEM.

Denique ille ipse M. Marcellus] Hic imperator cum esset, vicit, cepitque Syracusas, et victis pepercit. IDEM.

Quæ cum manu munitissima esset] Ne quis diceret, Non fuit quod timeret. IDEM.

Cum vi consilioque cepisset] Ne quis diceret; Non potuit hostium urbem Syracusas expugnare. IDEM.

Quando illa frumentum] Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. IDEM.

Italico bello] Sociali. ID.

Cap. 3. *Quæ forsitan ne sentimus quidem, Judices*] Quædam commoda ita, ut non sentiantur, alia consequuntur, ut sanitatem integritas virium. Sentimus autem, si illa subtrahantur. Cujusmodi est, quod nunc dicit, negotiatores Romani lucra faciunt, et locupletes sunt de opportunitate Siciliæ. ID.

Illam veterem] Bonam consuetudinem. ID.

Non hanc, quæ nunc increbruit] Malam. ID.

Neque publicanus, neque negotiator] Odiosissima hæc sunt Romanorum hominum per provincias nomina. IDEM.

Aram legum] Tribunal prætoris, ac subsellia judicum. ID.

Publico consilio] Quia non potest negari, fuisse illos accusatores M. Lepidi: addidit, *publico consilio:* quasi illud non omnes tunc fecerint. ASCON.

Tametsi illum annum] M. Lepidi prætoris, qui accusari coeperat a duobus Metellis, Celere, et Nepote, qui cum legibus interrogassent, victi ejus apud populum gratia destiterunt. IDEM.

Ut bis ex ea familia] Semel, quod proavus conservavit victor Syracusas: iterum, hic pronepos magistratu suo Siculos recreavit. IDEM.

Et postea M. Antonii] Hic est M. Antonius, qui gratia Cottæ consulis, et Cethegi factione in senatu, curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ, Siciliam et provincias omnes depopulatus est: et ad postremum inferens Cretensibus bellum morbo interiit. ID.

In neminem ante hunc] Recte: quia Lepidus legibus tantum interrogatus, nec dum etiam cœperat accusari. IDEM.

Cap. 4. *Postulata consulibus, quæ non postulata*] Ne ipse in Verrem concitasse Siculos videatur, voluntatem eorum contra Verrem cum multis aliis rebus esse monstratam dicit, tum etiam quia petitiones ad senatum per legatos Siculi tales miserunt, ut non tam beneficia postulare, quam hujus injurias describere viderentur, ut puta cum petunt, ne rei fiant absentes, quia Sthenius apud Verrem hoc passus fuerat. Et alia hujusmodi. IDEM.

A quo, mea longissime ratio] *A quo*, a qua re, a quo negotio, accusationis scilicet. IDEM.

Publice, privateque] Aut legati, aut suas injurias persequentes. ID.

At quemadmodum judices venerint] Obscurus sensus, et per hyperbaton cum parenthesi, figura, et novo modo, in sententia magis, quam in verbis explicatur. Est enim sensus hic: At quemadmodum judices venerint, id est, quam animose contra Verrem, ex hoc cognoscite. Et docet, quoties deterriti, et per quos, et quibus minis, accusandi tamen Verris non deposuerint voluntatem. IDEM.

Saluti enim potius illorum consulam, quam voluntati] Hoc ideo, quia contra Metellum dicturus est Siciliæ nunc prætorem. IDEM.

Quæstores uriusque provinciæ] Duos quæstores habet Sicilia, Lilybætanum et Syracusanum. Nam prætori una provincia est, quæstori duæ. ID.

Præsto fuerunt] Ut impedirent scilicet meam inquisitionem. Sequitur enim, *Non minus acres contra me fuerunt*. Apparet, cum triennio Si-

etiam tenuerit unus Verres, quæstores tamen per annos singulos huic esse mutatos. IDEM.

Prætorem vero] Ipsum Metellum, successorem Verris. IDEM.

Cap. 5. *Una opera*] Quod Romam venerunt, aut quod processerunt in conspectum judicum. ASCON. Omnia hic integra, sed Asconii interpretatio in hunc locum mihi vitiosissima videtur. *Una opera*, inquit, *quod Romam venerunt, aut quod processerunt in conspectum judicum.* Nihil falsius. Ad hoc enim missi erant, ut laudarent Verrem, atque ad hanc unicam operam destinati: sed ea duplex facta est, dum et sua a Verre repetunt, et ipsum laudant. NANN.

In laudando atque repetendo] Accusando repetundarum. ASCON.

Qua ratione isti amica sit] Ob remissa munera, societatemque prædarum. IDEM.

Alia civitas nulla, Judices, publico consilio] Scilicet laudant aliæ, sed non publico consilio, per privatos testes: supra enim dixit, *Præter duas civitates*, Mamertinam scilicet, et Syracusanam. IDEM.

Vis illa summi imperii] Metelli prætoris in Sicilia, et Romæ fratris ejus Metelli, alterius prætoris urbani, alterius consulis cum Hortensio. ID.

Injussu populi ac senatus] Magnifice, cum de miserrimis et tenuissimis oppidis Siciliæ loquatur, tamen dicit et populum, et senatum. ID.

Testimonium publicum, mandataque acceperant] A suis civitatibus scilicet. ID.

Usu venisse] Contigisse. ID.

Cap. 6. *Statim Romæ, et ad urbem*] Præturæ jus. Omnis enim magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiam si administrator ejus Romæ est, ad urbem dicitur. Sallustius: *Ii utrique ad urbem imperatores erant.* ID.

Maximam uno anno pecuniam facere posset] Cur uno anno? an quia divinabat, Arrio sibi non successuro, per triennium se fuisse in Sicilia futurum? ID.

Cum videret in foro latrocinia] Furta in æde Castoris, ac pro Rostris. ASC.

In quarto actu improbitatis] Fabula, sive tragica, sive comica, quinque actus habere debet. Ergo et mire transtulit: et significatur, administrationes in republica Verris infames, tanquam scenicos actus, spectaculo omnibus fuisse. ID.

Cap. 7. *Non solum genera furandi, sed etiam nomina*] Species negotiorum hominumque significat. ID.

Quas ego istum in Italia scripsisse arbitror] Quasi in navi scribere non potuerit. Sed hoc eo dicit, quia constat Verrem negotia Siciliæ extra Siciliam didicisse. ID.

Sacerdote prætore] Hic et temporis admonitio est, et argumentum calumniæ Verris, de qua Sacerdos nihil contra heredem statuerit. ID.

Quadruplatores] Accusatores, sive delatores criminum publicorum sub pœna quadrupli: sive, quod ipsi ex damnatorum bonis, quod accusaverant, quartam partem consequebantur. ID.

Cap. 8. *Ad urbem*] Jam supra diximus, *n.* 37. quid intersit *ad urbem*, et *in urbe*. ID.

Is, qui Erycinum montem obtinebat] Lilybætanus scilicet quæstor, non Syracusanus. Nam hos binos quæstores annuos habuit Sicilia. ID.

Excursor et emissarius] Sic vocantur conciliatores furtorum, quæ a magistratibus committuntur, atque internuncii. ID.

Paulo tamen consideratiorem] Si consideratiorem, inquit, aliquatenus calumniatorem quæreret, reperire non posset. ID.

Veneri absolvit, sibi condemnat] Sensus hic est: ita Verrem in causa bona tamen prædatum, quasi minus damni esset, si Dionem Erycinæ Veneri addicere voluisset. ID.

Quod non debebatur] Mire preseveravit in causa, ut ostenderet calumniam fuisse prætoris. ID.

Quid ipsius Q. Cæcilii Dionis] *Ipsius*, honorifice positum est, quasi alicujus magni hominis. ID.

Qui tum in Macedonia fuit] Pro consule scilicet: nam, ut opinor, Curioni successerat. Ascon.

Sed legis exceptio?] Qua non licet ut testimonium defensori denuntiet accusator. Id.

Cap. 9. *E Chelidonis sinu*] Alludit ad nomen quod hirundo, quam Chelidona Græci vocant, veri, id est tempori veris, sit amica. Id.

Si commissum quid esset] Commissa dicuntur, quæ contra testatoris voluntatem, facta, aut non facta ab herede, mulcta aliqua pœnaque plectuntur. Id.

Ipso vigesimo anno] Præscriptio temporis. Id.

Cognoscit] Jam primum hoc peccatum. Id.

Ab duobus fratribus] Pares voluntate videri vult, in pari damno: et non unam partem hereditatis ablatam, sed duas partes.

Cap. 10. *At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit*] Conjecturæ status. Id.

Tentatur] Mire contra Hortensium, qui improbos sæpe defendit. Id.

Verres calumniatores apponebat] A summo ad imum, hoc est a primis ad postrema. Idem.

Volcatio sese dicunt dedisse] Tollit conjecturam, causam quærit. Idem.

Ecquis Volcatio] A persona. Idem.

Veniat nunc] A consequentibus. Id.

Sed cum ob tua decreta] Collectio. Idem.

Centum cohortes fugitivorum fuissent] Propter Athenionem dicit, qui dux fugitivorum per Siciliam fuit. Id.

Sed in tua manu numeratum] Diffinitive. Idem. Vulgo, *sed tua manu.*

Nam si hanc defensionem probabitis] Admittetis, accipietis. Idem.

Non accepit ipse] Sed non accepit ipse. Idem.

Licet tollatis] Pro eo quod est, jam tollite. Idem.

Ad Q. Mucii innocentiam referatur] Q. Mucius Asiam singulariter rexerat, adeo ut dies festus a Græcis in honorem ejus constitueretur, qui diceretur Mucia. Idem.

Cap. 11. *Missos faciamus*] Dimittamus a nobis de provincia, eorumque opera non utamur. Ascon.

Rationem reddendam nobis arbitremur] Accusari nos posse credamus. Idem.

Et eos in concione] Quædam præmia et honori, et lucro sunt ut hastæ, vexilla, faleræ, coronæ civicæ; at annuli aurei ingenuitatis signa et liberationis a cura invictæ publicarum. Idem.

Cap. 12. *Qui judicia dant*] Prætorum. Idem.

Si, cum hæc a quopiam vestrum petita sunt, prætor improbus, cui nemo intercedere possit] In provincia scilicet; nam Romæ appellari tribuni possunt contra omnem potestatem. Idem.

Ut prætor in ea verba judicium det] In verba litis jure composito. Idem.

L. Octavius] Verbi gratia hunc dicit, qui nunc in numero judicum sedet, subtiliterque laudat. Idem.

L. Octavius Balbus judex, homo, &c.] Hæc sunt exempla verborum, quæ in verba judicium dare fingit prætorem improbum. Idem.

Juris et officii] Jus ad doctrinam pertinet, officium ad virtutem. Idem.

L. Octavius Balbus judex esto] Judicio suo fungatur Balbus in Servilium. Idem.

Si constat (vulgo, *si paret*) *fundum Capenatem P. Servilii esse, neque is fundus restituetur Catulo*] Cujus non est. Memento autem, judices præsentes esse, quorum nominibus utitur ad exemplum. Idem.

Neque is fundus restituatur] Hoc significat, Coge, ut restituat. Id.

Aut condemnare eum quem non oporteat] Quia de fundo exemplum dederat, subjecit clausulam etiam de condemnatione. Idem.

Si non accipit, quod te debere dicis, accuses: si petitur, ducas] Sensus hic est: si non acceperit creditor, quod se debere debitor dicit, accusetur: si petitur, condemnetur; idem scilicet. Ascon. Ex verbis Asconii videor mihi colligere, eum non *petitur*, sed

petitor legisse, cum inquit, *et accusari eum qui petitor esset.* Quamobrem nescio an ad istum modum legi oporteat. *Si non accipit, quod te debere dicis, accuses, si petitor, ducas.* Hoc sensu. Si non accipit creditor pro plena solutione, in quod te obligatum agnoscis, nec tua professione contentus est, accuses creditorem, qui sibi solvi non patitur: sin petitor est ejus summæ, quæ sibi debetur, sive ut omnia exemplaria habent, *si petitur*, nimirum ea summa a creditore, quam tu non agnoscis te debere, *ducas eum*, hoc est, abducas in vincula, ita ut anceps periculum circumstet creditorem, quippe si non tantundem accipiat, quantum a debitore in solutum offertur, sit accusandus: sin petat quantum sibi debetur, in vinculis habendus sit. NANNIUS.

Duci jussit] Vel reum fieri, et accusari eum qui petitor esset, vel etiam damnari. Melius autem, *duci jussit*, in vincula vel in carcerem, intelligimus, quam *duci jussit*, damnavit. ASCONIUS.

Qui cives Romani erant] Subauditur, *dabantur*. ASCON.

Si Siculi essent] Subauditur; *rei*. IDEM.

Tum si eorum legibus dari oporteret] Subauditur, judicia. IDEM.

Qui Siculi] Subauditur, erant judices. IDEM.

Si cives Romani essent] Subauditur, rei: sic Terent. *Hic in noxa est, hic ad defendendam causam adest. Cum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.* IDEM.

Verum, ut totum genus complectamini judiciorum, prius jura Siculorum] Explanationem subjecit obscuræ rei. IDEM.

Cap. 13. *Domi certet*] Apud cives suos. IDEM.

Suis legibus] Siculis. Etenim apud veteres non Romano tantum jure, sed et suæ cujusque civitatis legibus agebatur. IDEM.

Ex P. Rupilii decreto] Hic est P. Rupilius, qui quondam ex publicano factus consul, postea de decem Legatorum sententia leges Siculis conscripsit. IDEM.

Cum alternæ civitates rejectæ sunt] Apparet ex hoc dicto, primum petitoris ad rei civitatem ad judicandum proponi: postremo iri ad aliam quamlibet, utriusque facta rejectione. ID.

Quod civis Romanus] Deest, *in eo;* ut sit, in eo quod civis Romanus. ID.

Ex civium Romanorum conventu] Ex iis civitatibus, ad quas cives Romani convenire solent agendæ suæ, aut publicæ rei causa. IDEM.

Aut eum judicem, quem commodum erat] Vetuste posuit pro eo, quem volebat: sic Terent. *Amat? Dabitur a me argentum, dum erit commodum.* Nam meretrici dare quando est commodum? sed est positum pro eo, quam diu libuerit. IDEM.

Si quid perperam judicarit senatus] Multi subdistingunt, et separatim addunt, senatus, ut quasi per interrogationem ostendat, ne senatui quidem cujusquam civitatis in potestate fuisse judicare quod senserat. IDEM.

Nisi cum nihil intererat istius] Nisi, cum, quid jussu ederet, non habebat. IDEM.

Cap. 14. *Stragulæ vestis*] Stragula vestis est picta. IDEM.

Insanias] Nove, sed proprie. ID.

In Palæstra] *Palæstra*, locus in urbibus Græciæ quamplurimis, ubi cursu et luctatione, aliisque variis ludis adolescentes exercebantur. HOTOMANUS.

Heraclio dica] *Dicam* Latine dixit, Syracusanorum linguam exprimens. Est autem δίκη actio, sive lis, ut apud Terentium in Phormione, *Et unquam injuriarum audivisti mihi scriptum dicam:* et alibi, *Et tibi scribam dicam.* Sed postea δικὰς καταχρηστικῶς pro δικαστὰς usurpat. IDEM.

Cap. 15. *Adjectum esse oculum hereditati*] Galli eleganter, *Qu'il avoit assiégée de l'œil*, quam obsederat oculo, hoc est, notarat et designarat oculis ad prædam. IDEM.

Dicas sortiturum] Id est, judices qui de controversiis institutis cognoscerent: et similiter δικὰς dixit pro

δικαστὰς, ut apud Latinos *judicium* pro judices. *Sortiri dicam*, est, sortiri judices qui de dica, id est, actione instituta disceptarent. IDEM.

Cap. 17. *Instituto suo*] Consuetudine Syracusanorum. HOTOM.

Turpissima persona calumniæ] Translatum ex fabulis, pro turpissimæ partes, id est, turpissima procuratio, vel negotium mandatur. ID.

Cap. 18. *Cæteras dicas omnes*] Id est, judices qui de litibus institutis cognoscerent. Quæstores autem mandato prætorum jure dicendo conventus circuibant. Suetonius. ID.

Ad communem litium æstimationem] Id est, Paucos Syracusanos venisse Romam, non tam ut laudent Verrem, quam ut communem causam defendant. Si enim damnabitur Verres repetundarum, ipsi quoque recuperatorio judicio convenientur ad restituenda bona Heraclii, et quanti ea res in judicio æstimata fuerit, tantum cogentur refundere. NANNIUS.

Cap. 20. *Pene alterum filium*] Generum suum. HOTOMANUS.

Per pseudothyrum revertantur] Cum palam exire a Verre viderentur, latenter postea, quasi per posticum revertebantur. HOTOM. Est autem *pseudothyron* latens janua, et fallax, et quæ speciem ostii non præbet, qualem Virgilius descripsit Æneid. II. 453. NANNIUS.

Cap. 21. *Buleuterium vocant*] Βουλευτήριον: ubi consultationes fiunt, ubi βουλευταὶ, hoc est, senatores de republica sententias dicunt. HOTOMANUS.

Mucia] Quæ Asiani, in Q. Mucii Scævolæ, qui abstinenter provinciam rexerat, honorem instituerant. HOT.

O Verrea præclara, quoquam si accessisti quo non attuleris] Aliquis elicitur sensus, sed si *quonam enim accessisti*, legeremus, multo concinnior sententia videretur. HOTOM. Legendum et interpungendum ex vestigiis codicum: *O Verrea præclara! Quoquam, quæso, accessisti, quo.* GRÆVIUS.

Cap. 23. *Refert illam suam*] Legendum arbitror, *Refert se ad rationem illam suam*, hoc sensu, Syracusis culpam suam in generum contulerat; nunc idem facere instituit: cum in Volcatium derivare hoc crimen voluit. HOTOM. Subaudiatur *castilenam*, aut quid simile. GRUTERUS.

Cap. 25. *Judicia*] Fabricius, Lamb. Grut. *consilia*. Gulielm. utramque illam vocem arbitrabatur superacuam.

Ad illa H-S.] Id est: Non illa solum D millia H-S. quæ Epicrati venerant hereditate, sed illa etiam bona quæ possidebat Epicrates ante hanc hereditatem, et quæ erant sestertium quindecies centenum millium, Verres Bidinis adjudicavit. HORT.

Cap. 26. *Eductus*] Ad Metellum prætorem protractus ab Heraclio, quasi direptæ pecuniæ suæ particeps, hunc Metellus statim duci jubebat in carcerem. HORT. Si tamen libri veteres essent subsidio, mallem cum Lambino *editus*, hoc est nominatus tanquam particeps criminis. MURET.

Ab Heraclio, duci jubebat] Si hoc modo distinguas, quisquis erat editus senator Syracusanus ab Heraclio, duci jubebat: quo modo nunc edidi: sententia est aperta. Sin hoc modo, *Quisque erat editus senator Syracusanus, ab Heraclio duci jubebat.* Hæc erit sententia: jussisse Verrem, quisquis senator ei esset vel ab Heraclio, vel ab alio editus, hoc est, nominatim prolatus, eum ab Heraclio duci, ita scilicet, ut judicati ducuntur ab iis, qui judicio superiores fuerunt. LAMB.

Man. Lamb. *ut non tam suam præturam gerere, quam istius præturam*, &c.

Glabrionis litteris] Qui Romæ quæstor repetundarum judicium exercebat, mihique in Siciliam inquirendi causa proficiscenti litteras, potestatemque et quærendi et exscribendi omnia permiserat. HOTOM.

Cap. 27. *Edidi Metello*] Ut eos mihi de provincia decedere, et mecum Romam venire sineret. IDEM.

Compromissis] *Compromissum* dicitur certa pecunia, ab utroque litigatore mutuo promissa, ni arbitri sententiæ pareant. IDEM.

Quod civis....inter ditos cives judicaret] Non quod non id jus esset, verum, quod ipse judices de sua cohorte arbitratu suo dare volebat. IDEM.

Cap. 31. *Februario*] Qui mensis audiendis exterarum gentium et provinciarum legationibus destinatus erat. Quare hoc puto significari, sententias senatorum legatos emere solitos: Verrem eo mense venalem suam sententiam habiturum, et pretio ut in curiam veniat facile adductum iri. HOTOM.

Decernat bellum Cretensibus] Hoc tempore *Cretenses* belli societatem cum piratis adversus populum Romanum coierant: ut ex Plutarcho intelligitur in Pompeii vita, et Livio lib. XCVIII. et XCIX. Ergo *decernat bellum Cretensibus*, scilicet, ut ejus belli administratio Q. Hortensio mandetur. Sed Q. Metello tamen collegæ mandata. Nam cum Consules sortirentur, Hortensio, ut bellum gereret cum Cretensibus, obvenit. Sed is urbe delectatus et foro, in quo primum locum post Ciceronem obtinebat, collegæ ultro exercitum cessit, ipse in urbe remansit. Metellus autem in Cretam missus eam insulam cepit. Hæc Dio. IDEM.

Liberet Byzantios] *Liberari* dicuntur provinciæ, cum statuitur ne amplius sint provinciæ, (ut apparet ex secunda Philippica) id est, ut Romanis magistratibus jus in iis dicere non liceat: ut ex Orat. de Prov. consul intelligitur. IDEM.

Regem appellet Ptolemæum] Regem Ægypti, qui Rex a senatu populoque Romano appellari cupiebat. Significat autem emptam a Rege Verris sententiam. IDEM.

Sit in ejus exercitu] Hortensium significat, quem duabus primis orationibus sæpe *dominum et regem judiciorum* appellavit. IDEM.

Rejiciendi....trium judicum] Ellipsis Latinis perquam usitata. Subauditur *negotium*. Potestas nimirum rejiciendi trium judicum negotium. Vide Sanctii Minervam, sive de causis Latinæ linguæ Comment. lib. III. cap. 8. GRÆVIUS.

Cap. 32. *Bulbum...Stalenum*] Vide pro Cluentio, cap. 28.

Cap. 36. *Atque adeo exit*] Subtilem differentiam hic observat Orator inter verba *migrare*, et *exire*: quæ promiscue fere semper et ab aliis, et ab ipso etiam alias accipiuntur. Igitur juxta loci hujus sententiam, *migrare* est, relictis tamen vasis, alio se conferre ad habitandum. *Exire* vero est, universa sua discedendo secum exportare. Vasa sua colligit, et alio transfert Verres, qui jam ante migrerat, id est, ad alios se contulerat. HORTENSIUS.

Cap. 41. *Vertit stylum*] Delevit quæ antea scripserat. Styli pars altera, qua veteres ad scribendum in tabulis ceratis utebantur, in acumen desinebat: altera autem erat plana, et apta ad id delendum quod scriptum fuerat, ut aliud aliquid scriberetur. Hinc nata est familiaris illa veteribus locutio, *stylum vertere*, pro *delere*. Horat. I. Sat. X. 72. *Sæpe stylum vertas*. HORTENSIUS.

Cap. 46. *Reportata*] In curiam, id est, refixa, restituta. HOTOM. Vetus, *Inde a me deportata est*. Et rectius. Non enim *tabulam* in locum suum Thermis restituit, sed Romam eam secum ad judicium extulit. NAN.

Apud Cn. Pompeium] Cum in Sicilia fuit, Carbonem persequens, Marianarum partium ducem. HORTEN.

Cap. 47. *Quæ illam totam accusationem*] Nam ob amorem hospitæ, cujus et vir et pater inimici erant Sthenio, recepta erat absentis a Verre et delatio et accusatio. HOTOM.

Cap. 50. *Cui ne commercium*] Cui, propter suam indignitatem, ne licere quidem oporteret de loco illo emendo agere. Eodem modo dixit Ulpianus, *commercium rei habere*, pro, rem aliquam jure suo vendere, aut emere. HORTENSIUS.

Cap. 52. Ἐξαιρεσίμους] Ἐξαιρέσιμοι sunt, quæ eximuntur de mense duplici ex causa, aut ut rationes solis cum lunaribus congruant, ut in anno veteri Græ-

corum, et in ennea decaeteride paschali, saltus lunæ Latinis dictus, Græcis ἐνιαυτομὴ σελήνης; aut ut solemnia festa cum feria septimanæ, ut in anno Judaico. *Jos. Scalig.* I. *de emend. temp.* In eodem libro ait, in anno Græco unum diem abundare, non quidem lunæ supra annum, sed anni supra lunam. Huic rei remedium excogitatum esse τὴν ἐξαίρεσιν, cum diem eximerent in aliquo mense, unde dies, quæ eximebatur, dicta fuerit ἐξαιρέσιμος. Sed nihil certi de his diebus exemptilibus dici potest et definiri, cum videantur non nunquam extra ordinem id fecisse Siculos. Tradit Geminus post annos 16, ut solis motui responderet annus lunaris Græcorum, triduum exemptum esse de octaeteride Græca. Similis videtur fuisse, quæ et Petavii est sententia, hæc detractio, cum Siculi propter eandem causam extra ordinem diem unum, aut summum duos mensi alicui detraherent: idque faciebant, ut omnes menses sui cum sole et luna convenirent. Diebus his exemptilibus opponuntur intercalares. GRÆVIUS.

Cap. 57. *Si tibi magistratum abrogasset*] *Abrogare* magistratum est legem ferre, ut alicui suus magistratus a populo tollatur, privatusque reddatur. HOTOM.

Qua vix tuto] Lepide! quasi Verris statuæ spoliandi vim et ipsæ habeant. HORTENSIUS.

Cap. 61. *Ita*] Cum dixisti, Zeno, Sapientem nunquam irasci.

Cap. 63. *Ut Latino uno verbo exprimi non possit*] In inscriptione tamen antiqua legitur: *Jovi Quirino salvatori pro salute Cæsaris Nervæ*, ut et in glossario Stephani: Σωτὴρ *Salvator*, ut dudum viri docti monuerunt. Sed tempore Ciceronis usus hujus vocis nondum inoleverat. GRÆ.

Cap. 70. *In scriptura Siciliæ*] *Scriptura* dicebatur eorum ratio, qui pascua publica conducebant: ut exigenda a sociis suo periculo exigerent, quæ tamen reipublicæ repræsentabant. HOTOMANUS.

Pro magistro est] *Magister societatis* unus aliquis e sociis dicebatur, qui Romæ societati alicui, id est, aut scripturæ, aut portorii, aut vectigalium ita præerat, ut et decumanos quasi senatum cogendi, et ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet: curamque omnem gereret tabularum, et rationum, quæ undique ab iis qui operas dabant, Romam mitterentur. Hic *Promagistrum* in provincia habebat, sui quasi muneris vicarium, et societati præfectum, qui etiam *Magister* dicebatur. *Promagistro* autem conjunctim dicitur, ut *Proconsule*, *Proprætore*. IDEM.

Cap. 78. *Nêque committebant*] Non committebant id, quod commisit Hortensius: qui, si defendit Verrem, impudens est: si deserit, cum ab eo beneficia multa acceperit, ingratus existimabitur. MANUT. Sphingem Hortensio a Verre datam, notum est omnibus mediocriter quidem eruditis. Plinius, libro 34, Ciceronis dictum in Hortensium commemorat. *Cum*, inquit, *orta in Verris judicio altercatione, Hortensius diceret, Ciceronis se ænigmata non intelligere: respondit debere, quoniam Sphingem domi haberet.* Quintilianus lib. 6. his verbis: *Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit: cum ei testem in judicio Verris roganti dixisset Hortensius, Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphingem æneam magnæ pecuniæ.* Et idem tradit Plutarchus in vita Ciceronis, et Apophthegm. HOTOM.

ACCUSATIONIS
IN C. VERREM

LIBER TERTIUS.

DE FRUMENTO.

ORATIO VIII.

Cap. 1. *C. Carbonem*] C. Papirius Carbo summus fuit orator. Seditiosissimum gessit tribunatum. Itaque L. Crassus, annos natus 21, eum statim ab ipsius consulatu, initio anni 634. accusavit majestatis. Celebratum fuit hoc publicum judicium magno populi concursu: et meminit Cicero variis in locis accusationis Crassianæ, in qua primum L. Crassus eloquentiæ summæ dedit experimentum. C. Carbo voluntaria morte se a severitate judicum vindicavit. *Cic. in Bruto, cap.* 27. Cantharidas sumpsisse dicitur, *Fam.* IX. 21. HOR.

Cap. 3. *Ex Thensarum orbitis*] Vide supra lib. I. cap. 59.

Cap. 4. *Hiare*] Proprie dicuntur pulli avium ad escam: metaphorice, est avide expetere. Hinc *hiantes cupiditates*, apud Tacit. hist. lib. I. cap. 12. Domus *hiat*, continens pro contento; id est, dominus domus aperto ore, id est, avidissime prædam concupiscit. HORTEN.

Suis manubiis] Verbum invidiosum; quasi Verres Siculos, quos expilavit, hostium in loco habuerit; nam *manubiæ* prædam de hostibus captam significant. IDEM.

Cap. 6. *Vectigal certum*] Non frumento, sed pecunia pendebatur. Eam certam et definitam populo Romano quotannis in frugum sive copia sive inopia, quædam provinciæ persolvebant. Hæ ob eam rem *stipendiariæ* appellantur. *Decumanæ* dicebantur, quæ decimam frugum partem solvebant; quod vectigal, quia ex annorum ratione, et frugum copia aut inopia pendet, et modo minus, modo amplius est, ideo *incertum* appellatum est. De *censoria locatione* hæc habe. Agri devictarum nationum Romæ a censoribus locari solebant; ea lege, ut certum frumenti numerum quotannis locatores populo Romano penderent. Quod etiam in quibusdam Siciliæ civitatum agris factum est, ut modo dicetur. Per *legem Sempronianam*, eam intellige, quam tulit Tib. Sempronius Gracchus anno 620, ut agri regis Attali, qui populum Romanum heredem fecerat, a censoribus locarentur; unde vectigal populo Romano penderetur. IDEM.

Fœderatæ civitates] Fœderatarum triplex erat genus. Unum, cum, bello victis leges a victore dabantur; suæque leges, sui magistratus adimebantur. Alterum, cum pares bello, æquo fœdere in pacem, atque amicitiam veniebant. Tertium, cum quæ hostes nunquam fuerant, ad amicitiam sociali fœdere jungendam coibant. Harum optima erat conditio; nam etsi aliquid ex fœdere populo Romano debebant, tamen in cæteris rebus liberæ erant; suamque rempublicam, suas leges, et suos magistratus habebant. IDEM.

Venire] Id est, locari a censoribus. IDEM.

Decumanus est] Decumas dat. Sunt igitur ex quatuor generibus Siciliæ civitates. Aliæ, quarum ager a censoribus locatur, ut pro decumis pecuniam capiant. Aliæ, quarum ager non locatur, nec venenunt decumæ, sed exiguntur. Aliæ, quæ nihil om-

nino pendant. Aliæ, quæ decumas dent. MANUTIUS.

Lege Hieronica] Vide in hujus Tomi procemio *Indiculum*.

Cap. 7. *Romæ*] Quæ mox enumerabuntur, habes libro I.

Quæ ipsis] Alii, *quam ipsis videretur*, per syllepsim.

Cap. 9. *Non res, non ratio*] Non quod negotia inter se communia haberent. HOTOM. Conjunguntur hæc, quia *res*, hoc est, negotiatio sine ratione non potest esse. Plaut. Prolog. Amphyt. *Ut res rationesque vestrorum omnium Bene expedire vultis.* GRÆVIUS.

Cap. 10. *Edidisset*] Significasset, declarasset. HORTENSIUS.

Quomodo?] Dialogismus. Arator: *Quomodo.* Verres: *Quantum poposcerit*, &c. Arator: *Quid est hoc?* &c. Verres: *Quid omne? immo*, &c. Arator: *Quid censes?* &c. Verres: *Aut dabis*, &c. Verba judicum: *Per deos immort.* Verba Ciceronis: *Sic mihi*, &c. IDEM.

De professione] Ne arator minus profiteatur, quam exaraverit: ne decumanus plus, quam sibi debeatur, deberi profiteatur. Infra. MANUT.

Cap. 11. *Quæ vectigalia sunt*] Quæ vectigal pendunt. Convertit enim ad neutrum genus hæc simul omnia, Asiam, Macedoniam, &c. IDEM. Legendum putarem, *Qua vectigalia sunt.* Ut sit, ex qua parte, vel quibus in locis vectigalia sunt in Italia. HOTOM. Hæc verba aut nihil hoc loco significant, aut sententiam corrumpunt. Jam non omnis Italia erat vectigalis. Idcirco, legi debet, *in vectigalibus Italiæ, quæ vectigalis sit.* LAMBINUS.

Petitor] In his vectigalibus solet publicanus petere ab aratore; qui si non solvit, idem publicanus, prætoris auctoritate, pignus ab eo, ut res extra sit aleam, accipit; Gall. *fait une saisie.* Sed rem ipsam non eripit aratori, neque in illius professionem irruit. HORTENSIUS.

Digito] Sublato digitó licebantur. Lib. I. *Digitum tollit Junius.* MAN.

In singulis jugis] Non in amplo fundo, sed in uno tantum jugo, quod ipsi arant, et unde recedere non licet. Jugum erat, quod uno die juncti boves exarare possent. IDEM.

Recuperatores] Gall. *des Commissaires.* Erant homines ab ordinario judice seu prætore delegati, qui de privatis controversiis judicarent. Hinc *recuperatorium judicium* appellatur, quod exercetur per *recuperatores*, sic dictos a *recuperando*, quod per eos suum quisque recuperaret. Deligebantur in singulis provinciis ex conventu civium Romanorum, qui inibi negotiabantur. Itaque Verrem reprehendit Orator, et quod in hac aratorum causa ab illa consuetudine more suo recessurus sit; et quod recuperatores de coborte sua, homines nequam, daturus sit. *Quid* faciet bonus *prætor*, inquit, Cicero, cum arator ad eum in jus venerit? *Jubebit* aratorem recuperatores *rejicere;* id est, sorte ducere, et, pro suo jure eos rejicere, qui sibi non placeant. Arator, qui rem via pervulgata tractatum iri putabit, dicet statim, *Decurias scribamus:* id est, recuperatores sortiamur ex decuriis, seu ex conventu civium Romanorum, qui in decurias in provinciis, uti Romæ senatores, describebantur: et nomina eorum, quos sorte duxerimus, in albo describamus. Respondebit Verres: *Quas* tu mihi narras *decurias?* dabo tibi recuperatores ex mea coborte: rejicies, id est, eliges ex ea, quos tu voles. *Quid* ais? dicet arator: qui sunt isti ex tua coborte homines? Sunt, inquiet prætor, Volusius, haruspex: Cornelius, medicus meus, et cæteri mei asseclæ, qui omnia, more canum, ad prædam meam odorantur; quique tribunal meum, quasi nutriculam, exsugunt. Hactenus dialogismus. HORTENS.

Cap. 12. *Non solum sine* avaritia] Scripserat Cicero, indicante Metelli codice: *Non solum avaritia, sed etiam imprudentia accidere poterat.* GRUT. Optime. Potuit fieri, inquit Cicero, ut non modo avaritia impulsus plus

accideret decumanus, sed etiam imprudenter, cum putaret sibi vere tantum deberi. GRÆVIUS.

Non a patre] Quis hic patri locus? Franc. *Non a populo Romano ei traditi.* Quod verum esse videtur. Nam quamvis ipsi prætores legerent comites sibi et contubernales: videntur tamen a senatu et populo nonnulli eis fuisse commendati. ID.

Conferrent... capita] Sic Liv. lib. II. cap. 45. pro quo Plautus dixit *conferre sermones inter se;* Terent. *Conferre consilia.* Gall. *délibérer ensemble.* HORTENSIUS.

Res agi videretur] Simularent se colloqui et conferre de aratoris controversia. HOTOM.

Notas dignitas publicani] Dignitas est in publicanis, quia sunt equestris ordinis. Apronius eques Romanus non erat: ideo, *Nova dignitas publicani,* cum quadam irrisione dixit. Fungebatur autem Apronius, cum decumanus esset, munere publicani. MANUT.

Apronio] In Apronii gratiam. *Condemnare.* Contendit Grævius scripsisse Ciceronem, *Apronio condonare;* hoc est, non modo damnare petitorem, seu aratorem, ita ut perdat quod petebat sibi restitui; sed et Apronio ipsum tradere vexandum pro arbitrio, quasi calumniatorem; qui innocenti Apronio negotium facessere conatus sit. HORTENS.

Cap. 13. *De manibus amisses*] Quæro quid sit hoc loco, *de manibus amittere?* Sane displicet. Puto legendum. *de manibus emisisses;* quia melius convenit cum membro præcedenti, *cum tuos omnes fructus publicano tradidisses;* et quia Ciceronem sic locutum fuisse video pro Cælio, cap. 28. *Quæro cur Licinium.. mulieraria manus ista de manibus emiserit.* ID.

Quis hunc audet] Objectionis occupatio per ironiam. HORTENS.

Edixit, ut] Solutio objectionis. Verres lenis in aratores non fuit, sed durus. Probatur. Arator tantum dare decumano debet ex edicto, quantum decumanus petit. Si dare negat, per magistratum Siculum cogitur. Ergo si plus dederit arator, quam debeat; idque repetere velit, jam ad magistratum Siculum confugere non poterit, a quo nimirum solvere coactus est. ID.

Quid dereliquit] Id est, Quos igitur judices Verres aratori reliquit, ad quos confugeret? Nullos, nisi suos asseclas, a quibus iterum damnabitur. Non igitur Verres in aratorem lenis, sed durus fuit. Hac Ciceronis responsione conturbatus Verres alio se detorquet. *Non malum est,* inquit, &c. Hanc ejus prolepsim Cicero, ex aratoris persona, dilemmate convellit. *Si judicio a me* aratore *vis,* inquit, *exigere,* &c. ID.

Cap. 14. *Ad aquam*] Ad litus freti Siculi, unde Romam avehantur.

Cap. 15. *Ut hic quoque*] Sensus est. Ut hic, id est, hac in re quoque quæstus ex miseris aratoribus calumniandis (sic enim lego cum Hotom.) contractus accederet Apronio, cum, verbi gratia, ex Leontino agro, usque Lilybæum, id est, ex ultima parte Siciliæ, ad partem huic oppositam, aliquem vadaretur, id est, cogeret sistere se in judicio: nam aratores, ne tantum itineris emetiri cogerentur, malebant quavis, etiam iniquissima, conditione cum Apronio pacisci. HORTENSIUS.

Jugera sationum] Declararent quot sevissent jugera. ID.

Periculi] Nihil. Non enim ex jugerum numero, sed ex frugibus perceptis decumæ pendebantur. HORT.

Lamb. *pertimescendi.*

Cap. 16. Vict. Man. *irrupisse,* Lamb. *reperisse.*

An tu decumas] Quod vendidisti, id est, locavisti, decumarum nomine non potest appellari; nam *decumæ* sunt decimæ partes frumenti, quæ publicanis vendi solent: at tu non partes decumas, sed Siculum frumentum eisdem totum vendidisti: ergo, &c. ID.

Ædem Castoris] De cujus sartis tectis vide lib. I. cap. 49.

Sthenii] Vide supra, II. 34.

Alteræ decumæ] Et hoc emptum frumentum infra dicitur. FERRAT.

Cap. 18 *Hornotini*] Id est, hujus anni. Nam *hornotinum* dicebant veteres, quod erat ejusdem anni; pro quo *hornum* dixit Horat. Od. XXIII. lib. 3. v. 3. et alibi bis. HORTEN.

Modum] *Modus* in agro significat longitudinem, et latitudinem descriptam ac dimensam. Sic Horat. lib. II. Sat. VII. 1. *Hoc erat in votis; modus agri non ita magnus.* ID.

Cap. 19. *Cerviculam jactaturum*] In Hortensio frequenter actionem et gestum (cujus ut scribit Valer. Maximus, ille perstudiosus fuit) reprehensum fuisse, Gellius et Quintilianus testatur. HOTOM.

Populo ad coronam] Scribendum est, ut Nannii codex ostendit, *populo, ac coronæ se daturum*, id est, se committere, et quodam modo jactare multitudini. *Coronam*, vocabant circumstantem populi multitudinem, quæ ad judicium spectandi et audiendi causa convenerat. J. LIPSIUS.

Cap. 20. *Columnarum*] Quæ erant in æde Castoris. Vide I. 55.

Reprehendisti] Revocasti: omissum antea per imprudentiam, admonente quæstu fecisti. MANUT.

Cap. 21. *Plane constitit*] Planum factum omnino fuit, an professus revera numerum jugerum non esset. HORT.

Celatum] Quod Nympho removisset, atque celasset, decumani fraudandi gratia *Non redemptionis*, non aliquo jure, quod haberet ut publicanus; sed edicti pœna. ID.

Cap. 22. *Judicium*] Dabat Verres in Xenonem Judicium, id est, judices, seu recuperatores, qui eum sestertium octoginta millium (Gall. 8000. *liv.*) condemnarent, *si pareret jugera, &c.* IDEM.

Cap. 23. *Decumæ*] Subauditur, nomine. ID.

Domi suæ] *Suæ* hic æque delendum censeo, ut Gronovius lib. II. cap. 46, ubi vide causas. GRÆVIUS.

Consortes] Coheredes, quamdiu hereditas divisa non erat. Contra *dissortes*, postquam diviserant. SALMAS.

Cap. 24. Vict. Man. *hujusmodi casus affuit.*

Cap. 25. Grut. *statuerat.*

Tempestivo] Convivia dicebantur *tempestiva*, quæ de die inibantur, hoc est ante legitimam cœnæ horam, quæ erat nona. GRÆVIUS.

Præter oculos] Ante oculos. Et sic locutus est Livius lib. belli Maced. VIII. *An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, &c.* Sic Varro Eumenidibus, apud Non. Marcellum, qui etiam hunc locum citat, *Præter matris Deum ædem exaudio cymbalorum sonitum.* HOTOM.

Fugitivi sustinent] E Græcis fontibus derivata locutio. Nam *λινίαν ὑπέχειν* Græce dicimus. Similiter Epist. ad Att. lib. XIII. *Nunc vero cum de magno constet, nonne furor ejus omnem causam sustinet? Fugitivos* autem dicit, qui in Sicilia Athenione duce grassabantur. HOTOM.

Cap. 26. *Destitui alios in convivio*] *Destitui* pro *constitui*: ut lib. Accusat. V. *Qui qua Cleomenem in defendendo filio læserat, nudus pene est destitutus.* Q. autem Lollium intelligit. Sic in oratione C. Gracchi apud A. Gellium, *Idcirco palus destitutus est in foro, vestimenta detracta sunt.* Item apud Livium lib. VII. ubi de Galli et Manlii Torquati duello loquitur, *Duo*, inquit, *in medio armati destituuntur.* IDEM.

Cap. 28. *Repente Cornelii*] A Verris nomine, cujus beneficio cives Romani erant facti. Sic Manutius, approbante Grævio. Sed rectius Hotomanus a Sylla, qui victor decem circiter annis antea proscriptorum servos, amplius decem millia, cives Romanos esse, et *Corneliorum* nomine appellari voluit. Aliam quoque interpretationem amicorum unus mihi suggerit. Putat vir eruditus istos hic a Cicerone dici *Cornelios*, non quod revera sit istud illorum prænomen, sed quia adjuncti socii Cornelio Artemidoro, bipedum omnium nequissimo, ipsi ex ea societate facti sunt repente Cornelii Ar-

temidori, id est, ex improbis (nam jampridem erant improbi) mortalium omnium, ut ille, nequissimi. Si veram hanc esse interpretationem aliquis negaverit; at sane subtilem et ingeniosam esse nemo non fatebitur. HORT.

Quæ in verba] Quam judicandi formulam præscriberet recuperatoribus. Verres respondebat se daturum hanc formulam. *Si pareret aratores fecisse, contra edictum prætoris, ea, quæ Apronius se in judicio dicturum esse dicebat, uti eosdem aratores recuperatores condemnarent.* IDEM.

Cap. 29. *Recuperatores rejice*] Mihi suspectus est hic locus, quamvis libri omnes consentiant. Quomodo enim Apronius aratoribus, quos in judicium vocabat, poterat dicere, *Rejice recuperatores?* Scripsisse puto Tullium: *Recuperatores recipe.* Veni in jus ad recuperatores, qui cognoscant, &c. GRÆVIUS.

Cap. 30. *Ut decumas*] Quas redemerat Apronius. *Accipiant*, subauditur, *solvendas*, Gall. *qu'ils se chargent*, &c. *Publice*, id est, data de publico pecunia. *Lucrum dant*, Addant summæ principali aliquid pecuniæ, lucri nomine. HORT.

Ut probaret] *Probare*, hic est inspicere, et examinare num bonum sit. Sic censores dicuntur opus locare, et postea *probare*. HORT. Recepi ex Nannii libro optimo, hæc verba, quæ in aliis desiderantur: *Quod ei dabatur*. Sic enim in illo scribi testatur Nannius: *Ut probaret Antonius hoc triticum quod ei dabatur, imperat.* Receperat id jam ante Carolus Stephanus, quod miror a sequentibus editoribus fuisse neglectum, cum maxime faciat augendo crimini. GRÆVIUS.

Cap. 31. *Siculum*] Emphasis est in hoc verbo: probum enim significatur, cum *Siculum* dicitur. *Quod isti:* Apronio. *Area:* locus est apud nos tectus propter pluvias, at olim erat subdialis. Aream esse oportebat, ex præceptis Varronis lib. I. de re Rustica, cap. 51, in agro, sublimiori loco, quam perflare posset ventus. Nam trita grana mos erat e terra subjactari, cum ventus spirabat lenis, quo paleæ inanes, et quod levissimum est, extra aream mitteretur; et frumentum purum veniret ad corbem. Tritum et purgatum frumentum arator domum deportabat. Licebat Apronio, inquit Cicero, admetiri ex area, ubi tritum fuerat frumentum; antequam domum aratoris deportaretur, et ab eo vitiari posset. HORTENSIUS.

Cap. 32. *Medimnum XVIII.*] Subaudi, *millibus*. Vel ducatur lineola, millenarii nota, super numerum.

Lucri] Subauditur, causa; id est, pro lucro. *Medimnum XXXVII. millia.* Nempe decem et octo millia pro decumis, reliqua ad XXXVII. pro lucro, et incremento, seu additamento. Non enim verisimile est ab iis exactum fuisse lucri nomine, duplo amplius, quam pro decumis. HORT.

H-S CIↃ CIↃ] Sestertium duorum millium. Sed quia tenuior pro istorum cupiditate hæc summa est, suspicatur Manutius de mendo: et pro CIↃCIↃ, reponendum putat CCCIↃↃↃ. Id est, centum millium, Gall. 10,000. *liv.* IDEM.

De accessione] Sensus est. De pecunia illa, quæ, ut frumentum probaretur, (cap. 31.) et decumis, et lucro addita est quasi merces operæ, quam Verri navabat Apronius, et quasi pretium hujus impudentiæ, dubito an Apronio ipsi data sit: suspicor eam statim prætoris in manus venisse, quemadmodum et decumarum pretium, et lucrum venit. IDEM.

Cap. 33. *Solere aiunt*] Hujus consuetudinis Plato in Alcibiade priore mentionem facit his verbis, Ἔστι γοῦν ἐγώ, &c. *Audivi enim ex uno eorum qui ad Regem ierant fide digno, cum se regionem plane amplam et fructuosam præteriisse diceret, unius prope diei iter longam, quam incolæ* Reginæ zonam *vocitarent. Esse aliam præterea, quam rursus* calyptram *nominarent, itemque alia loca esse quamplurima, eaque amœna ac fructuosa, quæ mundo Reginæ attributa essent, et quorum singula ex singulis ornamentis nomen adepta essent.* Idem scribit Athenæus libro I. HOT.

Addicitur] Æschrioni.

Demit] Non Herbitensibus, qui summam integram solvere coacti sunt; sed reipublicæ, cui totum id pretium debebatur, quo decumæ venditæ fuerant. HORT.

Cap. 34. *Prætoris æmuli*] Intelligit Æschrionem, propter Pippam uxorem; et Docimum, proptor Tertiam. IDEM.

Quid de hordeo] Quid dabitis Docimo lucri nomine, pro decumis hordei? IDEM.

H-S XV.] Subaudi, millia.

Alio loco] Infra, cap. 51.

Cap. 35. *De capite*] De summa frumenti, quæ ex decumarum venditione solvenda populo Romano erat. *Dempsit.* Ut eo minus Æschrio, Pippæ vir, solveret; pluris amorem faciens mulierculæ, quam pop. Rom. emolumentum. HORT.

Metum] Ne, si ejus acta rescindereimus, durius aliquid accideret. MANUTIUS.

De capite dempsisset] Summas imminuisset pretii, quo decumas coemissent. Nos lingua nostra *demptionem capitis* nominamus *le rabais.* HOTOMANUS.

A populo factarum] Quid si, *Ab ipso factarum?* Ut paulo post, *Quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat:* nam etiam ad amplificationem hoc pertinet: ut cum ipse Sylla eas res quæsierit, de capite tamen in iis diminuere non poterit. IDEM. Probant emendationem Hotomani Manutius et Lamb. Verum merito tuetur Gulielmius *a populo factarum.* Nam a populo constitutæ erant summæ, quas nulli licebat imminuere. Hinc dicit Tullius *veterum religione legum,* quas populus scilicet tulerat, de pecunia publica reprehensum esse Syllam. Nam quamvis Tullius non longe post contendat, ex ea pecunia, quam ipse scilicet Sylla quæsierit, remisisse, nimirum de pretio rerum sub hasta venditarum, qui tamen illa pecunia, quæ ex venditis damnatorum bonis conficiebatur, referebatur in ærarium, recte dicitur illa *a populo facta et quæsita,* quia populi erat, quæ debebatur ærario. Si librarii peccarunt, in hoc peccarunt quod ignorantia veteris sermonis addiderint præpositionem *a.* Scripsisse Tullius videtur: *Statuit senatus, hoc ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia, populo factarum quæsitarumque rerum summas imminuere.* Quæ nimirum bono et commodo populi factæ quæsitæque res erant, ut ærarii reditus illis augeretur. GRÆV.

Cap. 36. *Hoc est*] Lambinus: *hoc est, Tertiæ.* Quod recepit Grævius. Putavit autem Manutius, *hoc est,* otiosum esse, ac delendum. OLIVET.

Retulerit] Subauditur, in tabulas publicas Verres. Porro decumas vendiderat iste tritici modium, seu potius medimnum quinque millibus; at in tabulis publicis scripserat duobus tantum millibus medimnum eas a se venditas fuisse. HORT.

Tabulas publicas] Quas in provincia Verres conficiebat, *Commutavit.* Referendo in eas numerum medimnum minorem eo, quo venditæ decumæ fuerant. HORT.

Horum] Judicum.

Cap. 37. *Interprete*] Ludit Orator in ambiguo. Nam *interpres,* is est, cujus opera ad linguam exteram intelligendam utimur: et cujus ministerio pactiones cum tertio aliquo conficimus. Quo sensu hic accipitur. HORTENSIUS.

Cap. 38. *Novum genus*] Vide supra, cap. 12.

Lamb. *servi ad publica vectigalia.*

Non Romæ quoque servi publici] Vetus. *Non Romæ quoque servi ad publica vectigalia accedant.* NANNIUS. Probo lectionem optimi illius libri, quem Nannius evolvit, a quo non longe abit Francii. Facit enim magis ad rem augendam apud judices, si dicas, *Non Romæ servi ad publica vectigalia accedant,* quam si dicas, *Non Romæ servi publici ad vectigalia accedant. Accedere* autem *ad vectigalia,* pro conducere vectigalia, est locutio elegans. GRÆV.

Vicarium] Postremus igitur est ser-

verum omnium. Nam servi paulo majoris notæ servos ipsi suos habebant, qui appellabantur vicarii; et peculium, permissu domini, hoc est, rem propriam suo labore partam. HORTENSIUS.

Cap. 39. *Nomia publicanorum*] Non verorum, qui cives, atque adeo equites esse debebant; sed eorum quos Verres arbitrio suo contra leges fecerat, servos, peregrinos, &c. HORT.

Cap. 40. *Nam commercium in eo agro nemini*] Ita Grævius ex Nannio: quod nescio quo sensu dicatur. Malim cum Victorio: *Nam commercium in eo Panormitanis est.* OLIV.

Cap. 42. *Ne accedat*] Id est, ne Thermas veniat decumarum causa. HOR.

Tributum facere] Est, viritim impositam pecuniam colligere. ID.

Cap. 43. *Ex parte decuma*] Decimam fructuum suorum partem populo Romano solvisse; reliquas novem partes, hoc est, totam reliquam arationem, vectigalis nomine, Verrem abstulisse. HORT.

Cap. 46. *Pensum*] Est manipulus lanæ, aut lini colo alligatus. Fit a verbo *pendo*. Nam heræ lanam ancillis olim appendebant nendam per diurnum opus, reddendamque in filo. Hinc *pensum* pro parte muneris, aut pro officio usurpatur ab ipsis etiam oratoribus. HORT.

Possidet nemo] Sed incolæ soli possident. Sic Halicyenses, supr. cap. 40. ID.

Damnum facturos] Quia vocati ab aratoribus in judicium condemnati essent, nisi Verres ex cohorte sua, qui judicarent, recuperatores dedisset. MANUT.

Cap. 47. *Ager efficit*] Agri sui ubertate contentus arator est, cum pro uno medimno quod satum est, octo medimna colligit. At ager feracissimus est, cum, Diis ipsis juvantibus, decem pro uno reddit medimna. HOTENSIUS.

Cum decumo] Cum decem medimna reddidisset. ID.

Cap. 49. *Etenim*] Redit ad decumas, dimidiis omissis, et alia ratione Verris propugnaculum aggreditur. Quid gloriaris, inquit, magno a te venditas esse decumas? tantidem alii quoque sæpe vendiderunt, nec tamen, ut tu, contra legem Hieronicam. Qui fit autem ut alii decumas magno vendiderint, salva lege Hieronica, Verri autem eadem lege tantidem vendere non licuerit? Solvit hunc nodum Manutius hoc modo: Verres, etsi non dena medimna in jugero nascerentur, quod sæpe fit, ad eam tamen rationem decumas triennio vendidit, ut medimnorum numerus jugerum numerum æquaret: lex autem Hieronica medimnum ex jugero, decumæ nomine, concedebat duntaxat, cum dena medimna arator ex jugero caperet: ubi vero minus perciperet, decuma minuebatur: id est, medimno minor erat. Norbanus autem et alii, qui tanti decumas jure vendiderunt, quanti Verres injuste, per legem Hieronicam id facere potuerunt, in maxima agrorum ubertate, denis medimnis ex jugero perceptis. HORT.

Cap. 50. *De vivo*] Id est, de cibariis: de iis subsidiis, quibus unicis se, suamque familiam aratores sustentabant. Translatum de medicis, qui non modo putrescentia, sed etiam de vivo resecant. ID.

Neque multum] Ironice.

Cap. 57. *Privatus*] Id est: ex quo jam est privatus, finito nempe magistratus sui tempore; et ex quo est reus. HORT.

Ad persequendum] Vindicandum istud opprobrium. ID.

Salus] Hic nomen est proprium, et Deam significat. Sic Terent. Adelph. act. 4. sc. 7. vers. ultim. *Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam.* De Salute Dea vide Livium, IX. 45. X. 1. ID.

Sponsione] Promissa certæ pecuniæ solutione, si causa caderet. MAN.

Cap. 59. *Cancelli*] Sunt septa ex ferro, in modum retis facta. *Circumdati cancelli* metaphorice dicuntur ii, qui undique tenentur, neque elabi possunt. HORT.

Tantis cervicibus] Tam forti, tam libero animo. Translatum a bobus, quorum robur in cervicibus præcipuum est. ID.

Cap. 60. *Cum cognitore tuo Apronio*] Non intellexerunt interpretes quid hoc loco *cognitor* sit. Sic quidem proprie dicebatur voluntarius susceptor alienæ litis, sed interdum latius patet, ut superius lib. 2. *Datum Sthenio absenti cognitorem.* Quin et honestiore vocabulo sic dicebantur delatores, tanquam qui causas fisci, atque ita populi et principis susciperent sponte ac tuerentur, cujus operæ pretium partes de proscriptorum bonis accipiebant, ut ait Gronovius lib. IV. de pec. vet. cap. 3. quem vide. Hinc et Manilio *cognitor urbis*, est defensor urbis, ἰνδικος, εἰσδικος. Sic Apronius hic dicitur cognitor Verris, qui est delator aratorum, et simul quasi causam Verris suspicit in agenda præda et furtis, ac extorquendo frumento et pecunia. GRÆV.

Cassianum judicium] Vide pro Roscio Amerino, cap. 30.

Papirium Potamonem] Scribam, et familiarem Cæcilii, qui Verris quæstor fuit. Nominatur in Divin. MANUTIUS.

Iniquum ejurare] Ut iniquum recusare. ID.

Apud tres negotiatores] Quos de conventu judices esse noluit. Tres autem recuperatores erant. ID.

Rejicias] Subaud. sponsionis factæ disceptationem. HORTENSIUS.

Sponsionem acceptam facere?] Pro persequi. MANUT.

Impudenter tollis] Hoc sensu. Judicium fieri non vis in ea re, in qua homines, quid de tua existimatione decerneretur, exspectabant. ID.

Quinque illa millia] Quibus Scandilius sponsionem fecerat. HORT.

Cap. 62. *Litteras manifestas*] Mire placet, quod hic alii excogitarunt: *Auctoritates, testimonia, litteras: res manifestas quæris.* MANUT.

Existimari vult] Ita turpiter vivit, ut, si scurra existimetur, honori sibi ducat. At eum scurræ suo dignum nomine non putant, gladiatorem vocant: quod multo est ignominiosius. IDEM.

Cap. 64. *Addere*] Numero modiorum, quibus eas Apron. redemit. HORTEN.

Panchresto medicamento] Ad verbum, *medicamento* ad omnia utili et accommodato: qualis est herba, quam Panacem sive Panaceam indidem sumpto nomine Græci vocant, ut Plinius scribit. Pecuniam autem significat, qua una suos sibi omnes amicos devinxerat. HOTOM.

Eductus] In jus vocatus.

Octavianum] Quam L. Octavius, cum prætor esset, instituerat; et quam Romæ Metellus, &c. Porro hanc parenthesim consulto addit Orator ad laudem L. Octavii, qui judex in causa Verris sedebat. *Habuerat*, id est, in prætura sua servaverat. Jus istud æquissimum, et perpetuo ab ipso Metello in aliis observatum erat: sed illud ab eodem Gallius in Verrem non impetrat: hinc maxime ostenditur Metelli studium in Verrem. Causam autem cur denegaret, hanc Metellus afferebat, *præjudicium se, &c.* Porro *præjudicium* illud est, quod, prius judicatum, sequentibus judiciis exemplum aliquod allaturum est. *De capite C. Verris*, in quem ista Apronii damnatio, propter causarum utriusque conjunctionem, redundaret. HORTENS.

Non ingratorum] Salse! Hoc dicit propter *panchrestum* istud medicamentum, quo iste sibi eos amicos reddiderat. IDEM.

Cap. 66. *Soli sumant*] Cur hoc soli sibi arrogent, ut officii sui titulum epistolis suis adscribant; uti L. Papirius ille Potamo (cap. 60.) solet epistolis suis adscribere, hoc modo, *L. Papirius scriba illi, aut illi S. D.* Jocus in Papirium. HORT.

Apparitores] Hoc nomine accensi, interpretes, lictores, viatores, et alii denique omnes imperatoris ministri intelliguntur. *Recentes.* Qui recens in provinciam cum L. Metello venerunt. IDEM.

Cap. 70. *Prope centies*] Nam ex duabus summis superioribus tantum efficitur centies vicies et bis: Gall. *millia unus, ducenta viginti millia librarum.* Sed maluit Orator numerum rotundare. Verres ergo toto triennio acceperat tres *milliones* nostratis pecuniæ; præterea sexcenta sexaginta librarum millia, frumenti decumani, et imperati solvendi nomine. HORT.

Ex ærario] Quomodo, *ex ærario?* Deposita adhuc erat ea pecunia apud eas societates, unde erat attributa; ut mox dicet. Sed quod debetur ærario, proinde ac si in ærario esset, intelligitur. IDEM.

Binis centesimis] Subauditur, *menstruis.* Quæ sunt, pro centenis, viginti quatuor in anno. Singulis calendis pars capitis, seu sortis, centesima, more, et legibus, creditori pendebatur, usuræ nomine. Quæ usura ideo *centesima* dicebatur, quod centesimo mense sortem æquaret. At ista Verres non contentus utpote leviori, eam duplicavit, et exegit binas centesimas menstruas ab ea publicanorum societate, apud quam posita erat illa pecunia, et pro qua, quasi pro deposito, usura nulla debebatur. ID.

Cap. 71. *Tu*] Verbum nullum est, cui hoc pronomen respondeat; sed syllepsis est non inusitata veteribus, qui sententiam magis, quam verba respicientes, post interpositam parenthesim, sic formant orationem, ac si novam quandam periodum ordiantur; ac nullam habeant superiorum verborum rationem. IDEM.

Gratiae] Lib. II. cap. 70.

Cap. 72. *Usura juvisset*] Id est, utendam pecuniam eis sine fœnore reliquisset. Juvari enim recte dicitur aliquis ea re, quæ, cum exigi possit, non exigitur; sed ei utenda relinquitur. Planus sensus: qui tamen Gronovio non placet: immo pro *usura juvisset*, scribendum putat, *versura juvisset:* id est, mutuo et quidem gratuito: nam *versura*, inquit, idem est ac, mutuum, sive gratuitum, sive fœnebre. Vide *de pec. vet.* lib. IV. *cap.* 3. HORTENS.

Cap. 74. *Quid?*] Assentior Lambino legendum consenti, *Qui.* Nam ut ille observat, non reperias *aliquid accidit, ut.* IDEM.

Vict. Man. Lamb. omittunt *neque mihi.*

Cap. 76. *Hereditariam quæsturam*] Malleolo quæstore mortuo. Hereditariam vocat, quod eam ut hereditatem quandam accepit, in qua lucri plurimum faceret. Lib. I. *C. Malleolo, quæstore Cn. Dolabellæ, occiso duas sibi hereditates venisse arbitratus est, unam quæstoriæ procurationis, alteram tutelæ.* MANUTIUS.

Cap. 78. *Pro spectatione*] Id est, exploratione, et probatione pecuniæ. *Spectatores* pecuniæ alio nomine *Nummularii* appellabantur. Eorum diligentiæ erat inspicere nummos, qui ad se deferebantur; et explorare an probi essent; cujus auri; an non subærati: an æqui ponderis; an bonæ fusionis, *&c.* Hinc sumpta metaphora Cherea lepide dicit se elegantem esse *formarum spectatorem.* Apud Terentium in Eunuch. act III. sc. 5. v. 18. HORT.

Collybo] Id est, permutatione. *Collybus* proprie significat nummulum æreum, cui bos esset impressus. Sed quia minutis hisce nummis permutari soleret aurum argentumque; hinc factum, ut generatim pro pecuniæ permutatione dici cœperit: et latius etiam, ut hoc loco, accipitur, pro intertrimento nummorum ex permutatione pecuniæ, quæ fieri solet apud nummularium. Nam pecunia, quam quis habet, cum aut abrogata est, aut non recepta in ea provincia, in qua debet expendi, tum illa permutatur; et nummulario permutanti, pro permutatione dantur nummi aliquot, lucri nomine. Quod lucrum etiam *Collybus* appellatur. IDEM.

Cerarium] Erat pecunia, quam Verres exigebat pro cera, seu, pro ceratis tabulis, in quas erogatam aratoribus pecuniam scribæ referebant. Sic hodie publicanorum servi pro schedula accepti-lationis, Gall. *pour la quittance*, denarios aliquot exigunt. IDEM.

Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquagesimæ detrahebantur] Hoc per se apertum, fiet apertius, si dixeris de quinquaginta, verbi gratia, nummis duos nummos in lucrum scribæ fuisse detractos, ita ut, pro quinquaginta qui deberentur, arator octo et quadraginta tantum acciperet. Sic supra cap. 49, summæ decumarum Leontini tres quinquagesimas addere coacti; pro centum, v. g. millibus modium, centum et sex millia dederunt. Nam sex millia sunt tres quinquagesimæ centum millium. Id.

Vict. Man. *auferret* Lamb. *averteret*.

Cap. 79. *Dicerem*] Gloriarer illos a me coercitos fuisse. Hort.

Adverit] Pecuniam. *Certiores facti* aratores venerunt ad prætorem. *Petiverunt*. Censet Grævius vocem hanc, ut irreptitiam, delendam esse. *Qui adire*, qui eos, cum ad prætorem venerunt, nominatim vocavit. *Qui fiscum sustulit*. Qui saccos plenos pecuniæ, quæ numeranda erat aratoribus, sustinuit, et attulit. Idem.

Periculaque magistratuum] *Pericula* hoc loco sunt libelli, seu tabulæ, quibus aliquid consignatur. Magistratuum administrationis tabulas scribæ diligenter conficiebant, ex quibus postea ratio istius administrationis senatui reddi posset; ideo iis, quibus illæ tabulæ committuntur, *magistratuum pericula* committi aptissime dicuntur: id est, tabulæ ex quibus senatus periculum seu documentum capiet, recte-ne, an secus provincia administrata fuerit. Idem.

Noli hos colligere] Similes Verris scribæ, quem Orator scenicum fuisse significat, ineptum quidem, et ex iis maxime qui exploderentur; sed qui tamen ab iis qui suas opes in ludos profundebant, scenicisque corollaria præbebant, locupletatus, locum in aliqua scribarum decuria coemerat. *Nepotes*, ii dicuntur, qui temere et inconsulte largiendo; qui epulis, ludis, compotationibus, patrimonia sua effundunt. Hi solebant, in theatro sæpe, ad ostendendam suam liberalitatem, pecunia, aut aliis muneribus histriones donare. *Corollarium*, dicitur id, quod additur præter debitum. Fit a corollis, quæ actoribus, cum placuerant, in scena olim dari solebant. Idem.

Cum decuriam] Id est, locum in aliqua scribarum decuria. Porro *decuriæ* erant collegia, in quibus librarii, scribæ, lictores, viatores, nomenclatores, accensi magistratuum Romanorum censebantur. H. Valesius *ad Amm. Marc.* lib. XX.

Explosorum] Histriones, cum eorum actio, aut pronuntiatio non probatur, exsibilantur, et exploduntur. In iis fuisse videtur scriba Verris, antequam decuriam emeret. Primus ordo explosorum deterrimos significat histriones; in quo festive Cicero, cum videtur laudare, dicens, *primus ordo*, vituperat, subjungens *explosorum*. Manutius.

In secundum ordinem] Is est equester ordo. Primus erat senatorius. *Se venisse dicunt*. Non quod revera venerint; sed quod venisse se sibi videantur; quia decuriam emerunt, unde in equestrem ordinem ascendi solet. Idem.

In eo ordine] Senatorio. Manut. Interpretatur Grævius de scribis, quorum ordinem honestum esse modo dixit Tullius. Sed eum refellunt ipsa Ciceronis verba. Quis enim dicat patere dignitati ordinem, quo cuivis licet pretio pervenire? Hort.

Cap. 80. *Catoni*] Judicatus est Cato de provincia prædatus fuisse ad sestertium decem et octo millia, (Gall. 1800. *liv.*) atque nulla dignitatis hominis, aut tenuitatis pecuniæ habita ratione, ut eam restitueret, condemnatus est. Consul fuit C. Cato anno 639. Ex consulatu Macedoniam administravit, ex qua repetundarum est damnatus. Idem.

Donasti] Atque equitem fecisti: nam annulus erat equitum Rom. insigne. Hort.

Ut esset unde scriba tuus] Ut census equestris tuo scribæ conficeretur, unde jus haberet annuli illius gestandi, qui muneris ac beneficii tui est. Census equestris sestertium

erat quadringentorum millium. Gall. 40000. *liv.* IDEM.

Cap. 81. *De æstimato*] De quo hæc habe. Dabat prætori provincia frumenti in cellam, seu ad usus domesticos, certum modiorum numerum; quorum singuli quaternis sestertiis solvebantur aratoribus, ex senatus-consulto. Licebat prætori pro frumento pecuniam, si vellet, accipere; non illam solum ex senatus decreto constitutam, sed tantam quantam in singulos modios ipse pro jure suo, constituerat. Itaque in ea re, ut ait Asconius, avarissimi quique prætores infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando. IDEM.

Denariis ternis] Quaternis sestertiis, Gall. 8. *ass.* in modios singulos erat senatus æstimatio; pro ea denarios ternos, Gall. 24. *ass.* Verres exegit ab aratoribus. IDEM.

Non ex æstimatione] Non ex eo Verrem reprehendo, quod frumentum æstimarit; quia id jam antea ab aliis factum scio; neque ex eo maxime, quod ternos denarios pro singulis modiis acceperit; potuit enim in caritate annonæ modius tanto æstimari. Sed ex eo illum reprehendo, quod modiorum, qui dari debebant, numerum auxerit; et quod, in vilitate annonæ, modiorum singulorum æstimationem ad ternos denarios produxerit. Hoc crimen est. Atque adeo non avaritiam prætoris, sed ejus impudentiam, quod illa coauctione consuetudinem, leges, et instituta violarit, accuso. Porro, *annona*, pro frumento prætoris annuo sumitur hoc loco. Nam alias rerum omnium ad victum pertinentium, sed maxime rei frumentariæ proventum annuum significat. Annonam veteres pro Dea coluerunt. Declarat inscriptio vetus, DIVÆ ANNONÆ, apud Voss. in etymol. et ANNONÆ SANCTÆ, apud Gruter. p. 81. HORT.

Cap. 82. *Philomelione Ephesum*] An a Philomelio, verbi gratia, urbe Phrygiæ, ultra montes posita, Ephesum usque portandum erat frumentum? quod iter passuum ducentorum triginta millium difficile vecturis faciunt anfractus diversi, variique flexus Mæandri. IDEM.

Video] Scio frumenti pretium non idem esse omnibus in locis: potest enim pluris esse Ephesi, quam Philomelii. IDEM.

Cap. 85. *Frumentum*] Dialogismus prætorem inter, et aratorem. *Optime*, inquit arator. *Modium*, ait prætor, emam *denario*, seu quatuor sestertiis. *Benigne, &c.* ait arator. *Vendere*, subauditur, hic in provincia. *Mihi, &c.* verba prætoris. *Nam*, pro sed. *Me ad denarios, &c.* Me pecuniam pro frumento accepturum. *Necesse est*, ut ego dem pecuniam. *Video esse*, inquit Verres. *Quid ergo.* Verba aratoris. *Dederit*, quos possis retinere; et cum frumentum sit vilius. HORT.

Quid poscat] Verba Ciceronis. *Quaternos H-S*, verba Verris. *Quid postea?* verba aratoris. *Quid*, ait prætor. ID.

Qua ratione] Verba aratoris. *Quid quæris?* verba Ciceronis, inserta dialogismo. *Inquit ille*, id est arator. ID.

Ultro] Id est, nulla causa, nullo nomine, sed pro Verris ipsius libidine, ablatum est. IDEM.

Cap. 86. *Habet idem*] Facultates *in nummis* sive in fœnore positis, sive in arca reconditis. Idem habet villas et prædia. Porro *urbana prædia* Jurisconsulti appellant, inquit Hotomanus, omnia ædificia, quamvis in villa sint. HORT.

Cap. 88. *Ob jus dicundum . . . ob judicandam rem*] Hæc duo differunt. Illo, tota Verris prætura urbana significatur; hoc vero, Sopatri et Sthenii damnatio intelligitur, de qua fuse actum est libro superiore. HORT.

Cap. 92. *Quos tu*] Subauditur, cum esses quæstor. HORTENS. Describere autem, significat destribuere, dispertiri. HOTOM.

Cap. 98. *Lege et conditione*] Ea lege et pactione, qua in amicitiam pop. Romani recepti sunt. *Conditio* pactionem significat. HOTOMANUS. Vetus, *lege et* consuetudine *trahantur*. NANNIUS

APPENDICULA NICOLAI HORTENSII.

DE RE FRUMENTARIA ROMANORUM.

LIBER tertius Accusationis totus est de re frumentaria, hoc est de furtis, quibus Verres detraxit *de cibariis*, ut ait Cicero, *de victu, de vita et sanguine populi Romani.* Ista me admonuerunt, ut paulo diligentius, in rem frumentariam Romanorum inquirerem; rem cognitione jucundam et utilem, intuenti quibus artibus populo prope immenso victus sine labore compararetur; et quam justæ sint querelæ, quas assidue Tullius deplorare solet de averso Siculo frumento, et de remissis Clodia lege semissibus, ac trientibus.

In argumento simili versati sunt olim J. Lipsius, et Vincent. Contarenus; quædam ab illo; ab hoc vero non pauca huc transtuli.

Hujusce disputationis hæc erunt capita. I. Populi Romani parcimonia. II. Deinde avaritia. III. Frumento empto et vectigali populus Romanus utebatur. IV. Largitionum frumentariarum origo et causa. V. Primæ largitiones. VI. Leges frumentariæ. 1. Gracchi. 2. Incerti auctoris. 3. Apuleia. 4. Livia. 5. Terentia-Cassia. 6. Senatus-consultum Catonianum. 7. P. Clodii. VII. Modus frumenti qui dabatur. An viritim? VIII. Qui accipiebant, et quomodo. IX. Numerus accipientium. X. Curatores rei frumentariæ. XI. Per quos frumentum distribuebatur. XII. Provinciæ frumentariæ.

I. Primis temporibus summa fuit Romanorum parcimonia. Bina jugera ad alendam familiam erant satis: nulli civi majorem agrorum modum Romulus attribuit. *M. Curii post triumphos, immensumque terrarum adjectum imperio, nota concio est: perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non sufficerent: quæ mensura plebi post exactos reges assignata est.* Plin. XVIII. 2. et 3. His moribus non modo sufficiebant fruges domesticæ, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. *Ibid.* Testatur Polybius, II. 15. etiam ætate sua medimnum Siculum, non vero *modium*, ut Casaubonus vertit, Budæum perperam secutus, venisse obolis quatuor; Gall. *cinq sols.*

II. Sed ubi avaritia et luxuria in rempublicam immigravere, rerum facies immutata est. Nullus agrorum habendorum modus fuit. Leges ferendæ fuerunt, quibus cupiditas coerceretur, et modus definiretur agri, quem Nobilium quisque possideret. Leges vanæ fuerunt. Ipsi earum auctores in eas primi peccaverunt. Adeo freni impatiens flagravit avaritia. *Liv.* VI. 35. *Plin.* ubi supra. *Appian. Civil.* I.

III. Interea quanto rura potentiorum ampliora in dies fiebant, tanto magis plebi crescebat difficultas frumentaria. Suberat difficultatis istius altera causa, distributiones agrariæ, quæ tribunitiis factionibus constitutæ, aliquantulum opis civibus aliquot afferebant, cum cæteri languerent inopia. Ergo his malis quærendum fuit remedium. Ut sufficerentur populo cibaria, quæ industria sua sibi parare jam amplius non poterat, senatus legatos in feraciores Italiæ provincias, ad comparandum frumen-

tum quod plebi viritim daretur, subinde mittendos curavit; maxime vero in Etruriam, quæ frumento tantum abundabat, ut magnam ejus vim præstare vicinis posset.

Præterea ut Romanorum ditioni provinciæ subjici cœperunt, ager earum, factus publicus jure victoriæ, illis quidem redditus est, verum ea conditione, ut decimam partem frugum, quas ex suis arationibus perciperent, tributi nomine penderent. Quod primo quidem in Italia; deinde in Sicilia, Africa, ceteriseque provinciis, prout subjiciebantur, factitatum esse constat. Hæc est decumarum illarum origo, quarum mentio tam frequens occurrit in Verrinis, et præcipue libro tertio. Cum autem decumanum frumentum alendæ plebi, quæ in dies crescebat, jam non sufficeret, idem senatus publice ad auxilia domestica coemendum in provinciis, maxime in Sicilia, frumentum curavit. *Cic. Verr.* III. 69. Frumentum illud omne Romam devectum, plebi levi pretio distribuebatur, in hoc tantum, ut ærario pecunia, quam repræsentaverat, reciperetur.

IV. Verum, ut ex malo malum nascitur, tenuiorum civium multitudinem, quia illi unde solveret, non erat, ære alieno obstringi necesse fuit. Igitur ita res moderari oportuit, ut utrique difficultati et annonariæ et pecuniariæ obviam iretur: neque permittere, ut multitudini, quæ satis ipsa per se levis est, ulla paullo justior ad motus in Urbe concitandos accederet occasio. Itaque plebi annona menstrua præbita est pretio, non eo, quo publice vendebatur, sed vilissimo: quo et egestas domestica levaretur, nec tamen plebs avocaretur ab industria.

Fontem hic habes et rivulum publicarum largitionum (quippe largiri dicitur non solum qui gratis dat, verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit) qui deinceps eundo tantum tribunitiis legibus accrevit; ut earum moli postea sustinendæ ærarium impar fuerit.

V. Prima frumenti largitio, (illam dico quæ retinuit quandam venditionis speciem) quæ minime dubia occurrit in Romana historia, contigit anno Urbis conditæ 262. quo anno ceritas primum annonæ fuit ex incultis per secessionem plebis agris, et fame deinde laboratum est. Consules dimiserunt passim ad coemendum frumentum, non in Etruriam modo, et per Volscos usque ad Cumas, sed in Siciliam quoque: quod Romam advectum populo datum est levi sane pretio; curante senatu ut frumentum et res omnes ad victum necessariæ tanti essent, quanti minimi fuissent ante secessionem. *Liv.* II. 34.

Anno Urbis 298. cum annona, inquit *Liv.* III. 31. propter aquarum intemperiem, laboraretur, Manius Marcius ædilis plebis primum frumentum, id est, frumentum quod mense primo (singulis enim mensibus dividebatur, et sic interpretor τὸ *primum*, quod mire torsit doctos homines) sui magistratus divisit, populo in modios assibus, *Gall.* 9. *deniers*, donavit. *Plin. Hard.* XVIII. 4.

Anno Urbis 315. cum fame plebs urgeretur, *L.* Minucius Augurinus præfectus annonæ creatus, ejus levatæ gloriam tulit. Nam oppresso Sp. Mælio, omne frumentum, quod hic privata pecunia ad largitiones faciendas coemerat, una cum reliquis ejus bonis publicatum fuit. Quod frumentum Minucius assibus in medios venale cum proposuisset, ita pretium farris imminuit, ut tribus nundinis tantidem in forro prostaret: qua de causa statua ei a populo stipe collata, statuta est, *Liv.* IV. 12—16. *Plin.* ubi supra.

Frumentum, commune est nomen. Sed hic et in superioribus accipio pro farre, quo puls illa conficiebatur, qui priscus fuit Romanorum victus: unde *pulti-fagi* Plauto dicuntur. Nam panifici pistores incogniti Quiriti-

bus olim: seliqne in usu ii, qui farinam in pistrino pinserent; id est, tunderent, seu molerent. M. Varro, apud Non. verbo *Pinsere*. Plinius, lib. XVIII. cap. 15. *edit. Hard.*

Sequitur apud Plinium XVIII. 3. Trebii largitio. Is in ædilitate anno 343. populo frumentum et ipse assibus in modios præstitit: quam ob causam ei statuæ dicatæ sunt, et supremo die populi humeris portatus in rogum est. Postea divisum etiam frumentum est sæpius, atque id fere per ædiles; sed graviori pretio, etiam in vilitate annonæ, quam antea. Testis *Livius* XXX. 26. et XXXI. 4.

Hæc antiquitus facta sunt, cum largitio ea omnis voluntaria adhuc, et in arbitrio aut magistratuum esset, aut senatus. Frumentum plebi dabatur non illud quidem gratuitum, sed pretio levissimo. Plebs publico fere sumptu alebatur: ipsa vicissim liberis educandis subministrabat reipublicæ milites, et sanguine suo rependebat ei damna pecuniæ. Verum hisce temporibus largitiones fuerunt incertæ. Aliquanto post annum sexcentesimum leges tum primum latæ sunt, quibus perpetua stataque frumentatio facta est. Quanquam his quoque legibus modo fixis, modo refixis, illa etiam fluctuavit: donec venit respublica in unius potestatem, qui gratuita annona bene emi imperium putaret. Leges illæ sive *frumentariæ*, sive *alimentariæ*, sive *annonariæ*, nam hisce nominibus appellantur; plurimum a tribunis plebis, aliquando a consulibus latæ sunt. Semel ea de re factum est senatusconsultum.

VI. Primus de stata perpetuaque frumentatione legem tulit C. Sempronius Gracchus tribunus plebis, anno Urbis 630. *Uti semisse atque triente in singulos modios plebi frumentum ex publico singulis mensibus, per singulas tribus divideretur; horreaque, quæ ab ipso legislatore* Sempronia *deinde vocata sunt, in Urbe constituerentur, in quibus frumentum publicum cum legibus frumentariis asservaretur.* Plutar. in Gracch. Epit. Liv. IX. Festus. Pigh. ad ann. 530.

Postea horrea plurima in quatuordecim Urbis regionibus ædificata sunt. Numerat ad trecenta novem Lipsius, *Elect.* I. 8. sortita nomen ab iis, a quibus extructa fuerunt.

Lege Sempronia duo sanciuntur; pretium largitionis, et perpetuitas. Statuit Gracchus uti frumentum populo daretur *singulis mensibus:* uti *semisse atque triente:* vel *semissibus et trientibus*, ut Cicero, et alii loquuntur. Primum aperienda est insolens forma orationis; deinde pretium quod in modium Gracchus statuit, demonstrabo.

Quærit *Contarenus*, cur Gracchus *semissis* et *trientis* nomina usurpare maluerit, cum rem et brevius et planius potuisset exponere: et adductis aliquot rationibus, *amplius* pronuntiat. Abramus, *ad Orat. pro Sext. cap.* 25, censet, quod triticum *semisse*, hordeum, lupinus, et minuta alia legumina *triente* vendebantur, ideo distinctam *semissis* et *trientis* fieri mentionem. Nos verius, ni fallor, ex Gronovio sic: As in partes secabatur, sive uncias, duodecim. *Semissis* erat assis dimidia pars; *triens*, erat tertia pars; hic quatuor, ille sex uncias, capiebat: conjuncti, decem uncias comprehendebant; et deuncem, seu dextantem conficiebant. Cur antem Gracchus semissem et trientem potius, quam dextantem, qui idem est, nominaverit, et cur illa uti circuitione maluerit, causa est, quia semissis et trientis formæ publicæ percutiebantur: dextantis vero nullæ fuerunt. *Gronov. de pecun. vet.* IV. 12. Si Grævio ad *Cic. loc. cit.* credis, hæc vera est et unica locutionis istius ratio: quæ tamen illius insolentiam non excusat. Quasi quis hodie velit *viginti quatuor*, et *duodecim* asses, potius quam sex et triginta asses rei venali cuipiam pretium sta-

tuere, ob id mirum quod viginti quatuor, et duodecim assium nummi apud nos ambulent; triginta vero et sex assium nulli sunt.

Jam ad pretium lege Gracchi constitutum in modios: As Romanus respondet novem denariolis nostratibus, et quod excurrit. Dextantem æquant, semidenario addito, nostrates septem denarii. Hoc erat lege Sempronia pretium in frumenti modios, plebi levissimum sane, sed ærario gravissimum, quod tanto magis premebatur, quanto magis levabatur plebis inopia. Itaque legi senatus diu multumque adversatus est, *quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabat; et ærarium exhauriri videbatur.* Pro Sextio, cap. 48. *de Offic.* II. cap. 21.

Lex nihilominus perlata fuit. Eam stetisse ad tempora Syllæ Lipsius existimat; negat Vinc. Contarenus; et, Graccho interfecto, statim abrogatam fuisse contendit. Neuter recte. Abrogatam legem ante Syllana tempora fuisse contra Lipsium ostendunt leges Apuleia et Livia, quibus Sempronia largitio revocatur. Non autem statim ab interfecto Gracchо abrogatam, sed Octavia lege temperatam fuisse contra Contarenum Cicero testatur, *de offic.* II. *cap.* 21. his verbis, *Modica M. Octavii* largitio; *et Reipublicæ tolerabilis, et plebi necessaria.* Contarenum decepit illud, quod ait Cicero in Bruto; *M. Octavium auctoritate dicendi tantum valuisse, ut legem Semproniam frequentis populi suffragiis abrogaverit.* Quod non ita accipiendum, quasi abrogata omnino Sempronia lex Octavia lege fuerit. Illam correxit, non sustulit, Octavius: verum qua ratione istud præstiterit, cum nullum legis istius extet caput, obscurum est. Videtur statuisse Octavius vel majus pretium in singulos modios, pro annonæ caritate: vel, uti, cum populo frumentum venderetur, de pretio quo emptum esset remitterentur in modium semis et triens. M. Octavius tulit legem suam anno Urbis 633, quo anno fuit tribunus plebis. *Pighius.*

2. Anno post alia lex frumentaria promulgata, sed non perlata est; ejus auctor ignoratur: tribunum plebis fuisse puto: huic Marius, ipse tribunus plebis, intercessit, quod Reipublicæ damnosa videretur. *Plutarchus in Mario.*

3. L. Apuleius Saturninus, seditiosorum omnium post Gracchos eloquentissimus, qui ab Optimatibus defecerat ad plebem, et se ad C. Marium, et alios plebeiæ factionis principes applicuerat, tribunus plebis iterum, anno 653. legem frumentariam promulgavit, quæ Sempronia lege fuit etiam dissolutior. Hæc enim pretium, levissimum quidem, sed pretium tamen frumento dando statuebat; Apuleius vero tulit, ut, *remissis semissibus et trientibus populo frumentum menstruum gratis distribueretur.* Huic legi intercessit Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat; docuitque senatum, ærarium pati non posse largitionem tantam. Lex non est perlata; et ejus auctor Saturninus, ex senatus-consulto judicatus hostis Reipublicæ, occisus est. *Rhet. ad Herenn.* lib. I. cap. 12. *Pighius.*

4. Legem Apuleiam Livia secuta est. M. Livius Drusus, tribunus plebis, anno 662, is qui jactabat in tribunatu, *Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut canum dividere vellet, aut calum,* ut plebis gratiam sibi conciliaret, tulit, *ut Sempronia lex frumentaria valeret.* Sed legem hanc, ut Livias omnes alias, latore in magistratu occiso, senatus, Philippo consule referente, abrogavit. *Liv. Epit.* LXXI. *Flor.* III. 17. *Ascon. ad Cornelianam.*

A Drusi morte sociale bellum statim exarsit. Id excepit civile; imo multa civilia, quæ tam occupatum habuere populum Romanum, ut ne injecta quidem a tribunis fuerit mentio ullius largitionis. Ut autem, rebus

compositis, injici non posset, fecit Sylla, qui cum invasisset Rempublicam, tribunis omne jus legum ferendarum ademit. Eo consilio, turbarum ac seditionum extinctæ sunt faces, quæ tamen Sylla mortuo anno 675, statim revixere, cum plebs niti cœpit ut tribunitia potestas in integrum restitueretur. Res fuit per multos annos magnis contentionibus jactata: consulibus strenue tuentibus senatus-consultum, quo acta Syllæ confirmabantur; plebe vero summa vi pugnante, ne, spoliata præsidio tribunitio, potentium libidini subjiceretur. *Sallust. fragment. lib.* III. 8.

5. Tandem anno 680, tanto impetu plebs exorta est in Patres, ut sustineri amplius non posset. Itaque consules ejus anni C. Cassius, et M. Terentius Lucullus, ut plebem delinirent; et ut rem integram in adventum Pompeii, qui tum in Hispania bellum cum Sertorio gerebat, si qua possent, rejicerent, frumentariam legem tulere: quo blandimento plebs quietem egit usque ad annum 683, quo anno Pompeius et Crassus consules, tribunitiam potestatem in integrum restituerunt. Hæc est illa lex Terentia-Cassia, quam Cicero altero contentus nomine, quandoque *Terentiam* vocat. Frumentariam fuisse intelligitur ex eodem Cicerone, in *Verr.* I. 69. Ea lege Siculi dare tenebantur imperati tritici nomine octingenta millia modium, pro quibus sestertios quaternos in modium accipiebant.

Terentiam-Cassiam legis nomine appellari debere negat Hotomanus, et cum eo docti nonnulli; qui, quia sit de frumento ex sola Sicilia exportando, *privilegium*, non *legem* appellari debere contendunt. Affirmat Contarenus: non enim de solo frumento Siculo latam legem putat fuisse. Imo, inquit, illud de Siculo frumento, unum caput legis fuit, qua cautum præterea est, qui numerus frumenti, et quanti esset in aliis provinciis emendus. Et sane frumentum emptum aliunde oportuit. Quandoquidem illa modiorum Siculi frumenti octingenta millia trium mensium cibariis non satis esse poterant, uti infra declarabitur. Nisi forte præter emptum frumentum, partem etiam decumani distributam plebi fuisse dixeris: qua de re nihil habeo quod affirmem.

Legem Terentiam præcesserat sive mensibus, sive annis aliquot, mihi enim non liquet, senatus-consultum *de alteris decumis*, quod sic habet: Omnis ager Siciliæ decumanus jam ante imperium populi Romani ipsorum Siculorum voluntate; et institutis fuerat, Cic. *in Verr.* I. 6. Cumque agrum illum fecisset victoria publicum populi Romani, Siculis est redditus, ita tamen, ut, præter septem civitatum, eadem conditione esset, qua antea fuerat; id est, ut decumas gratuitas penderet, non, ut olim, regibus suis, qui nulli jam erant, sed Reipublicæ. Hæ sunt primæ decumæ, quæ a Cicerone appellantur. Cum vero annonæ difficultate Urbs premeretur, senatus decreto Siculi tantum frumenti dare coacti sunt, quantum ex primis decumis fuisset.

Hæ sunt alteræ decumæ, quæ non erant tamen gratuitæ, uti primæ; nam pretium his decumis constitutum erat in modios singules sestertii terni, qui aratoribus persolverentur. *Cic. ibid. cap.* 69. Cæterum videtur senatus non, nisi temporibus Reipublicæ cogeretur, decrevisse ut alteræ decumæ exigerentur. *Ibid. cap.* 16. Nollem hoc de alteris decumis senatus-consultum omisisset Vinc. Contarenus, scriptor alioquin in hoc argumento de re frumentaria non mediocri diligentia versatus.

6. Legem Terentiam post aliquot annos, id est, anno 691, excepit senatus consultum Catonianum; sic dictum, quia factum est in Catonis sententiam. Suasit vir ille ad disturbanda perniciosa Cæsaris consilia, ut, quando superioribus annis frumentariæ largitionis beneficio discussæ

turbæ, et tranquillitas Reipublicæ reddita fuisset; eodem remedio Cæsaris conatibus obviam iretur; occupatique animi pauperiorum hoc munere senatui reconciliarentur: quo facto Cæsaris spes in ventos abiere, nec moliri quidquam ausus est. Distributum est ergo plebi frumentum menstruum; quæ accessio fuit ad reliquos sumptus Reipublicæ quingentarum quinquaginta myriadum, inquit Plutarchus in *Cæsare*, seu ducenties vicies sestertium, (Gall. 2200000. *lib.*) vel millium ducentorum quinquaginta talentorum, seu trecenties sestertium (Gall. 3000000. *lib.*) ut idem scribit in *Catone*; nam variat Plutarchus in summa.

Hujus rei culpam in librarios derivat Rualdus, *Animad.* XXII, et jubet, ut et Contarenus, illic legi ἑπτακόσιαι, *septingentæ*, pro τῷ, πεντακόσιαι, *quingentæ*, quod est in vulgatis. Idem Rualdus dum Plutarch. *ibid.* criminis unius absolvit, eundem alterius postulat, imperitiæ nimirum, vel saltem negligentiæ. Ex eo enim quod annonarii hujus senatus-consulti plane non meminit Asconius, in *Pison.* sed a Gracchana lege desilit statim ad Clodiam frumentariam, contendit contra Plutarchum vir eruditus illud non viguisse, sed eodem quasi momento et factum et abrogatum fuisse. Respondetur Rualdo non itidem memorari ab Asconio leges Octaviam, Apuleiam, et alias quas supra recitavimus; quæ nihilominus perlatæ sunt. Atque ideo argumentum ex Asconii silentio contra senatus-consultum Catonianum non recte assumi. Præterea satis habuit Asconius ad rem præsentem afferre legem principem, hoc est Gracchanam, a qua, seu fonte, deinceps frumentariæ leges maxime populares derivatæ sunt, ut ostenderet, quasi facta utriusque comparatione, Gracchum, hominem maxime et popularem et perniciosum, in his ipsis rebus superatum fuisse a P. Clodio. Adstipulatorem habet Rualdus Dacerium: nos Contarenum, qui rebus attente perpensis firmiora esse argumenta pronuntiat, quæ pro senatus-consulti diuturnitate afferuntur.

Ex ejusdem Plutarchi verbis alia suboritur quæstio; an, cum senatus-consultum illud factum est, et lege Sempronia frumentum etiam aliquod distribuoretur. Sunt qui affirment, sunt qui negent; et graves utroque trahunt auctoritates. Verum eo inclinat animus, ut credam largitionem aliquam antea fieri solitam fuisse, ut Catonem voluisse ut illa fieret amplior: hoc est, ut plures e plebe, qui expertes hujus erant largitionis, (sic enim interpretor ἀνέμητον ὄχλον apud Plutarchum) frumentum menstruum acciperent. Unde cum augeretur numerus eorum quibus frumentum daretur, facta fuit illarum 750. myriadum accessio ad alios sumptus: non eos quosvis qui fiebant in Republica, sed privatim ad eos qui antea fiebant pro largitione frumentaria. Non enim mihi fit verisimile plebeculam hisce largitionibus toties et tamdiu inescatam, iis æquo animo caruisse, quo tempore illi maxime erant necessariæ; tum quia prisca illa parcimonia erat obliterata; tum quia ex opulentorum luxu, longe majus erat quam antea, pretium rerum omnium quibus vita retinetur.

Venio nunc ad legem Clodiam frumentariam, quam tulit P. Clodius, ille Ciceronis inimicus, in tribunatu anno Urbis 695. Meminit Dio, *lib.* 38, his verbis: *Clodius frumentum gratis rursus divisit. Tulit enim, Gabinio jam et Pisone consulibus, ut frumentum pauperibus daretur.* Ex his Dionis verbis contendit Contarenus legem Clodii frumentariam fuisse duplicem. Nam ἄυθις, *rursus*, inquit ille, legem posteriorem significat. Ergo alia prior fuit. At docti melius, qui legem Clodii largitricem unicam agnoscunt. In hoc decipitur Contarenus, quod jungit τὸ *rursus*, τῷ *divisit*; quod jungendum erat τῷ *gratis*. Gracchus dederat frumentum semissibus et trientibus in modios. Remiserat semisses et trientes Apuleius, et gratis

dederat. Apuleia lex perlata, Cæpione intercedente, non fuerat. Restituit eam Clodius, et dedit, id est, dandum tulit *rursus* gratis. Hanc Clodii legem Cicero multis locis impugnat, ut perniciosam, et pestem ærarii, si quidem ea lege quinta prope pars vectigalium tolleretur. *Vide pro Sextio, cap.* 25.

Clodia lex viguit omnium diutissime. Cum enim reliquæ ad breve spatium temporis fuerint ratæ, hæc, ad tria secula, fixa et firma perseveravit. Causa fuit ambitio, mater civilium bellorum. Dum nemo principum parem ferret, nedum priorem, servierunt omnes plebi miseris modis; et populi gratiam, Reipublicæ incommodis, aucupati sunt. Hinc non ausus est quisquam verbum unum facere de Clodia lege abroganda. Præterea cum Respublica redacta fuit in unius potestatem, Cæsar rerum potius, et qui Cæsarem secuti sunt Imperatores, animadverso quantum esset momentum in hujusmodi largitionibus ad plebis animos sibi conciliandos, largiri perseveraverunt. Neque in frumento menstruo dividendo stetit eorum liberalitas, sed certam etiam pecuniam; tunicas; porcinam; oleum; vinum plebeculæ diviserunt. Sed ista non sunt hujus nostri instituti.

VII. Hactenus de initiis frumentariæ largitionis, et de legibus ad eam pertinentibus; sequitur ut disputem *de modo frumenti*, seu de numero modiorum qui dabantur. Gracchum, qui primus de stata ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti quod daretur, cavisse verisimile est: sed quanta fuerit hæc menstrua largitio nemo omnium, qui exstant, veterum scriptorum, ut opinor, prodidit. Itaque tentandum an rem assequi conjectura possimus. Servis singulis cibaria per hiemem tritici modios menstruos quatuor attribuit Cato; *de re Rustica cap.* 56, per æstatem, quatuor et semis. *Servi*, inquit Donatus in Phorm. d. 1. 9. *quaternos modios frumenti accipiebant in mensem; et id demensum dicebatur: utrum a mense, an a metiendo incertum.* Non sane a mense, sed a demetiendo fit *demensum*. At illa inconstans, et incerta fuisse videtur attributio. Nam ex Seneca, Epist. 80, *Servus est, qui quinque modios accipit.*

Fuit igitur menstruus servilis canon modiorum quatuor frumenti, aut quinque, si quando liberaliores erant domini: servos vero eos intelligo, qui ruri opus exercebant. Tot modiorum fuisse largitionem plebi factam mihi persuadet Macer, seu Marcius Licinius apud Sallust. Hist. fragm. *lib.* III. *cap.* 10. Is enim in ea oratione quam in tribunatu habuit ad populum ibi, ubi Terentiam legem frumentariam elevat et explodit, sic ait: *Absit periculum et labor, quibus nulla pars fructus est: nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere; qui profecto non amplius possunt*, al. prosint, *alimentis carceris.*

Isthæc commemoratio de alimentis carceris injicitur oratorie magis ad invidiam, quam ad similitudinem. Nam lege XII. tabularum singulæ libræ farris in singulos dies vincto dabantur. *A. Gellius* XX. 1. Quod *diarium* quia servis etiam in ergastulo aut domo vinctis præbebatur, *alimentum servile* apud Sallustium vocatur. *Fragm. lib.* I. *cap.* 6. Sed hæc exiguitas victus, qua mors tantummodo prohibebatur, nihil facit ad quinos modios, qui modus fuit Terentianæ largitionis.

Cogitanti Contareno videtur par fuisse constitutus lege Sempronia, fortasse etiam et senatus-consulto Catoniano, et lege Clodia modus frumenti quod daretur. Hic igitur stamus. Quinos modios singulis mensibus datos fuisse dicimus. Sed viritimne, an per familias? Si viritim; quini modii large præbebant uni homini menstrua cibaria: quandoquidem

observatum est modium hominibus octo alendis in diem sufficere. Itaque modii quini victum diurnum dabunt quadraginta hominibus; seu, quod idem est, uni homini per quadraginta dies; at mensis est dierum duntaxat triginta. Sin autem modii familiis singulis quini assignabantur, ut inde paterfamilias non solum vitam suam, sed et conjugis ac liberûm toleraret, fatendum est parce præbitum fuisse ad victum quotidianum, et rem tam parvam non *absolvisse cura familiari:* ut ait Macer, *apud Sallust.* III. 10. Sed ut largitionem per familias factam non credam, facit Sueton. *in Jul. cap.* 41. ubi sic ait: *Cæsar rerum potitus, ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit.* Enim vero an tot familiarum millia acceperint? non sit verisimile. Neque tamen viritim datam puto, quod largius, quam par est, præbitum fuisset. Si conjectura uti licet, quod tamen in re tam obscura necesse est, credam, fœminis exclusis, mares solos, patrem dico, et natos, qui essent ætate militari, admissos ad istam largitionem fuisse, ita ut per capita frumentum quodammodo distribueretur, neque tamen, ut Licinius querebatur, *absolveret cura familiari tam parva res,* quæ quia minor erat alendæ toti familiæ, marito, inquam, et conjugi cum liberis, plebem ab industria ad desidiam non avocaret.

VIII. Ad frumentum publicum admittebantur cives Romani tenuiores, sive ingenui essent, sive libertini, sive nobiles, sive obscuri, dummodo Romæ domicilium haberent. De tenuioribus non est quod dubitemus. Accepisse nobiles et consulares discimus ex Cicerone, qui, lege lata Sempronia Pisonem frugi, consularem hominem, ad accipiendum frumentum venisse ait. *Tuscul.* III. 48. Quod Gracchus cum videret, non objecit Pisoni avaritiam indignam viro consulari: quod sane fecisset, si a publico frumento civem nobilitas arcuisset. Quærit ab eo tantum, *qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserat.*

Eorum, qui frumentum caperent, nomina descripta in *Album* referebantur. *Dio, lib.* 39. Et ut ne quis se obstruderet, singulis mensibus per eum qui frumento distribuendo præfectus erat, recensio ante largitionem fiebat in campo Martio nominum eorum, quos fas erat capere frumentum. Ejus recensionis tabulæ conficiebantur, quæ in æde Nympharum asservarentur. *Cic. pro Milon. cap.* 27. Sunt qui velint id per censores fieri solitum, et qui tabulas recensionis *Censorias* appellent. *Casaub. ad Suet. Jul. cap.* 41. *Manut. ad Cic. ubi supra.* Sed eos refellit Dio, ubi supra.

Ut fraudibus certius occurreretur, recensitis, et in *album* descriptis singulis dabantur tesseræ, quas *Tesserario* ostenderent frumentum accepturi. *Tessera* fit a Græco τέσσαρα, quatuor, quod haberet quatuor latera. Nam ligneum fuit frustillum, oblongum: vel alius cujusvis figuræ. Ejus latera inscriptum habebant nomen consulum, et civis ejus cui dabatur; diem mensis; et has litteras SP. seu, SPECT. id est, *spectata;* quo significabatur eam tesseram spectatam fuisse, veramque eam esse, et probatam. Vide *Reines. Inscript.* LX. *class.* V. Sunt tamen qui has litteras interpretentur de gladiatoribus, qui spectati satis rude donabantur. *Schot. Nod. Cicer.* II. 6. Tesserarum schemata exhibet Montf. *Antiq. Tom.* 3. *Tab.* 186.

IX. Jam ad numerum accipientium, hoc est ad alias tenebras pergimus. Censet Contarenus, certum et definitum non fuisse ante legem Semproniam; tum quia raræ et incertæ erant largitiones, tum quia nunc major, nunc minor frumenti numerus Romam advehebatur. Lege Gracchi, legibus Apuleia et Livia de hac re cautum fuisse minime est dubitandum: at earumdem legum beneficio quot acceperint, nusquam diserte significa-

tum reperi: sed ex Ciceronis presso vestigio rem subodorari posse videor. Is, *lib.* III. *cap.* 30, orationem sic ad Verrem convertit. *Imperas*, inquit, *ut Agyrinenses decumas accipiant; Apronio dent lucrum, tritici medimnum* XXXIII. *millia. Quid est hoc? Una civitas ex uno agro, plebis Romanæ* PROPE MENSTRUA CIBARIA *prætoris imperio donare Apronio cogitur!* Sic Tullius. Porro Romanæ plebis nomine aut intelligenda plebs universa, aut illa solum plebecula, quæ frumenti largitionibus alebatur. Plebs universa nullo modo intelligi potest. In Urbe enim omnium, quas sol aspiceret, maxime frequenti quis non facile concedat illo ævo fuisse amplius quadringenta millia hominum de plebe?

Huic tantæ multitudini ducenta millia medimnum menstrua vix satis fore subducta ratione comperiemus, ut singulis tribuerentur tantum modii terni, seu semi-medimnus. Qui numerus frumenti ab his triginta tribus millibus medimnum abest tam longe, ut nullo modo tam impudenti mendacio fucus fieri judicibus potuerit. Intelligenda igitur est apud Ciceronem plebs illa, seu plebecula, cui annona menstrua donata fuit lege Terentia eo triennio, quo Siciliam Verres administravit. Porro Agyrinenses Apronio XXXIII. millia medimnum donare coacti sunt *plebis Romanæ prope menstrua cibaria*, inquit Cicero: sed hoc verbum, *prope*, cum addit, oratorie imminuit modum frumenti quod donabatur menstruum, ut furtum Verris tanto magis augeat, quo propius ad illum ciborum menstruorum modum accedat. Hæc est, ni fallor, mens Contareni, quem Grævius; quia non eam assecutus est, male reprehendit, *ad lib. tert. Accus. pag.* 57.

Ciceronem igitur habemus auctorem triginta tria millia medimnum donata fuisse Romanæ plebeculæ lege Terentia: atque illa *prope* satis fuisse ad cibum plebis menstruum: ita ut si ad illa XXXIII. aliquot millium medimnum accessio fiat, numerum medimnum alendæ plebi necessarium habituri simus. Hac igitur quasi face prælucente progrediamur conjecturis quam minime audacibus.

Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, et producamus vel ad L millia medimnum: ita ut ad illum Ciceronianum numerum fiat tertiæ partis, hoc est, septemdecim millium accessio: quæ sane gravior ei non videbitur, qui tantisper attenderit ad illud Oratoris artificium quod proposui. Medimna singula modios Romanos capiunt sex. Ergo quinquaginta medimnum erunt trecenta modium millia; quæ sufficiunt hominum sexaginta millibus alendis, ut modus frumenti fuerint in singulos modii quini. Aut igitur hæc ipsa, aut circiter, mea quidem sententia, hominum multitudo lege Terentia publicum frumentum accepit. At senatus-consulto cujus auctor fuit M. Cato, Contarenus admissa ad frumentationem fuisse hominum millia circiter centum, conjicit ex sumptu, quem factum quotannis in eam rem tradit Plutarch.

Clodia lex remisit semisses et trientes, sed accipientium non auxit numerum, qui postea, cum per seditiones et bella civilia plurimi irrepsissent nullo jure in has largitiones, adeo crevit, ut esset anno Urbis 707. tercentum viginti millium: quem Cæsar, recensione facta, retraxit ad centum quinquaginta millia. *Sueton. in Jul. cap.* 41. Hunc numerum Augustus produxit ad ducenta hominum millia. *Ex Monum. Ancyr.*

X. Pulsis regibus, procurationem rei frumentariæ, seu annonæ, id est, curam emendi frumentum in provinciis et Romam mittendi, suscepit senatus. Mox ædilibus plebis hæc reipublicæ pars mandata est; semel extra ordinem ad L. Minutium, deinde ad ædiles curules translata, diuque gesta præclare: fortasse usque ad legem Terentiam. Sane constat

ex Asconio, *Argum. in Cornel.* septennio post eam legem prætorem de majestate curam gessisse frumenti publici.

Lege Clodia Sex. Clodio homini impurissimo procuratio frumenti, quod uspiam fuit, tradita est. *Cic. pro Dom. cap.* 25. Eidem erepta anno sequenti, et Cn. Pompeio extra ordinem toto orbe terrarum in quinquennium est delata. Africa capta anno Urbis 709. Julius Cæsar jussit viginti myriades, id est, ducenta millia medimnum frumenti ad alendum populum Romanum advehi; et olei librarum myriades ccc. id est, tricies centena millia; duosque curatores, et totidem Cereales ædiles institnit, qui hoc frumentum Romam advehendi, et populo distribuendi curam haberent. *Dio, lib.* 43. Annonæ procuratio ad consules etiam pertinuisse videtur ex eo, quod, cum inopia laboraretur anno Urbis 315, tribuni consulum negligentiam accusarint, quasi eorum culpa accidisset, ut populus fame premeretur. *Liv.* IV. 12.

XI. Dum stetit Respublica, iidem ferme, qui annonam procurabant, ædiles sive plebis, sive curules, frumentum populo distribuerant. At Gracchus ipse præfuit, aut saltem adfuit, ut patet ex Cicerone, *Tuscul.* III. 20. cum ejus lege frumentum plebi daretur. Post legem Terentiam verisimile est prætorem, ut gerebat curam frumenti advehendi, ita etiam illud distribuendum curasse. Pompeius extraordinaria annonæ præfectura ornatus, frumentum etiam donavit.

XII. Jam dixi frumentarias Romanorum provincias fuisse primum Italiam; maxime vero Etruriam. At anno Urbis 262. cum annonæ caritas esset summa ex incultis agris per secessionem plebis, missi qui frumentum compararent non modo hinc in Etruriam, illinc per Volscos, usque ad Cumas; sed quæsitum in Sicilia quoque: unde vis magna frumenti advocata est, partim coempti, partim a Gelone Syracusarum tyranno dono accepti. *Liv.* 11. 34. *Dion. Hal.* VII. 1.

Aliquanto post subacta Sicilia, ingentem frumenti numerum aut decumarum, aut emptionis nomine, quotannis Romam misit. Deinceps domita Africa, pendit et ipsa victrici Reipubl. vectigal annuum frumentum. Denique, ut quæque provincia ferax frumenti, Romanorum ditioni subjecta est, statim nutrix pro sua parte facta est plebis Romanæ. Harum præcipuæ fuerunt Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Bœotia, Macedonia, Chersonesus, Asia, Syria, Ægyptus: e quibus omnibus, si Ægyptum excipias, quæ non, nisi post funus Reipublicæ, provincia ab Augusto facta est, frumenti maximus numerus Romam advectus est, aut publici ex vectigalibus; aut senatus-consulto empti; aut privatim a mercatoribus. Harum provinciarum meminit Cicero, *lib.* I. *in Verr.* passim; et *pro leg. Man. cap.* 12. ubi Siciliam, Africam, Sardiniam, tria fuisse testatur frumentaria subsidia Reipublicæ.

Diximus quantum frumenti numerum Sicilia suppeditaret. Africani frumenti modum statuere non ita promptum est. Nam quod ait Plutarchus, *in Cæsare*, Cæsarem Africano bello confecto reversum, in concione fuisse gloriatum, se regionem subegisse tantam, ut ex ea quotannis populus Romanus præter olei pondo tricies centena millia, perceptnrus esset frumenti ducenta millia medimnum Atticorum, hoc est, duodecies centena millia modiorum Romanorum, id nos in eo constituendo leviter adjuvat. Cui enim persuadeatur tam exiguum vectigal ab Africa, universa, feracissima regione, exactum fuisse? Aut igitur in referendo dicto Cæsaris lapsus est, ut sæpe in rebus Romanis scribendis, homo Græcus; aut hæc de quibusdam tantum Africæ civitatibus, ut vult Contarenus, accipienda sunt. Neque nobis prælucet in re tam obscura Josephi locus ex

oratione Agrippæ ad Judæos, (*de bello*, 11. 16.) qua eos a bello contra Romanos suspiciendo dehortatur. In ea rex ille affirmat Africam octo mensibus populum Romanum alere; Ægyptum quaternis. In quo suæ causæ magis, quam veritati, eum servire apertum est. Si enim ita se res habuerit, nihil frumento tanto ex tot aliis provinciis importato opus fuerit. Importatum tamen fuisse ex supra memoratis provinciis constat ex Plinio, XVIII. 7. Aliis etiam argumentis refelli possit Agrippa. Sed quia ista magis ad Imperatorum, quam ad Reipublicæ tempora pertinent, supersedeo de ea re plura loqui.

Addam coronidis vice, largitiones non modo per senatum aut magistratus, sed per privatos etiam homines aliquando, præsertim testamento factas fuisse: ut suspicari licet ex Horatio, 11. *Sat.* 3. 84. Neque frumentum solum, sed et oleum etiam populo donatum. Memoratur Ciceroni II. *de offic. cap.* 17. M. Seius ædilis curulis anno Urbis 679. qui, ad ineundam a populo gratiam, revocavit longo intervallo veterem annonæ vilitatem de suo; et asse modium populo dedit. Idem ille M. Seius olei quoque denas libras, rem hoc ævo prope incredibilem, singulis assibus præstitit populo Romano, per totum annum. *Plin.* XV. 1.

ACTIONIS SECUNDÆ

IN C. VERREM

LIBER QUARTUS.

DE SIGNIS.

ORATIO IX.

Cap. 1. *Neque textili*] Sic ediderunt Grævius, et Verburgius. Itaque aut ex priore membro subintelligenda est præpositio, *in*; aut, quemadmodum in libris est, teste Grutero, iteranda, hoc pacto, *neque in tabula, neque in textili*. Picturæ in tabula, sunt Gall. *des tableaux*. Picturæ in textili, Gall. *des meubles en broderie de petit point*. Sunt ornamenta quæ acu pinguntur in textili, hoc est, in panno e lana, &c. contexto. Nam, *textile*, hic est substantivum, uti apud Liv. XLV. 35. ubi habes, *regia textilia*. Legebat Victorius: *Nego ullam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuisse:* quod non mihi sane displicet. Cur enim Cicero minus recte dixerit *picturam textilem*, quam Virgil. Æn. III. 483. *picturatas vestes?* id est, pictura decoratas, inquit Servius; ea nimirum, quæ lana diversi coloris, et acu efficitur. HORTENSIUS.

Quod ad oculos, animumque accidit] Vict. et Man. *Quod oculos animumque accenderit*, id est, cupiditate permoverit. CAMERARIUS.

Cum apud tuos Mamertinos inveniare] Sic habent omnes editi libri. Puto tamen legendum, *inveniere*, ut respondeat *ni perspicietur*, quod præcedit. HORTENS.

Cap. 2. *Sacrarium*] Domesticum, seu Lararium, in quo Lares, et Dii domestici colebantur. Solebant ibi veteres non Deorum tantum, sed

magnorum quoque virorum, aut eorum quos præcipue admirarentur, imagines habere. *Suton. in Vitel. cap.* 2. *Lampr. in Sever. cap.* 29. IDEM.

Idiotas] Græca vox, privatos significans. At quia privati homines usu magnarum rerum carentes, earum judicium nullum adipiscuntur; *idiota* sæpe usurpatur, uti hic, pro *imperito*. IDEM.

Praxitelis] Insignis fuit statuarius, natione Græcus; duabus præcipue Veneribus, quas e marmore fecerat; et quarum unam Coi, alteram Cnidii ab ipso artifice emerunt, nobilitatus. *Plinius*, XXXIV. 19. et XXXVI. 4. ed. Hard. Floruit Praxiteles circa annum 360. ante Christum. HORT.

Ejusdem modi] Id est, marmoreum etiam. Cupidinem illum e marmore Pentelico, Praxitelis operum præstantissimum, Phryne meretrix ab ipso Praxitele dono acceptum Thespiis, patriæ suæ donavit. *Athen. lib.* 13. Quo astu mulier ab ipso artifice expresserit hoc signum, operum illius absolutissimum, docet *Pausan. in Att. cap.* 20. Phrynen, inquit, amabat Praxiteles. Illa cum ab hoc sibi depoposcisset statuam, quæ esset ejus operum pulcherrima, non sane renuit Praxiteles. Verum quia ipse de suis operibus judicium facere pertinaciter recusabat, hoc astu id ab eo mulier expressit. Subornavit servum, qui accurrens nuntiaret, Praxitelis officinam igne correptam conflagrare; bonamque ejus operum partem jam flammis haustam esse: non omnia tamen adhuc periisse. Ibi tum exanimatus Praxiteles foras exsilit, et, Actum est, inquit, de laboribus meis, si Satyro et Cupidini flammæ non pepercerunt. Tum Phryne eum bene sperare jubet: nihil triste ait accidisse; sed illum dolo cogere voluisse, ut, quod pulcherrimum operum suorum esse judicaret, confiteretur. Atque ita sibi illa Cupidinem delegit. IDEM.

L. Mummius] Qui, excisa Corintho, de Achæis triumphavit, anno 608, et *Achaicus* est appellatus. IDEM.

Thespiis ea] Turneb. emendabat, *Thespiadas*, hoc est Musas, a Thespiis Bœotiæ oppido.

Cap. 3. *Myronis*] Natus Eleutheris, Bœotiæ in oppido, Atheniensi deinde civitate donatus est; quare Atheniensis a Pausania semper appellatur. Statuarius fuit insignis, quem nobilitavit maxime bucula ex ære, in quam epigrammata Græca diversorum poetarum, plenissima elegantiæ ac leporis, ferme quadraginta reperies in *Anthologia* IV. 7. Varia Myronis opera recenset cum laude *Plin.* XXXIV. p. 650. edit. Hard. HORT.

Canephoræ] Cereris ministræ. Alii et hic, et infra cap. 8. *Canephoros* legunt, Græcorum more, apud quos illæ virgines Κανηφόροι dicebantur.

Polycletum] Statuarius fuit celebris: floruit iisdem, quibus Myron, temporibus. Ejus opera recenset *Plin.* XXXIV. *p.* 650. IDEM.

Commodis hospitum] Rebus, quas hospites commodabant. IDEM.

Cap. 4. *Ad hereditatem sacrorum non quærebat meretricis heredem*] Romæ unaquæque familia sua sacra, gentis suæ propria habebat: quæ gentilitia vocabantur, et perpetua esse jubebantur lege XII. tabul. Itaque, bonorum heredem, sacrorum quoque heredem esse oportebat. Cicero lib. de Legib. II. HOT. Vetus editio et Pall. *an hereditatem sacror.* Grut. *in hereditatem.* Cujacii liber, *in hereditate*, quod videbatur probatum Gulielmio. GRUT. *In hereditate* est in Regio quoque, ut omnino legendum, et post *sacrorum* interpungendum cum Regio et Francii libro. *Se relictum sciebat in hereditate sacrorum.* In hereditate, in qua cernenda sacra quoque illa gentilitia fuerunt ei obeunda. Inter quæ fuit etiam cultus hujus Cupidinis. GRÆV. Tibi, ut Grævium sequaris, auctor sum. Religio tamen mihi fuit, a lectione quam tuentur principes nostri editores quatuor, discedere. OLIVETUS.

Cap. 5. *Si qui*] Nota syllepsim. Nam, *qui*, non refertur ad τὸ *municipium*, ut videtur; sed ad vocem, *servus*, quam animo concipiebat Orator, cum hæc scriberet. Vide *Sanctii Min. lib.* IV. *cap.* 10. An licebat, inquies, si quis servus Romæ, antequam prætor proficisceretur, esset demortuus, alterum in ejus locum emere in provincia? minime: verum id licebat tantummodo, cum servus erat in provincia mortuus. HORTENSIUS.

Cap. 6. *Cupidinem Praxitelis*] Juvat me audire Cupidinem Praxitelis non pluris æstimatum et emptum a Verre fuisse, quam mille sexcentis sestertiis (Gall. 160. *liv.*) Sed totus hic locus per ironiam tractatur. Notum ex *Plinio* quanti artificum illorum opera olim æstimarentur. Narrat *lib.* XXXVI. *pag.* 726. regem Nicomedem voluisse a Cnidiis mercari Venerem ejusdem Praxitelis, de qua infra, cap. 60, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissolvendo. Idem narrat lib. XXXIV. pag. 650. de Polycleto, *Diadumenum eum fecisse juvenem, centum talentis*, (Gall. 244453. *liv.*) *nobilitatum*. HORT.

Cap. 7. *Sola laudat*] Oratorie: nam et Syracusana etiam civitas, inquit *Manutius*, Verrem laudavit. Infra, cap. 63. et Divinat. cap. 4. Sed decreta tantummodo hæc laudatio fuit; soli enim Romam iverunt laudandi causa Mamertini legati. Itaque Tullius vere dicit, *sola laudat*. IDEM.

Ne forte] Joci genus: quasi civitas id spectaverit, cum legatum misit: quod ei certe propositum non fuit. Ipse tamen utrumque fecit, et faciet. MANUT.

Cap. 8. *De Cybea*] Erat navis oneraria rotunda, Siculo nomine sic appellata, quasi *Cypea*, a cupæ similitudine: sed et *cupa*, unde cybea nomen est sortita, genus navis est, teste *Hesychio*. Vide *Turneb. Advers.* 25. *cap.* 5. Quadratam eam navem fuisse volunt, qui cybeam deducunt a Græco κύβος, *cubus*, qui corpus est ex sex lateribus æquali latitudine planicierum quadratum. *Vitruv. lib.* 5. *Præf.* At naves quadratas veteribus cognitas non fuisse contendit *Grævius* ad hunc locum; et dubitat an non scribi debeat *cymbia*, pro τῇ *cybea*. HORTENS. Cur non a *cymba* formetur a Græcis Siculis *cymbia*, genus navis paulo majoris? GRÆV.

Quia dixit] Subauditur, Hejus in in prima actione. *Tempore dato*. Nactus occasionem querendi. *Proximus fuit religioni suæ*, id est, a sua religione non discessit. Notanda locutio. Sic Phædrus, lib. I. fab. 10. *Negabat illa se esse culpæ proximum*, id est, ream. HORT.

Ignominia] Decreto nimirum, quod senatus Mamertinus daret, quo pœna constitueretur in eum, quasi contra voluntatem fecisset ejusdem senatus, cum de Verre apud senatum Romanum questus est. IDEM.

Cap. 9. *Ingratis*] Invite: pro quo Comici dicunt *ingratiis*. GRÆVIUS.

Procedat] Succedat ex animi tui sententia. Metaphora sumpta de histrionibus, numerum in motu servantibus. Parad. 3. circa finem: *Histrio si paulum se movit extra numerum, exsibilatur, et exploditur*. MANUT. Vel, hæc laudatio unius civitatis, sit tibi pro numero decem civitatum, qui numerus in istiusmodi laudationibus usitatus, et quasi legitimus est. HOTOM.

At publice commodasti] Si minus singulis civibus, tamen universis profuisti. Rempub. enim eorum adjuvisti, cum ei quod populo debebat, remisisti. GAUT.

Cap. 10. *Phaselis illa*] Urbs est Pamphyliæ nobilis, olim piratarum receptrix, quam Strabo lib. Geograph. XIV, Zenicetii piratæ fuisse scribit: qui, cum Olympum montem Servilius Isauricus cepisset, sese cum universa domo cremavit. HOTOM.

Vict. Man. *non fuerunt*.

Huic Mamertini irati fuerunt] Applicantur ab aliis isthæc Verri. Nos Catoni accommodanda duximus. Sane Lambinianus codex, item Cujacianus, nec non Gruterianus, (adde Regium) haud agnoscunt illud nega-

ſivum hactenus vulgatarum, *irati non fuerunt:* itaque expunxi. GRUT.

Verrea] Dies festus, in honorem Verris institutus. MANUT.

Crux] De qua libro V.

Cap. 11. *Pompeii sunt*] Id est, vocantur; quia cives Romani et ipsi per Cn. Pompeium facti, ejus nomen etiam de more sumpserunt. HORT.

Frater] Patruelis, qui cum Cicerone in Siciliam ad inquirendum in Verrem profectus est. MANUT.

In minuendo] Franc. *imminuendo honore*, ut et nonnulli editi. Solet Tullius in his loquendi generibus, quæ frequenter apud eum occurrunt, omittere præpositiones. GRÆVIUS.

Quorum civitati] Id est: Quibus invidetis, quia jam cives Romani sunt. *Incolis vestris*, civibus Romanis qui apud vos in urbe vestra habitant. *Incola* dicitur qui urbem habitat sine civitatis jure. HORTENS.

Cap. 12. *Quid?*] Ordo est, Quid? oblitus es ab eodem Hejo emere, hoc est, in tabulas referri jubere, te emisse illa peripetasmata, (Gall. *des tapisseries*) *Attalica*, id est, auro intertexta, qualia rex Asiæ Attalus primus invenit. *Plin.* VIII. *p.* 476. *Emere oblitus es!* Facete. *Licuit* emere, seu emptionem simulare; *eodem modo*, Hejum cogendo nimirum ut scriberet in suis tabulis, tibi a se illa vendita fuisse, quemadmodum jussus a te scripserat, signa, id est, Cupidinem et Herculem, se tibi vendidisse. HORT.

Phaleras] Ornamenta equorum, et equitum. V. Hard. ad Pl. VII. p. 390.

Cap. 13. *Cybiratæ*] Cybira, unde Cybiratæ, urbs fuit Ciliciæ, in qua Verres fuerat, Dolabellæ prætoris, legatus. HORT.

Inanibus syngraphis] Interpretor, eas, ex quibus exigi nihil jam potest, quia solutione liberatæ sunt. Auctorem sequor *Ulpianum*, *Digest* X. *tit.* 4. *l.* 18. ubi ait *solutione chirographo inani facto;* ad quem locum *Gothof.* Inane fit chirographum, solutione debiti facta creditori. IDEM.

Cap. 14. *Hydriam*] Magnum erat vas aquarium; vel etiam vino servando idoneum, plerumque lapideum. *Est certum genus Ophitis, ex quo vasa etiam, et cados faciunt. In Siphno lapis est, qui cavatur, tornaturque in vasa coquendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus.* Plin. lib. 36. p. 752. Urnarum lapidearum meminit Homerus Odyss. lib. 13. vers. 105. Illam Pamphili et argenteam, et cælatam fuisse verba Ciceronis faciunt ut credam; quia ejus et opus, et pondus memorat. HORT.

Boethi] Sculptoris, de quo Plinius XXXIII. 12, et XXXIV. 8.

Sigillatos] In quibus figilla quædam insculpta sunt, ut deorum, ut animalium. HOTOM. Non fuerunt insculpta, sed sigillis, hoc est, icunculis ex ære aut argento factis ornata. Sigilla enim sunt parva signa, seu parvæ statuæ. GRÆVIUS.

Cap. 16. *In donatione histrionum*] Significat, opinor, largitiones, quæ histrionibus fieri solebant: si qui præter cæteros populo placuissent. HOTOM.

Compone] Ede mihi scripta simul hæc tria, quid argenti pararis in Sicilia, unde quidque emeris, quanti emeris. MANUT.

Cap. 17. *Promptissimi hominis*] In agendis rebus. IDEM.

Mensam citream] Ejusmodi mensæ maximo erant in pretio. Memoratur illa Ciceronis empta H-S decies (Gall. 100000. *liv.*) *Plinius*, XIII. 29. ubi disserit de mensarum illarum dotibus, et insania. HORT.

Scaphia cum emblematis] *Scaphia*, sunt *scyphi* instar scaphæ facti. HOT. Emblemata sunt signa, seu sigilla Deorum, hominum, animalium, quæ pateris, scyphis, aliisque vasis poterant inseri, et ab iis revelli, et aliis rursus illigari. Vid. Salmas. Exerc. Plinian. p. 736. ed. nov. GRÆVIUS.

Cap. 18. *Toreumata*] Non est idem *sculpere* et *cælare*. Τόρευμα Græcis proprie argentum cælatum. Cælatura autem extantes figuras ostendebat, et extra corpus materiæ prominentes. Sculpebantur vero, quæ cavabantur.

Hodie fere tantum scalpitur et cavatur argentum, ex quo pocula fiunt: apud veteres tamen frequentius cælabatur argentum figuris extantibus. Salmas. in Exerc. Plin. ubi vide plura IDEM.

Heraclea] Lambinus, aliique haud ignobiles Critici malunt *Thericlea*, sive *Thericlia*, ab inventore seu artifice Thericle, de quo Plinius et Pausanias. Vulgatæ adhæret Turneb. advers. VIII. 10. Vide item Salmasii Exerc. Plin. p. 734.

Mentoris] De quo Plin. XII.

Salutem viri] Amphiarai vatis: quem latentem, ne ad bellum Thebanum iret, quod ibi se periturum ex auguriis noverat, aureo monili corrupta uxor Polynici prodidit. MANUT.

Cap. 19. *Vasa collegerat*] Vasa, id est, impedimenta, milites colligunt castra moturi: jocus est: quia sua vasa, id est scyphos, Diodorus abstulerat. IDEM.

In Sthenio] De quo Act. I. Verr. cap. 34.

De reis eximit] Diodori absentis nomen, quod reorum in album referri jusserat, delet. HORT.

Cap. 20. *Equuleos argenteos nobiles*] Equulei sunt pulli equini: sunt etiam tormenta quædam: hic videntur esse vasa cælata, cum aliqua fortasse equi forma, unde nomen acceperint. Subjungit enim infra de his ipsis equuleis: *Vende mihi vasa cælata*. MANUT.

Qui Q. Maximi fuerant] Vide, ne rectius legatur, *quique maximi fuerant*, hoc est, pretiosissimi, quique venire potuerant plurimo. Adjuvat conjecturam Priscianus, qui hæc laudat in fine libri III. *quique maximi fuerant*. GULIELMIUS. Accedit his Regius, in quo, *quique maxime fuerant*. GRÆVIUS.

Credo, etiam tabulæ proferentur] Ita ediderunt omnino omnes, et ipse Hortensius: cui tamen hæc eadem retractanti venit in mentem apponere notam quietis post verbum *Credo*, hoc modo. Dicet Verres, *Emi: pecuniam solvi*. Respondebit Cicero, *Credo*. Addet Verres, *Etiam tabulæ proferentur*, id est, proferam tabulas, quibus confirmabo ea me emisse. Refert Cicero, *Est tanti*, &c. Quovis modo legatur, vide hic subesse ironiam. Qui enim Verres annorum illorum tabulas proferat, quas jam se confessus est nullas habere? OLIVETUS.

Cap. 21. *Patella*, &c. Vide Turneb. Advers. lib. VIII. cap. 10.

Cap. 22. *Purum*] Hoc est, sine emblematis. MANUT.

Purus] Nudus, inanis.

Quasi festivum acroama] *Acroama* Græce auditionem significat: Latini pro festiva narratione, et pro eo item qui festiva narratione auditorum animos exhilarat, usurpant. Tales plerumque adhiberi solebant locupletum convivis, qui convivarum animos exhilararent: iisque dari corollaria solebant. HOTOMAN. Vide Plutarch. Sympos. lib. VIII. Problem. 8.

De loco] De tribunali. Hoc additur, non ad veritatem, sed ad amplificationem. HORT.

Cap. 23. *Proagorum*] Proagorus est Dorica ratione, quam Latini æmulantur, et Siculorum, lingua erat, qui ab aliis πρόηγορος dicitur, qui princeps est, et ante alios verba facit. TURN. Ad. VIII. 10.

Cap. 24. *Ut ipse*] De industria mea *detraham*, quæ nulla est in hac accusatione, in qua omnia sunt summæ facilitatis. *Illos ego* accusatorum nomine vere dignos fuisse puto, qui occulta hujusmodi hominum furta perquirere cogerentur. HORT.

Dicis causa] Usurpatur a veteribus pro, ad speciem: ut vere, ac serio factum videretur id, quod simulatione quadam factum erat. MAN. De hoc ipso admonere item debuerat Orat. pro Murena, cap. 12, ubi hæc verba, *Sed anne tu* dicis causa *vindicaveris*, quæ dicit intelligi non posse, poterant similiter explicari. OLIVETUS.

Cælatores] *Vascularii* sunt, qui vascula ex puro, hoc est, sine sigillis, argento faciebant; *cælatores*, qui sigilla vasculis aureis, et argenteis includenda cælabant. SALMASIUS.

Cap. 25. *Ad sellam*] In qua sedebat ipse prætor. MANUT.

Aliquot abacorum] Cum singuli abaci vasa multa capiant. IDEM.

Faceret vasa] Est colligeret, conquireret, ut *facere rem*, *exercitum*. GRÆVIUS.

Ut hic] Verres totam *verrendo* Siciliam probavit *Verris* nomen recte inditum sibi fuisse; sic Pisonis diligentia probavit non injuria illum *Frugi* cognominatum fuisse. HORT.

Cap. 26. *In cretula*] Et cera, et creta in obsignandis litteris veteres utebantur. Asiaticam cretam, qua publicani uterentur, Cicero nominat in oratione pro Flacco. MANUTIUS.

Lectos æratos] Cubiculares, et tricliniares erant lecti: illi, nocturnæ quietis causa; hi, unde cibum accubantes caperent: qui primum lignei, ut rude, expersque deliciarum priscum seculum fuit; deinde, corruptis peregrino luxu moribus, ærati, postremo etiam eburnei, argentei, aurei fuere. Et cum, ait Plin. XXXIV. 111, Cn. Manlium, devicta Asia, triclinia ærata, abacos, et monopodia primum invexisse triumpho suo, quem anno U. C. 567. duxit; lectos æratos, qui ponebantur in tricliniis, significat, non ipsa triclinia, quæ partes ædium erant, et conclavia dicebantur, a cubiculis diversa, in quibus non cœnabatur. IDEM.

Cap. 27. *Reges Syriæ*] Antiochum, et Seleucum intellige, quorum ille *Asiaticus*, quod in Asia fuerat educatus; hic *Cybiosactes*, dictus est; quem Berenice Ptolemæi Auletis filia, ad Ægypti regnum vocatum, non multo post interfecit. Antiochum cognomento *Asiaticum*, et *Callinicum*, et *Comagenum* Syriæ regem XXVII, et ultimum, Lucullus, pulso Tigrane, qui Syriæ regnum tenuerat annos octodecim, in avitum regnum restitui passus est, quod ei postea Pompeius ademit, et Syriam in provinciæ formam redegit, postquam in ea regnatum fuit, teste Eusebio, annis 250. Antiocho autem Comagenen provinciam in regnum reliquit. Sed ista aliquot annos post Verris præturam Siciliensem evenerunt. VAILLANT. *Hist. Reg. Syr.*

Antiochi] Cognomento *Eusebis*, seu *Pii*. Fuit Antiochi Cyziceni filius: matrem Cleopatram, quam Tryphœna interfecit; Selenen habuit uxorem. Circa annum Romæ 678. obiisse videtur. IDEM. *Can. Chron. historiæ Regum Syriæ.*

Nuper] Anno Urbis 680.

Obtinebant] Id est, obtinere debebant, utpote paternum, et avitum. Nam revera Syriam obtinebat adhuc, cum ii Romam venerunt, Tigranes: et obtinuit, donec quadriennio post, pugna infeliciter commissa cum Lucullo ad Tygranocertam, pridie nonas Octobr. anno Urbis 684, cæsoque ejus exercitu peditum 250000, Equitum 50000, Syriam reliquit, quam statim Antiochus, non invito Lucullo, recuperare conatus est. HOR.

Regnum Ægypti] Quod tenebat Ptolemæus Auletes, Ptolemæi Soteris II. seu Lathyri filius nothus; heres regni non legitimus. Is, ut Selenes filios Romæ esse, et a senatu Ægypti regnum postulare cognovit, per primores civitatis, quos muneribus suis corruperat, effecit, ut ne de possessione sua dejiceretur. Itaque Syri fratres re infecta discesserunt. VAILLANT. *Hist. Ptol.*

Ad Selenen] Selene filia erat natu minima Ptolemæi VII. qui dictus est *Evergetes* II. vulgo *Physcon*; et Cleopatræ. Physcon præterea duos ex eadem Cleopatra uxore susceperat filios, Ptolemæum Lathyrum, et Ptolemæum Alexandrum. Regnavit in Ægypto, post Physconis mortem, Lathyrus, cui frater successit Alexander: quo mortuo, Alexandrum secundum, hujus filium, Ægypti regem Sylla instituit. Is autem anno sexto regni sui pulsus, Tyrum secessit, ubi mortuus est sine liberis, saltem legitimis. Regia stirps igitur cum in eo deficeret, regnum ad Selenen, Physconis filiam, et ad ejus filios pertinere existimabatur. IDEM, *Hist. Ptolem.*

Temporibus Reipublicæ] Ratione

negotiorum, quibus tum Respublica distinebatur. Intelligit Orator duo bella difficillima, quæ tunc in Asia contra Mithridatem, et in Hispania contra Sertorium, gerebantur; quo prætextu per senatum, quem sibi jam Auletes largitionibus suis conciliaverat, exclusi fratres, re infecta, discesserunt. IDEM. *ibid.*

Trulla] Quid fuerit *trulla* præcise apud veteres, non satis liquet: aliter ab aliis definitur. Certe diminutivum est a *trua*, quod est ingens cochlear, quo cibus in ollis inter coquendum agitatur. Puto *trullam* hic sumi, aut pro vase potorio, *une coupe;* uti et apud *Horat.* 2. sat. 3. 144. (*Vide Alex. ab Alex.* III. 10. *et ibi Tiraq.*) aut etiam pro pelvi (Gall. *un bassin a laver*) Narrat enim Plinius, Tom. II. pag. 767. T. Petronium, cum jam esset moriturus, trullam murrhinam trecentis talentis (Gall. 732000. *liv.*) emptam fregisse. Ad quem locum Harduinus *trullam* interpretatur ex glossis *un bassin a laver:* et pag. 769. ait idem Plinius trullam unam *crystallinam* sestert. CL. millibus (Gall. 15000 *liv.*) emptam fuisse; vertit idem doctissimus interpres, *un bassin de cristal.* Quod autem trullam istam *ex una gemma* fuisse ait Cicero, non est quod a vero credas abhorrere, quasi nulla gemmarum magnitudo ad hanc amplitudinem accedat: si quidem Pompeius tertio suo triumpho, quem de piratis egit, transtulit alveum lusorium (Gall. *un damier*) e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. *Plin. lib. 37. cap. 6.* HORTENSIUS.

Cap. 31. *Q. Catule*] Ædes Jovis Capitolini conflagravit anno Urbis 670. Ejus restituendæ curam Sylla, tum Dictator, suscepit: eoque fatis prærepto, dedicavit Q. Catulus, qui sedebat in causa Verris judex. FER.

Cap. 37. *Ne ista præclara Nobilitas desinat queri*] Ironice dictum, et acerbe. In locum veniam hominis nobilis, sed ignari et inertis; neque tantum reipublicæ, verum etiam familiæ generisque sui dignitatem negligentis. Ut prælata ista nobilitas causam habeat semper conquerendi, quod populus Romanus hominibus novis atque industriis honores mandet, nobiles inertes prætereat. HOT.

Cap. 43. *Etenim iste*] Placet Hotomani conjectura totam hanc periodum loco motam fuisse; et aliquanto superius reponendam, inter illa scilicet verba *clam fecisset: cum ad suum scelus, &c.* et parenthesi includendam, hoc modo, *Quod iste, judices, cum clam fecisset: (etenim iste Agrigenti, credo, propter, &c.* usque ad illa verba, *aut tollere quæ placebant) cum ad suum scelus illud, &c.* HOR.

Osculari] Hunc in precando osculandi morem expressit Homerus, Iliad. A. 501. ubi Junonem Jovem precantem inducit. De mento Plinius lib. XI. cap. 45. *Antiquis Græciæ in supplicandis mentum attingere mos erat.* HOTOMANUS.

Intempesta] Ita dicitur nox media, qua nihil agi tempestivum est: seu qua omnia quiescunt. *Vide Serv. ad Æneid.* III. 587. ubi noctem in tempora septem distribuit. HORTEN.

Cap. 44. *Chrysus*] Ex auctoritate veteris quod est apud me numismatis, scribendum est *Crysas* sine aspiratione. In ejus autem numismatis una parte imberbis juvenis caput redimitum, prolixa cæsarie, quale Apollinis, impressum est cum titulo *Assoru*, pro *Assori*, ut *Menandru*, pro *Menandri*, herois (ut opinor) ejus, a quo Assorina civitas, quod ab eo condita fuerit, nomen accepit: in altera parte hoc ipsum, quod describit Cicero, *Crysæ* fluvii simulacrum incisum est, dextra manu urceolum retinens, sinistra copiæ cornu, descripto nomine *Crysas*, sine aspiratione. F. URSINIUS.

Æditui, custodes] *Æditimi*, legendum, et ita est in libris manuscriptis. Idem autem valet *æditimi*, quod *æditui*. De qua voce lege Gell. lib. 12. cap. 2. LAMBIN.

Matris magnæ] Cybeles.

Cap. 45. *Quid esse*] Lamb. et planius quidem: *quid esset factum;*

quemadmodum arbitrarentur signum esse ablatum.

Virorum] Non dubito quin *Virginum* reponendum sit: nam, (ut supra dixit) *sacrum hoc per virgines ac mulieres confici solebat.* HOTOMANUS.

Cap. 47. *Per tabellam*] Judices olim sententias voce dicebant; at Lucius Cassius tribunus plebis anno 616. tulit legem de suffragiis, seu *tabellariam*, qua sancitum est ut sententiæ deinceps per tabellas ferrentur. HORTENSIUS.

Earum autem rerum inficiandi] Notanda locutio: *Facultatem earum rerum inficiandi*, pro *eas res;* cujus locutionis similes aliis quibusdam locis observavimus. HOTOM. Vide Sanctii Minervam lib. III. cap. 8. et Gerard. Vossii in Aristarch. de Constructione librum, cap. 53. GRÆ.

Cap. 53. *Prytaneum*] Prytanea Græcorum erant Vestæ sacra, in cujus honorem perpetuus ibi ignis fovebatur. Nulla autem urbs fuit tota Græcia, quæ suum prytaneum non haberet. Vid. Casaub. ad Athen. XV. 19. *et* Ezech. Spanhemii dissertationem de Vesta et Prytaneis. GRÆ.

Tycha] A Græco τύχη, Fortuna: Dorice τύχα. HORTENSIUS.

Neapolis] Id est, Nova urba.

Temenites] Ita dictus a loco, qui τέμενος dicebatur. Vide Stephan. LAMB.

Cap. 54. Lamb. *domui suæ ornamento urbem futuram.*

Cap. 55. *Syracusanus*] Sic habent libri editi: verumtamen nescio an non legendum sit, *Syracusanis*, in dandi casu: quo modo Virg. Æneid. I. 482. dixit, *et sævum ambobus Achillem.* HORTENSIUS.

Cap. 56. *Argumenta erant in valvis*] *Argumenta* eodem modo dicuntur ut *signa:* quibus res aliqua significatur, et de re quapiam fit existimatio. Virgil. lib. VII. vers. 689, Turni arma describens:

Ar levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
(Argumentum ingens) et custos virginis Argus.

Quem in locum Servius interpres, *Argumentum*, ait, *fabulas, ut Cicero, Argumenta erant in valvis, &c.* HOT. Sane argumentum fabulam esse non solum ostendit Phædrus lib. IV. fab. 7:

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

Sic et fab. 10. ibidem, necnon ejusdem libri fab. 15. sed et Cic. de Invent. Rhet. I. 19. *Argumentum, est ficta res, quæ tamen fieri potuit.* Sed hic *argumenta* sunt historiæ sive veræ, sive fictæ, in ebore sculptæ. Ut apud Suet. Tib. 44. *Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione*, &c. GRÆVIUS.

Etiamne gramineas hastas?] Gramineæ, ut reor, dicebantur, quod iis in gramine et campo se exercere solerent. Nam ut Maro gramineam palæstram vocavit, quæ in gramine exercetur, *Pars in gramineis exercent membra palæstris*, eodem quoque modo appellari reor hastas gramineas, quibus in gramine velitarentur. TUR. Quæ hic aliorum somnia!

Cap. 57. *Silanionis*] De quo vide Plin. Hist. Nat. 34. 8. et quæ ibi notat Cl. Hard.

Jovis imperatoris, quem Græci Urion nominant] Vir exquisitæ ac reconditæ doctrinæ, Joannes Brodæus in suis Miscellaneis putat mendosum esse, *Imperatoris:* quod Jovem οὔριον, vel ἕριον, Græci finium præsidem appellent: idque Demosthenis, Dionysii, Arriani testimonio probat. Sane verbum Græcum, Imperatorem non significat: sed aliud fortasse Græcis, aliud Latinis nomen fuit: quod, qui terminis præesset, imperare, et arcere finitimos ab injuria videretur. Non enim præesset, nisi imperandi jus haberet. MANUT.

Parvum] Conjicit Grævius, *Parium*, id est, Parii marmoris.

Cap. 59. *Delphicas*] Erant abaci marmorei, tripodes; sic dicti, quod similes essent mensæ illi, cui Delphis insidebat Pythia oracula faciens.

Primo *Delphicæ* Delphis factæ sunt; postea quivis abaci ubicumque facti, ejusdem formæ, hoc nomine appellati sunt. *Harduin. ad Plin.* XXXIV. *pag.* 641. HORTEN.

Mystagogos] Græca vox. Fit ex duobus verbis; nempe μυστης, id est, initiatus sacris alicujus numinis; sacer numini cuipiam; et ἀγωγὸς, id est, dux viæ, dux itineris. IDEM.

Nisi forte] Argumentatur a repugnantibus, hoc sensu: Credibile non est Græcos homines signa, et tabulas pictas tum vendere voluisse, cum judicia severa Romæ fieri desierunt; quas res tam magno studio coemebant, cum judicia fiebant. Ratio est, inquit Lambinus, quia tum res emimus cum parvo constant: tum vendimus cum bene vendere licet. At cum Romæ judicia severa fiebant, signa, et tabulæ pictæ caro venibant, quia non metuebant earum rerum possessores, ne his a magistratibus Romanis spoliarentur. Contra vero post judiciorum dissolutiones, ista parvo pretio venire coeperunt, quia metus erat ne magistratus ea per vim extorquerent. Non ergo verisimile est Græcos homines istarum rerum tam cupidos, ut eas magno pretio emerent; easdem vendere voluisse, cum parvo vendere necesse haberent. IDEM.

Cap. 60. *Merere*] Lucrari. Notanda elegans locutio; *Ut hoc faciam, nolim mereri Deum divitias mihi.* Plaut. Men. I. 3. et sæpe alias. Cicer. 2. de Finib. *Quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia, &c.* Id est, quid pretii tibi postules dari, &c. Sic hoc loco: quid putatis pretii Rheginos velle sibi dari, ut, &c. quasi dicat, An putatis Rheginos pretio quantumvis magno posse adduci, ut, &c. HORTEN.

Vict. Man. *ne auferatur.*

Iidem. *ut ne.*

Pictam] Marmoream Praxitelis Venerem Coi, ut et Cnidii, habuerunt; teste Plinio. Sed hoc loquitur Orator de Venere illa, quam Cois etiam Apelles inchoatam reliquerat, invidente morte, ne totum opus absolveret. *De Offic.* III. 2. *et Famil.* IX. 1. *Plin.* XXXV. 697. IDEM.

Alexandrum] Magnum pinxit Apelles, fulmen tenentem, in templo Ephesiæ Dianæ, viginti talentis. Gall. 48890. *liv.* Plin. ibid. IDEM.

Ialysum] *Palmam habet tabularum Protogenis Ialysus, qui est Romæ dicatus in templo Pacis.* Plin. l. 35. pag. 699. In eam tabulam annos septem insumpsit Protogenes. Ialysum Solis nepotem Cicero vocat III. de Nat. Deor. cap. 21. IDEM.

Parulus] Heros, qui triremem struxit primus. Plin. VII. 56.

Cap. 61. *Propter Heraclii hereditatem*] De qua lib. II. cap. 14.

Nimia in istum non modo *lenitudine*] Nihil a lectione vulgata muto, nisi quod addo, *modo*, post negationem, *non*. Sed tamen non celabo lectorem amici cujusdam mei conjecturam; qui putat legendum, *lentitudine:* quam ego valde probarem, nisi Nonius reclamaret. LAMBIN. Lambinus invexerat, *non modo lenitudine:* quod et in Ms. Turnebi. Sed cum absit nostris Pall. et Grut. item edd. aliis omnibus, gratiosius subauditur. GRUT. Subaudiri non potest, sed ex Cujaciano et Reg. ista vox *modo* est reponenda cum Lambino, quam jamdudum hic excidisse sine libris conjecerat Manutius. Nec dubito quin Gruterus eam repositurus fuisset, si alius quam Lamb. id præcepisset. Huic enim quantum potest semper obloquitur. Præterea Tullium existimo scripsisse, *nimia in istum lentitudine. Lentitudo* enim proprie dicitur de iis, qui ferunt, quæ ferenda non sunt: in primis, qui uxorum licentiam non castigant; sed æquiore, quam decet, animo tolerant. Cicer. II. Tusculan. *Virum denique videri negant, qui irasci nesciat, eumque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso* lentitudinis *nomine appellant.* Ovid. Am. II. et ult.

Lentus es, et pateris nulli patienda marito. Et epistola Helenæ:

Tu fore tam lentum justa Menelaon

in ira? Vocabulum *lentitudo* non intellexerunt scioli; ideo perverterunt in sibi notius *lenitudo*. GRÆVIUS.

Carpinatii] Vid. lib. II. c. 70.

Verrutios] Ibid. c. 76.

Cap. 62. *Quantum dicendo*] Quantum Latine poterat dicere: nam Græca lingua Siculi, prave licet, vulgo tamen utebantur. HORT.

Inventorem olei Deum] Aristeum, de quo paulo antea. Et est argumentum ex repugnantibus. Non et ille palæstram diligit, in qua oleum et unctiones necessariæ sunt; et olei inventorem Deum sustulit. Sed respondere poterat, non olei se odio Aristeum, sed quo ipse unctior esset, in ædes suas sustulisse. HOTOM.

Cap. 63. *Eum qui summam potestatem haberet*] L. Metellum, quem satis acriter hoc loco pungit. IDEM.

Cap. 64. *Mos est Syracusis*] Hoc eo dicit, quia Romæ dissimilis erat ratio sententiarum in senatu dicendarum. Nam post comitia consularia consules designati primi rogabantur, et eorum is prior, qui priore loco declaratus esset. Ante comitia is, qui a censoribus princeps senatus lectus erat: ii deinde quos consulibus videbatur, ita tamen ut ne prætorium consulari, ædilitium prætorio, tribunitium ædilitio anteferrent, auctores Sallustius et Gellius. At in augurum collegio Romæ, fere eadem quæ in senatu Syracusis. Sic enim Cicero in Catone, *In collegio nostro ut quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet, neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur*. IDEM.

Moræ] Ut decreto moram afferant, eos qui sententiam dicebant, multi interpellant, dicentes sese velle antea de Sex. Peducæo sententiam dicere. Is autem fuerat prætor in Sicilia anno 678, ex qua reus deinde factus est, ut colligere est ex hoc loco: quo eventu, non mihi liquet. Verba tamen quæ sequuntur, faciunt ut eum absolutum credam fuisse. HORTEN.

Dicit] Subauditur, senatus-consultum, id est, ex ipsa senatus-consulti lectione audistis eorum nomina, qui primi sententiam dixerint. Sed quinque hæc verba, *dicit qui primi suaserint, decernitur*, absunt ab aliquot manuscriptis: et recte absunt. HORTENS. Videntur hæc verba, *dicit qui primi suaserint*, in margine a nescio quo fuisse scripta, qui vellet interpretari superius illud, *principum*. OLIV.

Fecisse laudationem] Est locus ὕπουλος. *Facere laudationem* non fert Latine loquentium consuetudo. Puto Ciceronem scripsisse: *Ejusmodi senatus-consulti fuisse laudationem*. GRÆV.

Cap. 65. *Hospitium*] Quid sit hospitium facere cum aliquo, docebit Tomasinus de tesseris hospitalitatis, cap. 2.

Discessio] Igitur, item ut Romæ, sic in Sicilia senatus-consulta per discessionem fiebant, hoc pacto. Dictis sententiis consula aut is qui cum imperii insignibus et lictoribus erat, eam, quam ipse magis e republica ducebat, primam pronuntiabat: tum his verbis utebatur: Qui mecum sentitis, huc transite: qui alia omnia, id est, contrarium sentitis, (sed hoc verbo ut mali ominis, abstinebat) in aliam partem abite. Tum senatores, pro ut quisque sentiebat, in hanc, vel illam partem discedebat. Hinc natæ locutiones illæ, *discedere in sententiam alicujus; ire in alia omnia, &c.* Id est, sententiam alicujus vel comprobare, vel reprobare. *Discessionem facere*, id est, sententiam suam declarare, eundo nimirum in partem illius, cujus placet sententia. HORTENSIUS.

Prætor] L. Metellus qui aderat, *appellatur*, ut nimirum senatus decreto intercedat, et ut illud de Verris laudatione tolli non sinat. Porro uti Romæ tribunos plebis, sic in provinciis, populi Romani magistratus appellari, ad eosque provocari jus erat. IDEM.

Cæcilius] Is est, cum quo Ciceroni, de accusando Verre, contentio fuerat; de qua *Divinatio* extat oratio. Sed quia libri variant in hoc nomine; et quia ne vestigium quidem occurrit

in ea oratione facti hujus, quod, si verum esset, Cæcilio sane objecisset Cicero; pro Cæcilio Cæselium, de quo infra, lib. 5. cap. 25. reponi vult Gruterus. IDEM.

Cap. 66. *Quod ego in senatu Græco verba fecissem*] Valer. Maxim. lib. II. cap. de institutis antiquis, *Magistratus*, inquit, *prisci, quantopere suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi Latine responsa darent: quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, exoussa, per interpretem loqui cogebant: non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia et Asia: quo scilicet Latinæ vocis honos, per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris, et suavitate litterarum imperii pondus et auctoritatem domari.* Hæc ille. Ab eadem etiam, opinor, ratione falsam credidit Plutarchus, et adulterinam orationem quandam Græcis litteris conscriptam, quam Athenis pronuntiasse Catonem nonnulli affirmabant. *Nam per interpretem*, inquit, *omnia locutus est: quanquam ita Græce sciret, ut interpretis opera minime indigeret.* Scribit tamen Fabius Quintilianus, libro XI. M. Crassum, Dives qui dictus est, cum Asiæ præesset, quisque Græci sermonis differentias sic tenuisse, ut qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi jus redditum ferret. HOTOMANUS.

Numidicum] Loquitur de Q. Cæcilio Metello, qui duobus prœliis Jugurtham fudit, et universam Numidiam vastavit; unde *Numidicus* appellatus est. Consul fuit anno 644, quo anno triumphavit. HORTENSIUS.

Lucullum] Patrem illius L. Luculli, qui de Mithridate et Tigrane triumphavit, anno 690. Ille autem, accusante Servilio augure, repetundarum damnatus est. *Plut. in Lucullo.* IDEM.

Commendatitias] Solebant provincialibus magistratibus mitti ab amicis commendatitiæ litteræ, eorum causa, quibus negotia erant in provincia. Extant Ciceronis ejus argumenti epistolæ complures. Solebant etiam a senatu mitti, si quando provincialibus aliquod tributum esset imperandum; quæ *tabulæ tributariæ* appellabantur. HOTOM. At hic ludit Orator in verbo *tributarias*, quo significat, non litteras missas a senatu ob tributum, sed a Verre, quæ Metello munera tribuerent. Gall. *des lettres de change.* HORTENSIUS.

Theoractum vocant] Per contumeliam; nam *Theomnastus*, qui Dei memor est; *Theoractus*, quem Deus feriit, ac furore perculit. HOTOMANUS. De illo jam facta est mentio lib. II. cap. 21.

Lamb. *contra dicere: negare illud senatus-consultum, in quo præter appellatus esset, mihi tradi oportere. Ego legem recitare, instare omnium*, &c.

Omnium mihi litterarum fieri potestatem] Lege Cornelia repetundarum, quæ jubebat accusatori potestatem fieri, omnia quæ ad ipsius accusationem instituendam pertinere possent, præter publicanorum litteras, Romam deportare, vel exscribere. HOTOM.

Non deberet] Propter appellationem prætoris. HORTENSIUS.

Cap. 67. *Adsit*] Et, rogatus, mihi respondeat, sacrarium suum a te expilatum fuisse. Vide cap. 2. HORT.

Minime conveniebat] Subest vis argumenti ex repugnantibus. Non et Dii nulli sunt, et honores divini cuiquam tribuendi sunt. Primum autem ex eo confirmat; quod simulacra Deorum Verres tollens, Deos ipsos, hoc est, numen ac mentem divinam tollere videtur. HOTOM.

Festum] Marcellea. *Sustulisset*, non sponte tamen, sed Verris jussu. HOT.

Omnium] Nam cui Deo jam sacra fierent, cum Verres omnium Deorum simulacra sustulisset? IDEM.

ACCUSATIONIS
IN C. VERREM
LIBER QUINTUS.
DE SUPPLICIIS.
ORATIO X.

ARGUMENTUM.

Hic liber quintus Accusationis in C. Verrem, et ultimus, est omnium, mea quidem sententia, longe pulcherrimus. Quoties animo mecum retracto tot elegantes Libri quarti narrationes de signis ablatis; de pollutis religionibus, violatisque Siciliæ monumentis; quoties venit in mentem quanto animi dolore, quanto impetu orationis explicentur Libris superioribus, vel Sthenii calamitas et fuga, vel Philodamorum casus et supplicium; nihil addi jam posse videtur ad illam dicendi elegantiam, et ubertatem, aut ad hanc eloquentiæ vim et gravitatem. At ubi rejeci oculos ad hunc Librum, vere dicam, tunc videtur mihi Tullius consulto et cogitato cætera Verris flagitia tantum attigisse, ut ad hanc ejus in cives Romanos crudelitatem fortior accederet; et eam viribus quam integerrimis agitaret. Audacius dicam. Pene crediderim Tullium in illis exponendis et deplorandis sumpsisse de rivulo, ut in hanc partem de Navarchorum et Gavii suppliciis eloquentiæ suæ flumen totum profunderet, atque in rem tam atrocem quidquid in seipso esset oratoriæ facultatis, consumeret; si non cogitarem novas semper orationis virtutes ex seipso efferre immortalis ingenii beatissima ubertate *virum*, dono quodam providentiæ genitum, in quo totas vires suas eloquentia experiretur.

Nemini dubium erat, quin Verres apertissime versatus esset in omni genere furandi atque prædandi; et quin homo flagitiosissimus et libidinosissimus in manifestis criminibus ita teneretur, ut jam illi nullus defensioni, nullus etiam deprecationi locus relictus esse videretur. At quia provinciale munus magistratuum erat duplex; nempe jurisdictio, et belli administrandi ratio; huc poterat Hortensius defensionem suam convertere, et avaritiæ crimina virtutis imperatoriæ laudibus deprecari. Ergo hanc Tullius arcem adversarii, disjectis cæteris et eversis, hoc libro jam aggreditur: et ut libris superioribus affinxit Verri defensiones, Quod nempe Reipublicæ utilitatis gratia tam magno decumas vendidisset; quod signa, tabulas et cætera Sicilia monumenta emisset, non eripuisset, *quas statim convellit: istum eodem artificio hic impugnat. Fingit causam ita constitui, ut ab Hortensio virtus istius bellica jactetur; et contendatur ab eodem, istum, hoc uno nomine,* quod bonus sit imperator, *judicum sententiis eripi oportere. Afflictam hanc adversario defensionem Tullius refellit non argumentando, sed ornando et amplificando; ac nihil æque opponit, quam lætissimam illam, et æquabiliter in omni narratione fusam, facete dicendi venustatem, qua Verris illa defensio tota risu dissolvitur.*

Hæc est prima pars contentionis. At ubi Navarchis Orator, quæ pars est altera, et civibus Romanis, in quos cruciatus serviles admoti sunt, suas lacrymas dat; in ea narratione omnes movet indignationis affectus, odii, invidiæ, misericordiæ, non solum conditione ipsorum; loco injuriæ; genere suppliciorum; sed animi quoque commendatione.

Ergo genus hujusce orationis illud est, quod maxime teneat eos qui legunt; et quod maxime sensus nostros impellat et acerrime commoveat: quod non solum

delectet, sed etiam horrore perfundat. Hoc et illud efficiunt tum narrationis suppliciorum gravitas et dolor; tum facetæ, et salium copia conspersæ irrisionis mira jucunditas, quam adjuvant descriptiones et hypotyposes, quæ hoc in libro crebræ sunt; et quarum ea vis est, ut sensus intimos acutissime percellant, rem ante oculos ponendo; ita ut geri coram, spectarique potius, quam audiri, videatur. *Sed cum voluptatibus maximis fastidium finitimum sit, et cum ornata sine intermissione oratio, quamvis claris sit coloribus picta, non possit in delectatione esse diuturna; summæ artis fuit, ut haberet illa in dicendo admiratio, ac summa laus, urbram interdum, et intervalla recessus, quibus, variata oratione, fieret, ut ornatus perpetui fastidio occurreretur; et id, quod est illuminatum, extare magis, et eminere videretur.* HORTENSIUS.

Cap. 1. *M'. Aquilii*] Meminit Tullius pro Flacco, cap. 39. his verbis: *M'. Aquilium patres nostri multis avaritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt.* M'. Aquilius consul fuit anno 652. Siciliam proconsul rexit anno 653. et confecto bello fugitivorum, ovans in Urbem ingressus est. Repetundarum ex Sicilia deinde postulatus (de Offic. II. 14.) M. Antonii Oratoris patrocinio est liberatus. *Lib.* II. *de Orat. cap.* 46. Postea missus in Asiam legatus, ut Nicomedem, et Ariobarzanem, in suum quemque regnum restitueret; per Mitylenæos vinctus traditus est Mithridati, cui bellum ut inferretur auctor præcipuus fuerat; et auro liquefacto in os ejus infuso, Pergami necatus est. *Velleius Pat.* I. 2. c. 18. *Appian. in Mithr.* HORT.

Fortis] Crassus, de Orat. l. 2. c. 28. ubi de Antonio agit, apte ad hujus vocis vim demonstrandam, ait, *Quod ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et ejus diloricare tunicam, et judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere?* IDEM.

Ab hostium duce] Athenione pastore; quem Aquilius ipse sua manu interfecit. De Athenione, lib. 2. cap. 54. Is, interfecto domino, familiam ergastulo liberavit; sub signis ordinavit; ingentem exercitum confecit; Romanos exercitus cecidit; Servilii, deinde Luculli castra vi cepit. Denique missus in Siciliam Aquilius fugitivorum exercitum delevit: Athenionem interfecit; bellum confecit, quod annos prope modum quatuor flagraverat. Adi Flor. III. 19. Diodor. in fragm. IDEM.

Cap. 2. *At in Italia fuit*] Duce Spartaco gladiatore nobili, qui cum aliis septuaginta qui Capuæ in ludo Lentuli exercebantur, fugitivorum magna coacta manu, comparatisque copiis, bellum adversus Romanos magnum et periculosum prope quadriennium gessit: sed a Crasso postea et Pompeio confectum hoc bellum fuit. *Appian. Plutarch.* Athenæus lib. VI.

Cum M. Crasso] Crassum et Pompeium conjunctim nominat Orator, quasi pertineat ad utrumque belli Spartaci confecti gloria, quæ Crassi tota est; nisi quod homines, ad quinque millia, elapsos Crassi de cæde Pompeius ex Hispania post devictum Sertorium revertens, oppressit. Sed hic, uti in illa pro lege Manilia, et amicitiæ Pompeii indulget Orator, et levitati hominis, gloriæ etiam alienæ, plus nimio appetentis; qui ex levi illo successu occupaverat prior ad senatum scribere, *Crassum quidem gladiatores acie fudisse; se vero bellum radicitus plane extirpasse.* Plutarch. in Pomp. HORTENSIUS.

Non arbitror hoc etiam deesse tuæ impudentiæ] Quod deest potest accedere. Est itaque sensus: Non arbitror, id posse accedere impudentiæ tuæ; posse te adeo esse impudentem. Vel, ut vult M. Ant. Ferratius: Adeo scilicet est hoc absurdum, ut quamvis id non audeat Verres dicere, nihil tamen illius summæ impudentiæ deesse videatur. ANONYMUS.

Cap. 3. *Ad Oceanum*] Terrestri nimirum itinere per Galliam et Hispaniam. *Peloris*, sive *Pelorus*, nam utrumque dicitur, unum e tribus est Siciliæ promontoriis. HORTENS.

In crucem] Quia cum telo fuisset, contra edictum prætoris. IDEM.

Cap. 4. *In Tricalino*] Certum est urbem mediterraneam in monte sitam, dictam fuisse Τρίκαλα, a tribus pulchris, sed pro hoc dixerunt vulgo Τρίκαλα, ut patet non solum ex Stephano, sed et ex nummis antiquis; et incolæ Τρικαλῖται. GRÆVIUS. *In Tricalino*, subaud. agro.

Cap. 5. *Prætermissa*] Minime. Sic enim intelligendum. MANUTIUS.

A Leonida] Servorum domino, qui conscius forte conjurationis fuisset. HORTENSIUS.

Cap. 6. *Tantumne vidisse*] Subaudi, potuit: vel, nonne mirandum est?

Causam dicere dominos] Pro servis suis nimirum, non pro se. Nam servi cum jure civili sint ignoti, et non sint cives: neque pro se, neque pro altero causam dicere queunt. LAMBINUS.

Fecisse videri] Condemnationis verba: ut modeste suam sententiam judices ostenderent. MANUT. Vide Lucull. c. 47.

Cap. 7. *Excogitavit*] Contra Apollonium Verres. Inducit Cicero Panormitanum aliquem ita loquentem. MANUTIUS.

In nominibus] Nomina, pro debitoribus ponuntur. MANUTIUS.

Cap. 8. *Rescindere*] Ut in Apollonio rescidisti, quem post annum et sex menses carcere liberasti; et, accepta pecunia absolutum dimisisti. *Mihi succensere desinito*, si nempe te, et tuam auctoritatem non defendo. HORTENSIUS.

Cap. 9. *Inclusum supplicium*] Puto hæc verba delenda esse, quod ex sequentibus patet, *a libero spiritu seclusum*. Hoc esse *inclusum supplicium* aliquis in margine notavit, inepte, quod postea tamen irrepsit in ipsum contextum Tullii. GRÆVIUS.

Injectum] In codice regio clare scribitur *electum*. Quod cum ex hoc optimo libro tot loca sint emendata cur non amplecter, cum vulgata sit vitiocissima, causæ nihil video. ID.

Cap. 10. *Retinendum*] Hunc etiam conclamatum locum ope vetustissimi Regii restitui. Omnia nunc sunt liquida. Ne diutius talem Imperatorem ullus ignorare possit, qui quidem non potest comparari cum Q. Maximo, quoad sapientiam ejus, nec cum Scipione majore, quoad celeritatem, &c. Sed aliud plane genus imperatoris cognoscite, quod modis omnibus est conservandum, ne pereat. Hæc εἰρωνικῶς. *Imperatoris* est etiam in Franc. *Ad* inservire comparationibus nemo nisi hospes in litteris ignorat. Pro Deiotaro 8. *Veteres, credo, Cæsar* (sc. equites) *nihil ad tuum equitatum*. De Orat. II. c. 12. *Quem cognovimus virum bonum, et non illitteratum, sed nihil ad Persium*. Plaut. *Ad sapientiam hujus ille nimius nugator fuit*. IDEM.

Cap. 11. *Ad tempus*] Ad quoddam tempus. Cæteræ vero, quæ minus castæ erant, palam adhibebantur; a convivio, quamdiu duraret, non discessuræ. HORTENS.

Ponebantur] Ab eo, qui sorte ductus convivii *magister* esset, et legem atque ordinem edendi, bibendi, ciborum ponendorum, et loci in mensis, imperaret. Hinc sunt *magisteria* illa, de quibus in Catone Maj. cap. 14. Sic Græci suos in conviviis ἀνοπτὰς habebant. Athen. X. 7. Plut. Symp. I. 4. Quod autem istis bibendi legibus diligenter obtemperabatur, *erat* istorum Verris conviviorum *exitus ejusmodi, ut, &c.* Notabis lepidam allegoriam ductam de re militari, ideo, quia de imperatore narratur. IDEM.

Ut Cannensem] Id est, Videre arbitraretur stragem editam a nequitia *(par la débauche)* illi stragi similem, quam ad Cannas ferrum Punicum edidit. Pariter enim fusa humi et prostrata, hic ferro, illic vino jacebant corpora. De pugna Cannensi, in qua cæsa sunt ab Annibale Romanorum 45000. adi Livium, XXII. 49. ID.

Cap. 12. *Labor operis*] Id est: Quia

tunc maxime cognoscitur quantus sit frugum illius anni proventus. Nam *labor* sumitur hic synecdochice pro fructu, quem paravit labor. Et *labor operis*, idem est, ac labor operosus. Veruntamen hunc locum docti suspectum habent de mendo. IDEM.

Virtute] Alludit ad hoc dictum Annibalis, *Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, quisquis erit*, quod refertur in Orat. pro Balb. c. 22. ID.

Cap. 13. *Talari*] Hinc notatur etiam Verris mollities: nam ejusmodi tunica mulierum erat. Qui ea utebantur homines, ii, tanquam molles, male audiebant. Tunicæ virilis mensura vulgo erat, ut paulo infra genua cederet: nam infra, mulierum est; supra, centurionum. Fabius l. XI. c. 3. A. Gell. l. 7. c. 12. HORT.

Antoniana] Supra, cap. 1.

Æra] Sunt stipendia quæ militibus semestria, aut annua dabantur: et sumuntur synecdochice pro annis militiæ. Hæc igitur est sententia: Cognoscetur vetus illa omnis istius militia: quando et cujus imperatoris in castris æra, seu stipendia meruerit. Sed Verris libidines allegorice significat Orator. IDEM.

Abduci, non perduci] *Perduci* veteribus dicebantur, qui libidinis causa ad aliquem ducebantur. *Abduci* autem, qui vi aut a conjugibus, aut parentibus abstrahebantur libidinis causa. Sed hoc loco tamen *perduci* simpliciter accipitur, pro in forum duci, ut solebant nobiles pueri, cum primum prætextam deponerent, togamque virilem induerent. Dicebantur proprie *in forum duci, perduci, forum attingere*, ut apud Ciceronem in epistolis, *a quo forum attigi*, hoc est, In forum viris adscriptus veni. Dicit igitur Tullius Verrem ea ætate non in forum perductum ad causas aut orandas, aut ad operam amicis dandam, sed a foro abductum ad libidines: quamvis non negem in voce *perducere* latere quoque figuram aculeatam, qua libidines ejus notantur, quod corpus prostituerit, æque ut in altera *abduci*. GRÆVIUS.

Ære dirutus est] Ex ambiguo jocus elegans est: nam cum videatur dicere *tamen ei stipendium est ademptum*, significat, alea Verrem omnia sua bona perdidisse. Nam, *ære dirui*, dicitur tam de milite, cui stipendium ignominiæ causa est ademptum; quam de eo, quem alea nudaverit. HORTENSIUS.

Ætatis fructu] Eo quæstu, quem corpore faciebat. MANUTIUS.

Paludatus] Indutus paludamento, quod pallii species, idem, ut putatur, atque chlamys, vestis militaris fuit: ex Etruria ad Romanos transierat, teste Floro I. 5. Color ejus eximius e cocco, seu purpureus. Hac induti imperatores ad bellum inter vota, et frequentiam amicorum eos deducentium, proficiscebantur. HORTENS.

Nuncupasset] *Vota nuncupare*, est nominatim et conceptis verbis aliquid vovere. Mos erat olim, ut imperatores in Capitolio vota Jovi, pro felici armorum suorum successu facerent, quæ in tabulas, præsentibus multis, referrentur; atque ita votis nuncupatis, in provinciam exirent. Ibidem etiam ad bellum ituri auspicia capiebant; hoc est, summum rerum gerendarum, et belli administrandi imperium. Hinc illa locutio familiaris Livio, et cæteris, rem gerere *auspiciis alicujus*, id est, aliquo moderante. ID.

Contra fas] Magistratui, post vota nuncupata, ex urbe in provinciam egresso, fas non erat in eam, nisi confecta provincia, regredi. Alioquin auspicia, quæ ceperat in Capitolio, et quæ privatum non sequebantur, hoc est, ut modo dixi, imperium, statim amittebat. IDEM.

Cap. 14. *Non solum datum, sed etiam creditum*] Placet mihi Memmii conjectura, ut legatur, *honorem illum non tam datum, quam creditum, &c.* LAMB. Quorum hæc differentia est, quod rebus datis abuti licet: commissis ac creditis non licet. HOTOM.

Extraordinariis cupiditatibus] Id est, quæ sunt contra modum, et ordinem vitæ temperantis et moderatæ, ut cum quis vino et epulis utitur, non

ut necessitati pareat, sed in his rebus novas excogitat voluptates. HORT.

Lamb. *jus, imagines ad memoriam posteritati prodendam*

Jus imaginis] Id est, nobilitatem. Nemini permittebatur jus imaginis, nisi qui magistratus curules gessisset. De imaginibus autem hæc a Plinio traduntur l. 35. c. 2. *Expressi cera vultus singulis deponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera; semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Vide præterea Polyb. lib. VI. cap. 51. IDEM.

Cap. 15. *Eam provinciam*] Eam procurationem: eam juris administrationem; cujus administrationis onus sustinere vix posset homo omnium sapientissimus, atque integerrimus; ad te, omnium stultissimum, nequissimumque pervenisse. IDEM.

Temsanum] Cum Temsam oppidum in Bruttiis residua Spartaci manus occupavit. MANUTIUS.

Cap. 16. *Valentini*] Temsanorum vicini. V. Cluver. Ital. ant. IV. 15.

Cum inveniretur nemo] Non quod ire nemo vellet, sed quod in Italia cum imperio tunc nemo esset: extra ordinem autem decerni, qui contra fugitivorum reliquias cum imperio mitteretur, dignitatis publicæ non esse videretur. Quam ob causam facta Verris mentio est, quod is et cum imperio esset, nec longe a Temsa, jam e provincia decedens. In quo senatus universus, quid de Verre sentiret, admurmuratione ostendit; senatus vero principes, ut consulares, et prætorii, quique magistratum gerebant, palam contradixerunt. MAN.

Cap. 17. *Dementiæ*] Quid significet hoc loco verbum istud, non satis liquet. Nam hic certa crimina exponuntur. Dementia non est crimen. Neque ideo tamen scribendum, *majestatis diminutæ*, ut quidam reponi volebant contra Ciceronis, et linguæ Latinæ consuetudinem. Nam, ut jam a clarissimo Grævio observatum est, quod nos crimen *læsæ*, *violatæ*, *imminutæ majestatis* dicimus, id Tullio, aliisque simpliciter dicebatur, *majestas*. Itaque aut tollenda vox *dementiæ*, aut expectandi codices, quorum ope sanari possit. Porro *majestatis* nomine significatur imperii magnitudo, quam quis lædere judicatur, ubi quid in populum, vel in rempublicam, vel in magistratus committit. HORTENSIUS. Dementia non est crimen: esto. Sed criminum, ubi præsertim de imperatore agitur, fons et origo est. Peccare potest, non tantum quia avarus, quia legum contemptor, quia libidinosus, aut crudelis, sed etiam quia demens. Itaque nihil muto.

Post videbitur] Carol. Steph. editio, *post, si videbitur, ex illorum, &c.* Sic enim Tullius inducitur affirmans id, quod non exsequitur postea. HORT.

Cybeam] Vide lib. IV. cap. 8.

Domini] Verris, qui judicio damnatus in exilium ibit, avectus ipsa navi. MANUT.

Cap. 18. *Habere*] Quid, si legamus, *emere?* LAMB. *Habere* certe mendosum est. Nam habebant, et licebat habere senatoribus in Sicilia, Africa, Asia, aliisque provinciis latifundia. Non improbo conjecturam Lambini. GRÆVIUS.

Navicularium] Subaud. rem, *facere*, est, quæstum facere, seu locandis navibus, ut placet Nannio: seu, ut vulgo interpretes, ex navigatione: quomodo *pecuariam facere*, (Sueton. in Cæsar. cap. 42.) est, alere armenta et greges; et ea cum lucro vendere. Sic, *argentariam facere*, (infra, cap. 59.) est argentarii munus ad quæstum exercere. HORT.

Cap. 19. *Vel Capitolium*] Id est, Capitolium, quod longe operosius ædificatum est quam una navis. Hæc enim vis est hoc loco τοῦ, *vel*. Argumentum a majori. IDEM.

In Fetialium] Jocus in Verrem ab officio Fetialium, quorum erat, inter cætera, curare, ut ne armis, aut injuria quavis alia, fœderatæ civitates violarentur. Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores *Fetiales* erant. Cicer. *de Legibus*, II. cap. 9. IDEM.

Cap. 20. *Jus fœderis*] Pretio abs te jus fœderis *emerunt*, sive, ut mavult Muretus, *redemerunt*: hoc est, dederunt tibi pecuniam, ut ne tenerentur ex lege seu conditione fœderis, *navigare*. HORT.

Cap. 21. *Ex eo genere*] Ex genere decumani, quod ab aratoribus sine pretio exigebatur. HOTOM.

Quod emeretur] Siciliæ civitates ea conditione in fœdus receptæ fuerant, ut cum usus ferret, frumentum populo Romano certo pretio darent. Quod genus *emptum* vocabatur, pro quo ex S. C. pecunia solvebatur. IDEM.

Cap. 22. *A malo auctore*] *Auctor* dicitur is, a quo quis jus in rem quampiam titulo aliquo nactus est, ut pro empto, pro donato, et si qui sunt generis ejusdem. Quod nomen *ab auctionibus* deductum opinor, in quibus is rem aufert, qui maxime pretium auxit. Unde et *auctoritas* verbum declinatum est: de quo in orat. pro Cæcina explicavimus. Nam quod utrumque verbum sine *c* plerique scribunt, id eos præter veterem consuetudinem facere tum ex antiquis monumentis intelligitur, in quibus *c* littera semper adjecta est: tum ex Valerii Probi notis antiquis, qui *AUC* pro *Auctor* notari solitum testatur. Hoc igitur orator dixit ἀλλογεραῶς. Quæ res a malo auctore accepta est, ea jure civili per verum dominum nullo negotio aufertur. HOTOM. Auctor proprie dicebatur, qui aliquid nexu mancupioque vendebat, periculumque evictionis in se recipiebat: si et fidejussor addebatur, is dicebatur auctor secundus, ut ex lib. 4. D. de evictionibus patet, quod alibi pluribus notamus. Hinc vides, cur hic Verres *malus auctor* appelletur; quia præstare non poterat, quod jus Mamertinis, accepto pretio, vendiderat. GRÆVIUS.

Ut in judiciis] Defendebant reos patroni; laudabant viri nobiles, vel, voce, si adessent; vel, litteris, si abessent; ut eorum auctoritas ac testimonium quasi commendaret illos judicibus. *Cic. ad Famil.* lib. I. Ep. 9. *Dio*, lib. 40. Scaurum, quem Cicero defendit, laudatum a novem consularibus, quorum magna pars laudavit per tabulas, quia aberant, scribit Asconius. Istiusmodi autem laudatorum numerus, ut patet ex hoc loco, erat, si non lege, at consuetudine, certus et definitus: decem ut essent laudatores, consuetudo obtinuerat. Quod confirmat idem Asconius, ubi novem illis Scauri laudatoribus Faustum ejus fratrem adjungit. Sensus est igitur. Primum vulnus Verrinæ laudationis illud est quod decem ex civitatibus laudatores dare Verres non potuit; imo una tantum laudat. Porro, ut in judiciis, sic in his rebus honestius est nullum dare, quam illum, &c. HORT.

Cap. 23. *Precario essent rogandi*] Mihi videtur *precario* excidisse suo loco, et sic Ciceronem scripsisse, *etiamsi essent rogandi, precario tamen ab iis impetraretur*. GRÆV.

Cap. 25. *Quæstus duplex*] Recte: nam lucrabatur sexcentenos nummos pro nautæ uniusjusque missione; et is erat primus quæstus. Lucrabatur deinde quod acceperat a civitatibus pro stipendio, et frumento ejus nautæ, quem dimiserat. Ita quæstum in nauta uno dimittendo duplicem faciebat. HORT.

Quid ejus sit] Sensum obscurat præcisa locutio. Sed exemplorum similitudo lucem affert. *Quid ejus sit*, valet, quid ejus rei sit, vera-ne sit ea res, an falsa. Sic Terentius in Eunuch. *Quidquid hujus feci, virginis causa feci*. Ubi Donatus: *Quidquid hujus: rei, subaudiendum est: quod eum exclusi foras*. Idem in Heaut. *At mihi fidem apud hunc est, nihil me istius facturum, pater*. Ibidem. *Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi, et stultitiæ tuæ*. In Hec. *Quod te Æsculapi, et te Salus, ne quid sit hujus, oro*. Noster autem in ep. ad Attic. lib. 16. *Non video sciturum me, quid ejus sit, ni statim aliquid litterarum*. Plautus in Aulularia plene dixit:

Ibo intro, ut, quid hujus sit rei, sciam. MANUT.

Cap. 26. *Maritimi*] Id est, ex iis Siciliæ urbibus, quæ ad mare sunt positæ. HORT.

Cap. 27. *Latumias*] Sic vulgo scribitur. Verum aliis, et doctissimis quidem, *lautumiæ* dicuntur. Alii, originem secuti, præferunt *latomiæ*. Fit, inquit Hortensius, a Græco, λᾶς, lapis, et τίτρωμι, præt. med. verbi τίμνω, cædere. Quasi vero Siculi Græca non corruperint persæpe. Carcerem hunc Thucydides, habita ratione originis, λιθοτομίαν appellat, lib. 7.

Si hunc subditicium] Id est, si hunc, quem in locum veri archipiratæ supposuerat. Sed, ut verum fatear, τὸ *hunc*, mihi molestiam exhibet: significat enim mentionem de isto subditicio archipirata jam factam fuisse, quæ tamen nulla supra occurrit. Ergo fortasse quidpiam desit, aut hic, aut supra. HORT.

Non plane] Non omnes. IDEM.

Audio] Verbum assentientis, ut supra, *video*. IDEM.

Mediterraneos] In media Sicilia longe a mari positos. HORT.

Cap. 29. *Induit*] Id est, irretivit, illaqueavit: usitata Ciceroni metaphora, sumpta de feris, quæ in plagas sibi a venatoribus positas stulte incurrunt; et quibus se, quo magis expedire conantur, eo magis impediunt. IDEM.

Salutis tuæ rationem] An populus salutis Verris rationem servavit judicibus? Olim in hoc loco hæsi. Sed expediit me Regius codex, qui scribit: *Salutis suæ rationem*. Continuit se populus Romanus, et te non puniit, qui civem Romanum pro Archipirata percussisti securi, in quo sua salus agitur, quam commisit judicibus vindicandam. Nihil certius. GRÆV.

Non ita vixeras] Ironia.

Cap. 30. *Et nunc*] Ironia. Sensus est: Nemo jam dubitare potest. &c. HORT.

Tamenne id credi voles] Grævius: *tamen te derideri vides*. Atque ita Victorius ediderat. Vulgatam ab Hotomano et Manutio retinuerunt cæteri omnes.

Est certus locus] Certus hic non est, ubi de repetundis agitur, non de majestate. MANUT.

Cap. 31. *Ipsi præda*] Ex prædonibus. IDEM.

Legatus] P. Tadius.

Cap. 32. *Ubi ternis denariis æstimatum frumentum?*] Cur enim tibi in cellam datum est frumentum illud quod tu, cum esset H-S binis, ternis denariis in singulos modios æstimasti, nisi, ut opera tua, tuorumque populus Romanus pro salute sociorum uteretur? MANUT.

Ubi muli] Magistratus euntes in provincias *mulis, tabernaculisque*, et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. HORTENS.

Dignitatis] Indignum est enim classi populi Romani Siculum hominem præesse. *Æquitatis*, nam si homini Siculo, certe Segestano potius, aut Centuripino, quam Syracusano, mandandus honos fuit, quia eæ civitates, quæ in amicitia fideque populi Romani perpetuo manserunt, iis, quæ armis victæ fuerunt, omnino præferendæ videntur. *Officii*, nam referri gratiam decebat his ipsis civitatibus, quibus in omni bello, quod in Sicilia gestum est, sociis populus Romanus usus est. MANUT.

Cap. 36. *Lampsaceni*] Vide lib I. cap. 27.

Acta] Pro littore.

Uticense] Vide lib. I. 27.

Cap. 37. *Crepidines*] Sunt aggeres saxo quadrato, ad fluminis ripam ædificati, quibus fluctus coercentur, et in alveo continentur. HORTENSIUS.

Victa] Anno 19. belli Peloponnes. ante Christum 413. Vide Thucyd. lib. 6. HORTENS.

Cap. 38. *Quæ est urbis magna pars*] Lambinus in margine notat ex veteri libro legendum esse, *quæ est urbs Syracusis suo nomine et mœnibus*. Sic sane Reg. cod. Sententia est: quæ est urbs, quæ suum habet nomen, et sua peculiaria mœnia. Nomen est

Νῆσος, insula. Equidem hæc verba, quæ non agnoscit Regius, spuria sunt et delenda, *urbis magna pars*. Cur enim Cicero repetat, quod paucis ante dixerat, Insulam esse magnam partem urbis. Sic enim paulo superius: *arma capiunt, totum forum atque insulam, quæ est urbis magna pars, complerent*. Non est Tullianæ copiæ sine necessitate verba eadem repetere. Posset quoque deleri *Syracusis*, si Mss. annuerent. GRÆVIUS.

Suppeditare possent] Legendum opinor *posset*, numero singulari: ut sit, sufficere et satis esse posset. Idem lib. I. Off. *Ob easque causas studeat parare ea quæ suppeditant et ad cultum et ad victum*. HOT. Vere Hotomanus. Vulgata triviale sapit. GRÆVIUS.

Cap. 39. *Hanc rationem habere*] Hoc consilium capere: ita suæ causæ defensionem meditari. HOTOMANUS.

Causam sibi dicendam] Se accusatum iri judicaverat. HORTENSIUS.

Cap. 40. *Ubi hoc videt, illorum confessionem, testificationem suam, tabulas sibi nullo adjumento futuras*] Multis laciniis, quæ profectæ sunt aut a magistris scriptores antiquos discipulis exponentibus, et ab his marginibus adscriptæ sunt, onerati sunt non Tullius solus, sed plerique veteres, ut dudum conquesti sunt viri eruditi, præcipue Victorius in animadversionibus in nostrum Ciceronem. Puto hujus rei hic quoque manifestissimum exemplum esse. Nam hæc verba *illorum confessionem, testificationem suam*, fuisse explicationem margini adlitam, qua significaretur, quid velit verbum *tabulas*, nimirum in quibus scripta sit illorum confessio, quæ eadem esset sua testificatio. Nam primo vides alterutrum abundare, *illorum confessionem*, &c. *tabulas*. Cur enim addidisset *tabulas*, si jam meminisset *confessionis*, et *testificationis*? Dein cur diceret *testificationem suam*, quæ a navarchis data erat de illius actis? potius dicendum fuisset, *testificationem illorum*. Nam *testificatio mea* non est testimonium, quod de rebus meis ab aliis mihi datur, sed qua ego testatum facio, quid norim, aut quæ mea sit de alterius negotio sententia. Cic. I. ad famil. 1. Pompeius *egit tuam causam, &c. cum summa testificatione tuorum in se officiorum, et amoris erga te sui*. Hæc non potest Lentuli testificatio dici, sed Pompeii. Nullus plane dubito Tullium scripsisse: *Ubi hoc videt, tabulas sine nullo adjumento futuras*. GRÆV.

Cap. 41. *Cujusmodi*] Sive nocens, sive innocens. Malebat Man. *cujusciujusmodi*, Lamb. *cujucismodi*.

Injuriarum damnatus] Significat illum infamem fuisse; ac propterea ad accusationem non admittendum. HOTOMAN.

Cap. 42. *Cum illa auctoritate et miseria videres præditum*] Gulielmius, quod Cujacianus non haberet copulam, divinat, *cum illa auctoritate, miseria videres perditum*. Tu, inquit, Verres, cum hospitem tuum videres, et auctoritate prætoris esses, videres, inquam, hospitem tuum miseria perditum. GRUTERUS.

Destitutus] Id est, constitutus: et subaud. *in foro*, ad virgarum nimirum pœnam. HORTENSIUS.

Cap. 43. *Etenim tunc esset hoc animadversum*] Locum hunc obscurant, *primo*, periodus, quæ sedem mutavit; *secundo*, ellipsis aliquot verborum. Ordo est, et sensus: Scitote Heraclium, cum cæteri navigarent, Syracusis remansisse. Qua de remansione non est quod quisquam dubitet. Si enim in aliqua navi fuisset, tunc esset hoc facile animadversum ab omnibus, cum classis proficiscebatur, Heraclium una cum cæteris Navarchis proficisci. IDEM.

Non solum] Mihi videntur hæc verba *non solum* nescio unde irrepsisse. Vide quam omnia sint plana, si scribas, *Homo, quamdiu vixit, domi suæ; post mortem tota Sicilia clarus et nobilis*. In patria sua fuit clarus et æstimatus, quamdiu superstes fuit; post mortem, totam Siciliam ejus nomen est pervagatum cum magna illius laude, propter illam defensionem, quam in carcere scripsit. Manutius

delet *non*, et retinet *solum*. Videtur irrepsisse ex sequente versu *non solum ut istum libere læderet*. GRÆV.

Cap. 45. *Patres enim veniunt*] Sensus est. Dico de eo qui non filii, sed alieni corporis sepeliendi potestatem redemit pretio. Præcisa tibi cavillandi occasione, ac dicendi, credendum patribus non esse, quasi huc testes veniant irati propter amissos filios. HOTOMANUS.

Cap. 47. *Numeramur*] Victorius edidit, *non eramus*. Neque aliter legit Sigonius de Jure Provinc. lib. I. cap. 3. Et recte quidem. Dixit enim Cicero, lib. III, cap. 6. *perpaucæ*, hoc est, septemdecim, fuisse civitates, quæ bello subactæ fuerint, et durius cæteris tractatæ, quod opem Carthaginiensibus contra Romanos tulissent. Si ergo in illis septemdecim Tyndaritani numerantur, ut hoc loco ipsi de se confitentur, quomodo prædicare de se possunt, atque commemorare se in omnibus bellis amicitiam fidemque populi Romani secutos fuisse? Hæc inter se pugnant. Sed nodus hic facile solvetur, si mendum agnoscas, uti necesse est, in verbo *numeramur*, et pro eo reponas, *non eramus*. Sic omnia recte procedent. HORTENSIUS.

Vestros quondam nautas] Verba sunt Verris, Siculorum orationem irridentis, unde deesse quiddam suspicari licet, in quibus Verrem hoc modo respondere orator admonebat. HOTOMANUS.

Cognatio] Propter suam, eandem cum Romanis, ab Ænea ductam originem. Supra lib. 4. cap. 33. HOR.

Cap. 48. *Non senatorium*] Non pertinet ad senatores, reos nocente punire. Audit senatus sociorum querelas; crimina vero judicibus committuntur, qui reorum causas cognoscunt, non in curia, sed in foro, ubi judicia exercentur; neque ex S. C. sed ex populi lege. IDEM.

Facilis est causa] Id est, excusatio. Facile populus excusabit se, quominus eorum causam cognoscat. Vestrum enim, Judices, hoc munus esse dicet, cum vos legi repetundarum, quam ipse jussit, præposuerit. Populus nullis de criminibus, nisi de perduellione, judicabat. IDEM.

Cap. 50. *Me culpam fortunæ assignare*] Videtur legendum, *Culpam fortunæ homini assignare*. Itaque mox ita loquitur, *Nullam tibi objicio causam*. HOTOMANUS.

Perpetuo socii] Centuripinis, qui *perpetuo* socii fuerunt. *Syracusanum*, id est, ex urbe quæ semper hostis fuit. HORTENS.

Cap. 51. *Sed ne singuli*] Ne unus quidem ultra hunc numerum, qui in illis navibus est. IDEM.

Tenebre] Multorum enim testimonio convincam, crimina hæc omnia perperam a te negari. HORT.

Cap. 54. *Ni furtis*] Præcisa locutio, pro, *Ni dixisset Verrem furtis quæstum facere*. Porro sensus est: Servilio crimen hoc Verres affingebat; quasi dixisset illo, Verrem *furtis suis ditescere*. Id a se dictum fuisse negabat Servilius. Nemo eum accusabat. Tamen apponit Servilio adversarium prætor lictorem suum, quicum sponsionem facere cogitur Servilius in hanc formulam: Spondeo, aiebat lictor, me duo sestertium millia daturum, ni planum fecero dictum a Servilio fuisse *Verrem furtis quæstum facere*. Qua sponsione provocatus Servilius restipulari cogebatur his verbis: Spondeo itidem me duo sestertia daturum, si planum fecerit adversarius a me dictum fuisse *Verrem furtis quæstum facere*. Ejusmodi sponsionum hic erat exitus: Si judicatum esset id verbi gratia, a Servilio dictum fuisse, duo sestertium millia quibus sponsionem fecerat, Servilius primo amittere debebat, deinde poti sententiam judicis. HORT.

Converso] Conversa virga, ut, a qua parte firmior, gravius percuteret. MANUT.

Cap. 56. *Dianio*] Hispaniæ Tarraconensis oppido, quod Sertorius tenebat. HORTENS.

Venales] Servos.

Cap. 58. *Superiore ex loco*] E. Ros-

tris, in quibus Ædilis accusabo te de Majestate. MAN.

Consulis] Vide lib. I.

Cap. 61. *Nam quid ego*] Gavii suppliciorum narratio. Locus centies legendus, in quo totas suas eloquentia vires explicat. Orditur Orator pathetica dubitatione, qua mire præparantur animi judicum ad criminis atrocitatem. Porro, *nam*, hoc loco est interrogativum, et jungitur pronomini sequenti per anastrophen, pro, *quidnam!* ut in illo Virgilii Georg. IV. 445. *Nam quis te, &c.* pro, quisnam te, &c. HORT.

Ut neque mea, quæ nulla est] Et ad hunc locum, et ad alia loca ejusmodi multa in Ciceronè, animo attendant velim, qui Ciceronem ut nimium sui jactatorem temere reprehendunt. Res quidem a se gestas non mediocriter, et, dicendum est, si veritatem amamus, non sine causa, sæpe prædicat; at ingenii dotes et eloquentiam, quæ vitiosa est, præcipue in Oratore, jactatio, nusquam commendat; sed eam potius despicit ipse, ac deprimit. Vide Quintil. de hoc argumento fuse disserentem, lib. XI. cap. 1. HORT.

Verri se præsto] Ad eum accusandum majestatis, propter jus violatum civitatis; et ad ulciscendum injurias suas apud judices, ope et auxilio legum. IDEM.

Cap. 62. *Eminebat*] Legit Quintil. lib. IX. cap. 11, *emicabat*, quod ad crudelitatem ostendendam videtur esse accommodatius. HORT.

Cædebatur] Vide ad hunc locum, quod habet Gellius, X. 3.

Istam potestatem] Ut cives Rom. præsertim indemnati, ad solum prætoris nutum atque arbitrium securi ferirentur. HOTOMANUS.

Cap. 63. *Lex Porcia*] Tulit, non M. Porcius Cato, sed Porcius Læca, tribunus plebis, anno 454. Ne quis magistratus civem Romanum virgis cæderet, necaretve; sed damnato exilium permitteret. Nulla lex etenim damnatis civibus exilium diserte irrogavit. Interdicebatur iis tecto, aqua, et igni; quam interdictionem necessario sequebatur exilium, sive ex Urbe discessio, cum in ea rebus iis, quæ maxime sunt ad vitam, privarentur. Ante legem Porciam nudorum cervix inserebatur furcæ; corpus vero virgis ad necem cædebatur. Hoc erat, uti postea dicetur, puniri *more majorum*. HORTENSIUS.

Sempronia] Plures leges C. Sempronius Gracchus pro libertate civium Romanorum tulit in tribunatu, anno 630. Sed ea hic intelligenda est præcipue, qua cavebatur ne de capite civis Romani injussu populi judicaretur: et ut qui indicta causa in civem Romanum animadvertisset, de eo populi quæstio constitueretur. IDEM.

Quid, cum ignes] Rei dabantur, olim, uti nunc, in quæstionem. *Ignes*, pars erant tormentorum, quæ in eos ad exprimendam veritatem adhibebantur: laminis ardentibus ad pedum plantas et latera admotis cruciabantur. Præterea membra eorum equuleo extendebantur: ferreis unguibus arabantur: nervo, fustibusve verberabantur: sed, libera civitate, servilia hæc erant supplicia. IDEM.

Inhibebat] Metaphora est a re nautica. Remos inhibent cum infecotunt, ut aliter navigent. GRUTERUS.

Consilio in medio] Cum staret Numitorius medio judicum in coetu, et jam testimonium diceret, repente prætor, pro suo jure eum dimisit. Etenim veritus est ne populus tot Verris sceleribus incitatus, suis eum manibus statim discerperet, quod imperiti statim ita interpretati essent, quasi populus metuisset ne, pro tot scelerum atrocitate, non satis severe judicaretis. Itaque hanc suspicionem a se, et a vobis, Judices, abmovendam existimavit; testemque dimisit; et reum a multitudinis iracundia vindicatum, legibus et judicio reservavit. Vide quot modis judices Orator ad severitatem acuat, nunc prece, nunc minis; hic vero, quod jam sæpe, existimationis suæ gratia. HORT.

Cap. 64. *Tuis proximis*] Iis, qui te quasi propinquum ac necessarium

suum defendunt, et eo nomine tam studiose pro te pugnant. HOTOM.

Cap. 65. *Futurum*] De hac locutione, *hanc rem præsidio futurum*. Vide Gellium, I. 7, Vossium de analogia III. 16, Sanctii Minervam, I. 14, et quæ ibi notavit vir politissimus et mei amantissimus Jacobus Perizonius. GRÆV.

Quod quis ignoret] Scilicet, an verum sit, necne. GRUTERUS.

Cap. 66. *Fretu*] Sic legunt Gellius, et Priscianus. Sic loquitur Lucretius lib. I. *Angustoque fretu rapidum mare dividit undis*. LAMBINUS.

Facinus est] Amplificatio per incrementum, de qua vide Quintil. HORTENS.

Cap. 67. *Iste*] Verres.

Veritas] Lambinus, præter libros, maluit, *severitas*, prorsus absurde; ne quid præterea dicam. GRUTER. *Veritas* hic, ut frequenter alias, est justitia. Jus et æquum postulat, ut qui ejusdem civitatis, eorumdem sacrorum consortes sunt, habeantur sanguis conjunctus. GRÆVIUS. Audiendus ergo non est Joan. Clericus, *Art. crit. part.* III. *sect.* I. *cap.* 16.

Quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit] Nemini enim, nisi qui magistratum gereret, concionem advocandi, et cum populo agendi potestas erat. Ædilis autem Cicero proximis comitiis ædilitiis designatus erat: ut jam sæpe diximus. Significat igitur (id quod sæpe jam ante dixit) Verrem a se perduellionis arcessitum iri: quod judicium centuriatis comitiis apud populum universum exercebatur. Perduellionis autem, propter jus civitatis violatum. HOTOMAN.

De multis mihi crescere licebit] Amare, nec tamen obscure, judicibus qui se Verris largitione corrumpi sinent, minitatur. HOTOMAN.

Cap. 68. *Ut non cera*] Ceratas censorum tabulas significat, e quibus eradebantur eorum nomina, qui senatu movebantur. Hæc erat nota censoria, qua mali senatores, aut equites, notari consueverant, et quam judicibus etiam suis, si prave judicaverint, minatur. Imo tanto majorem illis ex hac sua pravitate intentat ignominiam, quo majus erit illorum scelus in absolvendo homine improbissimo, et omnium sententiis damnato; itaque isto absoluto ambulabunt ita, ut non cera notati, quod usitatum est in pœnis censoriis; sed, quod turpissimum est, cœno cooperti et obliti esse videantur. Vel respicit ad tabellas illas ceris discoloribus illitas, de quibus in Divin. cap. 7. et Act. I. cap. 6. et quibus judices pecunia corrupti reos nocentes absolverant: hoc sensu: Nolo hos judices in hoc reo absolvendo majorem etiam sibi infamiam inurere, quam illi qui discoloribus tabellis nocentes reos olim absolverunt; ut illi cera notati, hi, quod est turpius, cœno obliti et inquinati esse videantur. Hoc est, ut illorum peccatum levius, horum gravius, et infamia major esse judicetur. HORTENSIUS.

Cap. 69. *Ea lege*] Id est, Eo temporis articulo, quo suam legem promulgavit Cotta, de judiciis cum equestri ordine, tribunis ærarii, communicandis. De ea re vide Divin. cap. 3.

Proscriptam] Id est, propositam. *Proscriptæ leges* dicuntur, dum in foro spectandæ ac legendæ proponuntur. HOTOM.

Aut] Hic non est disjunctivum, uti nec in membro superiore, sed vim habet conjunctionis, *et*, *Ii*, subaud. judicia exercebunt, qui, quia judicia turpiter a senatoribus administrata fuerunt, de equitibus qui olim, hoc est, ante hosce annos decem, judicabant, nova Cottæ lege novi judices erunt constituti. Ergo duplici terrore judices Orator ad severitatem excitat. Alterum Verri judicium minatur, si eum absolvant; illis metum legis Aureliæ, quod jam sæpe, injicit. HORTENSIUS.

Indignum putavit] Priore actione, cum tam apertus perduellio ei visus est, ut in præsentia mactandum existimaret. IDEM.

Cap. 70. *M. Catonis*] Majoris, seu Censorii.

Pompeius] De quo in Bruto.

L. Fimbriam] Mendum est in prænomine. Hic est enim C. Flavius Fimbria, qui cum C. Mario consul fuit. MANUT.

C. Cælium] Caldum, qui consul fuit cum L. Domitio Ahenobarbo.

Cap. 72. *Nunc*] Ultimo per invocationem omnium Deorum, quos aliqua ratione Verres violaverat, orationem hanc, totamque accusationem absolvit. FERRATIUS.

Prætorii] Vox illa mire doctos exercuit. Hanc esse mendosam non est quod dubites; pro ea reponunt, vel *urbis*, vel *fori*, vel prætoribus; alii pro glossemate habendam putant. Ergo illam rejicies, nisi malis Grævium sequi; censet vir doctus scribendum esse, *populi Romani*, aut *fori Romani*. Quid si pro adjectivo illam habueris, et retuleris ad Deos illos, quos appellabis *prætorios*, quasi præsides, eodem sensu, quo eos arbitros judiciorum Cicero mox appellavit. Sane judicia per prætores exercebantur. HORTENSIUS.

Eadem vestra] Notandum ἀνακόλουθον seu inconsequens: sermonem ad judices convertit, quanquam Deorum imploratione sententiam sic exorsus, his verbis; *Vos . . . imploro, et appello, sanctissimæ Deæ, &c.* IDEM.

EVENTUS.

Qualis hujus judicii exitus fuerit, Asconius exponit: qui post posteriorem actionem Verrem in exilium sua sponte profectum esse scribit, neque sententiam judicum expectasse. Hortensium autem novo accusandi genere ita perculsum fuisse, ut rationem defensionis omitteret: quod etiam Tullius in Bruto declarat. Hortensium tamen Verris defensionem scripsisse, Quintilianus multis in locis testatur. De Verris autem exitu, Lactantius ita loquitur lib. de orig. error II. cap. 4. *At enim Verres ob hæc facinora damnatus est. Apud ipsum Verrem non fuit illa damnatio: sed vacatio, ut quemadmodum Dionysio Deorum spolia gestanti Dii immortales bonam dederunt navigationem: sic etiam Verri bonam quietem tribuisse videantur, in qua sacrilegiis suis tranquille frui posset. Nam frementibus postea civilibus bellis, sub obtentu damnationis ab omni periculo et metu remotus, aliorum graves casus et miserabiles exitus audiebat, et qui cecidisse solus omnibus stantibus videbatur, is vero universis cadentibus solus stetit; donec illum et opibus sacrilegio partis, et vita satiatum, ac senectute confectum proscriptio triumviralis auferret, eadem scilicet quæ Tullium violata Deorum majestatis ultorem. Quinetiam felix in eo ipso fuit, quod ante suam mortem crudelissimum exitum sui accusatoris audivit: Diis videlicet providentibus, ut sacrilegus ac prædo religionum suarum non ante moreretur, quam solatium de ultione cepisset.* HOTOM.

PRO

M. FONTEIO.

ORATIO XI.

ARGUMENTUM.

M. Fonteius, Gallia per triennium post præturam administrata, Romam reversus, postulantibus Gallis repetundarum accusatur a M. Plætorio, defenditur a Cicerone, actione secunda: Consulatum gerentibus, quantum consequi conjectura liceat, Q. Hortensio, Q. Metello, cum judicia per tres ordines Aurelia lege administrarentur. MANUTIUS.

Cap. 1. *Ære alieno*] Cujus æris alieni causam in Fonteii rapinas Galli conferebant: unde orta repetundarum accusatio. MANUT.

Versuras] *Versuras facere*, est pecuniam sub usuris mutuam accipere: sive alteri des, sive impendas aliis usibus. Aliud est *versura solvere*, quod est, *versura facta solvere*, pecuniam ab aliis mutuari ad debitam expungendum, sive quam alteri debiteri des. Hæc duo a doctissimis quoque confunduntur. GRÆVIUS.

Nihil minus] Quare? quia scilicet *nemo Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerit*. Infra. FERRAT.

Qui negotiantur in Gallia] Non a mercatoribus. Aliud est enim *mercatorem* esse, aliud *negotiatorem*: quod tamen hodie vulgo ignoratur. *A negotiatoribus* ergo, id est, a publicanis, aratoribus, pecuariis, ut infra, *Omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, cæteri negotiatores, &c.* HOT.

Provinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit] Fonteiam gentem tribus tantum prænominibus, Publio, Caio, et Manio usam fuisse, satis constat ex antiquorum numismatum auctoritate, in quibus *M'. C.* et *P. Fonteii* descripti sunt. Sæpe autem librarii in eo erraruntur, ut omissa virgula, quæ *M'.* litteræ obducta, Manium significabat, pro Manio prænomine, Marcum scripserint. Quod cum in Acilia gente persæpe accidit, tum in Aquilia, quæ hoc prænomine frequentius usæ sunt. Quibus rationibus facile adducor, ut credam, hic quoque erratum esse in Fonteii prænomine, et pro Marco Manium, Fonteium hunc, quo prætor Galliam obtinuit, prænominandum esse. F. URSINUS.

Nostra memoria] Eorum memoria, qui tum senes vivebant, de Gallis triumphaverat M. Fulvius Flaccus, anno Urbis 630, C. Sextius Calvinus, et CN. Domitius Ahenobarbus, 631, Q. Fabius Max. 632, C. Marius, Q. Catulus, 652. MAN.

Agris, urbibusque multati] Coloniis in Galliam deductis. MANUT.

Narbo Martius] *Narbo*, nota civitas. Martium autem dictum esse quidam putant, quod C. Cæsar dictator colonos ex Martia legione milites eo deduxisset. Sed cum Velleius Paterculus hanc coloniam deductam scribat Porcio et Martio, consulibus, verisimilius videtur ex *Martii* nomine appellationem sumpsisse. In libro tamen Velleii priore, mendose *Marco* legitur pro *Martio*. HOTOM. Scribendum *Marcius*, per *c*, non *Martius*, per *t*. LAMB.

Grut. *coriis, remisque.*

Viet. Man. Lamb. *propulsarunt.*

Populo Romano coriis remisque *compensarunt*] Ita editiones veteres, nisi quod ii duabus litteris *pop. Rom.*

item *copiis*. At illud *coriis* est a Pal. cui a prima manu *corriis*. Nimirum Massilia coria remosque suppeditavit Romanis, quid planius? At quid insulsius pridem vulgatis? *Populi Romani copiis armisque*. Hæc non sunt civitatis unius in medio hostium positæ, sed integræ provinciæ. De tali emendatione alii gloriarentur; statuam et clypeum aureum sibi poscerent: mihi satis est, si non reprehendar, quod unius libri auctoritate, damnare ausus fuerim lectionem hactenus vulgatam. GRUTER. Vere hunc locum restituit Faernus, ex optimo illo et antiquissimo codice, qui in hac oratione nobis debet esse pharos. Franc. ed. Mediol. et aliæ veteres non longe recedunt a Faerno, quæ *populi Romani copiis remisque compensarunt*. Qui retinent *propulsarunt*, ostendant quando Narbo et Massilia propulsarint a Romanis pericula bellorum Gallicorum. Massilia cum Romam a Gallis incensam et solo æquatam intellexisset, dolebat, justitium indicebat, Romanos solabatur. Sed nullum unquam ullius belli Gallicani periculum propulsavit. Eruditissimo Grutero, cui Cicero plurimum debet, ut tota res litteraria, nollem excidisse παντὸν καύχημα, cum nusquam in Cicerone infelicius versatus sit, quam in hoc loco. Quis enim credat virum tam emunctæ naris potuisse probare; imo in contextum admittere corruptissimam et ineptissimam unius codicis scripturam? An *coriis remisque* poterant pensari pericula illa bellorum Gallicorum, quæ Romam pene totam funditus deleverant et propter quæ sanctius* ærarium constituerunt? Verissime Faerni liber et nonnulli alii, *copiis armisque compensarunt*. Narbo Marcius, et Massilia, missis armis et copiis, ubi reipublicæ tempora requirebant, pensarunt illa pericula, in quæ cæteri Galli variis in bellis Romam adduxerant. Itaque non recedo a lectione, quam restituit Faernus: *Qui Gallicorum bellorum pericula populo Romano copiis armisque compensarunt*. Qui non intellexerunt vim vocis *compensarunt*, id mutarunt in *propulsarunt*. GRÆV.

Atque] Non abundat hæc copula, sed civibus Romanis honestatem addit. Non enim sequitur, ut, quicumque sit civis Romanus, idem sit honestissimus. MANUT.

Cap. 2. *Qui proximi*] Qui proxime domiti fuerant, et occasione belli agros rurzus occupaverant, quibus multati fuerant a senatu, ex iis decedere coacti sunt ex M. Fonteii decreto. FERRAT.

In toto orbe terrarum] Bellum hoc tempore populus Romanus gerebat cum Sertorio in Hispania, duce Pompeio: cum Isauris et piratis in Cilicia, duce Servilio: cum Dardanis in Thracia, duce Curione: cum Mithridate in Asia, duce Lucullo: cum Spartaco in Italia, duce Vareno. HOT.

Cum populo Romano cognoscitis] In antiquo libro est, *cum PR. cognoscitis*, id est, *cum prætore* cognoscitis. FAERN.

Cap. 3. *Legati ad eos exercitus? Præterea Cn. Pompeius maximus*] Veteres ita omnes præter Lambinum, qui maluit: *legati ad eos? Exercitus præterea Cn. Pompeii maximus, &c.* Optime quidem: nec Grævio miror conjecturam hanc adeo placuisse, ut eam pro germanis Tullii verbis ediderit. OLIVETUS.

Auctor placeat] Cujus testimonio fidem habere velitis? FERRATIUS.

Cap. 4. *Ob vacationem*] Ne munire cogerentur. MANUTIUS.

Optimis nominibus delegare] Dictum est per translationem ductam ab iis, qui, quod suo creditori debent, transcribunt in suum debitorem, ut id dissolvat: verbi causa, mihi, qui debeo Mævio centum, debentur totidem a Sempronio. Ea igitur centum, quæ Mævio debeo, delego Sempronio, id est, scribo, aut mitto ad Sempronium, debitorem meum, ut quæ centum mihi debet, ea Mævio, creditori meo numeret. *Optima* autem *nomina* dicuntur, debitores, qui sunt

* Œdipus legat hæc, et corrigat.

solvendo, debitores locupletes, et qui æs alienum dissolvere et possunt, et non nolunt. *Delegare* igitur *crimen optimis nominibus*, hoc loco dictum est, pro eo, quod est, Transferre crimen in eos, qui facile possunt probare se omni culpa vacare: qui possunt criminis sibi illati onus sustinere, aut refellere. LAMBINUS.

Viam Domitiam] Quam Cn. Domitius proconsul in Gallia straverat. MANUT.

Ex litteris quidem vestris, quas scripsistis] Legendum ex fide antiqui libri, *ex litteris quidem nostris, quas exscripsistis*. Hæc enim verba directa sunt ad adversarios; qui, cum Fonteius litteras quas ipse ad legatos suos, quasque legati sui ad se de munitione viæ Domitiæ miserant, in judicio produxisset, ex quibus purgatus de eo crimine remanebat, eas ad considerandum exscripserunt, ut quotidie fit ad litigantibus, qui jura alterius partis in judicio producta exscribunt, id est, exemplum eorum sumunt. G. FABER.

Cap. 5. *Portorium vini*] *Portorium*, vectigal quod in portu pro exportandis mercibus solvitur. Unde qui hoc vectigal publicani redemerunt, *Portitores* dicuntur. HOTOM.

Crodum Porcium] Totus hic locus, qui miserabilem in modum in libris vulgatis depravatus jacet, ex fide codicis Vaticani, et diligentia Faerni restitutus est. LAMBINUS.

Ternos victoriatos] De victoriatis Plinius lib. XXXIII. scribit his verbis: *Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic numus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur: est autem signatus victoria, et inde nomen.* Est autem victoriatus semis denarii: et nunc, inquit Volusius Metianus, tantumdem valet quantum olim quinarius. Varro lib. de analogia III. *Nam quam rationem*, inquit, *duo ad unum habent, eandem habent* 20. *ad decem, in numis, in similibus. Si est ad unum victoriatum denarius, sic ad alterum victoriatum alter denarius.* Ita enim locum illum corrigendum esse arbitramur. HOTOM.

Qui ad hostem] Puta ad Hispanos, qui cum Sertorio arma ferrent. Argumentum *a majori ad minus*. Si enim exigebantur seni tantum denarii, cum vinum ad hostes ferebatur, non erant exigendi quaterni, cum ad amicos. FERRATIUS.

Fructibus nostris] Reipublicæ, quippe Sociorum. IDEM.

Cap. 6. *Quæsitore*] Prætore, qui quærit de repetundis. IDEM.

Salus ipsa] Dicit deam Salutem, cui templum in Quirinali dedicatum est. Sic Terent. in Adelphis:

——————— *Ipsa si cupiat Salus,*
Servare prorsus non potest hanc familiam.

Vide supra, Verr. I. cap. 57.

Semel] Non licebat iterum interrogare semel interrogatum: idque semel fieri solebat, antequam causa ageretur. FER.

Cap. 7. *Cn. et Q. Capionibus*] Fratribus, Serviliæ gentis: quorum Cnæus consul fuit cum Q. Pompeio, anno Urb. 612. Quintus anno sequenti cum C. Lælio. MANUTIUS.

L. et Q. Metellis] L. Metello Calvo, qui consul fuit an. 611. Q. Metello Macedonico, consule an. 610. IDEM.

Q. Pompeium hominem novum] In Verr. III. 70. *Q. Pompeius, humili atque obscuro loco natus.* Is igitur Pompeius, gesto jam consulatu, accusatus repetundarum, cum in eum duo Cæpiones, fratres, consulares, et duo item Metelli fratres, consulares, acerrime testimonium dixissent, absolutus est. Valer. Max. lib. VIII. cap. 5. IDEM.

Neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium] Utrumque de repetundis accusatum, auctore Val. Max. *ibid.* Fimbria cum C. Mario consulatum gessit. MANUT.

Pudor] Lib. I. de Orat. *Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor: qui tamen non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.* IDEM.

M. Marcellum] Valerius Maximus, lib. VIII. cap. 5.

Ex illo loco] Ab adversariis: ad quos, hæc dicens, digitum intendebat. IDEM.

Cap. 8. *Equites Rom.*] Qui lege Sempronia C. Gracchi judicaverant usque ad L. Syllæ dictaturam. FER.

Vict. Man. *Belgarum.* Lamb. *Vulgarem.*

Volgarum] Volgas, populos Galliæ, Allobrogibus finitimos, Cæsar commemorat lib. I. de bello Gallico: Belgas autem constat longe esse ab his remotos: neque quidquam ad Fonteii provinciam pertinuisse. LAMBIN. Legendum, *Volcarum*, uti emendatum est quoque in melioribus editionibus Cæsaris. Sic enim a veteribus vocantur, non *Volgæ*. *Voleæ*, hodie superior et inferior Languedocia. GRÆVIUS.

Qui optima in causa sunt] Qui leviores habent causas, cur Fonteio inimici sint. MANUTIUS.

Immunitatem] Queritur enim, præter cætera, vini portorium a Fonteio primum institutum. IDEM.

Induciomarus] Hic est princeps Trevirorum, qui a C. Cæsare bello victus atque interfectus est. HOTOMANUS.

Cap. 9. *Cum proditis*] Proprie dicuntur *produci* testes, et *prodire*.

Arbitror] Testes, licet jurati, nihil tamen affirmabant: arbitrari se dicebant. Id Cicero plane docet in Lucullo in extremo. MANUT.

Cap. 10. *Delphos usque ad Apollinem Pythium*] Nota est historia ex Pausania in Phocicis, et Justini lib. XXIV. extremo: quam et Strabo attigit lib. IV. et Livius lib. XLIX. HOTOMANUS.

Cujus nomine] Scribendum *numine*, (non, quod omnes hic editiones præ se ferant; sine ulla commoda sententia, *nomine*) ὁ χαλεπὸς mihi facile credo assentientur. *Numine* enim est divina vi et potestate, ut in Catil. *Dii immortales, qui, &c. præsentes suo numine atque auxilio nos defendunt.* Et in Anton. *Mihi quidem numine Deorum videtur hoc fortuna voluisse.* Virgilius, Æneid. XII.

——— *tuque inclyte Mavors,*
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques.

Ovid. epist. Sapphus:

Fons sacer, hunc multi numen habere putant. Forte tamen erit, qui vulgatam asserendam ac sic explicandam esse censeat: Ille Jupiter, cujus nomine jurantes testes utuntur, quo firment testimonii fidem. Nam solemne jurisjurandi carmen est: *Si sciens fallo, tum me Diespiter perdat.* Hinc *Jovem lapidem jurare*, de quo Festus. Si quis sic sentit, per me glande hac sit contentus. GRÆVIUS.

Humanis hostiis] Hunc Gallorum morem cognosce ex Comment. Cæsaris lib. de bello Gall. VI. Vide et Plin. lib. XXX. HOTOMANUS.

Illo triennio] Quo Fonteius Galliæ præfuit. Prætoriæ provinciæ annum unum obtinebantur: sed plerumque prorogabantur, ut Verri, ut Pisoni, et aliis innumeris. IDEM.

Lamb. Grut. *cum Gallis jurare.*

Vos tamen Gallis credere malitis?] In Vatic. legitur: *Vos tamen cum Gallis jurare malitis.* Nam et Galli jurati testimonium dixerant in Fonteium, et judices antequam de eo sententiam ferrent, juraturi erant. Quod si condemnassent, visi essent jurare cum Gallis. G. FABRNUS. Sed recte hanc veteris codicis scripturam damnarunt Hotoman. et Manut. Possis tamen illam tueri verbis, quæ paulo ante præcesserunt: *Cum his vos testibus vestram religionem conjungetis?* hoc est, vestrum jusjurandum. GRÆV.

Cap. 11. *Sagatos*] *Sagum*, opinor, non militarem vestem, Romanorum similem significat, sed stragulæ vestis genus, non absimile cilicio. Suetonius in Othone illiusmodi *sagi* mentionem facit his verbis: *Ferebatur et vagari noctibus solitus, et in validum quemque obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Tacitus de moribus

Germanorum: *Nudi aut sagulo leves, nulla cultus jactatio.* Et paulo post, *Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si paulo post, spina consertum.* De braccis autem et sagis Diodorus lib. VI. sic scribit: *Vestes autem ad terrorem intonsas, ac coloris varii ferunt, quas illi vocant braccas. Sagula gerunt virgata: hyeme quidem crassiora, æstate subtilia.* HOTOMAN. Quamvis in omnibus editis sit *brachatos*, cur tamen vitium orthographiæ, de quo in tanta luce litterarum nemo dubitat, non corrigemus? Bracas autem scribendum esse, non *brachas;* nec *braccas*, dudum docti monuerunt, unde *bracata Gallia.* GRÆV.

Vict. Man. *convictis.*

Convictis *virorum bonorum testimoniis*] *Convictus*, alii nonnulli: et sic puto emendandum. Sed utrocumque modo, mendum tamen subest: nam verbum *magistratibus*, quo se referat, non habet: quare haud scio an sic potius sit legendum, *Magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, legationibus flagitiose obitis, convictus virorum bonorum testimoniis, invisus suis omnibus.* Nihil tamen affirmo: tantum sententiam meam testificor. HOTOM. Procul dubio hic exciderunt aliquot verba, tam quæ pertinent ad *magistratibus*, quam ad *convictus*, nimirum tale aliquid *male gestis, ullius criminis convictus.* Sed hæc ex ingenio sine testatæ fidei codicibus supplere Musæ non sirint. GRÆVIUS.

Cap. 12. *Marius*] IV. Cos. Ambronum Teutonumque gentem ferocissimam, quæ cum exercitu numerosissimo in Italiam invaserat, prælio vicit: qua victoria Romam nuntiata, v. Cos. absens creatus est. Quintum Consul Catulo cum Cimbris difficile bellum gerenti præsidio fuit, hostesque superavit. HOTOMANUS.

Cn. Domitius et Q. Maximus] Q. Fabius Maximus cum Allobrogibus, Cn. Domitius cum Arvernis, acerba et diuturna bella gesserunt. Ut ipse alibi scribit, et Cæsar lib. I. De quorum victoriis cognosce ex Floro in Epit. lib. LXI. IDEM.

Plætorius] Fonteii accusator.

Cap. 13. *M. Æmilium Scaurum accusatum a M. Bruto*] Ter accusatum Scaurum reperio. Primum a Cn. Domitio Tribuno plebis, quod ejus opera sacra multa pop. Rom. diminuta esse diceret. Iterum a Q. Servilio Cæpione lege Servilia repetundarum. Tertio a Q. Vario trib. pl. lege Varia proditionis. Quæ omnia ex Asconio didicimus. Sed M. Bruti qualis accusatio fuerit, legisse non memini. HOTOMAN.

M'. Aquilius] Accusatus de repetundis a P. Lentulo, eo, qui senatus princeps fuit: ut in Divin. Fuit alter M'. Aquilius ipse de repetundis, sed post multos annos, accusatus, nec a P. Lentulo, sed a L. Fusio: ut libro II. Offic. et in Bruto. Atque hic posterior Aquilius is est, quem cum defenderet orator ille summus M. Antonius, causa prope perorata, tunicam ejus a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus judicesque adspicerent adverso corpore exceptas. Qua de re lib. 3. in Verr. MAN.

L. Cotta] De repetundis accusatus ab Africano minore. Vide Valer. Maxim. lib. VIII. cap. 1. IDEM.

P. Rutilius] Rufus, qui consul fuit cum Cn. Mallio. Is cum in Asia quæstor Q. Mucii Scævolæ provinciam ab injuriis publicanorum defendisset, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est; et, cum redire posset victore Sylla, equitibus inimico, exulare malit, ne contra leges fecisse videretur. Val. Max. II. 10. VI. 4. Ascon. in Divin. et pro Scauro. IDEM.

Libidinem] Alii legunt, *libidinum.* Utraque lectio sensum habet. ID.

L. Pisonem] Qui cum consul fuisset quo anno Tib. Gracchus occisus est, postea C. Gracchi legem frumentariam dissuasit. Tuscul. III. IDEM.

Viator quæreret] *Viatoribus* enim Tribuni plebis utebantur: Consules et Prætores *lictoribus.* HOTOMANUS

Cap. 14. *In monumentis*] In mar

moribus incisam, in quibus, et rerum a Fonteiis gestarum, et antiqui generis memoria extaret. MANUTIUS.

Continuæ præturæ] In Fonteiorum familia. Sed oratorie dictum, *continuæ*, pro fere continuæ. Nam hujus Fonteii pater in legatione obiit, præturam nondum adeptus. ID.

Parentis] Belli socialis initio Q. Servilius proconsul ad sedandos motus Asculum profectus, cum legato Fonteio, omnibusque Romanis civibus est interemptus. Epitome, lib. LXXII. IDEM.

Cap. 15. *Hominibus autem*] Hic aliquid desiderari quivis, si attendit animum, per se videt. Id nos expiscati sumus ex codice Francii, in quo est: *aut claris hominibus, ac summis ducibus.* Sine dubio legendum: *claris autem hominibus, ac, summis ducibus.* GRÆVIUS.

In bello] Sociali, exorto, L. Julio, P. Rutilio, consulibus. MANUT.

Tradere et condemnare] Nos, quamvis omnibus libris dissentientibus, legendum omnino arbitramur, *condonare.* Nam cum oratio crescere debeat, hic decrescit; quod enim leviu est, in extremo ponitur. Præterea cum tempore prius sit *condemnare*, quam tradere, hic posteriore loco ponitur, *condemnare.* At id quod nos malumus, quodque omnino a Cicerone scriptum esse contendimus, honesta locutio est, et Ciceroniana. G. FAERNUS. Certissima et verissima Faerni emendatio. GRÆVIUS.

Cap. 16. *Macedonia*] In Macedonia et Hispania legatum fuisse, ex eo loco conjecturam capio, ubi paulo ante dixerat, *legationibus flagitiose obitis:* ab utraque autem significat missas publice legationes, quæ Fonteium, ut moris erat, laudarent. HOT.

Bello Gallico] Cum bellum Gallicum ingruebat, non dabantur Romæ vacationes. *Philipp.* VIII. *cap.* 1. Ita nunc omnes Romam venerant, cum a Gallis Fonteius oppugnaretur. FER.

Cap. 17. *Matris*] Quæ supplex aderat in judicio, ex altera parte soror Fonteii, Virgo Vestalis. MAN.

Lamb. *commoneri.*

Vict. Man. *Vestæ.*

Solatia] Cum Manutio interpretandum est, decus et honestæ mortis memoriam.

PRO A. CÆCINA.

ORATIO XII.

ARGUMENTUM.

M. Fulcinius Tarquiniensis Cæsenniæ uxori moriens usumfructum bonorum suorum legavit, ut frueretur una cum filio herede instituto. Filio mortuo, et auctione bonorum constituta, Cæsennia fundum ex iis bonis emere de sententia amicorum constituit: idque negotium Sex. Æbutio dedit, cui fundus pecunia Cæsenniæ emptus fuit addictus. Cæsennia cum non longe post A. Cæcinæ nupsisset, eumque heredem fecisset, decessit. Tum Æbutius fundum illum, quem mandato Cæsenniæ emerat, suum esse dixit. Itaque constitutum fuit, qua die in rem præsentem veniretur, ut, cum Cæcina de fundo esset dejectus, interdictum a prætore postularet. Verum Æbutius fundo occupato, Cæcinam in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu ingressuque prohibuit. Repulsus Cæcina interdictum de armatis hominibus a Dolabella prætore impetravit, ut unde dejectus esset, eo restitueretur. Æbutius restituisse se dixit,

in eamque rem sponsio facta est, de qua recuperatores a prætore dati cognoverunt.

Tota quæstio definitionis est, an interdicto de vi teneatur etiam is, qui non dejecit de fundo, sed ab ejus ingressu prohibuit: de qua re Cicero in Oratore: Tota mihi causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, jus civile laudavimus, verba ambigua distinximus. *Ita autem versatur in Jure civili hæc omnis oratio, ut exemplis ipsis, quæ in* Topicis *sunt omnia sumpta de jure, nusquam exempla magis affinia possint reperiri. Neque adeo juris illius studiosi quidquam legant dignius, in quo aut ipsorum ingenii lumen eluceat, aut appareat industria.* P. Faber.

Plena hic forensium omnia sunt formularum, pragmaticarumque artium, quas non dubito quin Budæus, Cujacius, Hotomanus, et, si qui sunt ejusdem ordinis, alii probe intellexerint. Sed integras eorum observationes non capit hic Delectus: *neque decurtatis sua maneret utilitas. Commodum libros in bibliothecis feriatos offendent ii, quibus otii erit satis, ut in hæc studia se immergant. Quamobrem mihi, homini minime litigioso, lectores quæso esse propitios, si Romani juris Pandectas non exhibeo. De salebris hujusmodi satis sum, etsi breviter, in proœmio hujus voluminis præfatus.* Olivetus.

Cap. 1. *Si facta vis esset moribus*] Sæpe postea in hac ipsa oratione, *de vi quæ moribus fiebat*, loquitur. Infra, *Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, et de fundo Cæcina moribus deduceretur. Ad eum fundum profectus est, ex quo ex conventu vim fieri oportebat. Cum ad vim faciendam veniretur, ipse porro Cæcina cur se moribus deduci volebat?* Quid sit igitur, *vim fieri moribus*, videamus. Ex his sane locis, quos commemoravimus, et si qui sunt præterea similes, illud manifesto intelligitur, moris fuisse, ut cum de agro quopiam controversia institueretur, quia propter commoda possessionis magna jurgia, et pugnæ interdum ac cædes oriebantur, litigatores de amicorum sententia diem inter se sumerent, qua die in rem præsentem, id est, in agrum illum una venirent, et in eo agro vim aliquam alter alteri faceret, non veram et solidam, sed fictam et simulatam. Ex tota autem oratione illud aperte constat, quod is, qui detrusus erat, a prætore ex edicto postulabat, ut *unde vi dejectus esset, cum possideret, eo restitueretur*, prætor decernebat. Cum restitui jussus ab adversario peteret, ut se restitueret, respondebat adversarius *se restituisse:* altero igitur restitutum se negante, sponsio fiebat. Recuperatores sumebantur; apud quos quærebatur, restitutusne esset, qui fuerat dejectus, an non: id est, paruissetne dejector edicto atque imperio prætoris, an non. Hoc autem judicio (ut sæpe postea docebimus) revera nihil aliud quærebatur, quam uter possideret: nam si non possidere adversarium dejector probaret, vincebat, et edicto prætoris paruisse judicabatur: non enim aliter erat restituere jussus, nisi si possessorem dejecisset. Dejectionis enim invidia probationis onus in dejectorem rejiciebat; ut patet infra, *Ostendo, si sine armatis coactive hominibus dejectus quisquam sit: eum qui fateatur se dejecisse, vincere sponsionem, si ostendat eum non possedisse.* Atque hæc quidem mea quondam fuit propter illum Ciceronis locum sententia, qui non modo mihi adolescenti ut tum eram, verum etiam cuivis exercitato errorem objicere facile potuit: quid enim clarius dici potuit, quam *dejectori onus incumbere probandi dejectum non possedisse?* Sed postea partim majore attentione adhibita, partim aliis Ciceronis locis excitatus, statui *probandæ possessionis onus dejecto, non dejectori incumbere;* ut infra docebimus. Hæc autem vis est, et dejectio quam moribus fieri dicit; quam infra *vim quotidianam* appellat: quam A. Gell. lib. 20. cap. 10. *vim civilem ac festucariam* appellat; quam veræ vi ac solidæ opponit; de qua Ennius dixerat, *Non ex jure manu consertum,*

sed mage ferro Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi. Ut etiam perspicue apparet *consertionem illam manuum*, de qua toto illo capite disputat, nihil aliud fuisse, quam vim hanc, ac deductionem, *quæ moribus* (ut Cicero dicit) *fiebat;* et quam dicit olim præsente prætore fieri solitam, qui ipse in rem præsentem, agrumque litigiosum proficiscebatur. Verba autem Jurisconsulti, quæ Gellius protulit, quæ in vulgatis libris valde corrupta sunt, sic legenda ac restituenda putamus: *Manum conserere, est qua de re disceptabatur, in re præsenti (sive ager, sive quid aliud est) cum adversarius adversarium simul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare, id est, vindicia correpta.* (*Vindicias* autem hic surculum sive festucam, opinor, appellat: quæ aliter *vindicta* dicitur, ut cum servi *vindicta*, id est virga manumitti dicuntur, propius enim ad *vindicii* nomen, unde *vindicta* deducta est, accedit) *manus in re atque in loco præsenti conserere: quod apud prætorem* (id est, præsente in agro prætore) *ex* XII. *tabulis fiebat; in quibus ita scriptum est,* Si qui in jure manum conserunt. *Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, latis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa longinquas in res gravabantur: institutum est contra* XII. *tabulas tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum conserverent, sed ex jure manu consertum vocarent, id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret; atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, veluti unam glebam, in jus in urbem, ad prætorem deferrent: et in ea gleba, tanquam in toto agro, vindicarent.* Hæc Gellius. In quibus illud observandum est, hanc manuum consertionem etiam tum fieri solitam, cum de possessore constaret: et actor *vindicatione*, id est, in rem actione uti vellet; quod etiam Cicero demonstrat in orat. pro Murena, et lib. de Orat. I. *Multisque*, inquit, *prætorem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses: agerent enim tecum lege Pythagorei omnes, vindicarentque, &c. Interdictum* autem eo in loco non hoc de vi quotidiana et festucaria significat: sed de vi hominibus armatis coactisque, in qua scilicet non ex jure manu consertum vocari solet: sed vis revera adhibita est. Quare duabus de causis *manu consertum* vocabatur: primum cum de possessione agendum esset; et interdictum, *unde vi simplici et civili*, postulandum: deinde cum in rem actione, sive vindicatione utendum esset: eo enim consertio fiebat, ut in re præsenti vindicari posset. Superioris exemplum est in Epistola ad Trebatium, lib. 7. *Tantum metuo*, inquit, *ne artificium tuum tibi parum prosit: nam, ut audio, istic non ex jure manu consertum, sed mage ferro rem repetunt. Et tu soles ad vim faciendam adhiberi?* et quæ sequuntur. Est autem *manu consertum* confictum vocabulum, conjunctumque ex *manus* et *conserere*, qua de re in Comment. verb. jur. copiose diximus. Hotoman.

Si causa more institutoque omnium defendatur] Si nobis permittatur uti hoc interdicto, et ex eo restituamur. Dicit hunc esse morem majorum, ut dominus de suo fundo depulsus, et in eum ingredi prohibitus, (quamvis revera dejectus non sit, si verba consectemur) uti possit hoc interdicto. Æbutius, qui Cæcinam neque dominum, neque possessorem esse diceret; negabat ei uti hoc interdicto licere, quod dominis aut possessoribus tantum datur. Idem.

Hac actione] Tertia; nunc enim tertium agitur hæc causa, cum judices antea bis sibi non liquere dixissent, et amplius cognoscendum pronuntiassent. Idem.

Cap. 2. *Sed de jure civili judicium fieri videretur*] Suspicio de mendo nulla est in his verbis. Explicatio nobilissimi jurisconsulti fecit, ut non

prætermitterem. Hotomanus igitur *jus civile* interpretatur hic *jus civitatis*, quod Æbutius, quoniam Sylla civitatem Volaterranis ademisset, negat Cæcinam Volaterranum civem esse, et a cive posse hereditatem capere. Mihi probari vix possit. Mitto loquendi genus, quo non alibi, quod quidem meminerim, sic utitur. De *jure* autem *civitatis* quæ dicturus est in hac oratione, in extrema dicet, ut aliud agens, ac dicet his ipsis verbis: *Nihil ea ad causam attinuisse.* Quod igitur civile jus dicam hic intelligi? id, de quo statim subjiciet, *Sed cum de eo jure mihi dicendum sit, quo sublato non solum pars aliqua diminuta, sed etiam vis ea, quæ juri maxime est adversaria, confirmata esse videatur.* Hoc autem jus in qua re versatum sit, dixit etiam in Oratore sic: *Tota nobis causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit.* Et dicet in hac oratione: *Dolabella prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominibus armatis.* Deinde; *Sponsio facta est; de hac sponsione vobis judicandum est.* Formula sponsionis sequitur, *Ni adversus edictum prætoris vis facta esset.* Jus igitur illud, cui vis est inimicissima in verbis *interdicti*, de quibus totam hanc causam ait sibi fuisse, de quo judicium fieri videretur, profecto hoc est. Neque fuit verendum, ne quid obstaret ea distinctio juris civilis et juris prætorii, posita a Papiniano in lege 7. *De justitia et jure*, aliisque jurisconsultis, et usurpabit infra Cicero: quam cur hic magis observet, quam in ipsa definitione *juris civilis*; quam in Topicis exposuit, ubi edicta prætorum, aliorumque magistratuum, juris civilis partem constituit? Est enim ibi *jus civile*, ut scis, *quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit.* Neque porro, quin *edicti* appellatione Cicero *interdictum* complectatur item, ut jurisconsulti, hic locus, quem citavi modo, *Ni adversus edictum prætoris vis facta esset*, aliique in hac oratione loci dubitare nos sinunt, ut illic ostendemus; ubi, cur *edictum* pro *interdicto* dici negarent, causa non fuit. P. Faber.

Ad summam illius existimationem] *Summa existimatio* est res, a qua omnis nostra fama et dignitas pendet. Sic *summum bellum*, apud Cæsarem, in quo periclitatur res universa. *Summa respublica*, res, a qua pendet salus reipublicæ apud Ciceronem, ut alibi ostendimus. Græv.

Moram ad condemnandum acquisisse] Id est, lubentissime arripuisse occasionem differendæ et producendæ damnationis. Apparet duabus de causis ampliationem interponi solitam; primum cum revera non liquebat judicibus, et obscura erat causa; deinde cum grave erat judicium, utpote quod existimationem lædebat. Nam si absolvendus esset reus, prima actione judicabatur: si videretur condemnandus, *amplius* pronuntiabatur; non ex jure scripto, sed ex consuetudine, ut modo declarat: et in hanc eandem rationem atque sententiam sic loquitur Asconius in I. Verr. *Et omnino*, inquit, *si videbatur judicibus bona causa, absolvebant reum; si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant.* Hot.

Disceptatore domestico] Intra parietes ab amicis controversia componitur. Cic. 3. de Leg. *Disceptator juris, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto.* Pass.

Cujus rei causa] Nempe ut maleficia vindicentur. Idem.

Cap. 3. *Ad constituendum judicium*] *Constituere judicium* vel *quæstionem* (utrumque enim dicimus) in publicis duntaxat judiciis, dicitur *Quæsitor*, qui judicum rejectione utrinque facta, certos constituit judices, qui sibi jurati in consilio adsint, et secum causam cognoscant. In privatis vero judiciis, cum prætor urbanus judici aut recuperatoribus a litigatoribus acceptis potestatem de causa cognoscendi et judicandi facit, *Judicium constituere* dicitur. Hot.

Et facto quidem turpe] Paul. Manutius *factum*, sed e conjectura, con-

tra omnes libros impressos scriptosque. Sequitur tamen Lambinus. Hot.

Leviore actione] Quam hac, quæ est de vi armata, et injuria, unde turpis existimatio sequitur. Hotom.

Per interdictum] Decreta quædam prætoris, quibus ille aliquid fieri jubebat aut vetabat, *interdicta* dicebantur, præsertim in possessionum controversiis. Unde autem dicta sint, diu quæsitum est: nam ab *interdicere* deductum vocabulum non videtur, quod cum *interdicere* verbum *prohibere* significet, et denuntiare ne quid fiat; pleraque interdicta jubeant, non prohibeant. Ego ex eo derivatam appellationem puto, quod inter hoc prætoris decretum, et principalis negotii controversiæque disceptationem, aliquid fieri aut juberetur, aut vetaretur; quasi hoc decretum interea dictum atque interpositum esset, dum actionem principalis causæ aliquando litigator postularet; ítaque puto sensisse ac disputasse jurisconsultos, quorum obtinuisse sententiam Tribonianus scribit; non autem, quod ille, nescio quo auctore, tradidit, quod inter duos dicantur; nisi forte non *duos*, sed *duo* scribendum sit. Exempli causa, cum in fundo essem, dejecisti tu me ex eo, vi armatis aut non armatis hominibus, quod tuum esse illum fundum diceres. Prætor me per interdictum restitui jubet; hoc est dicere, jubet me possidere interea, dum ille constituto judicio planum fecerit, ac docuerit, se illius esse fundi dominum. Hoc ita esse, ex iis quæ post dicentur, facile ac dilucide constabit. Sed quoniam ubi non constat, uter possessor sit, petitoria actio institui non potest, *quia et civilis et naturalis ratio postulat*, (inquit Justinianus) *ut alius possideat, alius a possidente petat:* propterea inter hanc de possessione contentionem, et principalis causæ disceptationem, hæc quasi actio ac judicium a prætore dabatur, quo uter esset possessor constitueretur. Hæc ergo inter *actionem* et *interdictum* similitudo est, quod utrumque a prætore datur, ut l. 35. §. non solum, D. de procur. utrumque certa conceptaque verborum formula constituitur, in utroque sponsiones fiunt, utroque judex aut recuperatores dantur. Hot.

Cap. 4. *Ratio juris, et jus*] Lambinus corrigit ac legit, *et vis de qua judicium est:* ut videtur, nimis audacter. Hotomanus, qui *rationem juris*, hic vult dici hujusce causæ difficultatem et obscuritatem, interpretatur *jus de quo judicium est*, jus Cæcinæ, de quo in hoc judicio quæritur: ne hoc quidem satis probabile, Ciceronem tam inusitata defectione verborum ex ancipiti notione verbi *juris* orationi suæ voluisse tenebras istas obducere. Quid igitur dicam? nisi librarium non tenuisse consuetudinem scribendi Ciceronis, atque aliorum veterum: qui *I* consonantem inter duas vocales geminare soluti sunt. *Sciat*, ait Quintilianus in lib. I. cap. 4. *etiam Ciceroni placuisse*, aiio, maiiamque, *geminata* i *scribere*. Idem aliis exemplis docuit Velius, et Terentianus. Idem Priscianus. Ergo Ciceronem dicam ex illa sua consuetudine scripsisse hic, *Quam me ratio juris ejus, de qua judicium est.* Non alio modo atque paulo ante dixit, *Sed cum de eo jure mihi dicendum sit.* Et infra dicet, *At vero ratio juris interdictique vis, &c.* Nihil apertius. Et vide, mutatio illa tam in litteris prope nulla ut sententiam mutarit, aut adeo corruperit. Fab.

Summo jure] Summo egisset jure Cæcina, si, cum actione leviore confligere potuisset, uti tamen, odio et malevolentia animi inductus, ista actione voluisset. Hotomanus. *Summo jure*, est nimis atroci actione. Ursin.

Argentariam] Vide supra, pag. 528. ubi *navicularium* in Verr. III. 18.

Temporibus illis difficillimis solutionis] Id est, quo tempore argentarii difficultate rei nummariæ laborabant, neque sine maxima difficultate æs alienum dissolvere poterant. Tempora autem Syllana significat. Hot.

Magnus honos viri] Honorificum

fuisse aliquid amici testamento accipere, dictum est alias. IDEM. Vid. Phil. II. 16.

Cap. 5. *Cum esset hæc auctio hereditaria constituta*] Cum a communione discedere cuperent, neque id facile et commode res inter se partiri possent, placuit auctionem constitui, ut pecuniæ redactæ partitio fieret. HOTOM.

Cognitoris viduarum] *Cognitor*, qui præsentis negotium causamque suscepit; *Procurator*, qui absentis. ID.

Cap. 6. *Ad tabulam*] Olim ad argentariorum tabernas auctiones fieri in foro solebant, ut cui quæque res addicta esset, ei argentarius expensam pecuniam in tabulas referret. ID.

Pecunia solvitur a Cæsennia] Nota locutio; pro *ex nummis Cæsenniæ*: idem lib. epist. ad Attic. IV. *Homines, non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere*; et lib. 7. *Frater laborat, ut tibi quod debet, ab Egnatio solvat*. IDEM.

Tabulas averterit] Cæsenniæ; in quibus expensa Æbutio pecunia relata erat, quam ipse Cæsenniæ nomine argentario solverat. IDEM.

Sibi expensa] *Expensa pecunia refertur*, etiam quæ adnumerata non est; ut cum alicui res addicta est certo pretio, argentarius expensam illi tantam pecuniam refert; cum hoc tantum significet, ab illo deberi. Sensus nunc qui sit, opinor non obscurum est. IDEM.

Ex duabus Sextulis M. Fulcinium] Sextula est sexta pars unciæ. Dividitur hereditas in duodecim uncias, quæ sunt partes hereditatis: unaquæque uncia in sex sextulas. De hoc loco multis Budæus lib. I. de asse. PASSERATIUS.

Cap. 7. *Propter incommodum Volaterranorum*] L. Sylla rerum potitus Italiæ municipiis civitatem ademit. *Cic. in Oratione pro Domo. Livius. Appianus.* Hoc præter alia eam vim habebat, ut nemo ex iis municipiis hereditatem a populo Romano posset accipere. Volaterras autem biennium obsessas; et omnibus injuriis a Sylla dictatore affectas, notum est ex historia. Sed huic loco respondet postea Cicero copiose. HOTOM.

Calumniam] Improbæ litis terrorem et stultitiam prostravit. PASSER.

In possessione honorum cum esset] Mortua igitur fructuaria, confestim, tanquam consolidatione facta, et pleno jure dominus ejus fundi possessionem naturalem apprehenderat. Nam antea civiliter tantum possidebat, *cum usufructus possessionem non impediat*. l. pen. D. acq. poss. HOT.

In rem præsentem veniretur] Dictum est jam antea, moris fuisse, ut in possessionum controversiis uterque adversarius aliquot homines advocaret, cum quibus in fundum, de quo controversia esset, proficisceretur: ibique illis præsentibus vis sine armis per simulationem fieret: ut alter ex iis, qui scilicet naturaliter non possidebat, ipsis postea testibus uti posset de fundo se dejectum: et interdictum postularet. IDEM. Budæus in Pandectis exponit, locum oculo ac digito designare, id veteribus esse *in rem præsentem perduci*.

Moribus deduceretur] Vide supra, hujus orationis cap. 1.

Cap. 8. *Ex conventu vim fieri*] Vim illam usitatam, quæ *dicis causa* et per simulationem fiebat. HOTOM.

Sine ulla exceptione] Id est, pure ac simpliciter decrevit ut restitueret, neque addidit, *Cum Cæcina possideret*. Sed sive possideret, sive non possideret, restitui jussit. Quod planum erit infra. IDEM.

Restituisse se dixit] Quod *restituisse se dixit*, non sic accipiendum est, quasi revera se in fundum litigiosum reduxisse Cæcinam contenderet. Hoc enim falsum esse ex oratione intelligitur. Sed hoc eam vim habet, quasi diceret *restituere non debere*. Hic enim mos fuit in istis sponsionibus, ut restituere jussus statim se restituisse diceret. Quod ita intelligi volebat, quasi edicto atque imperio prætoris, cui civem modeste parere oportebat, paruisset. Cum enim sub ea conditione esset restituere jussus, *si*

dejecisset, non dejecisse se contendebat: eoque prætoris imperio et interdicto morem gessisse. HOTOM.

Sponsio facta est] A Cæcina: Si restitutus sum ex edicto prætoris. Ab Æbutio: Nisi ex edicto Cæcinam restitui. Recuperatores judicare debebant, fueritne restitutus Cæcina, an non. Quæ est constitutio causæ. FERRAT.

Cap. 9. *Dixi*] Ita nostri omnes. Sed M. Ant. Feratius, *dixit*: quod verius crediderim. OLIVETUS.

Cap. 10. *Auctor fundi*] Qui fundum vendidit, quippe heres Cæsenniæ. FERRAT.

Minus niger] Quam ille servus, qui Phormionis personam agebat. IDEM.

Minus abesse LIII.] Nihil propemodum hic muto. Lego LM. Poterat intelligi *passum*: poterat *nummum*, ut hic populus jocans intelligit. Minus LM. responderat Falcula: id erat populo XL. millia, quia tot millia nummum in illo judicio acceperat, ut apparet in defensione Cluentii; qua in oratione tamen, dum causæ inservit Cicero, purigat Falculam. P. FABER.

In Albiano judicio] In judicio Statii Albiani Oppianici, quem A. Cluentius veneficii accusabat. HOTOM.

In consilium publicæ quæstionis] In consessum judicum. PASSERAT.

Si uno minus damnarent] Erant judices XXXII. ut ex Cluentiana intelligitur: et sexdecim corrumpendos Ælius Stalenus judex ipse decimus septimus susceperat: cum unus deesset, C. Fediculanius Falcula ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. HOT.

Tantisper de aliquo reo cogitasse] Facete dictum. Non attendebat, inquit, dum alii testimonium dicerent: sed interea cogitabat, an unquam simili fortuna uti posset, quali in Oppianici judicio usus erat. IDEM.

Cap. 12. *Ad constitutum*] *Constitutum*, vocabulum ad jus civile pertinens, et significat diem tempusque litigatoribus indictum, quo se in loco certo ac constituto sistant. ID.

Quid agas mecum ex jure civili et prætorio non habes] *Actiones* primum a jurisconsultis ex legibus XII. tabularum constitutæ sunt: quæ *civiles* ideirco in libris Pandectarum appellantur, quod jure civili comparatæ sint: sed cum multis in causis deesse actiones prætores animadverterent, alias item pro suo ipsi jure atque imperio constituerunt: quæ ideo *prætoriæ* in iisdem libris nominantur. Utrinsque tamen generis actiones prætor urbanus, qui juri dicundo præerat, litigatoribus, qui eas postulabant, dare solebat, et agendi potestatem petitoribus permittere. IDEM.

Ut hoc genus unum vel maximum prætermitterent] Hoc cum exclamatione pronuntiandum, et magna admiratione: alioqui enim deesse quippiam videretur; et particula *ut* vim habet interrogationis: ac si diceret. Tametsi usque eo imperitos existimabimus, &c. HOTOM.

Quid denique? ad jus civile agas injuriarum?] Sic hunc locum restitui, deletis iis, quæ ex ora libri in contextum orationis irruerant. Sententia autem nunc est aperta. Quid denique? inquit, ad jus civile, id est, ad ea, quæ sunt juris civilis, seu ad ea obtinenda, quæ beneficio juris civilis, et actionum ex jure civili nascentium, contingunt, ages injuriarum? proinde quasi dicat, nequaquam. Nam qui agit injuriarum, pœnam persequitur: sed non recuperat rem sibi ereptam, aut possessionem amissam actione injuriarum. Quid ergo? alia actione experiendum. LAMB. Lambinus octo verba delet: ego loci valde corrupti vitium omne in distinctione, et in uno nomine *actoris* positum esse sentio. Hic igitur lego, et distinguo sic: *Quid denique ad jus civile, aut ad prætoris notionem, et ad animadversionem? ages injuriarum. Plus ego tibi largiar, non solum agaris, &c.* Et mirum est tantos jurisconsultos hoc vel non animadvertisse, vel non ostendisse. Primum quis nescit ejusdem esse *notionem, et animadversionem*, et utrumque *prætoris* esse, neutrum au-

tuvis? De animadversione est notum ex ipso edicto prætoris in titulo, *De injuriis*, lege 15. ait prætor, *Si quis adversus ea fecerit, prout quæque res erit, animadvertam.* Sic in titulo, *De minoribus viginti quinque annis:* et *De aleatoribus.* Sed longior sum in re facili. *Notio* item, ut cognitio, prætori quam sæpe tribuatur in Pandectis juris, commemorare nihil necesse est. Sed, ut illa mittam, quid esse potest evidentius, quam hic repeti eisdem verbis, quod dixerat proxime, *Quid agas mecum ex jure civili, et prætorio, non habes?* Tum occupatione, quæ sequitur, nihil potuit esse aptius. *Dixeris*, inquit, *te ceterum injuriarum; at ego hoc dicam, etiam si injuriarum egeris, etiam si ille condemnatus tibi sit, nihilo te magis possessurum.* Causam hic addit eandem, quam Ulpianus in lege 7. de injuriis. *In actione injuriarum*, inquit, *agitur, ut facinus vindicetur, non ut damnum sarciatur.* FABER. Sententia est: Cum ages injuriarum, poenam, non rem ipsam repetes, ut magistratus et quæsitor ea de re cognoscat, et animadvertat in eum, qui te affecit injuria. Paulo post dicit, *judicio pœnaque*, quod hic notionem et animadversionem. PASS.

Cap. 13. *Aut vim fieri vetat*] Hæc genera interdictorum jurisconsulti persecuti sunt lib. Pand. 43. HOT.

Unde vi prohibitus sis] Ut eo restituare, si ingressu sedium te armati prohibuerint. *Nemo unquam interdixit*, nullo hoc fierent exemplo et more. PASSERAT.

Utrum hanc actionem habebis qua nos usi sumus, an aliam, an omnino nullam] Quintil. lib. V. 10. ubi disserit de divisione: *Periculosum, et cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum eius quoque tota res solvitur. Tutius quod Cicero pro Cæcina fecit, cum interrogat*, si hæc actio non sit, quæ sit.? *simul enim removentur omnia.* IDEM.

Jus armatorum hominum judicio approbatum] *Vis approbata*, sententia postulat; quod enim *jus* tandem *est armatorum hominum?* quare legendum ita esse non est dubium. HOT. Retinuit Hotomani conjecturam Lambinus: respuit Gruterus, a quo tamen discessisse nunc vellem. OLIV.

Cap. 14. *Aliquid ex aliqua parte*] Alterutrum vacat, et est interpretatio alterius. *Illa res* est prohiberi, non dejici. PASSERAT. Erf. *Ut ista re aliquid aut aliqua ex parte.* Unde patet *aliqua ex parte* esse adjectum ex magistri interpretatione. GRÆVIUS.

Quod vis Cæcinæ facta non est] Quippe qui non possidebat. Hoc enim est Æbutii causæ firmamentum: ut infra ostendam. Scribit autem Labeo, *eum qui per vim possessionem suam retinuit, vi non possidere*, l. 1. D. de vi et vi arm. Quare hæc mihi Æbutii defensio probatur, ut in possessione retinenda non videatur esse vis facta, si, qui non possidebat, prohibitus est introitu. HOTOM.

Cap. 15. *Integri*] Nullo vulnere accepto. PASS.

Cap. 16. *Legitimis controversiis*] Quæ legum interdictorumque præceptis disceptantur. PASSER.

Repugnare] Quod si vis facta est, vis vi repelli potest. Ita in vitæ discrimine. Sed hic vi facta adeundus prætor. Nam vis est, cum quis, quod debetur, non per judicem reposcit. ID.

Cap. 17. *Si ad verbum rem volumus attingere*] *Astringere* magis placeret, ut Verr. IV. *Quis hic est, qui ad statuam adstrictus est.* HOTOM.

Statu detrusum] Muretus legebat, *neminem statuere detrusum.* GRÆV.

Cap. 18. *M'. Curium*] De cujus causa vide lib. I. de Orat. cap. 39.

Cap. 19. *Usum, et auctoritatem fundi*] Perperam sane, ut jam viderunt docti viri. Recte in aliis Ciceronis locis, quæ laudat Hotomanus, scribitur sine copula, idque ratio evincit. Nam hic est ordo verborum hujus legis: *Usus fundi biennium auctoritas est*, hoc est, usus seu usura fundi per biennium parit jus possessionis legitimæ. Usus non est usucapio, ut alibi nonnunquam, sed ipsa

utendi facultas et potestas. Ciceroni aliter *usura* dicitur, ut in Tusculan. I. 39. *Natura dedit usuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. Usus biennium* est utentes per biennium, si quis utitur fundo duos annos, ut in VIII. ad Famil. *Annos multos nihil aliud commentaris;* per annos multos. Et ad Attic VIII. 14. *Neque Romæ quicquam auditur novi, nec in his locis, quæ a Brundusio absunt propius, quam tu, biduum, aut triduum.* An non ominum est in ore, *annos tres; biennium abfuit?* Vides igitur concidere emendationem Hotomani, explicationem Fabri et Passeratii, qui retinent connec. tendi particulam. *Auctoritas* est evictio, sive potius id quod actionem parit, pro evictione, ut erudite docuit Salmasius de usuris, et dein ipsa actio evictionis, denique quod acquiritur actione illa jus possessionis: id quod male negat Salmasius in loco laudato. Hæc pluribus confirmarem, nisi esset res liquida. Clarissime quoque patet, biennium pertinere ad τὸ *usum*, non ad auctoritatem, ex iis, quæ apud Ciceronem in Topicis hæc verba, *quoniam usus auctoritas fundi biennium est*, sequuntur, *et sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus*, hoc est, mobilium, quibus annum tantum sumus usi, auctoritas est. GRÆV.

Si via sit in Brutiis immunita] *Brutii*, Italiæ populi, ad fretum Siculum siti. *Tusculum* vero oppidum proxime urbem: atque, ut Strabo scribit, *in ipsius urbis conspectu.* Ejus ager *Tusculanus*: in quo Romani cives villas habebant amœnissimas. In his M. Scaurus, M. Cicero, Q. Hortensius, L. Lucullus, et alii quam multi. Porro autem qui viam, hoc est, servitutem deb.et, munire viam debet, munitamque et paratam præbere. Quod si non fecerit, tum ei, cui servitus debetur, lex. XII. tabular. potestatem facit, qua velit jumentum, quod vehiculum trahit, agere. Sensus ergo est apertissimus: Si verba, inquit, sequeremur, quæ potestatem faciunt, ut qua velit is cui servitus debetur si via ubi illa debetur, immunita est, jumentum agat: agere liceret vel per amœnissimum quemvis agrum, qualis est ager M. Scauri: quam ille gravissimam contumeliam sibi factam interpretaretur, cum agro illo suo nihil neque jocundius neque suavius quicquam habeat. Cum autem id lex dicit, de ejus solius agro sentit, qui servitutem viæ debebat, quam non muniverat. HOTOM.

In jure] *Jus* pro loco ubi jus dicitur. Unde *in jus vocare.* PASS.

Hac actione Appius ille Cæcus uti non posset] Quod cœcus in jure non posset conspicere adversarium. ID.

Pupillus Cornelius] Cum testamenti scripti tempore pupillus esset, adeundæ hereditatis tempore pubes esset. HOTOM.

Recte igitur diceres te restituisse?] Notetur locus, cui similes sunt alii quam multi: ex quibus verum esse intelligitur, quod antea diximus, sponsionis verbis, quibus quis *restituisse se dicit*, non factum ipsum comprehendi: hoc est, non facto ipso ac revera dicere sponsorem se restituisse. Quippe qui nullo modo restituerit. Nam hoc ipso in loco qui restituisse se dicit, non restituit. Et si hoc aliis verbis efferret, sic diceret, *Restituere non debeo: quippe qui non dejecerim.* Sed quod magistratus imperio parere civem necesse est, uti hac illi oratione non licet, *Non restituam*, aut *restituere non debeo.* Quocirca restituisse se contendit, id est, magistratus edicto atque imperio morem gessisse; sed sub ea tamen conditione, qua et restituere jubebat. Jubebat autem restituere, si dejecisset. Non dejecerat, quare magistratus imperio paruerat: et hoc modo restituerat. Similis locus infra, *Si glebis aliquem dejeceris, jussusque sis quem hominibus armatis dejeceris, restituere: restituisse te dices?* HOT.

Cap. 23. *Quod dicitur*, SIVE, NIVE, *irrident*] Hæc est lectio Pall. duorum, item aliorum Mss. ut dudum monuerunt Hotomanus, Manutius, sed neuter sese inde expediit: fecit

Gulielmius; dudumque prodidit ad Asinariam Plauti cap. 9. *Nibe* scriptum pro *Ni-ve*, ἀρχαικῶς, ut mille locis in Pandect. Florent. Respicit autem ad formulam sponsionum, quarum initium, SI, SIVE, NI, NIVE. Quod infinitis exemplis palam fecit Barnabas ille Brissonius lib. 5. de Formulis, qui consulatur. GRUTERUS. Acute Gulielmius verum vidit. Sed cur retinetur antiqua scriptio corrupta *nibe*, pro *ni-ve*? GRÆVIUS.

Cum tuæ sint eæ partes] *Partes* dicuntur personarum, quæ comœdias agunt: ad quas hoc loco alludit. Et paulo post idem dicit aliis verbis: *Cum tua sit hæc oratio.* Nam *unde dejectus es, A. I. Q. P. E. A. E. N. dejectus:* verba sunt Æbutii. Gallice simili metaphora dicimus, *le rôle que vous jouez.* HOTOMANUS.

Cap. 24. *De jure vario*] Seu controverso, cum pro utraque parte sentit aliquis jurisconsultus. FERRAT.

Cap. 25. *Imponi falsæ tabulæ*] Sic omnes scripti et impressi; haud scio tamen an non potius *interponi* scriptum fuerit. Præsertim cum ab hoc in illud facilis sit lapsus. HOTOM.

Qua denique digitum proferat] Hæc significant verba, ne tantillum quidem habet quod moliatur, aut agere possit. Nam *digitum proferre, exserere, porrigere*, dicitur de actione minima, ut patet ex loco illo III. de Finib. *Chrysippus ne digitum quidem ejus causa porrigendum dicebat.* GRÆ.

Cui filius agnatus sit] Cui testatori natus est filius post mortem, nec exheredatus nominatim, ejus testamentum est vitiatum et irritum. Agnata dicuntur quæ præter spem aut post mortem nascuntur. Rumpitur autem testamentum, cum permanente in suo statu testatore casu aliquo evertitur, *l.* 2. §. *de Instr. rupto*, ut agnatione postumi, adoptione vel arrogatione filii et filiæ. Justin. in instit. et Isidor. lib. V. cap. 24. PASSERATIUS.

Sine tutore auctore] Mulier ita erat sub tutoribus, ut nihil, quod illa promisisset insciis tutoribus, ratum esset. *Orat. pro Flacco, et pro Murena.* FER.

Cap. 26. *Quæ cum omnia tua jure mancipii sint, ea possisne retinere?*] Hotomanus corrigit, ut ipse fatetur, contra omnium librorum auctoritatem, et legit, *Quæ tua communi jure mancipii sint.* Lambinus item et Sigonius recedunt longe a scriptura librorum. Ego in loco tam insigniter depravato litteras V, et A, tantum video frustra ob similitudinem, ut fieri sæpe jam dixi, repetitas. De reliquo litteris eisdem sententia verissima lego, *Quæ communita jure mancipii sint, ea possisne retinere?* Addit ratione subjicienda, *Si parum sit communitum jus.* In qua iteratione ejusdem verbi, et venustatem quæsivit orationi, et gravius argumentum duxit ea causa, id est, ex ipso jure; quod si parum communitum est, illa, quorum id efficiens est, quî poterunt satis esse communita? Hoc idem dicet paulo post sic, *Non solum quod hæc jure civili septa sunt.* Et in oratione pro Domo sua, *Nullam domum aliam æque esse privato et publico jure munitam.* Faber. De rebus mancipi vide imprimis Salmasium de usuris cap. 7. Mihi valde suspecta sunt illa verba, *cum omnia tua;* ne a mala manu sint ingratiis Ciceronis adjecta. Ea si tollas, erunt omnia liquidiora, cum nunc nescio quid nubili illa obfuscet. GRÆVIUS.

Aquæ ductus (separatim) *haustus, iter*] Harum servitutum explicationem imperiti juris cognoscent ex libro Pandect. 8. vel Instit. 11. HOTOM.

Actus] Genus servitutis in prædiis rusticis, cum vicino per fundum vicini agere jumentum licet. Hinc Modestinus: *Iter est, qua quis pedes, aut eques commeari potest:* actus *vero, ubi et armenta trajicere, et vehiculum ducere liceat.* FERRAT.

Publica patrimonia juris] Jura universo populo data. PASSERAT.

Cap. 27. Lamb. *averteris; restituere non debebis. Si vos hoc statueritis: statuetis, vim esse in cæde solum, non etiam in animo, et libidine: nisi cruor appareat, vim non esse factam, sed injuriam tantum, ei, qui prohibitus sit: nisi ex eo loco,* &c.

Injuriarum delictum esse] In libris impressis Victorii, pro *injuriarum delictum esse*, erat *in jure parum delictum esse*. In locum *T*, litteræ successerat *L*, quam similis, alibi dictum est: deinde ex *E*, factum est *I*, mutatione item admodum levi. Sic ergo scripserat Cicero, *In jure parum dejectum esse, qui prohibitus sit*. Hic autem, et tot aliis in locis, *dejectum esse* idem ac *dejectum videri*. FABER.

Cujus auctoritati] Cujus dignitati, et fidei dictum est ex illa parte tribui non oportere. HOTOMANUS.

Vereor, de tali viro ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, &c.] Miror hoc non esse correctum, quod ut est, efficeret sententiam plane contrariam; et tamen sic est etiam in libris, quos Hotomanus sequitur: at non in Victorianis fuerat hic prætermissa particula *non*; sic est enim recte in illis, *Non vereor de tali viro, ne, &c.* FABER. Et hic quoque imprudentes nos decepit Gruteri exemplum.

Vestræ] Victorii editio, *nostræ*: sed repugnantibus cæteris.

Illud autem miror cur vos, quem *aliquid contra me sentire* prædicetis, eum pro me sentire dicatis; cur quem *auctorem* meum *appelletis, vestrum nominetis.*] Sententia hujus loci sic restituti facilis et plana est. Ostendit enim M. Tullius adversarios pugnantia loqui, cum dicunt, C. Aquilium contra Cæcinam, et pro Cæcina sentire: cum C. Aquilium et suum, et Cæcinæ auctorem appellant. Fuerant autem prætermissa verba aliquot a scriptore librario: quæ nos restituimus, vestigia scripturæ veteris persecuti, et sensum Ciceronis, ratione duce, consecuti. LAMBINUS.

Omnibus, quidquid verbis actum pronuntiatumque sit, convenit] Deest quiddam; ut tamen sensum conjicere possimus; hoc enim dixisse videtur. Placet, inquis, hoc omnibus: (et subandi *consultis*) Quibus quidque verbis actum pronuntiatumque sit, spectari convenit. Nisi forte *quibus* pro *omnibus* sit reponendum. Et hoc est, quod dicit infra, *Id verum, id æquum, id utile omnibus esse, spectari quo consilio et qua sententia, non quibus quidque verbis esset actum.* Huic autem illius objectioni sic respondet, *Ego in istum numerum consultorum, qui scilicet hoc responderunt, non ascribam, opinor, illum, qui tam dissimili ratione usus est*: et mox Aquilii responsum subjicit; qui rem et sententiam interdicti cum Cæcina facere dicebat. Conjecturam adjuvat locus infra, *Quia non quibus quidque verbis dicatur, quæritur; sed quæ res agatur.* HOT. In alia omnia ivit M. Ant. Ferratius. Sic enim legit, ac distinxit: *Omnibus quidquid verbis actum, pronuntiatumque sit. Conveni ego ..... non neminem, &c.*

Cap. 28. *Materia æquitatis*] *Materia* hic de loco communi capitur. Infra vocabit campum, c. 29. PASSER.

Cap. 30. Lambin. *Unde dejecti Pœni? ab urbe.*

Eos in cuniculum] *Cuniculum* egisse Gallos in Capitolium iterum Philip. III. significat his verbis: *Adesse in Capitolio jussit; quod in templum ipse nescio qua, per Gallorum cuniculum ascendit.* Ea tamen de re nullus, quod sciam, alius scriptor commemoravit. HOTOM. Hinc Jac. Gronov. ad Liv. lib. V. conjicit Ciceronem scripsisse *colliculum*, pro *cuniculum*. GRÆVIUS. Nihil erat cur mutatam vellet hanc vocem Gronovius. In *cuniculi* vocabulo est significatio aditus occulti, qualis fuit is, quo aggressi erant Galli. *T. Livius*, I. 47. OLIVETUS.

Qui postulat, &c.] Alii aliter. Grævius autem ex Mss. *Qui postulat, ut a quo loco dejectus est, hoc est, unde dejectus est, eo restituatur, hoc postulat, ut in eum ipsum locum restituatur.*

Cap. 31. *Quod negabat quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco esset*] Non hoc præcise Piso negabat, quod plane frigidum ac negatorium fuisset, sed hoc defendebat, si in fundum Cæcina ingressus postea vi armatis hominibus dejectus esset, hoc quidem illum uti potuisse interdicto; quia vero tantum prohibitus est ingredi,

dejectum nullo modo fuisse, id quod sine controversia verum est. Hot.

Dejici posse concedit] Sensus est: Antea semper negavit Æbutius dejectum Cæcinam ex fundo Fulcinianso, quod in eo non fuisset: nunc hoc dicit; dejectum tantum qui possidet. Cui Cicero sic refert: Possessio duplex est: aut animi scilicet, aut corporis. Absens enim corpore, animo tamen retinere possessionem potest. Finge nunc ejus, qui animo tantum possidebat, familiam dejectam esse: si nemo potest dejici, nisi qui in loco est, dejectus non dicetur: itaque sentire antea videbatur Æbutius. Sin dejicitur quicumque possidet, ut modo defendit: dejectum quoque hunc dici necesse est: quare pugnantia loquitur Æbutius. Sed huic calumniæ facillime respondetur. Nam quæ antea dixit Æbutius, de eo qui non possidet intelligenda sunt. Si quis enim quamvis non possideret, cum tamen in loco esset, ex eo vi armatis hominibus dejectus est, decreto prætoris restituendus est. Idem.

Cur ergo] Summa hæc est: Hoc interdictum datur ei, qui armatis hominibus depulsus est, quamvis non possideat; ergo etiam is, qui non possidet, dejectus dicitur. Sed facile responderi poterat, tenere saltem eum debuisse, qui dejectus dicatur, si non possideret: id est, in loco esse debuisse: alioqui dejectum eum non dici posse. Idem.

Vict. Man. Grut. *sponsionem.*

Qui possit ostendere] Id est, eum qui vi arma dejecit, etiam si probare possit se possedisse, tamen propter odium armorum condemnari. Hot.

Cap. 32. Vict. Man. Grut. *devincta.*

In illa qui quotidiana] *Vim quotidianam* appellat, quam supra multis in locis, *Quæ moribus fit*, et *dejectionem*, vel *deductionem moribus*, vel *quæ ex conventu fit*, nominavit. Gellius *civilem* et *festucariam*, ex festuca, opinor, qua in conflictione utebantur, appellat. Idem.

Nec vi, nec clam, nec precario] *Vi possidere* quis dicatur, facile ex superioribus intelligitur. *Clam possidere*, Ulpianus sic definit in l. 6. D. de acquirend. possess. *Clam possidere eum dicimus, qui furtive ingressus est possessionem eo ignorante, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et ne faceret timebat.* Et paulo post, *Itaque clam nanciscitur possessionem, qui futuram controversiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtive possessionem ingreditur.* Precario *vero possidet* (ait Ulpianus) *quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quam diu is, qui concesserit, patitur.* Idem.

Vict. Man. Grut. *possedisse propter usumfructum non negas.*

Cæsenniam possedisse propter usum fructum, *non negas*] Quis in jure civili Romano mediocriter versatus, non videt, hunc locum esse mendosum, neque dubium esse, quin, mortuo usufructuario, qui rem, cujus habebat usumfructum, vivus locaverat, heres fructuarii nihil juris in ea re habeat, cum ad dominum, seu (ut appellant) proprietarium, reverterit? Nam quod quidam dicunt, causæ servissè Ciceronem: quid minus credibile, quam ita causæ servisse, ut impudentissime mentiretur? Hunc igitur locum mendosum esse contendo, atque ita legendum: *Cæsenniam possedisse per colonum non negas.* Cui conjecturæ argumento sunt illa, quæ sunt supra non longe a principio in ipsa narratione: *Cæsenniæ fundum possedit, locavitque*, et quæ proxime sequuntur, *qui colonus*, &c. Ante, *qui*, debet scribi comma, hoc pacto: *Cæsenniam possedisse per colonum non negas: qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum.* Unde igitur hæc verba, *propter usumfructum* nata sunt? ex annotatiuncula hominis semidocti: quæ tandem a scriptore librario in contextum orationis relata sunt, iis rejectis, quæ Ciceronis erant. Lambin. *Propter usumfructum:* rectissime. Naturaliter enim usufructuarius possidet, si quidem corpore fundo incumbat. Si per colonum, civiliter, vel potius quasi civiliter,

l. 12. l. penul. D. de acquir. poss. Quod cum Lambinus non intelligeret, reponendum putavit, *per colonum*. Hotoman. Hoc, *propter usumfructum*, rejicit merito Lambinus. Falsum est enim hac defensione Ciceronem unquam hic usum, qui tam multis supra disseruit, Cæsenniam post filii mortem hunc fundum in auctione emisse. Sed quod in horum trium verborum locum hæc duo *per colonum* sufficit, nihil id facere necesse habuit: satis id e sequentibus intelligitur. Sic igitur lego, et distinguo, *Cæsenniam possedisse non negas: quia colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, cum idem ex eadem conductione fuerit in fundo. Dubium est, quin si Cæsennia tum possidebat, cum erat colonus in fundo, hæres post ejus mortem eodem jure possederit?* Paulus jurisconsultus, *Quod per colonum*, inquit, *possideo, heres meus nisi ipse nactus possessionem non poterit possidere.* At mihi non magis necesse est, qui huic velut ἀντιφωνίᾳ occurram, laborare, quam in tam multis illis, in quibus jurisconsulti, non magis a Cicerone, quam ipsi inter se dissentiebant. Faber.

Cæcina denuntiabat] *Denuntiare*, aliud nihil est, quam litem et judicium ostentare, nisi petitioni satisfiat. Cum igitur *denuntiare* sit petitoris, possessori autem, ut scribit Ulpianus, satis sit quod possidet, recte et probabiliter concludit, quia denuntiavit Æbutius, possessorem fateri fuisse Cæcinam. Quid ad hæc respondere potuit Æbutius? *Denuntiatione non amitti jus possessionis, item ut actione.* Hotoman.

At enim Sylla legem tulit] Dicit *legem*, qua victor Sylla civitatem Volaterranis ademerat. Idem.

Cap. 33. *Si quid jus non esset rogari*] Legum principium hoc erat: *Consul, vel prætor, vel alius magistratus, qui cum populo egerat, populum jure rogavit, populusque scivit.* Extremum illud, *Si quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum*: constat ex prima in Antonium, et lege quadam apud Frontinum, de aquæ ductibus, et libro Valerii Probi, de notis antiquis. Id.

Decemviris] Ex hoc loco, et alio proterea simillimo, in oratione pro Domo sua, conjecturam capio, *Decemviros* Romæ creates fuisse, qui de causis civitatis ac libertatis cognoscerent: item ut de causis capitalibus *Triumviros*, et de certis item causis *Centumviros*. Verba illius orat. hæc sunt: *Si Decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerant.* Idem.

Non posse sacramentum nostrum justum judicari] Non posse nos contendere sacramento, litem nostram iniquam esse. I. de Orat. *Injusto sacramento contendere.* Pro Milon. *Injustis sacramentis fundos alienos petere.* Festus: *Sacramenti nomine id omne dici cœptum est, quod pœnæ nomine petebatur, propter ærarii inopiam.* Differt a sponsione: quod in sponsione non deponitur proprie pecunia, sed promittitur tantum, nec quicquam de ea ad ærarium perveniebat. Pasconius.

Et lege agant, et suum jus persequantur] *Lege agere*, modo nihil aliud significat, quam litem intendere. Unde *legis actiones* dictæ sunt: quas Pomponius in lib. 2. de orig. juris, ex legibus XII. tabularum a jurisconsultis conceptas et constitutas esse scribit. Ergo *lege agere*, hoc significat, *actionem intendere*, quæ lege XII. tabularum concedatur. Hot.

Cap. 34. *Pater patratus*] Fetialium princeps, qui, si quid cum hostibus patrandum, id est, aut belli aut pacis causa transigendum esset, populi Romani nomine patrabat. Dedebatur autem hostibus, qui eum eis pacem fecerat, quam populus Romanus ratam habere nollet. Eam deditionem *pater patratus*, ex Fetialium collegio creatus, patrabat. De deditione exemplum est notum omnibus de T. Veturio, et Sp. Posthumio, qui a Samnitibus dediti repudiati sunt:

apud Livium, lib. 9. De Mancino etiam nota est historia ex Plutarcho in Gracchorum vita, Livio, lib. 55. et 56. Valerio, lib. I. cap. 6. et Cicerone de Offic. lib. III. in Topicis, et lib. de Orator. I. cap. 40. Et apud Pomponium jurisconsultum L. ult D. legat. *Eum*, inquit, *qui legatum pulsasset, Q. Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere. Quem hostes si non recepissent, quæsitum est an civis Romanus remaneret: quibusdam existimantibus remanere, aliis contra: quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur, sicut faceret, cum aqua et igni interdiceret. In qua sententia videtur P. Mutius fuisse.* Id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt. De quo tamen lex postea lata est, ut esset civis Romanus: et præturam quoque gessisse dicitur. HOTOM.

Aut suus pater vendidit] Hæc erat non vera, sed simulata, et ficta venditio. Nam venditionem in emancipationibus aut adoptionibus fieri solitam significat. De qua Caius sic scribit libro Inst. I. *Emancipatio autem, hoc est, manus traditio, quædam similitudo venditionis est: quia et in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur.* Ergo iste *naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit: a quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos numos quasi in similitudinem pretii accipit, et iterum eum acceptis numis fiduciario patri tradit. Hoc secundo et tertio fit, cum fiduciario patri mancipat ac tradit; et sic de patris potestate exit. Tamen cum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre mancipetur; et a naturali patre manumittatur: ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat.* IDEM.

Cum eum vendidit, qui miles factus non est] Moris erat, ut conscripto exercitu, qui citatus non responderet, una cum bonis suis omnibus venderetur. Valer. Max. lib. sexto exemplum de C. Varieno protulit, qui, quod sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abscideraat, publicatis ejus bonis, in perpetua vincula damnatus est. Et de alio rursus, quem M. Curius consul una cum omnibus ejus bonis vendidit. De quo etiam meminit Florus in Epit. lib. 14. Suetonius in Augusto, cum eum in re militari multa ad antiquum morem revocasse dixisset, *Equitem*, inquit, *Romanum quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ.* IDEM.

Cum autem incensum vendidit] Dionysius Halicar. lib. 4. Antiquit. pœnam incensis constitutam scribit, ut bona primum eorum publicarentur, deinde virgis cæsi venderentur. Ulpianus autem in Titulis sic scribit: *Maxima capitis diminutio est, per quam et civitas et libertas amittitur: veluti cum incensus aliquis venierit, &c.* IDEM.

Quibus lege aut Romana civitas, aut libertas erepta sit] Cur ergo privilegia de Cicerone et Clodio lata sunt, ut exularent? Responsio ex more et instituto intelligitur. Nam primum eo die a Tribuno plebis ad populum dicebatur: deinde citabatur, et ter ante intermissa die accusabatur, quam multa irrogaretur. Itaque trinundino accusatus a populo aut morte, aut alia pœna damnabatur: cum eo tamen ut ne pœna capitis cum pecunia conjungeretur: id est, ne simul pecuniæ et capitis multa ei a Tribuno diceretur. Magistratus autem sic populum rogabat, *Velitis, jubeatis, Quirites, ut Clodio, puta, aut M. Tullio, aqua et igni interdicatur.* Si populus juberet, pœna etiam sanciebatur, si quis M. Tullium tecto recepisset, et aqua aut igni, cæterisve rebus, quibus vita continetur, juvaret. Non ergo ferebatur ut exirent: sed tantum, ne quis reciperet. Quod si minus verbo esset civitatem adimere,

re quidem vera nihil aliud erat. Hoc autem primum in eam rem valebat, ut ipsis manere in civitate liceret, si quidem aere solo vivere ac tegi vellent. Deinde ut ne prius civitatem Roman. amisisse viderentur, quam essent in eam recepti, quo *vertendi*, hoc est, *mutandi* soli causa venerant. Hæc Cicero disperse in Oratione pro Domo sua. IDEM.

Cap. 35. *Ea de re judicare non debetis*] Privatis enim judicibus judicare, nisi ea de re, de qua definite judicandi potestatem à prætore acceperant, licebat. HOTOM.

Horum nexa] Quamvis iis civitatem Sylla ademerit, non tamen tulit, ne possent se pro altero obligare, aut heredes instituere, et institui. FER.

Duodecim] Jus obtinuisse, quod habebant duodecim Coloniæ deductæ in Italia a M. Livio Druso. De Arimino Velleius lib. I. IDEM.

Qui quoniam, Recuperatores, suum jus nos deseruit, neque quicquam illius audaciæ, petulantiæque concessit. Derelinquo jam communem causam] Locus aperte corruptus. Hotomanus conjecit aliquid desiderari. Lambinus inane spatium etiam reliquit. En quo progressa conjectura. Ego plus una littera esse dico, quam hic a Cicerone unquam pronuntiatum scriptumve sit. Quam frequenter titulus ille, qui vocali superpositus valet N. occurrat in libris, et scriptis et impressis: et is quam sit similis illi velut apici litteræ *i*, quid attinet dicere? At hoc animadverso quis non malit hic *de reliquo*, quam *de relinquo*, scribere? nemo profecto, qui videat, quid hic sententia postulat, quidve in eandem sententiam tam multis antea dictum sit. P. FABER.

Cap. 36. *De eo contemptus*] Fortasse *ab eo*. Libri tamen alicujus auctoritatem expectamus. HOTOM. Miror hanc conjecturam recepisse Manutium, Lambinum, et Gruterum contra veteres libros omnes tam scriptos, quam editos. Cicero, orat. pro Sex. Roscio: *De L. Sylla emit*. Idem, orat. post reditum in senatu: *discessus de patria*. Plaut. Captiv. *Emit hosce de Quæstoribus*. GRÆVIUS.

Lamb. *amplissimum virum Etruriæ totius*.

Etruriæ nomine totius in utraque fortuna cognitum] Hoc quid sit, dispicere non possum. Quamobrem explicandum aliis eruditioribus relinquam. Aperiam tamen quod mihi in mentem venit, et quibusdam probavi amicis meis, eruditis hominibus. Vereor ut vocabulum *hominem* alieno loco repositum in illud quod nunc legimus *nomine* sit mutatum: itaque scribi hunc totum locum oporteat. *Habetis hominem singulari pudore, virtute cognita, et spectata fide, amplissimum Etruriæ totius, hominem in utraque fortuna cognitum, &c. Utramque* autem *fortunam* significat: tum *secundam*, quæ civile bellum antecessit, quo tempore et civitas, et suffragii jus Italiæ populis datum est: tum *adversam*, quæ Syllæ victoriam consecuta est, cum Sylla municipiis omnibus civitatem ademit, atque omnes (ut Valer. Max. scribit) Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. HOTOMANUS.

PRO

LEGE MANILIA.

AD POPULUM.

ORATIO XIII.

Cap. 1. *Frequens conspectus vester*] Magistratus, quibus solis cum populo agendi jus erat, legem trinundino per præconem promulgari in foro jubebant, ut tertia die comitia haberentur, et populus suffragia ferret: id est, legem latam aut juberet, aut antiquaret. Eam, ut scribit Quintilianus, libro II. pro concione suadere, aut dissuadere, moris fuit. L. ergo Manilius, tribunus plebis, comitia in foro habebat convocatis tribubus, legemque ferebat, quam Cicero prætor frequenti populo hac oratione suadet. HOTOMANUS.

Hic autem locus] Templum in foro, rostris, ut Livius scribit, navium Antiatium exornatum. IDEM.

Ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus] Gellius, Noct. Att. XIII. 15. docet aliud esse, *Agere cum populo*, aliud, *concionem habere. Nam, cum populo agere*, inquit, *est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat, aut vetet. Concionem autem habere, est verba facere ad populum, sine ulla rogatione.* Ergo *ad agendum amplissimum* appellat, quod nullis nisi amplitudine præditis viris, magistratum scilicet gerentibus, agere cum populo liceret: *ad concionandum* autem, sive *ad dicendum ornatissimum*, quod ornamento esset iis, qui concionabantur, ut adolescentibus, qui de laude alicujus pro Rostris orationes ad populum habebant. IDEM.

Omne meum tempus amicorum temporibus] *Tempora*, negotia, pericula, necessitates, ut vulgus loquitur, significant. Ut libr. de Offic. II. cap. 1. *Tantum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum et Reipublicæ temporibus:* id est, negotiis, necessitatibus. IDEM.

Propter dilationem comitiorum] Differebantur plerumque propter obnuntiationes. Nam si, dum comitia haberentur, augur aliquis de cælo servasset, magistratus obnuntiare poterat, et comitia in alium diem differre. Differebantur præterea per tribunorum intercessionem. Has autem obnuntiationes, dilationesque comitiorum, candidatorum scilicet gratia faciebant: cum aliqui sibi paratam repulsam videbant. IDEM.

Quantum vos, honoribus mandandis esse voluistis] Hoc est, quantum mihi (*auctoritatis* scilicet) esse voluistis, in eo, quod honores mihi mandavistis: vel, dum honores mihi mandatis. FABRITIUS.

Cap. 2. *Mithridate, et Tigrane*] Altero Ponti, altero Armeniæ rege, et superioris socero, ut Appianus: genero, ut Plutarchus scribit. HOT.

Quorum alter relictus] Lucullus Mithridatem persecutus, a militibus desertus est: qui, cum nihil propius esset, quam ut Rex caperetur, effusis de ipsius Regis sententia thesauris et pecuniis omnibus, in eas sese, relicto Rege, projecerunt. Ita Rex in Armeniam ad socerum Tigranem profugit. IDEM.

Ad occupandam Asiam] Asia, anno Urbis 620, Attali testamento, populum Romanum instituentis heredem sui regni, provincia est Romanorum facta. GRÆVIUS.

In vestris vectigalibus exercendis] Quid est *exercere vectigalia?* decumas ab aratoribus exigere, scripturam a pecuariis, portorium a mercatoribus.

Hæc enim populi Romani vectigalia. HOTOMANUS.

Pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine] Plinius XXXIII. 8. *M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in Consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, et ejus vires peculiari popularitate quærens.* HOTOMAN. Vide pro Rabirio Post.

Bithyniæ, quæ nunc vestra provincia est] Nicomedes cognomento Philopator, Nicomedis filius, qui patre Prusia necato, Bithyniæ regnum occuparat, regno a Mithridate pulsus, a Sylla restitutus est. Hac de causa paucis post annis, hoc est, Octavio et Cotta Coss. moriens, populum Romanum regni sui heredem fecit, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Eutrop. App. Flor. IDEM.

Regnum Ariobarzanis] Cappadociam, ex qua ipsum bis antea pulsum, et bis a Romanis restitutum Mithridates, Lucullo a senatu revocato, tertio dejecit: et tamdiu eo regno potitus est, dum Pompeius ipso et Tigrane devictis, Ariobarzanem tertio loco restituit. IDEM.

Huic qui succurrerit] Modius, *epist.* XCVII. *Novant.* testatur in Coloniensi se reperisse, *qui successerit:* id et ego reperi in Erfurt. necnon in anonymo; quod procul dubio præferendum τῷ *succurrerit. Succurrere bello* a Latinorum consuetudine remotum est. GRÆVIUS.

Cap. 3. *Mithridatico bello superiore*] Quod instauratum est Q. Pompeio, L. Sylla Coss. Nam initio ejus belli Mithridates Q. Oppium, ut Florus appellat, *Proconsulem;* ut Appianus, cui potius assentior. *Proprætorem* cepit, et in vincula conjecit: Manium Attilium asino insidentem Pergamum usque deduci jussit, præeunte præcone, et proclamante adesse Manium Attilium; eique ut Pergamum venit, aurum liquefactum in os infundi jussit: præfectis deinde Asiæ universis mandavit, ut intra diem trigesimum Romanos et Italos omnes ad unum, viros, mulieres, pueros, qui in Asia essent, trucidarent, et necatos ne sepelirent, sed eorum corpora feris objicerent: ut auctor est Appianus. Occisa autem civium Romanorum centum quinquaginta millia Plutarchus in vita Syllæ scribit: Val. Max. octoginta millia. HOTOMANUS.

Syllam. . . . Resp.] Oppressa a Mario, et Cinna, et Carbone. IDEM.

Murenam Sylla revocavit] Propter pacem, quam ipse cum Mithridate fecerat: nam ille in Asia legatus a Sylla relictus cum duabus legionibus, ut Asiæ negotia constitueret, triumphi cupiditate incensus Regi bellum facere non desistebat, usquedum revocatus est. IDEM.

Cap. 4. *Uno consilio, a binis hostium copiis*] Sertorii enim copias cum suis conjuncturum se putabat, ut scribit hic ipse in Mureniana, cap. 15. IDEM.

De imperio] Id est, non de aliqua imperii parte, sed in totius imperii certamen et discrimen deveniretis; et *ancipiti:* quoniam utrinque bellum inferebatur, ab Asia scilicet, et Hispania. IDEM.

Ut initia illa gestarum *rerum*] Mithridatem enim prælio fudit in Ponto; ut ille in extremam Armeniam profugerit ad Tigranem: quorum utrumque postea uno consilio, unis copiis in se invadentem repulit ac profligavit. HOTOMAN.

Hæc autem extrema] Clades accepta primum a Fabio, deinde a L. Triario; Mithridatis reditus in Pontum, et magnam sui regni partem: multarum nationum contracta belli societas cum Tigrane et Mithridate adversus populum Rom. IDEM.

Cap. 5. *Injuriosius tractatis*] Leviter offensis. Nam, *injuriosius*, minus est, quam *injuriose.* MANUTIUS.

Appellati superbius] Sordes in eos de tectis injectas, ait Strabo; pulsatos, Livius et Asconius. Cicero neutrum dicit, sed, *appellati superbius*, ut oratorie rem minuat: quo magis populus Romanus in Mithridatem incendatur, qui legatum consularem vinculis ac verberibus, atque omni

supplicio excruciatum necaverat. Legatorum autem, item ut Tribunorum plebis sacrosancta corpora putabantur. IDEM.

Et eum prope esse] In bello maritimo adversus prædones et piratas, quos toto mari mediterraneo persequebatur. Ergo maris mediterranei partem significat Asiæ finitimam: illud enim ad usque Ciliciæ fines et Amanum montem diffunditur. HOTOMANUS.

Cap. 6. *Propter socios*] Cum Antiocho et Ætolis propter fœderatas Græciæ civitates: cum Philippo propter Athenienses: cum Pœnis primo bello propter Messanam; altero propter Saguntum. MANUTIUS.

Neque ex scriptura vectigal conservari potest] *Ex scriptura*, id est, ex publicis pascuis. Unde *Scripturarius ager*, ut scribit Festus, *in quo ut pecora pascantur, certum æs est, quod publicanus scribendo conficit rationem cum pastore*. HOTOMAN.

Qui vobis fructuosi sunt] Fabricius *fructui*. At enim nostri omnes stant a vulgato. GRUT. *Fructui esse* Latinis dicuntur, quæ fructum nobis præstant. Qui interpolarunt hunc locum, priscæ elegantiæ istius ignorantia pro *fructui*, tritius et sibi notius *fructuosi* supposuerunt. GRÆVIUS.

Cap. 7. *Etenim illud primum parvi refert*] Occurrit tacitæ cogitationi; posset enim aliquis dicere: Si vectigalia nunc amittentur, victoria tamen postea recuperabuntur. Parvi, inquit, hoc refert: et cur parvi referat, statim causam subjungit. MANUT.

Fidem concidisse] *Fidei* anceps est, ambiguumque vocabulum. Tam enim ad eum qui fidem habet refertur, nimirum argentarium, quam ad eum qui fidem servat, pecuniamque dissolvit. HOTOMANUS.

Cap. 9, *Fani*] Comana, Bellonæ templum, significat, cujus sacerdos majestate, imperio, potentia, secundus a rege, consensu illius gentis habebatur; ut ait Hirtius de bello Alexandrino, Appianus in fine Mithridatici: quod Cicero etiam ostendit epist. ad Catonem. MANUTIUS.

Etsi urbem ex Tigranis regno ceperat] Tigranes ex suo nomine *Tigranocertam* appellarat; in quam copiosissimos quosque et locupletissimos totius imperii sui cives quasi in coloniam deduxerat: quam omnes, ut Regi gratificarentur, certatim donis ac muneribus, pretiosissimisque quibusque rebus ornarant atque instruxerant: in qua (inquit Plutarchus) præter alias opes immensas, talentorum octo millia Lucullum reperisse constat. HOTOMANUS.

In exercitum vestrum] Primum in L. Flaccum, quem in Ponto Lucullus reliquerat: deinde in C. Triarium Luculli legatum, qui in Flacci locum cum exercitu novo missus est. Nam hic Lucullum adventare sentiens, triumphi cupiditate impulsus prælium cum Mithridate commisit: quo in prælio cæsi sunt Tribuni 24. centuriones 150. civium supra 7000. HOT.

Stipendiis confectis] Cum annos jam decem militassent. MANUTIUS.

Integræ] Neque lacessitæ bello, neque tentatæ. IDEM.

Cap. 10. *Ad patris exercitum*] Cn. Pompeii Strabonis, Catonis in Consulatu collegæ. Is bello Italico Proconsul, cum satis feliciter Rempublicam gessisset, anno insequenti Q. Pompeium Syllæ in Consulatu collegam, qui ad capiendum jussu populi a Cn. Pompeio exercitum profectus erat, in tribunali interficiendum curavit. Itaque in Italia Cinnano bello exercitum habuit, in quo exercitu hunc quoque Cn. Pompeium ipsius filium adolescentem fuisse Plutarchus auctor est. HOTOMANUS.

Miles fuit summi imperatoris] Patris ejus, non Syllæ. Dux enim non miles ad Syllam profectus est. MAN.

Maximi ipse exercitus imperator] Plutarchus et Florus, eum in agro Piceno privatum hominem, annos tres et viginti natum, voluntarium exercitum conscripsisse tradunt, et cum tribus legionibus ad L. Syllam venisse, ad eumque se nobilitatem

omnem contulisse: ut deserta urbe ad castra veniretur, complures in itinere Italiæ civitates solicitasse: Scipionem et Carbonem adversæ partis duces prælio lacessisse: mox ad Syllam cum exercitu instructissimo et paratissimo profectum, *Imperatorem* ab ipso Sylla salutatum: statimque in Celtiberiam missum esse. HOT.

Sæpius cum hoste conflixit] *Hostes* publice tantum dicuntur, scilicet quibus bellum populi Romani jussu a collegio Fecialium indictum est: *Inimici* privatim, a quibus animo alienati et disjuncti sumus. IDEM.

Civile] Marianum. MANUTIUS.

Africanum] Quo Cn. Domitium, et Hiarbam devicit. IDEM.

Transalpinum] Gallicum: quod quale fuerit, paulo post ostenditur. IDEM.

Mistum ex civitatibus] *Civitatibus* hic ferri non posse videtur. Nam si per *civitates* intelligit Hispanicas et Lusitanicas civitates, cur dicit illud bellum mistum fuisse ex civitatibus, et bellicosissimis gentibus, cum hæ civitates ad eas ipsas bellicosissimas gentes pertinerent, sive cum hæ civitates et hæ gentes essent unius ejusdemque regionis et populi? Credo Ciceronem scripsisse *mistum ex civibus, atque ex bellicosissimis gentibus*. Sertorianus enim exercitus conflatus erat ex multis civibus Romanis, et ex Hispanis et Lusitanis. GRÆV.

Servile] A Spartaco gladiatore excitatum: cujus tamen confecti laus ad M. Crassum proprie pertinet. Et hic Pompeio gratificatur, Crassi laudem cum eo communicans. MAN.

Cap. 11. *Testis est Italia*] Italico bello extremo, civile exortum est: quo tempore divisa Italia diversas partes secuta est. In eo bello jam supra dictum est Cn. Pompeium voluntarium exercitum conscripsisse, et prospere rem gessisse. HOTOMANUS.

Testis est Sicilia] Quam Perpenna et Carbo, ex Italia pulsi, vi occuparant ea spe, ut hoc propugnaculo adversus Syllam uterentur. Ergo Senatusconsultum factum est, ut Pompeius eo cum imperio proficisceretur. Cujus audito adventu Perpenna profugit: at Carbo captus, et a Pompeio damnatus, interfectus est. IDEM.

Testis est Africa] In quam postea missus est adversus Cn. Domitium proscriptum, et Hiarbam Numidiæ regem, bellum adversus Syllam molientes, quos prælio victos interemit. Quo bello intra dies XL. confecto, Romam rediit, et quatuor ac viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod quidem nemini antea contigerat, ex Africa triumphavit, Magnusque a L. Sylla appellatus est. IDEM.

Per quam legionibus nostris in Hispaniam iter] Inter Padi et Rhodani fontes, Romanis opportunius, quam quod Annibal aperuerat. MANUTIUS.

Testis est Hispania] In qua Sertorium octavum jam annum cum populo Rom. bellum gerentem devicit. HOTOM.

Tam turpe, tam vetus] Nam Octavio et Cinna Coss. cœptum est, ut ex Appiano intelligitur, qui Proconsule Sylla in Asiam misso, hoc bellum initium habuisse scribit. Confectum est autem hoc ipso anno, Lepido et Tullo Coss. Vetus ergo, ab hinc annis videlicet tribus et viginti, exortis e Cilicia prædonibus. IDEM.

Cap. 12. *Brundusio*] Quare nominatim *Brundusio?* quia per hosce annos, quibus adversus piratas et Mithridatem bellum gestum est, exercitus populi Romani Brundusio transmittebant. Quæ civitas est in Calabria, portu nobili, unde in Græciam iter est. IDEM.

Duodecim secures] Duos prætores in provinciam euntes. Nam senis fascibus in provinciis prætores utebantur, binis in urbe. MANUTIUS.

Vitam] Propter ea, quæ victus gratia in urbem assidue invehuntur. ID.

Intra Oceani ostium] A freto Herculeo, unde Oceanus in mediam terram influit. HOTOMANUS.

Belli impetus navigavit] Poetice, ut illud infra: *Venti tempestatesque obsecundarint*. Quibus in locis, cum sensus tribuatur inanimis rebus, ex-

sistit quidam orationis decor, et quædam poetarum propria venustas, oratori nonnunquam, præsertim in laudando, concessa. MANUT.

Gallia Cisalpina] Italiæ parte, ab Alpibus ad Rubiconem flumen, quæ Gallia dicta est ab iis Gallis, qui Tarquinio Prisco (ut Livius, V. 33. demonstrat) regnante, ducentis ante urbem captam annis, Alpes transgressi, mediam prope Italiam occuparunt. Hanc igitur Romani *Cisalpinam*, alteram vero, unde venerant, *Transalpinam* vocarunt. Cæsar hanc *Ulteriorem*, illam *Citeriorem* perpetuo appellat. HOTOMAN.

Duo maria] Adriaticum, et Tyrrhenum. IDEM.

Cap. 13. *Contentione*] Comparatione. Nam *contendere*, interdum est comparare. MANUTIUS. Vide Off. I. 17.

Centuriatus] Ordo militiæ fuit, quo centuriones, meritis insignes ornabantur. IDEM. Vide in Pison. 36.

Magistratibus diviserit] Quo diutius, ipsis concedentibus, administrare provinciam posset. IDEM.

Romæ in quæstu reliquerit] Apud argentarios. HOTOMANUS.

Non modo manus] Non modo nihil rapuisse, sed ne pedem quidem ubi non licebat, posuisse dicatur. IDEM.

Cap. 14. *Inventum*] Sensus: quanam arte tanta celeritas reperta est? quæ res tantæ celeritati causam præbuit? Alii legunt *initum*, non ita bene: nam *unde initus sit cursus*, quærimus pro, ex quo loco cœpit quis currere: quæ sententia huic loco non convenit. HOTOMAN.

Hostes omnium gentium] Piratæ, qui cum omnibus gentibus bellum gerunt, prædam undecunque capientes. Itaque paulo post, *commune omnium gentium* bellum appellat. MANUTIUS.

Cap. 15. *Tanta repente vilitas annonæ*] Quippe mercatores simul ut Pompeium maritimo bello præpositum audierunt, confisi foro ut prædones ex maritimis locis profugerent, et libera esset navigatio, magnum frumenti numerum Romam adduxerunt. Appian. Plutarch. HOTOM.

Nisi ad ipsum temporis] Hic veteris codicis Coloniensis, quem consuluit Modius, ut et Erfurtensis, quem ipse inspexi, scriptura elegantissima utraque manu est amplectenda, *Ad ipsum ejus temporis discrimen*, hoc est, illo ipso tempore, cum summa illius provinciæ res ageretur, cum amittenda Asia esset, aut servanda. GRÆVIUS.

Cap. 16. *Ii, quibus semper erat molestum, &c.*] Illud *semper* aberat Basilicano. Colon. quod tamen cæteri libri agnoscunt. Itaque emendandum putabat Gulielmius, *ii quibus per erat molestum*. Et amat hanc τμῆσιν hic noster ad Atticum, lib. I. Epist. postrema: *Per mihi, per, inquam, gratum feceris, &c.* iterum lib. V. Ep. 10. et lib. X. Ep. I. GRUTERUS. In Francii primo *semper* non legitur. Sed legitur in Erfurt. Non insuavis est hujus vocis repetitio. GRÆVIUS.

Ad eum potissimum esse missum] Cum ipse Quæstor tantum: alii qui idem bellum administrabant Q. Metellus, M. Perpenna, Consulares essent. HOTOMANUS.

Maximo, Marcello, Scipioni] Q. Fabio Maximo Cunctatori: M. Claudio Marcello, qui primus docuit Hannibalem posse vinci: P. Cornelio Scipioni, Pauli filio: hunc enim potius, quam superiorem, significari puto. MANUTIUS.

Cap. 17. *Contra virum fortem A. Gabinium*] Tribunum pleb. qui legem tulit de administratione belli maritimi Pompeio mandanda. Extant apud Dionem Gabinii et Catuli orationes contrariæ: idemque Dion, et præterea Plutarchus, auctores sunt, legem magna Senatus dissensione latam esse: et alterum Consulem, cum vehementius legi refragaretur, prope a plebe discerptum fuisse. Catulum quidem summa contentione primum repugnasse: sed postea cognito tanto populi studio atque voluntate destitisse. Vide Asconium in Orat. pro Cornelio, ubi de L. Trebellio. HOTOMAN.

Cap. 18. *Nihil timebat*] Propter populi Rom. societatem. IDEM.

Appia via] Quæ cum sit propinqua mari, per eam (ab Urbe ad Capuam) iter habere, piratis mare tenentibus, sine periculo non licebat. MANUT.

In hunc ipsum locum, Rostra, ascendere] Ut vos revocarent a jubenda lege illa, quæ maritimi vobis imperii decus asseruit. Hos duntaxat ferit hæc indignatio, non alios, qui pro lege Gabinia et Pompeio dicebant. ANONYMUS.

Cap. 19. *Tam diligentes*] Respicit, ut puto, ad leges Liciniam atque Æbutiam. GRUT.

Inimicum edictum] Indicat edicturos Consules Gabinio inimicos, ne quis referre ad Senatum posset, præsentibus Consulibus, cui se, cum Prætor esset, non cessurum profitetur, nisi Tribuni intercedant. FERR.

Vestrum jus] Non jus Prætoris hic intelligit: Prætor enim secundum leges non poterat referre ad Senatum Consulibus invitis: sed innuit scriptum fuisse in lege Gabinia, ut Pompeius, quos ipse vellet, legatos eligeret. IDEM.

Cap. 20. *Si quid eo factum esset*] Si obiisset. Ominis causa mentio mortis omittitur. Vide Schotti Nod. Cic. I. 2.

In ipso vos spem habituros] Sic legendum, non ut vulgo, *in eo ipso*. Nam præterquam quod pronomen, *eo*, non est in quibusdam libris manuscriptis, ratio et consuetudo Latini sermonis postulant, ut ita legatur, quemadmodum edendum curavi. Si enim *in eo ipso* legeremus, significaretur, Pompeius. At ex Plutarcho notum est, populum respondisse, se spem habiturum in ipso Catulo. LAM.

Ab uno Imperatore] P. Scipione Æmiliano. Vide Somn. Scip.

Cap. 21. *Adolescentulum, privatum*] Annos tres et viginti natus. Vide supra, cap. 10. et mox infra.

A senatorio gradu] Senatores tunc erant, cum Quæsturam gesserant, quam obtinere non poterant, nisi post decem annua stipendia: adeoque post 27. annum: a quo aberat Pompeii ætas, qui 25. anno suæ ætatis triumpharit. FERRATIUS.

At eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendam putavit] In hujus triumphi commemoratione, nulla fit Senatus mentio, et populo id unum datur, ut accurrat visendi studio, et pompam acclamationibus honestet. Quippe Sylla, cum Dictator publicas res privatasque haberet in sua potestate, Pompeium, quem in Siciliam miserat, ipse inconsulto Senatu, et absque ulla rogatione populi triumphare jussit. Alterum triumphum ait Orator ductum esse *ex senatus-consulto*, nulla populi mentione; propterea quod, sublata per Syllam tribunitia potestate, universa reipublicæ administratio ad Senatum fuerat translata; ita ut populus, neque in ferendis legibus, neque in decernendis triumphis ullam partem haberet. Pompeius Consul tribunitiam potestatem restituit: Cornelius, Tribunus plebis, legem tulit, ne quis legibus solveretur, sine populi rogatione. IDEM.

Quid tam singulare, quam ut ex senatus-consulto, legibus solutus, Consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?] Cum post Syllæ dictaturam, et usque ad tribunatum C. Cornelii, Senatus legibus solveret, sine populi rogatione, bene de Pompeio dicitur: *Ex senatus-consulto legibus solutus*. At quibusnam legibus? Lege Villia, qua prohibebatur petitio consulatus ante annum XLII. aliisque duabus Corneliis legibus, quæ ad consularem dignitatem eos non admittebant, qui quæstores, prætoresque non fuissent. Pompeius autem annum XXXV. agebat, et neque quæstor fuerat, neque prætor. Cur autem Pompeio annos nato triginta non licebat ullum magistratum capere, nedum consulatum? Quoniam lex erat, aut vetus restituta a L. Sylla, aut ab ipso primum lata, ne quisquam omissa quæstura, ullum alium petere magistratum posset. At Pompeius quæstor non

fuerat: et quoniam quæstor non fuerat, non erat in ordine senatorio, sed equestri duntaxat. Aditum in curiam dabat quæstura, ex lege per L. Syllam Dictatorem lata. IDEM.

Eques Romanus] Non enim fuerat Pompeius Quæstor, proindeque nondum erat Senator. IDEM.

Cap. 23. *Jacturis*] *Jacturæ* Latinis sunt largitiones, pecuniæ datæ corrumpendi causa, pronunciati per tribus nummi, aut ut ipse supra dixit, divisi magistratibus et hominibus gratiosis, quorum suffragatione potestates et provincias acceperant. Cicero pro Cluentio: *Primum quidem illum judicem pecunia corrupit, deinde ipsum Aurium, non magna jacturæ facta, tollendum curavit.* Pro Flacco: *quæ jacturæ? quantæ largitio;* GRONOV. lib. IV. de Pec. vet. cap. 4. ubi vide plura.

P. Servilius] Isauricus ab Isauris in Cilicia devictis. Consul fuit cum App. Claudio. *C. Curio*, qui de Macedonia triumphavit, cum Cn. Octavio. *Cn. Lentulus* Clodianus, cum L. Gellio. *C. Cassius*, fortasse ille est, qui Consul fuit cum Marco Lucullo. FERRATIUS.

Cap. 24. *Quantam non iterum*] Vellet Grævius deleri *non*, et mutari *vidimus* in *videmus*. Itaque legeret: *quantam iterum in eodem homine præficiendo videmus.* Quod etsi dicat a suis quibusdam Mss. confirmari, tamen in contextu non recepit.

Non inutiles] Simultates enim inter principes viros utiles erant tum legibus, tum libertati. FERRAT.

PRO

A. CLUENTIO AVITO.

ORATIO XIV.

ARGUMENTUM.

Sassia quædam, Cluentii mater, improbi mulier ingenii, libidinis effrenatæ, post binas nuptias, unas patris Cluentii, alteras A. Aurii Melini, generi sui, quem cum filia divortium facere coegit, postremo nupsit Statio Albio Oppianico, qui Melinum ejus virum occiderat. Hic cum intelligeret, Cluentium nondum testamentum fecisse, eoque mortuo bona ejus omnia ad matrem esse ventura, incensus avaritia, veneno eum tollere decrevit. Ea re cognita, duobusque præjudiciis jam probata, primum Scamandri damnatione, cujus in manibus venenum deprehensum fuerat, deinde C. Fabritii, qui Cleophanti, quo Cluentius medico utebatur, servum Diogenem ad venenum dandum spe et præmio sollicitaverat: Oppianicum Cluentius de veneficio accusavit: qui cum damnatus esset, defensor Oppianici L. Quinctius Tribunus pl. quotidianis concionibus rem in invidiam adduxit, cum diceret pecuniam in judicio versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat; et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit, cum Oppianicus C. Ælio Staleno DC *millia H-S pro numero judicum, qui corrumpendi essent, dedisset. Quo postea crimine, et Stalenus ipse, et cum eo Bulbus, Gutta, Popillius, aliique ejusdem affines culpæ judices damnati sunt. Avunculus quinque post damnationem cum Oppianicus in exilio periisset, uxor Sassia molliri cœpit insidias filio, quod ejus consilio diceret per M. Asellium quemdam*

viro suo venenum in pane datum; et cum de servis quæstione habita, nihil esset repertum, rursus eadem, triennio post, adolescenti Oppianico filia collocata, impulit eum ad filium de veneficio accusandum. Is actore usus est L. Attio Pisaurensi, contra quem Prætor Cicero Cluentium defendit. Acta causa est ad Q. Voconium Nasonem, qui de veneficiis Prætor quæsivit, Lepido et Tullo Cos. MANUTIUS.

Cap. 1. *Judicii Juniani*] C. Junius quæsitor fuerat in causa Oppianici: ideo judicium de Oppianico factum, appellat *Junianum*. C. autem Junius postea damnatus est, quod in Oppianici causa corruptus fuisse dictus sit. SYLVIUS.

Altera tantummodo] Gulielmius legit *alteram;* sed poterat subaudiri, *videbatur*, quod præcessit. GRUTERUS. Altera scilicet parte. Est casus sextus, non primus. Nihil itaque immutandum cum Gulielmio Mox Franc. *rationem veneficii, et criminum.* Accusator præter veneficium, et alia reo crimina objecit. GRÆV.

Lege est hæc quæstio constituta] Lege Cornelia constitutus est prætor, qui quæreret de veneficio. Vide Sigonium, lib. 2. de judiciis, cap. 30. *Quæstio* est judicium publicum. ID. Vide *Indiculum Legum*.

Ea quæ propria est judicii vestri] Id est, de qua quæstio constituta est, ideoque de qua sententiam laturi estis. Quamvis enim accusator multa crimina reo objiciat, ut id quod causæ proprium est, sit magis credibile, judices tamen de eo solo pronuntiant, de quo quæstio constituta est: id igitur judici proprium est. SYLVIUS.

Ut eorum omnem dissolutionem] Id est, excusationem, negationem, purgationem, vel refutationem. Illa autem sententia est: Cum accusator intendit, vel probat crimina reo objecta, non continuo creditis, sed expectatis ejus qui reo patrocinatur dissolutionem. Ideo spero fore, ut refutationem meam horum veneficii criminum expectetis. Id si feceritis, nihil dixerit accusator, quod reum lædat. IDEM.

In invidia, causa communis] Nam si propter invidiam condemnetur Cluentius; quis est, cui non idem periculum impendeat? Paulo post subjungitur, *in communi incendio.* MANUTIUS.

Veritas] Alii, Vict. Man. *falsitas.* Vide *Victorium*, Var. Lect. XXIV. 2. Lamb. *oratio.*

Non quasi sæpe jam dicta, et nunquam probata sit] *Dicere causam* defensor dicitur, non accusator. Sic in Orat. pro Sext. Roscio Amerino, cap. 3. *Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt: causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sext. Roscii bono fuit: causam dicit is, &c. Probare causam* apud Ciceronem non est demonstrare, et confirmare argumentis; sed efficere, ut judicibus reipsa probetur. Cicero innocentiam Milonis demonstravit evidenter, non tamen probavit judicibus, qui eum damnarunt. Quamobrem illud unum contendit Orator hoc loco, defensam antea non fuisse causam illam; aut injuria Quintii tribuni plebis; aut quia non de illo crimine accusationes reliquæ constitutæ sunt, ut probari potuerit, et palam fieri, nullam a Cluentio, pro condemnando vitrico, datam fuisse pecuniam. FERRAT.

Cap. 4. *Non a Cluentio*] Quintilianus, lib. 4. cap. 5. " Si, *inquit*, unum " crimen varie defendimus, supervacua partitio est; ut si ita partiamur: *Dicam non talem esse hunc, " quem tueor, ut in eo credibile videri " possit homicidium: dicam occidendi " causam huic non fuisse: dicam hunc " eo tempore, quo homo occisus est, " trans mare fuisse.* Omnia, quæ, " ante id quod ultimum est, exequeris, inania videri necesse est. Festinat enim judex ad id quod potentissimum est, et velut obligatum " promisso patronum, si est patientior, tacitus appellat: si vel occupatus, vel in aliqua potestate, vel " etiam si moribus incompositus, cum

" convicio efflagitat. Itaque non de-
" fuerunt, qui Ciceronis illam pro
" Cluentio partitionem improbarent,
" qua se dicturum esse promisit, *pri-*
" *mum*, neminem majoribus crimini-
" bus, gravioribus testibus in judici-
" um vocatum, quam Oppianicum;
" *deinde*, præjudicium esse factum
" ab iis ipsis judicibus, a quibus
" damnatus sit: *postremo*, judicium
" pecunia tentatum non a Cluentio,
" sed contra Cluentium. Quia si
" probari potest quod est tertium,
" nihil necesse fuerit dicere priora." SYLVIUS.

Paulo longius] Quintil. IV. *cap.* 1. *extremo.* Cum a procemio ad narrationem vel ad refutationem transitus est, id debet in procemio postremum esse, cui commodissime jungi initium sequentium poterit: id est, cadere non oportet abrupte ex procemio in narrationem vel refutationem, sed ita conjungenda est, ut ex procemio duci videatur. Hujus tamen transitus admonendi sunt auditores; nec in his partibus solum, sed in aliis etiam, et plerumque in quæstionibus. Quoniam tamen narratio brevis esse debet, si ea futura sit longior, ad eam ipsam præparandum esse judicem idem præcipit, ut Cicero *(inquit)* sæpius, sed hoc præcipue loco fecit: *Paulo longius exordium rei demonstrandæ gratia repetam*, &c. SYLVIUS.

Cap. 5. *Avitus*] Aliis, *Habitus.* Cluentii cognomen ex ignoratione veteris orthographiæ suspicor esse depravatum. Quod enim constat ex antiquis monumentis, *B* pro *V* scribi solebat. Inde factum est est *Habitus* pro *Avitus.* Nam, cum, *Abitus*, mendosum putaretur, *Avitus* autem differret ab *Abitus;* bonam correctionem librarii, aut homines imperiti existimarunt, si, *Habitus*, tanquam usitatum verbum, reponeretur; in quo repugnat veterum exemplorum observatio. Nam sæpe *Aviti* cognomen reperitur, *Habiti* nunquam. Vibium Avitum nominat Plinius, lib. XXXIV. cap. 7. et Tacitus, lib. XIII. Accedunt lapidum antiquorum testimonia, in domo Cæsia Romæ, CLODIÆ. AVITÆ: in domo Arberinorum. CLAUDIUS. AVITUS: in hortis Jo. Georgii Cæsarini. BÆBIO. AVITO: Lubiani in Germania. DURIUS. AVITUS: Neapoli. AUR. AVITUS. Id sensisse videtur, aut ratione ductus, aut antiqui exemplaris auctoritatem secutus, Tryphonius jurisconsultus, qui cum hujus orationis testimonio utitur, A. Cluentium Avitum appellat. MANUT.

Fuit pater] Sic interpunge, *fuit, pater*, &c. Quintilianus, IV. 2. " Initium narrationis quidam facien-
" dum a persona putant; eamque,
" si nostra sit, ornandam: si aliena,
" infamandam statim. Hoc sane fre-
" quentissimum est, quia personæ
" sunt inter quas litigatur. Sed hæ
" quoque interim cum suis accedenti-
" bus ponendæ, cum id profuturum
" est: ut, *A. Cluentius Avitus fuit,*
" *pater hujusce, Judices, homo non so-*
" *lum*," &c. SYLVIUS.

Nominis causa] Lambinus, *in omni causa*, ex Ms. ut ait, sed insulse, si modo quid sentio, et contra Pall. nostros, et editos antiquitus. GRUT.

Non pietas] In filiam. SYLV.

Cluentia] Romanarum mulierum nomina ex nominibus iis, quæ prima sequerentur, prænomina sumi mos erat: ut P. Cornelius Scipio, A. Licinius Crassus, Cn. Papirius Carbo, C. Julius Cæsar, M. Tullius Cicero. Harum familiarum fœminæ, Cornelia, Licinia, Papiria, Julia, Tullia appellabantur. Hæc igitur A. Cluentii Aviti soror, Cluentia appellata est. IDEM.

Nullis auctoribus] *Auctores* in nuptiis dicebantur parentes, cognati, necessarii, tutores, aut amici, qui nuptias approbabant, et tabulas nuptiales signabant. Terent. Adelph. VI. 8.

quis despondit? quis dedit?
Cui quando nupsit? auctor his rebus quis est? GRÆVIUS.

Cap. 6. *Ne uteretur*] *Uti aliquo* Ciceroni est id, quod frequentius dicitur, uti aliquo familiariter. Exem-

pla non pauca sunt obvia, in primis in epistolis, et dudum a doctis animadversa. GRÆV.

Illa accusatio] Cur non, *hæc*, potius quam, *illa?* quia digito accusatores ostendit, ut infra. *Is fecit heredem illum adolescentem.* Et aliquanto post: *Avunculus illius adolescentis.* MANUT.

Cap. 8. *Gallicanum*] Qui primum Gallus fuerat, deinde, cum in Italiam habitatum venisset, non amplius Gallus, sed Gallicanus esse cœpit: quemadmodum de avo Pisonis materno dixit Cicero. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi cœptus est. MANUT. Vide Fragm. Orationum in L. Pisonem. tom. VI.

Non magna jactura facta] Non magno pretio. IDEM.

Quatuor viros] Sic dicebantur, qui summa cum potestate municipiis et coloniis præerant, sive annuam in iis jurisdictionem exercerent, ut Romæ Consules, quamvis in aliis essent duumviri, in aliis seviri. Vide de his cum alios, tum Reinesium in epistolis ad Rupertum et Norisium ad Cenotaphia Pisana, cap. 3. GRÆV.

Sustulit] Necavit. SYLV.

Quo sequestre] *Sequestres*, ut ait Asconius, *sunt apud deponitur pecunia.* Cum enim testes, judices, aliive qui corrumpuntur, iis non prius datur pecunia, quam quod promiserunt executi sunt: ideoque apud sequestres, ut et vulgo dicunt, in manu tertia, pecunia deponitur. Sequestri autem, non sequestre, ex præcepto Prisciani, lib. 7. legendum esset. IDEM.

Cap. 9. *Tres filios*] Quorum duos pater Oppianicus necavit: tertium sibi servavit, eum, qui nunc, a socru Sassia impulsus, Cluentium accusat. MANUT.

Cap. 11. *Liberos*] *Liberos* pro *unico filio, unicave filia* dici, A. Gellius lib. 2. cap. 13. scribit. SYLV.

Milesiam quandam mulierem] Amplificationem ex comparatione aliquando fieri, Quintil. docet *lib.* VIII. *cap.* 4. in qua nonnunquam proposito simili exemplo efficiendum est, ut sit majus id quod a nobis amplificandum est, ut Cicero pro Cluentio, cum exposuisset Milesiam quandam a secundis heredibus pro abortu pecuniam accepisse: "Quanto est, inquit, "Oppianicus in eadem injuria ma-"jore supplicio dignus? Siquidem "illa, cum suo corpori vim attulisset, "se ipsa cruciavit: hic autem idem "illud effecit, per alieni corporis vim "atque cruciatum. SYLV.

Ab heredibus secundis] Secundus heres dicitur, ut ait Boetius lib. Comment. in Top. Cic. 2. *qui heredi instituto substituitur: veluti si quis filium instituat heredem, scribatque si is filius intra pubertatem decesserit, nepotem vel quemlibet alium heredem esse oportere.* IDEM.

Per alieni corporis mortem atque cruciatum] Quintilianus legit, *per alieni corporis vim atque cruciatum.* Quæ lectio magis placet, ne sit ordo rerum perversus. IDEM. Quasi vero non frequens esset ἱστορολογία illa. BURMAN. *in Quintil.*

Cap. 12. *Heredem*] Secundum. Nam primus in utero matris erat. MANUT.

Legat grandem pecuniam a filio] Id est, si filius ex ea nascatur, qui heres testamento instituitur. SYLV. Modus loquendi, ut in Topicis: *Pater-familias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio.* Similiter, *solvere ab aliquo*, dicebat, ut ep. 17. lib. VII. *Quinctus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat.* MAN.

Nihil legat] Ne sibi ipsa fortasse partum mendicamentis abigeret, ab Oppianico corrupta. IDEM.

Ad eam columnam] Jus dicebat, opinor, ad columnam Mæniam: ad quam debitores, fures, et servi fugitivi accusabantur. Ejus mentio fit in Divin. apud Asconium. MANUT.

Inter allegatos] Inter conscios, qui accusarentur. FERRAT.

Cap. 15. *In Martis familia*] Quæ libera non est. Servi enim familia, dicuntur. MANUT.

Ab omni ejusmodi negotio] Ut quemquam accusaret. IDEM.

Et utriusque studio defensionis] Non, utriusque defensionis, sed utriusque Cluentii, et Oppianici: quorum alter Martiales, alter causam publicam defendebat. IDEM.

Cap. 17. *Re semel atque iterum præjudicata*] Damnatione Scamandri, et Fabricii. MANUT.

Vicinitatem] Vicini enim Arpinatibus. IDEM.

Patroni] C. Fabricii; Cujus libertum Scamandrum fuisse paulo ante dictum est. IDEM.

Cap. 18. *Causa insidiarum*] Id est, cur veneno Cluentium Oppianicus necare voluerit. SYLV.

Magno cum metu, incipio dicere] Quod est hominis de ingenii fama, et de officio suo laborantis. In Divin. *Ita Deos mihi velim propitios, ut, cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* De Orat. I. 26. *Mihi, quique optime dicunt, quique id facillime, atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes videntur, tametsi id accidere non potest. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, hominumque judicia pertimescit.* MANUT.

Cap. 19. *Qua tum eram*] Octo annis ante, cum Cicero annos 32. natus esset. Hanc enim orationem annis octo post Oppianici damnationem prætor habuit. Oppianici autem judicium Scamandri Fabriciique damnationem nullo fere temporis intervallo secutum est, cum L. Quinctius, Oppianici defensor, tribunus plebis esset, L. Lucullo, M. Cotta Cos. IDEM.

Advocabat] *Advocatus*, inquit Manutius, interdum est qui præsens reo favet, inde *advocare* eodem sensu. Imo barbarum istud *advocare*, sed Latinum pro fautores conquirere, et advocatos colligere. Neque aliter accipiendum apud Ciceronem. Ipse aderat, et alios, qui adessent, cogebat et arcessebat. Pro Quinctio: *Par tibi jus cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat.* Gronovius, not. ad I. Senec. de Clement. 9. ubi vide plura. GRÆV.

Cap. 20. *Prima actione*] Ampliandi potestatem lege permittente MANUT.

Esse quæsitum] Esse comparatum. IDEM.

Utque ei locus primus] Ut ejus causa, quod cum Scamandri causa conjuncta esset, statim ageretur. IDEM.

Ad Cæpasios fratres] De quibus in Bruto, cap. 69.

Cap. 21. *Adhibetur*] In codice sancti Victoris hæc adscripta sunt: *Nisi forte hæc causa est, quod medici nihil præter artificium, oratores etiam auctoritatem præstare debent*: sed hoc adjectitium puto. SYLVIUS. Equidem non modo in Palatinis hæc periodus non habetur, sed nec in Dresdensi, nec in utroque Francii, nec in editionibus illis vetustissimis, quas inspexi. Videtur sane cento esse, qui margini a magistro aut interprete, causas docente hujus dissimilitudinis in quærendo bono medico et malo patrono, fuit adscriptus. Sed causam veram non attigit. Si pessimus patronus adoptatur, quomodo potest is auctoritatem præstare? Nihil sane est absurdius hac sententia in hoc quidem loco. Cur diutius hunc pannum, tam pulchram orationem dedecorantem toleremus, et non potius deleamus, secuti optimos codices, et editiones? Recentiores ex interpolatis libris illum adsuerunt, invito Tullio. GRÆVIUS. Tametsi Grævio assentior, non ausim tamen periodum delere, quam habent Vict. Man. Lamb. et Grut. OLIVET.

Cap. 22. *Fabricios*] De uno Fabricio nominatim locutus est: sed Fabricius quoque Scamander fuit, cum Fabriciorum esset libertus. Patet infra. MANUT.

Judicia senatoria] Tunc enim soli

senatores judicabant per legem Corneliam, quæ deinde abrogata est M. Aurelio Cotta prætore: lata altera lege, ut cum senatoribus Equites, ac Tribuni ærarii judicarent. FERRAT.

Cap. 23. *T. Atti*] T. Attius, vel Accius, de quo in Bruto, cap. 78.

Alter] Scamander. MANUT.

Ipse se condemnavit] Fabricius, a subselliis discedens ante perorationem causæ. MANUT.

De illo ipso] De corrupto ab Oppianico judicio. IDEM.

Cap. 24. *Statium Albium*] Oppianicum. SYLV.

Alter] Oppianicus adoloscens, pietate erga patrem. MANUT.

Quod abstulistis] Id est, a Staleno domum retulistis. SYLV.

Tantum donis datis, muneribusque perfecerat] Male hic locus interpungitur. Nam si *datis* pertineret ad *donis*, scripsisset Cicero, *donis, muneribusque datis*. Distinguendum: *tantum donis, datis, muneribus perfecerat*. Has ejusdem notionis voces cumulat rem exaggerandi causa, ut solent oratores. *Data* Latinis sunt munera. Plaut. Asinar. I. 1. *Non suppetunt dicta data*. Dona, quæ promisit, non sequuntur. Propert. III. eleg. 13. *Heu nullis capta Licinna datis*. GRÆV.

Cap. 25. *Safinii Atellæ*] Cum Safinius Atella pupillus bona sua judicio repeteret ab iis, qui male empta possidebant. MANUT.

Suppressit] Non dedit judicibus, ipse clam retinuit. IDEM.

Cap. 26. Lamb. Grut. *miserrimis in locis et inanissimis*

Initium facit a Bulbo] Festive admodum. Nam cum initium cœnæ a bulbo fieri non soleat, Stalenus tamen a Bulbo judice initium fecit judicii corrumpendi: ideo vocavit eum Cicero præposterum, atque perversum, in ambiguo jocum quærens. MAN.

Conditor totius negotii, Guttam aspergit huic Bulbo] A condiendo conditor, media syllaba acuta. Alludit ad bulbum, quod genus quoddam ceparum est. SYL. Mirum Ciceronis ingenium in lepore dictorum. Judex est Bulbus, judex et Gutta. Rursus, bulbus est cibus: gutta, liquor, quo conditur bulbus. Ex ambiguo igitur sumpsit occasionem jocandi; conditur enim bulbus adspersa gutta. MANUT.

Amarus is] Bulbus judex facilem se præbuit adjuncto Gutta judice: ut bulbus cibus adspersa liquoris gutta conditur, et amarum saporem amittit. IDEM.

Qui aliquid ex ejus sermone specula] Nihil muto: quamvis Barnabas Brissonius, jurisconsultus eruditissimus, mihi confirmarit, se reperisse in quodam libro manuscripto, *Spe gulæ*. Nam omnino hoc, *spe gulæ*, corruptum est. *Speculæ* vero, rectum. Est enim ὑπεκφορικὸν ab integro, spes, specula prima longa, parva spes. Utitur eodem nomine lib. 2. ep. ad M. Cœlium. *Et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula*. LAMB.

Degustarat] Non discedit a translatione. Nam condire bulbum gutta, degustare aliquid speculæ, similitudinem habent. MANUTIUS.

Sequester] Cujus in manu pecunia deponeretur. IDEM.

Delegerat] Arbitratu suo: qui etiam se ipse adoptasset, Æliumque de Staleno fecisset. IDEM.

Si se Ligurem fecisset] Si Liguris cognomen ex imaginibus Æliorum sumpsisset. Fuerant enim et Ælii Pæti, et Ælii Ligures, ut in Fastis. IDEM.

Nationis magis suæ] Quia natus, vel ortus ex Liguria. IDEM.

Planus] Deceptor. Græcum verbum. Horat. I. ep. 17. 59. *Fracto crure planum*. IDEM. Vide Gellium, XVI. 7.

Quam palam omnes laturi essent] Ex lege Cornelia; quæ potestatem reo dabat, ut sententiæ vel clam, vel palam ferrentur. Reus enim Oppianicus, qui Staleno pecuniam ad corrumpendum judicium dedisset, quin palam sententias ferri vellet, ut in eo

Staleni fidem nosset, minime dubium erat. IDEM.

Cap. 28. *Non liquere dixerunt*] Ii fuere novem judices, quorum nomina infra ponuntur. Quinque autem Oppianicum absolverunt, reliqui XIX. condemnarunt. Omnes enim judices, adjuncto Staleno XXXIII. fuere. IDEM.

Superioribus suis judiciis] De Scamandro, et Fabricio. MANUT.

Ambitione] *Ambitio* in judice est, cum non habet rationem justi in pronunciando, sed hominum gratiæ plus tribuit quam æquo, cum captandæ gratiæ alicujus causa aut damnat, aut absolvit. Sic *ambitiosæ sententiæ*. Suet. Domit. 8. *Ambitiosas centum virorum sententias rescidit*. Alibi plura notavimus hujus notionis exempla. Gruterus testatur in S. Victorii codice legi sive *ambitione abductus*, quod non rejicerem, si plures codices subscriberent. Sed mei omnes vulgatam tuentur. GRÆV.

Pudentissimum] Miror adhuc esse qui Manutianos sequantur, edantque *prudentissimum*; omnino insipide. GRUT.

Cap. 30. *Tabulas*] Tabulas nimirum accepti et expensi, ut omnes patres-familias. GRÆV.

Vestigium] A feris facta translatio est, quarum vestigia canes cum invenerunt, ipsas feras ubi jaceant tandem inveniunt. SYLV.

Ad ipsum cubile] Est adhuc in translatione; ferarum enim cubilia dicuntur, ubi jaceant. IDEM.

Cap. 31. *Ad conciliationem gratiæ*] Id est, ad reconciliandum Cluentium Oppianico. IDEM.

Sapientissimum] Hesiodi sententia, lib. inscripto *Opera*, et *Dies*.

Reus, et accusator] Reus Oppianicus: accusator, Cluentius: ut nec Oppianicus effugere posset, quin ab aliquo, vel si cum Cluentio in gratiam rediret, accusaretur: (elabi autem quovis accusante non poterat) nec ipse Cluentius ab accusando desistere, quin calumniæ subiret infamiam. MANUT.

Cap. 32. *Alienissimum*] Neque propinquum, neque amicum. SYLV.

Suo nomine] Aliis enim criminibus illi judices et acousati, et damnati sunt; non quod pecuniam in judicio Oppianici accepissent. FERRAT.

Cap. 33. *Non modo causæ*] Tempus aliquod poscenti. MANUT.

Ne legi quidem] Quæ judicem quæstionis abduci a suo munere vetabat. IDEM.

Putabo fuisse] Id condonat adversario, ut ad proxima gradum faciat. SYLV. Vict. et Lamb. *putato*.

At ipse ea lege quærebat] Hic locus dialogo similis est, ut etiam respondentis adversarii personam sustineat. Quæ varietas, si rara est, jucunda est. IDEM.

Paucos dies] Donec Junius quærere desiisset. MANUT.

Privatus] Id est, postquam esset perfunctus tribunatu plebis. IDEM.

Interlitus] Transfert a Junio culpam in Verrem, qui codicem suum corruperit, ut damnaretur Junius: quod alii sententiam judices de Oppianico tulissent, alii scripti essent in suo codice. IDEM.

Cap. 34. *Qui hoc confitentur*] Responsio Ciceronis: in qua verbum *confitentur*, iniquam rem significat, quod, quibus criminibus a Junio petita multa esset, quod in legem scilicet non jurasset, quod ex lege subsortitus non esset, eorum criminum legibus damnatus quidem esset, verum non propter ipsa crimina, sed quia contra legem aliam commisisset. Quod qui confitentur, iidem, injuste damnatum esse Junium, simul confitentur. Hoc quasi κατὰ παραδοξον pronunciatur. Si qui, inquit, ideo damnatum fatentur Junium iis legibus, non quod adversus eas, verum quia contra aliam legem, id est, contra legem de corruptis judiciis, commiserit: iidem quod nos dicimus, possunt defendere, idem illud judicium, quo damnatus est Junius, judicium non fuisse. Ita nostram causam agent. Possunt, inquit, id est, licet eis defendere, id quod a nobis defen-

ditur, judicium illud non fuisse. MAN. Sed legebat Manutius, *possunt, illud idem judicium* non *fuisse, defendere.* Grævius tamen aliter censet. Negandi, inquit, particulam primus intrusit Victorius, an ex codice aliquo ignoro, et valde dubito, quia in nullo libro, quos Lambinus, Gruterus et ego inspeximus, invenitur. Victorium secuti sunt cæteri editores omnes recentiores. Sed veterum codicum scriptura, etsi prima fronte aliter possit non attente rem consideranti videri, omnino retinenda est: *Qui hoc confitentur, possunt* iidem *illud judicium fuisse defendere,* GRÆV.

Quasi pro theatro] Cujus in gradibus quamplurimi sedent. IDEM.

Fausto Syllæ] Syllæ dictatoris filio, Pompeii Magni genero. IDEM.

De pecuniis residuis] Quæ ad peculatum spectant. Nam Orchinium de peculatu quæsisse, infra legitur. Pecuniæ vero residuæ, quibus accusari Faustum judices noluerunt, erant eæ, quas ex publica administratione Syllani homines ipso Sylla largiente, in usum privatum converterant. ID.

Cap. 35. *Nec P. Popillius, nec Q. Metellus*] Popillium C. Gracchus, Metellum I. Saturninus, tribuni plebis expulerunt. IDEM.

Cap. 36. *Præmia legis*] Ut in integrum restituerentur: ut, quo crimine damnati fuerant, absolverentur, convictis eodem crimine, id est, ambitus, accusatoribus suis. MANUTIUS.

Majestatis] Accusatus quidem est corrupti judicii nomine, sed ideo damnatus, quia majestatem læsisset. IDEM.

M. Æmilio, clarissimo viro] Legendum *Mam.* non *M.* existimo: ut sit Mam. Æmilius Lepidus, qui cum D. Bruto consul fuit. IDEM.

Ad Juturnæ] Templum. Usitatum loquendi genus. IDEM.

Cap. 37. *Decuriæ*] Decuria est album judicum, in quod ejusdem generis et census judices erant relati, ut dudum Casaubonus ad Suetonium docuit. Et, sicut postea cum ex pluribus ordinibus judices legerentur, alia erat decuria senatoria, alia equestris, alia tribunorum ærarii, sic tum temporis plures erant decuriæ senatoriæ. Itaque hic Falculæ suam tribuit decuriam. His decuriis judicum sua quoque fuerunt assignata munera, ut non ad omnia judicia legerentur ex omnibus decuriis judices, sed una aut altera decuria hoc vel illo tempore esset immunis. Munus enim erat, hoc est onus, judicem sedere. Sueton. August. 32. *Plerisque judicandi munus detrectantibus, vix concessu ut singulis decuriis, per vices annua vacatio esset.* Quamvis vero rationem munerum et immunitatum, quæ in decuriis senatoriis Ciceronis tempore obtinuit, ignoremus, ut alia multa, clare tamen patet ex hoc loco, Falculam sedisse, cum suæ decuriæ sedendi munus non esset: itaque cum alienæ decuriæ munere sederet, cupiditatem aut corruptionem præ se ferre videbatur. Hinc tanquam cupido judici, et non ex lege sedenti, multa fuit imposita. GRÆVIUS.

Neque ex lege] Quæ sententias ferri, nisi causa prius cognita, vetabat. MANUT.

Paulo sedatiore tempore] Cum tribunus plebis non esset L. Quinctius. Nam paucis post Junii condemnationem diebus e tribunatu exivit. ID.

Ut illam multam non commiserit] Multam committere, est committere quod multa dignum sit. IDEM.

Quam] Lege, *quam*, omisso accentu. Victorii enim, Manutii, et Gruteri editiones, si per typographum licuisset, erant hic repræsentandæ. Lambinum tamen audiamus: ne quid a nobis prætermittatur, quod Criticis arridere possit.

Quam Stalenus, qui causam usquam eadem lege dixit] Sic restitui, scripturæ veteris vestigia secutus. Sententia autem hæc est: Non numero (inquit) absolutionem Fiduculani. Nam, quamvis absolutus sit, nihilominus tamen, *quam Stalenus, pecuniam ob rem judicandam accipere potuit: qui tamen Stalenus, usquam*

accusatus est, quod pecuniam ob rem judicandam accepisset. LAMB.

Qui non perpetuo sedisset] Quod objiciebatur Falculæ. Supra: *Cum præsertim, id quod fuit illo judicio invidiosissimum, paucos dies ex subsortitione sedisset.* MANUT.

Quæ præjudicia] Unum in Scamandro, alterum in Fabricio. ID.

Cap. 38. *Rumusculos aucupati*] Ambitione adducti: ne corrupti, ut Bulbus, Stalenus, Gutta, qui jam Oppianicum damnaverant, viderentur. IDEM.

Illum] Oppianicum. IDEM.

Principem] Oppianicum. *Adjutores*, Scamander et Fabricius.

Cap. 41. *At condemnarat*] Dialogo aut altercationi similis hic locus est, ubi personam accusatoris et patroni vicissim agit Cicero. SYLVIUS.

Litem eo nomine esse æstimatam] Litem æstimare, ut ait Asconius in Commentariis in Actionem secundam in Verrem, est pecuniam de qua lis fuit, et propter quam condemnatus est reus, in summam redigere, quæ de bonis ejus redigatur. Lis igitur æstimari solebat ei, qui repetundarum postulatus esset. Quod igitur P. Septimius Scævola ob rem judicandam accepisset pecuniam, lis ei æstimata est. IDEM.

Nunquam enim] Sententia est: Si quid aliud in damnatum reum dicatur, judices ita diligentes non sunt, quam cum reus nondum damnatus est. IDEM.

Hac lege ipsa] De repetundis. Nam litis æstimatio ad crimen repetundarum pertinet. Scævola enim non hac lege, sed aliis criminibus et reus factus est, et condemnatus. Lis autem ei æstimata gratiæ causa: ut, quod capitale erat, pecunia æstimaretur. MANUT.

Cap. 42. *In hac*] Legebat Pantagathus, *in hoc.* URSINUS. *In hac*, est, in hac causa. GRÆ.

Cap. 45. Vict. Man. *Nam ut illud afferant, nihil est, quod de his* Lamb. *At illud, quod afferunt, nihil est: aliquid esse quod.*

Idem. *nihil comperisse.*

Cap. 47. *Ex notatione tabularum*] Discoloribus enim ceris notatæ sunt, Hortensii oratoris, ut creditum est, culpa. Quod ei Cicero objicit in Divinatione, cap. 7. MANUT.

Cum equestri ordine] Simul cum equestri ordine, illa judicia reprehendente: ut legem de communicandis judiciis necessariam fuisse ostenderet. IDEM.

Cap. 49. *In quos*] Corruptum locum ita sanari posse arbitror: *In, queis tum consulibus designatis idem illud senatus decreverit.* MANUT.

Referendum ad populum] *Ferri ad populum*, dicitur, *non referri.* Itaque malim hic, *ferendum.* IDEM. Dresd. uterque Francii, editiones antiquæ omnes, *perferendum.* GRÆ.

Cap. 51. *L. Grassi*] Vide lib. II. de Orat. cap. 55.

Cap. 52. *Lege*] Qua soli senatores tenebantur. Avitus autem senator non erat. MANUT.

Certe ut hominem confirmare oportet] Quid sibi velint hæc verba, ignoro. Abesse possent sine detrimento ullo sententiæ. Sed invitis libris omnibus, quis ausit illa delere? GRÆ.

Qui coisset] Qui conspirasset cum aliis in alicujus caput, ut condemnaretur. *Coire* semper fere accipitur in malam partem. Hinc *coitiones*, sunt seditiosa conventicula. GRÆ.

Cap. 55. *Primum (ut id iniquissimum esse confitear) hujusmodi est, ut commutatis eis opus sit legibus; non ut iis, quæ sunt, non pareamus*] Mendosus videtur quibusdam esse hic locus. Atqui sanus est, neque ad intelligendum difficilis, si modo cogites, in his *(ut id iniquissimum esse confitear)* concessionem esse oratoriam. Attius dixerat, iniquum fore, si non iisdem omnes legibus tenerentur. Cicero respondet concedendo primum, deinde negando. *Iniquum* id esse ais. Esto iniquum, ac si ita vis, *iniquissimum.* Id si idem tibi, et *confitear*, cujusmodi est? quid tum? quid efficies? Id unum: *Opus esse commutatis eis legibus:* eas mutari leges

oportere. *Non* autem *id ejusmodi est, ut non pareamus iis legibus, quæ sunt* constitutæ. Deinde id nego iniquum esse. *Quis* enim *unquam hoc senator accusavit*, &c. ODINUS.

Questus in veteres judices] *Queror in aliquem*, non dicunt Latini, sed, *queror de aliquo*. Hoc igitur totum deleri jussi. LAMBINUS. Lego, dissentientibus antiquis libris, *Qua est usus in veteres judices*. Atque hac ego conjectura, nec a vetere scriptura longius discedente, et sententiam illustrante, magnopere delector. Quid enim est, *Questus in veteres judices?* quanto autem aptius, *Acerbitatem proscriptionis suæ, qua est usus in veteres judices?* Veteres enim judices, id est, equites Romanos, qui lege C. Gracchi per annos II. judicia tenuerant, non modo judicandi potestate victor Sylla privavit, verum etiam proscripsit. MANUT. Valde blanditur mihi conjectura Manutii. GRÆVIUS.

Cap. 56. *Quam secuti petitionem reliquissent*] Erit facilior explicatus, si distinguas in hunc modum: *quam secuti, petitionem*, &c. OLIVETUS.

Cap. 58. *Tabellam*] De qua Asconius in Divinat. cap. 7.

Cap. 59. *Hominem multorum hospitem*] Facete dictum ambiguo sensu. Nam hospitem multorum esse, laus est in nobilibus viris; in caupone questus est, itaque laude caret. MAN.

Si invitaverit] More cauponum prætereuntes invitantium, ut ad se divertant. GRÆ.

Cap. 62. *Statio Albio*] Libertus erat Oppianici senis, ut ex prænomine, et nomine illius patet. FER.

Cap. 64. *H-S**] Post vocem, *sestertium*, jussi notari stellulam, per quam admoneatur lector, hic deesse numerum. LAMBINUS.

A exactoribus] Iis, qui cogunt et exigunt pecunias de bonis, quæ in auctione venierunt. MANUT.

Cap. 65. *Morbo*] Animi, ut antea. IDEM.

Abfuisse] Lege *adfuisse*. Si dicam, nullum adhibitum esse virum: vos contra virum ejus, quem illa secum habere libidinis causa consuesset, affuisse dicetis. Jocus est ex amphibolia. MANUT.

Cap. 66. *Esto: in tabellis, nihil est auctoritatis*] Joan. Passeratius, homo pereruditus, legendum putat, *in tabellis nonnihil est*, &c. cui assentior. LAMBIN.

Lamb. *donis, muneribus*.

Cap. 67. Idem. *affinium*.

Cap. 69. *Theano Appulo*] Ego puto utrumque *Teanum*, Apulum, et Sidicinum, scribi sine *h*: *Apuliam*, et *Apulum*, modo simplici *p*, ut apud Horatium semel reperi *(altricis extra limen Apuliæ)* modo duplici *pp*, ut plerumque. URSINUS.

Vict. Man. Lamb. *pecuniarias*.

Cap. 70. *Uxor generi, noverca filii, filiæ pellex*] Magna vis eloquentiæ: cujus ipse testimonium exstare voluit in eo libro, quem, Orator, inscripsit. Vide cap. 30. MANUT.

DE

LEGE AGRARIA,

CONTRA

P. SERVILIUM RULLUM.

IN SENATU.

ORATIO XV.

ARGUMENTUM.

Kalendis Januariis consules magistratum ineunt, magnaque civium multitudine celebrante, in Capitolium ascendebant: ubi rem divinam faciebant, mox etiam senatum advocabant, et habebant. Eo die Servilius Rullus Tribunus plebis, qui cum collegis proximo Decembri magistratum inierat, de lege Agraria, quam jam promulgarat, verba in senatu fecit. Solebant enim ante patres consulere, qui ad populum aliquam legem ferre parabant, ut auctores essent. Eam legem Cicero, quod ærarium exhauriret: vectigalia proscriberet: possessiones omnes publicas venderet: omnia belli subsidia et ornamenta pacis imperio Romano adimeret: quod decemviros in quinquennium cum summo imperio omnium fortunis et capitibus imponeret, summa cum assensione et approbatione bonorum omnium dissuasit, et a tribunitiæ largitionis metu senatum et bonos omnes hac oratione liberavit: quam Kalendis Januariis in Capitolio habuit: ut in Pisonem scribit. TURNEBUS.

Hujus legis undecim capita ex tribus, quæ sequuntur, Orationibus colligi possunt. I. Ut Tribunus plebis qui legem hanc tulerit, creet per septemdecim tribus eodem modo, ut comitiis Pont. Max. Decemviros ex iis, qui præsentes profiteantur. II. Ut legem Cariatum de illis ferat, qui Prætor primus factus sit, vel eo impedito, qui postremus, cui non possint Tribuni plebis intercedere; si lex Curiata ferri non possit, Decemviri tamen eodem jure sint, quo qui optima lege. III. Ut Decemviri habeant auspicii deducendarum coloniarum causa pullarios, ut Tresviri lege Sempronia, apparitores, et alia hujusmodi; Prætoriam denique potestatem ad quinquennium sine provocatione. IV. Ut liceat illis vendere omnia, de quibus S. C. facta sunt M. Tullio et Cn. Cornelio consulibus: agros item, loca, ædificia, aliudve quid extra Italiam, quod publicum populi Romani factum sit L. Sylla et Q. Pompeio consulibus, aut postea. V. Ut liceat etiam vendere vectigalia in lege nominata; habita actione in quibus locis ipsis videbitur. VI. Ut ad ipsos Decemviros cognitio pertineat, qui privati agri, qui publici sint; utque iis, quos publicos esse judicaverint, vectigal possint imponere, duobus exceptis. VII. Ut quod ad quemque pervenit, pervenerit ex præda, ex manubiis, ex coronario, quod neque relatum est in publicum, neque consumptum in monumento, id quilibet, uno excepto Pompeio, profiteatur apud Decemviros, et ad eos referat: qui, si qua pecunia post Tullium et Antonium consules ex novis vectigalibus recipiatur, eà quoque uti possint. VIII. Ut hac pecunia agros emant in Italia, qui coli, et arari possint, a volentibus tamen vendere, non ab invitis: neve ea pecunia in ærarium referatur, aut exigatur. IX. Ut in eos agros, qui hac lege empti fuerint, colonias deducant, et in quæ loca præterea videbitur. X. Ut Capuam in coloniam deducant quinque millia colonorum, iisque et Capuanum agrum, et Stellatem dividant. XI. Ut quæ post Marium et Carbonem consules publice data, assignata, vendita, concessa, et possessa sunt, ea omnia eo jure sint, ut quæ optimo jure privata sunt. FERRATIUS.

Cap. 1. *Quæ res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur*] Significat Alexandriam, et Ægyptum, quæ ab Alexandro Rege, qui Cotta, et Torquato Coss. Tyri mortuus est, testamento populo Romano relictæ dicebantur. Quod cum Romæ percrebuisset, multi extiterunt, qui aperte dicerent, adeundam esse regiam hereditatem, Ægyptum Prolomæo adimendam esse, qui eam tenebat, quod non esset nec genere, nec animo regio. Qua de re apertius agitur in sequenti oratione. Usus est autem translatione e re militari ducta. Nam *petebatur*, a gladiatorum, aut præliatorum petitionibus sumptum est: cui translationi respondet illa altera a bellicis clandestinis oppugnationibus hausta, *Cuniculis oppugnatur*, quod quid sit, expressit in secunda, cum dixit: *Nunc tetris tenebris, et caligine, Alexandriam se perventuros arbitrati sunt.* Sunt enim cuniculi fossæ subterraneæ hominum ingenio ad cuniculorum animantium imitationem fabrefactæ, ut clam mœnia urbium hostilium suffodiant, atque imprudentibus hostibus in eorum oppidum erumpant, quales quondam Camillus in capiendis Veiis machinatus est. Contrariis autem his hæc est ornata oratio, *aperte peti*, et *clam cuniculis oppugnari*. LAUR.

Decemviri] Qui lege Rulli creati erant. Ad agrorum assignationem et coloniarum deductionem persæpe Triumviri creabantur, nonnunquam Quinqueviri. Rullus sua lege Decemviros creari jubebat: Cæsar in consulatu agros per XX. viros assignavit. TUR.

Eosdem Consules] Syllam et Pompeium intelligit, ut ex 2. orat. apparet. Nam in lege Rullus quæ publicabat, et vendebat, ex horum consulatu definiebat. IDEM.

Proximo capite] Legis suæ. Multa enim capita, multasque sententias complectebatur Rulli lex. Capita enim vocantur legum partes a Jurisconsultis. IDEM.

Excogitabit] Quod si faceret, excusandus esset. Verum nihil excogitat. *Veneat*, inquit, *Silva Scantia.* MANUTIUS.

Scantia] Silvam Scantiam Censores publicanis pecuariis locabant. *Cic. in Bruto, cap.* 22. Suspicor illic fuisse Scantias aquas, ubi, ut inquit Plinius, lib. II. cap. 107, *e petra flamma exibat, quæ pluviis accenderetur.* TURNEBUS.

Relictis possessionibus] Locis sterilibus, quæ quod locari non possint idcirco in tabulis censoriis scripta non erant, sed negligebantur. Virgilius libro 4. Georg. *cui pauca relicti Jugera ruris erant.* IDEM.

Pascuis] Plinius, *Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.* Lib. XVIII. cap. 3. IDEM.

Cap. 2. *Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam*] Hæc etiam videntur esse ab oratore subjecta voci præconis, cum post Italicas possessiones Siculas quoque recitasset, quas ita persecutus erat in lege Rullus, ut in tabulis censoriis inveniebantur. LAUREDANUS. Puteanus mallet, *persequitur, ut in tabulis.* Ita, ut fit in tabulis. Non male. GRUTERUS.

Audistis auctionem populi Romani proscriptam] Satis hæc verba docent, possessiones proscriptas ex lege per præconem recitatas fuisse, cum inquit, *audistis.* Invidiose autem vocat *auctionem*, non possessionum, sed *populi Romani*, et addit *proscriptam a trib. plebis*, quasi qui defensor commodorum populi Romani est constitutus: est enim hoc etiam vehementius, quam si, *a Rullo*, dixisset. LAUREDANUS.

Attalensium] Attalea, urbs Lyciæ: Lydiæ est in Stephano. Ab Ἀτταλεὺς more Latinis usitato fit *Attalensis.* Olympus urbs Pamphyliæ: inde Ὀλυμπηνός, inquit Stephanus, gentile formatur, Latine *Olympenus.* Servilius Proconsul in Ciliciam missus, piratas vicit: eorum urbes Phaselum, Olympum, Attaliam, Isaurumque

Cilicie arcem expugnavit; nomenque Isaurici sibi adoptavit. TUR.

Deinde agros in Macedonia regios] Qui regis Philippi, et ejus filii Persis fuerunt: quorum illum T. Quinctius Flamininus, hunc L. Æmilius Paulus devicit. Auctor Livius, et Florus, et Plutarchus. LAUR.

L. Mummii imperio] Qui bellum Achaicum confecit, Corinthum diruit, quod ibi legati populi Romani violati fuerant. TUR.

Apud Carthaginem novam] Carthago nova in Bætica Hispania ad litus fuit ab Asdrubale Pœno condita. Nova autem dicta est, ut a vetere, quæ in Africa erat, distingueretur, auctore Stephano. LAUR.

Consecravit] Consecrare nihil aliud erat, quam a privato cultu sacro aliquo carmine vindicare; ut Romæ Sp. Mælii, et M. Ciceronis area consecrata est. Consecrasse autem Carthaginem Africanum docet etiam Appianus in Libyca extrema. Hac de consuetudine loquitur Cicero lib. II. de Legibus. LAUR.

Cap. 3. *Atriis auctionariis*] Atria quædam erant in foro, in quibus consessus præconum erat, auctionesque fiebant. Sententia est: Etiam nepotes adesa re familiari et perdita, ut creditoribus solvant, non in triviis, neque passim, sed certis et constitutis in locis, ut in atriis auctionariis, solent auctionari. TUR.

Liberis populis] Hic liberos populos dicit, qui neque in provinciæ formam redacti sunt, ut vectigal pendant, neque regi parent. Nam provinciis et regnis opponit. IDEM.

Privati] Legatos significat eos, qui legationes liberas obibant, quas Romani Senatores a senatu sæpe impetrabant, vel vitandi periculi, vel voti solvendi, vel negotii privati procurandi, vel hereditatis obeundæ, vel pecuniæ exigendæ causa. LAURED. Vide de Leg. III. 8.

Graves eorum adventus] Proinde in consulatu has legationes tollere tentavit Cicero: quanquam ad senatus commodum pertinere videbantur; fecissetque, nisi levissimus tribunus plebis impedisset: postea lex Julia quinquennio definit. TUR.

Cap. 4. *Severitas*] Severitas propter acerbitatem reprehendenda, si invitos spoliabunt; benignitas propter quæstum vituperanda, si pecunias, ne vendant, accipient. Dilemma. LAUREDANUS.

Suspiciosæ] Nam suspicio est trib. a Siculis et ab Hiempsale pecunia corruptos, exceptionem legi adjecisse. IDEM.

Hic quæro, si Hiempsali satis est cautum fœdere] Utramque harum exceptionum reprehendit dilemmate. Hoc modo: Recentoricus ager aut privatus est, aut publicus. Si privatus, non fuit excipiendus; nam vectigal agris publicis tantum imponitur. Si publicus, non gratis parcit ei agro, sed pecunia corruptus. Item: Hiempsalis agris aut satis est cautum fœdere, aut non. Si satis, non attinuit eum excipi. Si non satis; ergo pecunia inductus ei agro cavet, ne vendatur. IDEM.

Manubiis] A. Gellius lib. XIII. cap. 24. *Sed quæro*, inquit, *an M. Tullius, verborum homo diligentissimus, in oratione, quam dixit, de lege Agraria, Kalendis Januariis contra Rullum, inani, et illepida geminatione junxerit manubias, et prædam, si duo hæc verba idem significant, neque ulla re dissident.* Hæc ille. Sed alibi in his ad Tullium notis, docui ex Asconio, per *manubias* sæpe significari partem prædæ captæ, quæ imperatoribus, qui bellum aliquod feliciter et e republica gesserant, a republica dabatur, quam illi plerumque impendebant in opus aliquod publicum. Unde illa inscriptio, de qua Gellius, templo præfixa: *Ex manubiis.* GRÆ.

Coronario] Quod conferebatur a provincialibus in coronas ad ornamentum triumphi. Itaque nisi decreto triumpho, coronarium exigi non licebat. Cic. in Pisonem, *Mitto aurum coronarium, quod lex decerni et accipi vetat, nisi decreto triumpho.* Cap. 37. TUR.

In monimento] In templis Deorum immortalium, porticibus, basilicis, ornamentisque publicis, quæ hoc loco monumentorum nomine veniunt. IDEM.

A Fausto] Cicerone prætore Faustus Sylla, Syllæ dictatoris filius, de residuis pecuniis, ut causam diceret apud Orchinium, magna contentione pugnatum est a tribuno. Sylla enim, qui diu exercitibus præfuerat, et rempublicam tenuerat, ex ærario et vectigalibus magnam vim pecuniæ sumpserat: causa tamen recepta non est. IDEM. Vide pro Cluent. 34.

Peregrini Roma ejiciuntur] Cotta et Torquato Coss. Caius Papius omnes peregrinos, qui Itali non essent, quod eorum nimia frequentia esset, moresque importarent a Romanis institutis alienos, urbe ejecit lege lata. Auctor Dion. Ejus legis meminit Cicero in Officiis, quam et improbat, ut hoc loco. IDEM.

Cap. 5. *Emptionibus*] Ea pecunia ementur agri, qui plebi Romanæ assignentur. IDEM.

Vir optimus] Qui nemini injuriam facere vult. Locus in ironia est. Caverat autem in lege Rullus, ne Decemviri agros ab invitis tangerent: hoc enim erat usus verbo. IDEM.

Æquitatem] In hoc etiam salse, atque εἰρωνικῶς Valgii improbitatem insectatur. *Æquitatem* autem *animi* virtutem eam, quam Græci ἀδιαφορίαν appellant, nominavit, cum animus nulla re vehementius afficitur. LAU.

Cæteri] Syllani, qui magna laborant invidia, quod proscriptionibus sint locupletati, et quod possessiones multas nullo jure occuparint. TUR.

Aut invidiæ, aut pestilentiæ] Invidiosorum, aut pestilentium agrorum possessoribus. Invidiosos possident Syllani. IDEM.

Urbem hanc urbe alia premere] Exemplum erit Albæ, quam Romani coloni sibi finitimam deleverunt. LAUR.

Cap. 6. *Insolentiam*] Insolentia est hoc loco, cum quis rei alicui non assuevit, quæ ἀήθεια Græce dicitur. Eodem modo locutus est in 2. oratione, *Non solum copia, verum etiam insolentia commovebantur*. Alias arrogantia est, insolentia. TURN.

Majores] Quod scribit a majoribus factum esse, id bello Punico II. post receptam Capuam factum est. De qua re vide Livium lib. XXVI. LAUREDANUS.

Cap. 7. *At quemadmodem armatur*] Quibus oppidis instruitur et munitur in nos Capua. Nam in omnia etiam Campaniæ oppida deducebat colonias Rullus. TURN.

Campanum et Stellatem] Campanum appellat Capuæ agrum, non totius regionis Campaniæ. Campanus autem Stellatis, auctore Livio, erat in Campania, et Capuano agro finitimus. LAUR.

Sub signo claustrisque] Signo annuli multa Romani a rapina familiæ vindicabant. Ita sportæ, lagenæ, cistæ, loculi signabantur. Claustra hic sunt, quæ Græci κλεῖθρα vocant, id est, seræ: interdum fores ipsæ. TURN.

Restitisset] Resistere potuit; a resisto. IDEM.

Concioni reservo] Nam cum populus utilitate potius ducatur, quam honestate: quippe qui ex imperita fere, et inerudita multitudine constet, propterea hæc utilitatis amplificatio concioni erit aptior, ut, quæ est dignitatis, orationi in senatu accommodatior. Ex quo admonemur, quam diligenter eorum, apud quos dicimus, habenda ratio sit: quod præceptum omnium rhetorum ore celebratissimum est. LAUR.

Ac dignitate retinendum] Erfurd. *retinenda*. Cui accedit uteunque Pal. sec. in quo, *retinendam*. GRUT.

DE

LEGE AGRARIA.

AD POPULUM.

ORATIO XVI.

ARGUMENTUM. *Vide pag.* 379.

Cap. 1. *Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt*] Nobiles intelligit, qui eosdem, atque majores sui, quorum imagines haberent, honores populi beneficio adepti sunt. Nobilitas enim non ex conditione, sex ex imaginibus majorum apud Romanos comparabatur. Erat autem imago (auctore Polybio, lib. 6.) simulachrum oris similitudinem affabre, miroque artificio confectam, coloribus, pigmentisque adumbratam referens, quam insigniori, ac celebriori domus in parte collocabant. Imaginis autem suæ ponendæ jus consequebantur ex curulibus magistratibus, quorum primus erat curulis ædilitas, ut ostendit Cicero lib. III. in Verrem, cap. 14. cum ait, se ob ædilitatem delatam adeptum esse *antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem*, jus imaginis *ad memoriam posteritatemque prodendam.* Quare consequi imagines familiæ, est magistratus curules a majoribus suis gestos item capere, quod nobilitatis erat. Hos ergo nobiles consuevisse ait primam concionem habere, qua gratias populo agerent, ita tamen, ut suos majores laudarent. LAUR.

Ipse modice dicam, si necesse erit: vos eosdem existimaturos putem, qui judicavistis] Pessime locus iste se habet. Si copules *si necesse erit*, cum verbis præcedentibus *ipse modice dicam*, vix sententiam commodam elicias. Nam *dicit* utique de se, et ut dicat fuisse necesse illo tempore, ostendit. Rectius igitur hic locus legitur et interpungitur in primo Francii: *Ipse modice dicam. Ut, si necesse erit, vos eosdem existimaturos putem, qui judicavistis.* Ut sit, Si res ita exegerit, putem, vos ipsos, Quirites, qui me ornastis, dicturos me dignum fuisse vestro hoc honore et judicio. Hæc etiam distinctio reperitur in edit. anni 1498, sed sine particula *ut*. GRÆV.

Me perlongo intervallo] Aggreditur augere beneficium populi, consulatum. Loci amplificationis sunt hi; quod homo novus Consul sit factus; quod anno suo; quod ut primum petierit; quod sine repulsa; quod voce viva. Plutarchus in Catone majore *novos* dictos fuisse scribit, qui ex genere noti non essent, sed qui ipsi primi sua virtute cognoscerentur. Recte: nam ut nobiles eos diximus, qui majorum imagines habebant, aut quorum majores magistratus curules gesserant, sic, qui ipsi primi magistratum curulem coeperant, novi nuncupabantur: qualis fuit Cicero, ante Ciceronem Ti. Coruncanius, M. Cato, C. Cælius, T. Didius, proximę autem C. Marius. Augetur autem beneficium, non solum, quod homo novus, sed quod primus perlongo intervallo prope memoriæ temporumque suorum consul factus sit. Significat autem post C. Marium municipem suum, nemini homini novo consulatum, nisi sibi esse mandatum. C. autem Marius Consul primum

factus est ante annos 40. ut oratorie potius, quam ad rei veritatem apte dixerit: *Perlongo intervallo prope memoriæ temporumque nostrorum.* Locos etiam amplificandi beneficii tradit Aristoteles, primus, solus, cum paucis. Immoratur autem in eadem sententia. LAUR.

Novus ante me nemo] Nam Marius, etsi magna plebis voluntate, non tamen tanto studio consulatum est adeptus, nec suo anno, sed occasione belli Jugurthini multis post præturam annis. TURN.

Cap. 2. *Non ad alienæ*] Observato anno, quo viri parum clari peterent, M. ANT. FERRAT.

Vict. Man. Lamb. *multis posthabitis.*

Tabellam] Nam Gabinia lege in magistratibus mandandis, populus tabella, non voce suffragium ferebat. Tabella autem dabatur a Diribitoribus populo suffragium ferenti: in qua notis erant omnia, ut opinor, candidatorum nomina scripta, quorum ratio habebatur. Ad eorum autem nomina quos facerent, puncta notabant: quos non facerent, non notabant. Idque est quod Horatii interpretes in eum locum scribunt, *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* TURN.

Cap. 3. *De foro fides*] Ut superiore oratione, fides hic solutio est creditæ pecuniæ. Novarum enim tabularum spes, improbis et obæratis erat. Proinde creditæ pecuniæ non solvebantur. TURN.

Novæ calamitatis] Ut multi interdum calamitate belli, aut cæli, aut aliquo postremo casu, coguntur cedere foro, omnibus repente eversi fortunis. IDEM.

Suspicione, et perturbatione] Debitores, qui novas tabulas fore suspicabantur, æs alienum non dissolvebant, eas expectantes. Novarum autem tabularum inductio, judiciorum est perturbatio, cum creditori in debitorem jus non dicatur. IDEM.

Extraordinaria] Ordinaria enim et usitata imperia sunt Consulum, et Prætorum: decemvirorum autem extraordinaria, nec legitima, nec solita. IDEM.

Cap. 7. *Ut comitiis pontificii max.*] Creabantur pontifices maximi a populo, non universo, sed tantum a tribubus XVII. ex vetere instituto: reliqui sacerdotes a collegiis. Postea ipsi quoque lege Domitia a populo creari cœpti sunt. MANUT.

Creari fas non erat] Pollui enim visa essent sacra, si sacerdotium a promiscua plebe mandatum fuisset potius, quam cooptatione traditum. Tamen propter amplitudinem sacerdotii ejus, cui res omnes humanæ divinæque subjectæ sunt, placuit Pontificem Maximum comitiis creari. Errant qui pontificatum magistratum appellant, cum sacerdotium sit. TUR.

Populo supplicari] A populo peti. Temporis causa usus est verbo populi majestatem indicante: quo magis Rullum in odium adduceret, qui, comitia e solis XVII. tribubus constituens, populum Tribunus plebis contemnere videtur. MANUT.

De cæteris sacerdotiis] De pontificibus minoribus, auguribus, quindecimviris Sibyllinis, triumviris epulonum. TURN.

Cn. Domitius Tribunus pleb] Ahenobarbus. Q. Catuli minoris avunculus. Qui tribunus plebis fuit, auctore Pediano, C. Mario II. C. Fimbria Coss. Is cum augur esse non potuisset, iratus, tanquam accepta injuria, cooptandorum sacerdotum potestatem, lege lata, a collegiis ad populum transtulit: ut ita crearentur a populo, id est, a XVII. tribubus, quemadmodum pontifex max. creari solitus erat. IDEM.

Populi ad partes daret] Partes populi sunt tribus: ad partes igitur populi, ad trib. XVII. non ad universum populum. Suspectus locus e novitate sermonis: quod si, *populo*, legatur, minus offendar. IDEM.

Lamb. *poterat, potestve, quadam.*

Poterat potestate] Procul dubio locus est mendosus. Mihi videtur *potestate* delendum esse, quod, ex in-

terpretatione non optimi interpretis irrepsit, qui *quadam ratione* exposuit *potestate* tribunitiam intelligens. Sicut Domitius quodam modo dedit populo, quod dari nullo modo poterat, sic Rullus quadam ratione, quod idem est illi quodam modo, adimere conatur, quod adimi nulla ratione poterat. GRÆVIUS. Vide Mureti Var. Lect. V. 5.

Cap. 8. *Non defuit consilium*] Id vero positum in eo fuit, ut et paucis hominibus, et sibi gratificaretur. LAURED.

Quod non putent posse suo jure denegare] Vidit Lambinus excidisse hic τὸ *se*. Et quis non videt? Revocavi ex duobus codicibus Pithœi et Francii fugitivam particulam. GRÆV.

Magnificentiæ] Magnificentia fortitudinis pars est: ea est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio atque administratio. TURNEB.

Cap. 9. *Nullo custode*] Custos enim si non adsit, fraudem faciet, et quas volet tribus educet, aliis circumventis. Custodes sortientibus tribus apponebantur: apponebantur et suffragiis. Cicero in Pisonem, *Tu misericors me affinem tuum, quem comitiis prærogativæ primum custodem præfeceras.* Post red. in Sen. 7. IDEM.

Adscriptores legis] Ex ejus collegis quidam legi favebant, et ab eo de lege Agraria consulti quædam capita adscripserant. Nam inde fluxit *adscriptoris* significatio: cum quis adjicit: quod qui facit etiam probat. At *subscriptor* est, qui subscribit se probare. TURNEBUS.

Primus locus invidiæ in præscriptione legis] Quia in legis titulo nomen Rulli futurum erat, qui legem ferebat, cum essent tantum adscriptores alii, ac Servilia de nomine ejus esset vocata. Est igitur *præscriptio*, titulus legis, in quo nomen latoris ponitur: quia præscribitur legi. ID.

Communi cautione] Cautio est, cum vel verbis, vel scriptis, vel pignoribus datis paciscimur, interque nos cavemus. Pro Syngrapha ponitur a Jurisconsultis, ut, *Lecta est in auditorio Papiniani præfecti prætoris hujusmodi cautio.* Igitur communi quadam obligatione et pactione communia erunt inter eos commoda. IDEM.

Sibi parte] Vetus liber, *ei parte;* idque haud paulo melius. IDEM.

Sive fides haberetur, sive honos] *Fidem habere, honorem habere,* quid sit nemo nescit. Sed hic quid sibi velit non novi. Id enim voluit dicere, sive fides spectaretur, sive honos, sive fidei ratio habeatur, sive honoris, quod est, propter fidem et honorem ejus. Quid igitur senserit Cicero videmus omnes, quomodo scripserit, doneo melior liber veram scripturam detexerit, ignorabimus. GRÆV.

Profiteri] *Profiteri* est declarare se petitorem esse, nomenque suum inter candidatos dare. Quod autem hic reprehendit, usitatum fere erat, ut Plutarchus in Cæsare dicit: quem ex Hispania reversum, omittere triumphum scribit coactum esse, quod præsentem profiteri juberent. Cæsarem quoque Tranquillus scribit petiisse, ut legibus solveretur, nec obtinuisse tamen. Postea etiam lege Pompeia, et jure magistratuum, absentes a petitione honorum summoti sunt. Hic ex veteri libro legendum esse censeo, *præsentem enim profiteri.* Vulgo legitur, *præsentem eum.* TUR.

Quod nulla alia in lege unquam fuit] Non habet eam vim, ut significet, lege concessum fuisse, ut absentibus mandari magistratus posset, quod lege prohibitum fuisse jam diximus; sed ne vetitum quidem fuisse, ne quis per amicos absens profiteretur; quanquam ejus ratio non haberetur; nisi comitiis interfuisset: professio enim statim post edicta comitia fiebat. Itaque antequam ea haberentur, accurrere qui absens professus fuerat ad diem comitiorum poterat. Quod ne fieri quidem hac lege Servilia licuisse arguit Cicero. Cur autem excludant professione Pompeium, post aperit. LAUREDAN.

Quorum certus ordo est] In ædili-

tato, prætura, consulatu: qui magistratus quotannis certo ordine creantur. Decemviratus autem et triumviratus extraordinarii sunt. TUR.

Timebat enim, Pompeius ne si adesset, ferri non posset] Quidam sic legi volunt, *Timebat enim, ne, si Pompeius adesset, ferri non posset.* Quæ scriptura hoc tantum a recepta differt, quod facilior, et planior est. Timebat Rullus, inquit Cicero, ne si Pompeius adesset, lex Agraria ferri non posset, quia Pompeius non esset passurus eam ferri. LAMB.

Cap. 10. Lamb. *ut ei.*

Curiata lege] Lex Curiata erat, quæ curiatis comitiis rogabatur. Curiata comitia, quibus populus per curias suffragia inibat. Curiæ erant triginta urbis partes, jam inde a Romulo rege factæ, in quas totus populus ita divisus erat, ut unaquæque curia propria sacra, ac proprios sacerdotes haberet. Atque hæc quidem curiata comitia prima Romæ instituta sunt: quibus reges, ante centuriata a Ser. Tullio rege instituta, creari soliti sunt, itemque tribuni pleb. quousque lege Publilia tributis creari cœpti sunt. Lex autem curiata fuit, quæ de imperio magistratus rogaretur, ut ostendit Livius lib. V. eum ait, *Curiata comitia rem militarem continuisse:* et Cicero paulo post: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Ergo cum ornabat decemviros lege curiata, potestatem dabat eis exercitum habendi, et belli gerendi, quæ duo uno imperii verbo Latini comprehendunt. Hoc autem iniquum ostendit, quia contra mores est, ut aliquis curiata lege ornetur, qui nullis ante comitiis magistratum adeptus sit. Neque enim decemviros aliquibus comitiis creatos ait, cum a minore parte populi sint creati. Quæ vero comitia non possunt appellari. LAUR.

Vict. Man. Lamb. *cui.*

Eam legem ab eo prætore, qui sit primus factus, ferri jubet] Prætor primus dictus est, qui primus legitima suffragia confecerit, et in quem major populi favor inclinaverit, et ideirco primo loco renunciatus sit. Hic enim gradus renunciationis est, non honoris. Quare Cicero dixit in Pompeiana: *Ego propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum.* Quæret quispiam, cur non a tribuno plebis hanc legem ferri jussit? quia tribuni, nisi tributa comitia habere, quæ inauspicato habebantur, nec Patricios advocare, qui curiatis suffragium ferebant, poterant. Auctor Gellius. Hujus autem rei reprehensionem ad alium locum reservat. IDEM.

Quas plebs] Erravit Rullus, meritoque reprehenditur, qui decemviros scripserit a plebe designatos: populum enim dicere debuit. Nam tributis comitiis suffragia fert populus, non sola plebs. TURNEB.

A plebe] Sed a populo. Quod enim plebem, non populum dixerit, reprehendit. IDEM.

Cap. 11. *Nam cum Centuriata lex*] Primis reipublicæ temporibus duobus comitiis magistratus dabantur, centuriatis, et curiatis: excepta censura, de qua non habebantur, nisi centuriata. Postquam tributa in usu esse cœperunt, alii ex Patritiis magistratibus dabantur comitiis *Centuriatis*, alii *Tributis:* utrisque deinde addebantur *Curiata*, quæ ad speciem vetustatis auspiciorum causa retenta sunt, in quibus non populus suffragia dabat, sed populi, hoc est, XXX. Curiarum vicem triginta lictores supplebant, ut infra habet Cicero. Sensus itaque est:

Nam centuriata... Censores quidem creabantur comitiis tantum Centuriatis.

Cum curiata... Reliqui magistratus Patritii Centuriatis simul et Curiatis.

Tum iterum... Eo tempore, cum illa duo comitia tantum in usu erant, bis populus judicabat.

Nunc quia... Nunc, quia ex illis duobus comitiorum generibus, centuriata solum habetis, et pro curiatis tributa inventa sunt; curiata quidem adhuc adhibentur, sed solum ad spe-

ciem vetustatis, et auspiciorum gratia, quod tributa maxime non fierent auspicato. FERRATIUS.

Non sinitis] Quæ vos confirmari non finitis curiatis comitiis. Nam curiatis comitiis Rullus non auspicium tantum tribuit, sed potestatem etiam decemvirum confirmat nullis comitiis designatorum, privato suffragiis populo. Quidam hic *initis*, legunt: quod jam populus non iniret comitiata curiata: sed ejus loco 30. lictores. Qui autem hic, *sinitis, jubetis*, interpretantur, sani non sunt. TURNEBUS. Quidam legunt *initis* pro *sinitis*, quod quidem verum est, sed nihil ad rem: nam hic agit de potestate decemvirali, quam negat prius scitam tributis comitiis, atque ita confirmari potuisse minime concedit. Lego igitur auctore Pantagatho, *Curiatis eam comitiis, quam vos non scivistis, confirmavit*. URSIN.

Jubet ferre de his legem curiatam] Hæc est recepta lectio. Sed tamen vetustius impressi et Pall. ambo *centuriatam* omnino perscripserunt. GRUTER. Sic et Franc. liber. GRÆV.

Prætori imperat] Legem enim curiatam ferre tribunus non poterat, propter auspicium, quod nullum plebis est. Vide supra. TURNEB.

Absurde] Absurde enim jubet Rullus, qui imperet primo prætori ferre legem curiatam, sin is ferre non possit, ei qui postremus factus sit. Ineptum enim est a primo ad postremum transire, cum ad secundum debuerit. Id tamen fecerat, ut reor, Rullus, imperans omnino prætoribus lationem legis curiatæ, ut si alii non possent, saltem postremus ferret. Qui peccasse Rullum censent, quod Prætori majori et patricio magistratui imperarit, et in eo a Cicerone reprehendi, aberrant a sententia. IDEM.

Ad religionem] Quam contempsit sublata lege curiata. Nam si ea non ferretur, voluit tamen eodem jure ac potestate decemviros esse, ac si lata esset. TURNEB.

Lege curiata] Nam legis curiatæ auspiciis permittitur in provincia exercitum habere, et cum potestate esse, et pro potestate et imperio in provincia agere quæ velis. IDEM.

Eodem jure sine quo qui optima lege] Formula est Romani juris: sic in Philip. V. *Sit proprætor eo jure, quo qui optimo*. Hoc autem quid sit, declarat Festus, cum ait: *Optima lege cum dicebatur in magistro populi faciendo, qui vulgo dictator appellatur, quam plenissimum posset jus, esse significabatur. Postquam vero provocatio ab eo magistratu ad populum data est, quæ antea non erat, desitum est dici, ut optima lege, utpote imminuto jure priorum magistrorum*. Reprehendit autem hoc caput, tanquam id, quod tertium tollat. Nam si sine lege curiata plenissimum jus assequi decemviri possunt, quod quarto capite permittitur, quid attinet afferre tertium, in quo de curiata lege ferenda scribitur? LAUR.

Cap. 12. *At videte, quam diligenter retineat jus tribunitiæ potestatis*] Reprehendit aliam Rulli cautionem. Vetabat enim quemquam prætori legem curiatam ferenti intercedere. Quod et ipsum iniquum esse ostendit, primum quia minuit tribunitiam potestatem; deinde, quia impudenter, si intercessum fuerit, eandem potestatem instituit, quam, nisi intercessum esset. Ut ergo, inquit, hic retineat jus tribunitiæ potestatis, attendite. IDEM.

Tantummodo, si quis ea potestate, &c.] Quidam deesse putat, *reprehendendum*, ante, *existimamus*, aut quippiam tale, ut ita legatur, *tantummodo, si quis ea potestate temere est usus, reprehendendum existimamus*. Ego nihil deesse puto. Nam, existimamus, hoc loco valet, judicamus, censemus, statuimus, ὑπολαμβάνομεν, κρίνομεν. LAM.

Lege Curiata] Legendum est fortasse, *Hic tribunis plebis legi curiatæ, quam prætor ferat:* vel, *Hic tribunus plebis legi curiatæ*. Vetabat enim Rullus, ut mox dicit Cicero, intercedere. Quod si quis legat, *Hic tribunus plebis lege curiata*, sensus erit: Rullus lege sua curiata tollit inter-

cessionem, cum intercedere vetet, cum ea feretur. Quæ sententia sane idonea est. TURN. Placet Lambino prior lectio.

Usurpationem] Retentionem quandam veteris consuetudinis, ne in desuetudinem abeat, quanquam olim curiæ ipsæ suffragium vocabantur. IDEM.

XXX. *lictores*] Curiæ singulæ suum lictorem habebant. IDEM.

Jubet auspicii] Scripsit Cicero, mea sententia: *Jubet ad auspicia coloniarum deducendarum decemviros habere pullarios. Auspicii* sane non video ut possis tueri, nisi *causa* respiciat et *auspicii*, et *coloniarum*, quod non probabunt Tullianæ castitatis deliciis imbutæ aures. GRÆV.

Cap. 13. *Architectis*] Ad metiendum, assignandum agrum, oppida condenda, in coloniarum deductione: partim enim hic fungentur vero architecti munere, partim ejus, qui γεωδαίτης, id est, agrimensor dicitur. TURNEB.

Mulis] Clitellariis, ad vehenda impedimenta et suppellectilem. Ista autem adscribi solebant magistratibus ex ærario, vasarii nomine. Cicero in Pisonem: *Nonne sestertium centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti?* TURN.

Tabernaculis] In quibus, ne sub dio essent, versarentur, dum in castris essent. LAUR.

Centuriis] Puto legendum *tentoriis*. Tabernacula ex tabulis erant, tentoria ex pellibus. Unde sub pellibus hiemasse aliquando legimus. Centurias autem si quis retinet, equidem quid a Cicerone significetur, fateri malo ignorare me, quam aliorum exemplo partem comitatus interpretari, ut in regis nostri comitatu centum nobiles. TURNEB. Et hunc quoque locum feliciter emendavit Pantagathus, qui pro *centuriis* legebat, *canteriis*. F. URSINUS. Quid si per *centurias* intelligas *centurias* fabrum, qui diversi ab architectis, et sæpe commemorantur in antiquis monumentis. Hinc et *præfecti fabrum* frequenter leguntur in comitatu proconss. quod pluribus ut declarem, cum res sit trita, non est e re nostra et Ciceronis. Id tamen videtur huic conjecturæ obstare, quod centuriæ interponantur suppellectili, et tabernaculis, cum videantur apponi debuisse architectis. Sed hoc Catone contenti simus, dum tertius e cœlo cadat. GRÆV.

Hauxit ex ærario] Magnam vim pecuniæ ex ærario populi Romani sumit: reliquam ex sociorum fortunis suppeditat et subministrat decemviris. Dicitur autem *suppeditat a sociis*, qua forma dicitur Latine, *Solvo a me, solvo ab illo*. Plautus, *Ego quidem pro ista re solvi ab Trapezita meo*. TURN.

Janitores ex equestri] Indignissimum est equites Romanos janitorum haberi loco: et regni suspicionem habet, stipatores corporis constitui. Habent enim prætoriam cohortem reges: nec his vocabulis in lege usus erat Rullus: sed, ut reor, tantum ministros et adjutores attribuebat eis in annos singulos equites ducentos. Verum Cicero ut legem in invidiam et odium vocaret, janitores et stipatores nominavit. IDEM.

Non fruendis] Non percipiendis fructibus vestrorum vectigalium, sed vectigalibus ipsis alienandis et vendendis. TURNEB.

Cognitio sine consilio] Præterea datur iis, inquit, cognitio sine consilio. Cum tamen prætor, aut judex quæstionis in urbe causam non cognoscat, nisi judicibus advocatis, et imperator in castris, nisi legatis, et tribunis in consilium adhibitis, quid opus facto, si non statuat. LAUR.

Provocatione] At Romæ si quis damnatus est, ad populum provocat. TURN.

Sine auxilio] Romæ licet appellare tribunos, si magistratus in aliquem pro imperio animadvertere velit, præstoque est auxilium tribunitium. ID.

Magistratus his gerere licebit] Magistratus gerere poterunt, causam di-

cere, id est rationem magistratus reddere cogi non poterunt. LAUR.

Dissolvant judicia] Judicia publica sunt, quæ criminalia vocamus, quæ a quæsitoribus exercebantur Romæ. Dissolvent autem judicia publica, cum ipsi de publicis quæstionibus cognoscere volet, adempta prætoribus Romanis cognitione. TURNEB.

De consiliis abducant] Ambigue est locutus. Nam et abducit de consiliis, qui de judicum decuriis aliquem abducit: quæ res judicia dissolvit, cum quæsitor ad numerum judices non habeat, nonnullis abductis. Nam consilia cœtus sunt, et decuriæ judicum. Abducit etiam de consiliis, qui judicibus reos adimit, ut ipse cognoscat: quem sensum potius sequor. IDEM.

Quæstori] Etiam judicium delegent, si cognoscere ipsi graventur, mandentque cognitionem quæstori suo. Quæstor autem magistratibus dabatur. IDEM.

Finitorem] Interdum ne quæstori quidem mandent, sed sine judicio finitorem mittant, cujus arbitrio privatum, aut publicum agrum pronuncient. Finitores, inquit Nonius, dicebantur, quos nunc agrimensores dicimus, sic dicti quod fines dividerent, adfertque Planti ex Pœmuli prologo auctoritatem, ut id probet. IDEM.

Cap. 14. *M. Tullius, Cn. Cornelius Consules*] Anno urbis conditæ 672. dictatore Sylla remp. obtinente. LAURED.

Tribunitiam potestatem] Aliud est tribunatus, aliud tribunitia potestas. Tribunatum reliquerat Sylla: tribunitiam potestatem sustulerat. TURN.

Partim periculi] Id est, quorum quædam non tantum sacra sunt, verum etiam asyla et periculi perfugia. Is enim est loci sensus, ut satis indicat *partim*, quod semel positum aliquid subaudiendum significat. Non enim omnia loca sacra, perfugia erant periculi. IDEM.

Lamb. *perfugia, partim urbis ornamenta.*

Herculanea] Viam septem stadiorum, ut Strabo scribit, ad Lucrinum Hercules exaggeravit. Eam vendibilem dicit propter amœnitatem Lucrini lacus et Baiarum: ac cum viam dicit, significat ea, quæ propter viam sunt, ut et Lucrinum. IDEM.

Cap. 15. *Regnum Bithyniæ*] Si Asiam non vendent, vendent certe Bithyniam, quæ post hos Coss. populi Romani facta est, ut de ea dubitari non possit: præsertim adita hereditate. Nicomedes enim rex Bithyniæ, moriens populum Romanum heredem fecerat, cujus regnum in provinciæ formam redactum fuerat. Sic autem hunc locum construo: Quid? regnum Bithynæ, quod disputari contra decemviros non potest, in controversiam revocari, quin nostrum factum sit post hos Coss. TURNEB.

Cap. 17. *An quietis iis*] Illustris est hic correctio Gulielmii, *an qui Etesiis, qui per curs.* de quibus ipse plura in Quæstionibus Plautinis. GRUTERUS. Audax conjectura Gulielmii nemini probabitur. *Quietis his*, est, cum hi quiescant, qui ante palam Ægyptum petebant, et decretum senatus in hanc rem abstulerant. Qui illi fuerint, obliteravit tempus. GRÆ.

Tetris tenebris] Caliginem et tenebras ad id retulit, quod tribuni clam et obscure ac per caliginem petebant, ad navigationem alludens, qua peti solet Ægyptus. TURNEB.

Unaque] Hic est lacuna. Puto autem, post, *unaque*, tale quiddam desiderari, *quantum mali exteris nationibus comparetur, considerare.* Lauredanus autem nihil deesse putat, tantumque ex, *unaque*, facit, *animisque.* LAMBINUS. Amicus meus homo doctissimus putabat locum hunc, ut apparet, mutilum, restitui in integrum posse, si legeretur, *namque* pro *unaque*, vel *nam quum:* sed cum videamus Tullium esse in cursu enumerandi ea, quæ populi Romani publica facta sunt L. Sylla, Q. Pompeio Coss. posteave, vel jure belli, vel hereditate, neque enumerationem peregisse (etenim in Africa, Hispania, Gallia ali-

quid invenisset, quod enumeraret, et ut enumerarit omnia, non ita transisset nullo apparatu, nullis interpositis querelis ab enumeratione ad insolentiam cum decemvirorum, tum legatorum liberorum) fateamur necesse est hic multa deesse: transit enim postea ad vectigalia populi Romani. URSIN.

Legationes liberas] De quibus supra, orat. in Rullum I. cap. 3.

Illud vero quantum est, Quirites, cum is decemvir, &c.] Ostendit porro decemviro, si dixerit sedem illam publicam esse, sociis calamitosum; si negarit, ipsi fructuosum. Nam si dixerit, socios sede spoliabit: si negarit, pecunia augebitur, quam socii decemviro, ne dicat, facile dabunt. LAUREDANUS.

Cap. 18. *Irrumpant in ærarium*] Quod vectigalibus venditis spoliatur et exhauritur. Itaque cum vectigalia vendunt, quæ ærarium replent, perinde est, ac si in ærarium impetu facto, clautrisque refractis, quicquid pecuniæ est raperent. TURN.

Ut in suis rebus, ita in rep. luxuriosus est nepos, qui prius silvas vendat, quam vineas] Hunc locum Petrus Ramus mutilatum esse existimat, cum tamen diligenter attendenti satis appareat, nihil desiderari nisi verba legis, quibus jubebat Rullus, ut silva Scantia venderetur. Cujus silvæ nomen ubi audivit Cicero, sic statim subsequutus est: *Ut in suis rebus*, &c. quibus perbelle notat luxuriosam Rulli vitam, qui dissolutus, et intemperantia perditus res a majoribus ad dignitatem tuendam relictas, turpium voluptatum explendarum causa, profuderit. Ex quo concludit, quod is de re privata fecit, idem de publica esse facturum. Locus est communis in prodigum, et in eum, qui publicas pecunias dissipat. Fides fit a rei privatæ administratione. Qui enim in suis rebus profusus fuerit, is in alienis, et in ipsa rep. moderatus, et parcus nunquam erit. Vinositatis porro eum arguit, cum studio bibendi vineas amarit magis, quam silvas, atque has vendat, illas ad postremum relinquat. LAURED.

Perge in Siciliam] Expleta recitatione præconis, hæc subjicit orator. IDEM.

Et vinculum pacis] Hic vinculum pacis est, quod populus, qui populo Romano bellum fecerat, hac conditione in deditionem receptus esset, ut agro, aut agri parte mulctaretur. Ager enim sic datus vinculum erat pacis, pacemque conciliabat et astringebat. Erat et monumentum belli. Argumentum enim erat belli ab illo populo cum Romanis gesti, agrorum mulctatio, aut vectigalis impositio. Nam a quibus in bello adjuvabantur Romani, eorum agros liberabant, fines amplificabant, urbes contribuebant. *Fines* autem cum dicit, agrum, et, ut vulgo dicimus, territorium intelligit. TURNEB.

Cap. 19. *Phaselitum*] Per syncopen, pro Phaselitarum dixit: aut usus est genitivo φασηλιτῶν, id est, Phaselitum. Phaselis est urbs Pamphyliæ, etiam Olympus. IDEM. Attalea, urbs Lyciæ.

Attalicos agros in Chersoneso] Id est, quos Attalus rex Pergami possederat in Chersoneso: qui agri, postquam Asia provincia facta est, publici populi Romani facti sunt. Sic Horatius dixit:

—— *Attalicis conditionibus.* LAURED.

Appionis] Ptolemæus cognomento Appio rex Cyrenarum, moriens heredem populum Romanum reliquerat, cujus regni civitates liberas esse senatus jusserat. Hoc factum Cn. Domitio, C. Cassio Coss. anno CLVII. Auctor Obsequens, Justinus, Epitomæ. IDEM.

Non propter religionem sedium illarum] Atqui dubitat oratione superiore, cap. 2. num ob oblatam aliquam religionem Africanus eam consecrarit. Sed id de quo dubitavit, hic aperte negat. Illic Juno sanctissime colebatur, ut inquit Maro Æneid. I. 19. Colebatur Saturnus, cui etiam liberos suos immolabant, ut et Æscu-

lapius, sed omnium religiosissime Cælestus, qui etiam heres, ut Ulpianus scribit, institui poterat. TURNEB.

De consilii sententia] Solebant Romani, bello confecto decem legatos mittere, qui conditiones pacis dicerent, qui leges darent, resque ordinarent. Sic Siciliæ bello confecto Rupilius de decem legatorum sententia leges dedit, quas Rupilias vocarunt. IDEM.

Vestigia Calamitatis] Ut Romæ domus Mælii, Flacci, Saturnini dirutæ sunt. Ciceronis non diruta solum, sed etiam consecrata. LAURED.

Verum inter hos agros] Videtur hic locus mendosus. Nam non satis Latine dictum videtur, *adjungit inter hos agros*. Quid si sic legamus: *Verum interim ad hos agros*, &c. LAMB.

Non legibus datis] Cum illæ regiones nondum in provinciæ formam redactæ sint, nondum sint pacatæ. TURN.

Non auditis verbis imperatoris] Nondum audita conditione pacis, quam eis ferebat imperator. Quid enim, si agros eorum non publicet? quid, si liberet? Sententia est, cum illi nondum audiverint, quam conditionem pacis imperator proponat. IDEM.

Cap. 20. *Quarum ego jam exemplum ab istis*] Demosthenes Philippi, Cicero Antonii litteris in concione recitatis, invidiam sæpe in eos quæsiverunt, cum singula verba perpenderent, atque inde aliquid ad excitandum populum elicerent. Callide illi quidem, et argute, nisi hoc sit multo callidius, fingere litteras, quas verisimile sit, adversarios nostros esse scripturos, atque illis recitandis maximum invidiæ in eos incendium excitare. Hanc figuram Græci προτύπωσιν, et ἀθυποίαν vocant. LAUREDAN.

Magno] Pompeius vulgo Magnus dicebatur jam inde, ex quo ab Africana victoria rediit vivente Sylla Dictatore, a quo Magnus consalutatus est. Alii dicunt illud ἐπιφώνημα fuisse militum, quod postea translatum est in cognomen, quod, ut Cicero lib. ad Attic. secundo ait, præbuit ansam increpandi Pompeium comico Poetæ Diphilo. Plutarchus autem, cognomen fuisse, ἐπίφθονον. IDEM.

An Pompeium non adhibebit] Hoc illud est quod supra dixit, *Non auditis verbis imperatoris*. MANUT.

Verum etiam locata sit] A Censoribus locata sit publicanis. *Non modo* autem pro *non modo non*, ut alias non raro. TURNEBUS. Vide Muret. *Var. Lect.* X. 7.

Cap. 21. *Indemnatorum*] Nullo judicio damnatorum, sed ab ipso proscriptorum. TURN.

Sequitur, OMNES AGROS] Aliud caput est, quo potestas permittitur decemviris judicandi de agris omnibus extra Italiam, qui publici facti non sunt, in controversiam tamen vocentur publicine an privati sint. Nam superiori capite vendebantur agri, qui publici facti erant. Hoc capite cognoscitur ex infinito tempore, qui publici, qui privati. Ita agri omnes eorum ditioni et judicio subjicientur. IDEM.

Infinito ex tempore] Hæ non erant verba legis, sed est interpretatio oratoris. LAUREDANUS.

Propter necessitudinem] Quæ sibi cum clientibus suis Siculis intercedit. Neminem enim ignorare arbitror, Ciceronem quæstorem in Sicilia fuisse, atque ejus insulæ jam inde ab accusatione Verris patronum. IDEM.

Propter æquitatem] Cur æquitatem necessitudini subjunxit? ut magis sese honestate rei, quam ullo officio, adduci indicaret. IDEM.

Sæpe vehementer gaudeo] Vel repugnantibus antiquis libris, sententiæ, et antiquæ locutionis rationem sequutus, corrigerem: *Sane vehementer gaudeo*. IDEM.

Cæteros, etiam si privati sint, permittere] Vel legendum *cæteri* (nam hic ordo verborum est, permittere, ut cæteri, etiam si privati sint, publici judicentur) vel more comico, seu Græco potius, locutus est. Sic autem loquuntur illi. Plautus Asinar. *Verum meam uxorem nescis qualis fiet*, pro, *uxor mea nescis qualis fiet*. LAMB.

Qui publicus esse fateatur] *Fateatur* passive dixit more antiquo. Gellius annotat *dignor*, et *veneror*, et *confiteor*, et *testor* habita esse verba communia. Ac illud ex XII. tabb. *Æris confessi, rebusque judicatis* XXX. *dies justi sunto.* De ære interpretatur, de quo facta est confessio. Itaque falso quidam annotant, locum esse mendosum, cum *fateor* æque commune ac *confiteor* esse possit. TURNEBUS.

Cap. 22. *Atque etiam est alia superiore capite*] Ut in publicandis agris excepit agrum Recentoricum: ita in vendendis agrum Hiempsalis in Africa. De Numidico agro hic nescio quis (scilicet *Petrus Ramus*) hallucinatur. IDEM.

De quibus fœdere cautum est] Consules et tribuni non raro solebant cum regibus et Tetrarchis fœdus in Capitolio ferire, et regna interdum dare. Cotta igitur Consul in Capitolio fœdus cum Hiempsale ferierat, et agros illi in Africa ei confirmarat. TURNEB. Cotta consul anno 679.

Ex coronario] Vide supra, Agrar. I. cap. 4.

Horum erit nullum judicium] Vox *nullum*, sententiæ repugnat. Neque quid pro ea reponendum sit, quod a sensu, et litterarum similitudine non sit alienum, occurrit quicquam, nisi legas, *nunc*. Sunt, qui malint: *Solutum judicium*, vel *liberum judicium*. Ego, si quis aliquid acutius excogitabit, ejus opinioni acquiescam. Interim, *solutum*, an, *liberum*, an, *nunc*, legendum sit, non dijudico, veterum exemplarium ope destitutus. LAUR. Ridiculus hic est Lambinus, qui citat editionem anni 1552. in qua invenerit illud vulgatum: *Horum erit illud judicium*. Ecquando enim, quæso, testimonium petitum fuit ab tam recentis ævi mangonio? GRUT.

Cognitio] Captorum agrorum, pro cognitio de captis agris. TURNEB.

Cap. 25. *Agris publicis privatos esse deductos*] Cum eos nullo jure possiderent. Rullus autem contra majorum consuetudinem emere agros a privatis decemviros jubet. MANUT.

Hujuscemodi me aliquid ab hac horrido ac truce tribuno plebis exspectasse] Rullum me putasse ab antiquitatis exemplis non esse discessurum, nec quicquam innovaturum, præsertim qui ita vultu truculentus est, et vestitu ita horridus et incultus, ut in eo antiquitatis imago, et majorum severitas appareret. TURNEB.

Libet agros emi] Hoc tanquam a Rullo dictum accipiendum est. Constituitur enim perbellus Rulli, et oratoris dialogus in singulis horum agrorum conditionibus examinandis, ac reprehendendis. LAUREDAN.

Ab alia porta Capenas] A Flumentana porta exeunti in Flaminiam non longe sunt omnes hi agri præter Venafranum et Alifanum, qui superioribus potius annumerari debuere, ordinemque confundere videntur. TURN.

Utrum in Massici radices, an in Italiam, aliove deducamini?] Massicus mons est in Campania ob vini fertilitatem clarissimus, cujus meminit Horatius. Quare Massicum pro fertilissimo, et felicissimo coloniæ loco posuit. Italiam vero pro sterili, ac pestilenti, quæ tamen vox mendosa est, ut quisque intelligere per se potest; nullus enim idoneus sensus, et qui huic loco quadret, elicitur. Neque tamen aliter manuscripti libri habent. Quod si conjecturæ locus dandus est: *in Apuliam* videtur oportere legi, regionem tunc sterilem, ac pestilentem: ut opponat Cicero Massico monti, et urbi satis propinquo, et vini copia præstantiaque celebri, et salubri, locum longinquum, sterilem, et pestilentem. LAURED. Conjecturam Lauredani, sive potius Sigonii, amplectitur Manutius.

Age vero, definis] Vetus liber; *Age, non definis locum.* TURNEB.

An tabula Veratianæ auctionis] Liber vetus *Neratianæ*. Quo sane modo legendum censeo. Nam Romæ Neratios fuisse satis Neratius Jurisconsultus ostendit. Ridicula autem illius auctionis tabula fuit. Nam cum saltus steriles et incultos proscriberet Neratius, uti melius venderet, scrip-

sit: *Jugera* CC, *ubi olivetum fieri posset.* Eam tabulam magnus secutus est risus. IDEM.

Aratro perstringi] Quod non possit leviter aratro tanquam radi. Perstringitur, quod leviter vulneratur atque scarificatur, ut ita dicam. Contra in pingui solo alte descendit sulcus, et deprimitur vomer, cum in exili solo tantum summa terra perstringatur. TURNEB.

Tangam nullum ab invito] Nullum sumam, emam ab invito. IDEM.

Cap. 26. *Conversa ratio*] In contrarium mutata. IDEM.

Hoc carmen non vobis, sed sibi intus canit] Intelligendum est, proverbium esse antiquum, ab Aspendio citharista sumptum, qui carmen sinistra manu caneret, non dextra. Quorum illud est *intus canere*, hoc, *foris:* illud *sibi*, hoc *aliis.* Neque enim qui sinistra manu chordas tangit, is sibi tantum canit, quia foris non auditur, sed a se solum. Unde qui multum intestinis suis commodis consulunt præter honestatem, intus, et sibi canere dicuntur. Hæc fere Pedianus in Verrinas. Causa vero, cur qui dextra tangunt, audiantur, est; quod chordarum sonus cavato citharæ corpore augetur, quod idem in jugo non cavato contingere nequit. IDEM. Vide notas ad Verrinem I. quæ est de prætura urbana, cap. 20.

Tamen ingenti pecunia vobis inducetur] Quamvis parvo emptus, magno tamen vobis inducetur a decemviris. Ut autem dicitur *inducere exemplum, inducere novum genus orationis, inducere novam personam,* sic hoc loco *inducere agrum* dicitur, cui casus pretii adjungitur. Nam qui *inducere* æstimare interpretantur, errant. TUR.

Cap. 27. *Salapinorum*] Salapia, urbs Apuliæ. IDEM.

At dicat] Plane legendum est, *aut dicat,* contra librorum fidem. ID.

Quid pecunia fiet] Vetus liber, *quid pecuniæ fiet.* Quo modo hic etiam legit Adrianus Cardinalis, genusque dicendi multorum auctoritate confirmat. In Verrem tamen ita scribitur in ablativo: *Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam impertunum animal reservetis?* In dativo effertur pro Cæcina: *Quid huic tu homini facias? nonne concedas interdum, ut excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecetur.* Itaque si illud in Verrem, quod in ablativo effertur, verum est, nec mendosum, ut de instrumento dicetur. Nam in dativo ratio loquendi frequentissima est. TUR.

At est locus] Ita, Lambino assentiente, Manutius. Si exempla quædam habent in eorum editionibus, *An est locus, qui coloniam postulet, est qui plane recuset?* vitiavit exempla illa manifestus error typographi. Quod offero, planum est. Orator illi respondet interrogationi; *Quid? omnino ejusmodi locus est,* &c. Non omnis, inquit, ejusmodi est. *At est locus, qui coloniam postulet: est, qui plane recuset.* Gruterus edidit: *An est locus, qui coloniam postulet? est plane, rectius et* * *quo in genere,* &c. Grævius: *Est plane rectius* * *quo in genere,* &c. Itaque Cimmerii illi valeant. OLIVETUS.

Cap. 28. *Capuam scribi*] Quod inest motus in deductione coloniæ idcirco *scribi Capuam* dixit, pro scribi Capuam deducenda, aut mittenda. TUR.

Ista dena jugera continuabunt] Jugera dena intelligit, quæ singulis hominibus distribuenda erant ex lege, quibus non contentos fore significat ipsos decemviros, ut latius producere fines velint. LAUR.

Nam si dicent, per legem id non licere] Occurrit quæstioni, quæ fieri poterat. At non licet agros continuare lege Servilia. At, inquit, ut lex Cornelia violata est, sic Servilia violari poterit. Violata est autem Cornelia, quia cum L. Sylla Prænestinis, qui Marium minorem recepissent, infensus eorum agros veteranis divisisset, factum tamen erat, ut is a paucis possideretur. IDEM.

Cap. 29. *Romilia*] Vetus liber, *Romulia.* Romuliam tribum appellatam censet Varro, quod esset sub

Roma: Pomp. quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat de Veientibus. Erat igitur suburbana tribus, rusticarum prima. TUR. Vide Asconium.

Ordo tribuum negligatur] Ordo enim postulabat ut a Suburana, Palatina, Exquilina, Collina inciperet: deinde ad Romiliam, quæ, ut Varro scribit, quinta est, veniret. IDEM.

In jugera dena describat] Describat universam plebem, ita ut singulis dena jugera assignentur. LAUR.

Cap. 30. *Quem per iter qui faciunt*] Pro eo, quod est, per quem qui iter faciant. Quod genus loquendi quanquam fortasse duriusculum videri potest, dictum tamen sæpe a veteribus constat, *quo de agitur, quas ob causas*, et similia. IDEM.

Cap. 31. *Duodena describit*] Cum Stellates campus bonitate infinitis partibus sit inferior Campano, multo majorem modum attribuere debuit viritim ad colonos æquandos. TUR.

Quasi vero paulum differat ager Campanus] Fortasse legendum: *Ager Campanus, a Stellati: sed multitudo quæritur*. Nam illud *et multitudo quæritur*, non satis cohæret. Sententia est. Idcirco duodena tantum viritim dividit jugera, ut majorem numerum in illa oppida deducat, et facilius dominationem decemviris comparet, quibus tantum colonorum numerum committit, quos illi suo beneficio devinctos habebunt, quibus Campana occupabant et opprimebant oppida: alioqui enim si bonitas spectetur, et fructus, duodena campi Stellatis jugera, cum denis agri Campani nullo modo comparanda sunt. IDEM.

Cap. 32. *Terra claustra locorum*] *Terra* est per terram. Nam si quis e Peloponneso in reliquam Græciam terra ire vellet, aut e Græcia per Peloponnesum, per Corinthiorum fines erat transeundum. TUR.

Maxime navigationi diversa] Alternis enim navigatio est ex Italia, Dalmatia, Epiro in Græciam, et contra alternis e Græcia in reliquam Græciam, Thessaliam, Macedoniam, Asiam, contraque. IDEM.

Cap. 33. *Magistratum*] Magistratus in numero unitatis non nisi unam personam magistratum gerentem significat, ut ad Justinum notavi. Hinc nullus dubito Ciceronem hic quoque scripsisse, *magistratus*, ut paulo ante: *Si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent*. GRÆ. Singularem numerum pro plurali dixit. TUR.

Excogitatum] Vera lectio ex Erfurtensi, *est cogitatum*. GRÆ.

Nec consilii capiendi publici] Quia non licebat habere senatum. TUR.

Cap. 34. *Omina illa M. Bruti atque auspicia*] Nec times, ne malam pestem oppetas ut Brutus, qui et tribunus legem tulit Agrariam, et Capuam triumvir deduxit coloniam. Is enim acerba morte bello civili oppetiit, et, ut credo, Sylla ejusque factio colonos Capua expulit. Fuit et eodem bello civili L. Brutus, qui trajiciens in Siciliam navibus Pompeii circumventus sibi mortem conscivit. TUR.

Leocranti] Vetus liber hic valde depravatus est, in quo legitur, *et Locreanti*. Quid si legendum sit, *Capua illo creante ceperunt*. Nam verisimile est a triumviris creatos esse duumviros coloniæ. IDEM. Ita corrigo: *ex lege creati*. MAN. Vel legendum, *Tarenti*, ut alia innuatur deducta colonia. FER. Absit ut conjecturam recipiamus valde incertam. Præstat corruptam lectionem servare cum ipso Manutio, Victorio, Lambino, aliis, quam dubias conjecturas Ciceroni infarcire. Ex vestigiis corruptæ scripturæ colligo Tullium reliquisse: *Capuæ ab illo creati*. GRÆ.

Erant hostiæ majores in foro constitutæ] Majores hostiæ sunt, quæ lactentibus opponuntur. Cic. 2. de legibus: *Quibus hostiis cuique Deo immolandum, cui majoribus, cui lactentibus*. Hic perspicue lactentes majoribus opposuit. TUR.

Quæ ab his prætoribus de tribunali] Legendum fortassis est, *de tribunalis*, ut repetatur ἀπὸ κοινοῦ, inferne,

sententia: hoc modo de tribunalis sententia. LAMB.

Probatæ] Ita Lambinus post Lauredanum. Alii, *probatis*, vel *probantibus*, et ad Consules referunt: quod explicat Brissonius, in primis audiendus, lib. I. de Formulis, pag. 17.

Ad tibicinem] Tibicines rei divinæ adhibebantur, et præcinebant. Virgilius: *Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.* Eratque Romæ sacrorum causa tibicinum collegium. Livius: *Ejusdem anni rem dictu parvam præterirem, ni ad religionem visa esset pertinere. Tibicines quia prohibiti erant a proximis Censoribus in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tybur uno agmine abierunt: adeo ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret.* Cumque tibicines ab uno sacrificante ad alium, qui etiam rem divinam faceret, transirent, proverbium factum est, *transire tibicinis Latini modo*, quo Cicero utitur pro Murena. Romani in suis sacrificiis, Latinis tibicinibus, non Græcis utebantur. Varro etiam ad Græcum tibicinem sacrificavit lib. 3. de re Rustica: *Sed non in Italia, quos tibi sacrificanti ad tibicinem Græcum, gregatim venisse dicebas ad extremum littus.* Etiam tubis utebantur ad sacra. VARRO: *Tubilustrium appellatur, quod eo die tubæ sacrorum in atrio sutorio lustrantur.* TUR. Vide pro Murena, cap. 12.

Magios, Blossios, et Jubellios] Hæc sunt nobilium familiarum nomina, quæ Capuæ floruerunt. Jubellii mentio est ante primum bellum Punicum, Livianarum epitoma 12. Magii, bello Punico secundo. Is enim dissuasor fuit Capuæ Annibali tradendæ. Blossii, apud Ciceronem in Lælio *de Amicit.* cap. 11. LAUR.

Tunicatorum illorum] Tunicatos Cicero vocat infimam plebem. Quam Horatius tunicatum popellum appellavit, I. Ep. VII. 65. TUR.

Et in Albana, et Seplasia] Fora Capuæ. *Seplasia*, inquit Asconius, *platea erat Capuæ, in qua unguentarii soliti erant negotiari.* IDEM.

Quid prætor] Duumvirum prætorem appellabant, ac nimirum ita vocari nonnulli volebant, ut Horatii locus indicat, I. Sat. V. 34. IDEM.

Cap. 35. *Cœnaculis*] Cum enim Romani ob angustiam loci extendere domos non possent, erigebant: cœnaculum autem dicebatur pars superior domus. FER.

Cap. 36. *Expleretis nova*] Malim, *expilaretis.* LAUR.

Tamen omnes] Vetus liber *tum omnes*, idque aliquanto melius. TUR.

Nihil elata manu perfringi potest] Egnatianus liber habet *velata;* unus meus *vel leeta:* in impressis stellula est e regione apposita, quæ corruptum locum significet. Fortasse autem, (quanquam paulo magis quam soleo a vetere scriptura discedo) *Nihil vi ac manu*, recte legi poterit. Ut semper cum uno verbo duo nomina Cicero adjunxerit, et quemadmodum dixit, *Auro et argento violari, numero et suffragiis declarari*, sic dicat, *Vi ac manu perfringi.* Sententia certe non repugnat. LAUR. Probo et ipse valde Lauredani conjecturam, quam tamen malo in notis legi, quam in contextu. Nec quisquam illam recepit nisi Gruterus. Victorius, Manutius, alii, plurimorum codicum, quamvis corruptorum, scripturam retinuerunt. GRÆ.

Lamb. *nihil vi illata et manu*
Grut. *nihil vi ac manu.*

Cap. 37. *Tumultuer*] Trepidem, perturber, ut lib. I. Offic. *Fortis vero animi est et constantis, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur.* TUR.

Quorum gratia in suffragiis] Qui suffragiis vestris ab hominibus gratiam inire potestis. Suffragia sunt vocata a suffringendo: quod initio fractis testulis ferebantur. Livius: *Testulis datis tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est.* Suffragiis autem privabantur a Rullo, ut hujus orationis initio disputatum est. ID.

Non ut quæsitum, sed partum otium tenueritis] Hoc quoque tam magnum vulnus est, ut illi mederi me ingenue fatear non potuisse. Sunt tamen qui

partim ex ingenio, partim auxilio veterum librorum pro, *Non ut quæsitum*, legant, *Non ignavia quæsitum, sed vita partum.* Alii illud retinentes, et de hoc hæsitantes corrigunt, *Non ut quæsitum, sed ut partum otium.* LAUR.

Quos in consulatu inimicos esse] Hos ad sensus explendos multa desiderantur. Videtur autem commemorare, quæ ipse pro rep. comparavit; hoc modo: Ego ne quid resp. detrimenti accipere posset, et animi et corporis actibus providi. Omnibus prospexi sane, et veterem defendendæ reip. rationem revocavi. Idem tribunis pl. denuntiavi, ne quid turbulenti me consule conflarent. Aut alia ejusmodi, quæ sibi quisque fingere poterit. Difficile est autem in tantis tenebris lucem videre, et in tam depravatis rebus, quid verum sit cognoscere, ubi veteres libri aut deficiunt, aut scripturam parum probabilem habent. In quibusdam libris, quos mihi videre contigit, scriptum est, *Prospexi sane, et revocavi.* In Egnatiano, *Sane et rogavi.* Ut conjecturæ locus mihi non videatur, legerem tamen: *Denunciavi ne quid*, particula negandi, quæ in omnibus libris impressis defecerat, addita; sic enim postulat sententia, ut dubitari nullo modo possit, quin desideretur. IDEM. Vetus liber, *quos vos in consulatu.* Fortasse, *quos video in consulatu.* Hæc postrema pars inquinata misere est in omnibus libris. TURN.

Et animis, et] Hoc referri debet non ad *quos in consulatu* (ac proinde *video*, aut aliquid tale desidero) sed ad *et concordia*, hoc modo, *Quod otium et concordia cum collega.* IDEM.

Corporis actibus] Illud *actibus* valde suspectum est et adulterinum, neque in hoc genere *actum* dicere Cicero solet. Nam quod afferunt ex lib. I. de Leg. *Sed etiam in pravis actibus insignis est humani generis similitudo*, irreptitium est et notum pro *pravitatibus.* Ego hic legendum esse censeam, *et animi et corporis artibus*, id est, omni ratione, omnibus modis. Sic Plautus dixit: *Si ægrotant in te artes animi*; et Sallustius *Varias esse animi artes.* IDEM.

DE

LEGE AGRARIA.

AD POPULUM.

ORATIO XVII.

ARGUMENTUM.

Vide Argumentum Orationi primæ de lege agraria præmissum. De hac brevissima oratione Cicero ad Attic. lib. II. epist. 1.

Cap. 1. *Qui nihil de me credidistis*] Qui fidem non habuistis delationi et criminationi tribunorum plebis. TURN.

Septem tyrannis] Indicat septem homines maxime locupletes ex possessionibus Syllanæ assignationis, quos ὑπερβολικῶς tyrannos vocat. *As-*

signationes autem hoc loco agri a Sylla assignati dicuntur, iis, qui ipsum secuti contra Marium arma tulerant. LAUR.

A Valgii genero] Id est, Rullum, non quatenus tribunus pl. est, sed quatenus gener Valgii, hanc legem excogitasse, et conscripsisse. IDEM.

Cap. 2. *L. Flaccus*] Fuit interrex L. Flaccus, cum consules C. Marius C. Marii VII. consulis F. Præneste per Q. Lucretium, Cn. Papirius, Cn. F. Carbo III. per Cn. Pompeium Syllanos duces occisi essent, ac resp. sine consulibus esset, et placuisset senatui interregem prodi, qui comitia subrogandis consulib. haberet. LAUR.

Aliquem scrupulum] Nam cui ager datus est, ne rescindantur acta Syllæ metuit; qui amisit, id sperat futurum. TURN.

Syllam Dictatorem] Ita Syllanos agros et assignationes confirmabat, cum post eos consules Sylla dictator fuerit. IDEM.

Agros] Vetus liber, *agri*, multo meliore scriptura. Agros enim legi non potest, cum sint verba legis Serviliæ, ut mirer a quibusdam hoc animadverti non potuisse. IDEM. Recepit *agri* Grævius.

Fundus Irpinus] Id est, fundus, quem Valgius socer tuus a Sylla accepit. LAUREDANUS. *Fundum* cum dixisset, *agrum* corrigens subjecit, quod totum fere Irpinorum territorium (id enim hic ager significat) possideret. TURN.

Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam] Prædium suum Tusculanum significat, quod a Tusculanis acceperat, quibus quotannis pro usu aquæ, quæ Crabra dicebatur, vectigal quoddam penderet. LAUR. Vide pro Corn. Balbo.

Cap. 3. *Ejusmodi causa*] Id est, ob rem hujusmodi, cum tueantur ipsi Syllanas possessiones, tamen id objicere cuiquam ausint, quod impudentiæ est maximæ. TURN.

Donationis] Eos agros, quos Sylla non dedit, sed quidam in illa reip. caligine occuparunt, et possederunt, confirmat et sancit. Donationem appellat, quod agros illos eis sua lege Rullus donet. IDEM.

Causam quæro, cur ea] Non debetis hæc vendi permittere, cum a Rullo publica donari videatis. Nam si quid vendendum est, potius veneat quod Rullus condonat. TURN.

Cum ea, quæ vestra sunt] *Vestra*, Syllani nullo jure occuparunt, cum sint publica. Nam ea Sylla publicarat. IDEM.

Possessoribus] Possessor enim dicitur etiam qui nullo jure tenet. ID.

Cap. 4. *Quoad oculis confirmando*] In editis vetuste, item Pall. et Cujac. legitur, *oculis confirmando*; ideoque excludere non potui; tanto quidem minus, quod vulgata, *oculos continuando*, parum hic quadraret, ob ea quæ proxime præcesserant. Gulielmius nostrum illud mutabat in *in oculis confirmando*. Sequitur enim *unam fundi religionem formamque perfecerit*. Non damno. Fuit etiam quod idem legeret, *angulos conformando*, Eandem sane insaniam cupidorum notat Horatius:

O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum. GRUTERUS.

PRO

C. RABIRIO,

PERDUELLIONIS REO.

AD QUIRITES.

ORATIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Hujus orationis argumentum non aliunde mihi melius explicaturus esse videor, quam si ex Dionis historia rem totam perscribam. Ita enim facillime et atrocitas criminis, et genus causæ perspici poterit. Neque fere quicquam latebit, quod ad orationis explicationem pertineat. Titus ergo Labienus C. Rabirium ab Saturnini cædem cum accusasset, magnam civitati perturbationem attulit. Nam Saturninus triginta sex annis ante cæsus fuerat, et quæ in bello, quod cum eo susceptum est, consules fecerant, ex senatus auctoritate omnia gesserant. Itaque senatus auctoritas illo judicio non leviter tentabatur; ex quo totus civitatis status convellebatur et perturbabatur. Ac Rabirius quidem cædem se fecisse pernegabat; verum tribuni modis omnibus senatus amplitudinem et dignitatem convellere nitebantur, et sibi potestatem omnia pro animi arbitrio et libidine agendi præmuniebant. Ita enim futurum erat, ut iis, qui vindicia tentare vellent, impune concederetur senatus decreta, quæque tot ante annis acta fuissent, in disquisitionem vocare. Ergo eum, pro eo ac debebat, senatus id indigne ferebat, tum vero senatorem pop. Rom. innoxium ætateque provectum supplicio affectum iri optimates dolebant: sed tamen modis omnibus angebantur, quod civitatis dignitas in crimen et invidiam vocaretur, resque publica improbissimis hominibus permitteretur. Ergo turbulenta factionum studia contentionesque partium de judicio exarserunt: his ne concilium cogeretur pugnantibus, illis consessum judicum postulantibus. Quod ubi per Cæsaris factionem et aliorum nonnullorum vicit, ac judicandi causa convenere (is enim cum L. Cæsare judicabat, nec simplex crimen erat, sed Rabirius perduellionis postulabatur) eum sententiis suis condemnarunt: quamquam non a populo more et instituto Romano creati, sed, quod non licebat, a prætore sorte ducti. Rabirius ergo provocavit: sed tamen apud populum etiam damnatus fuisset, nisi Metellus Celer augur et prætor rem impedisset. Nam cum multitudo nec eum audiret, nec quod contra morem patriæ legesque judicium factum esset, vellet attendere, propere Janiculum petit, priusquam quicquam suffragio Quirites sciscerent: signumque militare detrahit, ut nihil jam eis decernere liceret. Sic detracto vexillo cuncta soluta est, Rabiriusque liberatus. Etsi enim Labieno licebat reum repetere, non tamen fecit. Hactenus ex Dione. Hanc igitur orationem trigesimo sexto anno post cædem Saturnini habuit pop. Rom. Cicero consul, aut comitiis centuriatis (non enim de capite hominis ullis aliis quam centuriatis agi licebat) aut potius certe in concione aliqua quæ comitia antecessit. Cum autem in Pisonem Cicero scribit se in Rabirio perduellionis reo quadraginta annis ante se consulem, interpositam senatus auctoritatem sustinuisse, non est, ut inquit Asconius, in eo subtilis annorum computatio facta, verum summatim tempus comprehensum: ut perinde acceperit, ac si dixisset; prope quadraginta annis. Jam ante damnatus a duumviris fuerat Rabirius, Julio Cæsare et Lucio Cæsare, a quibus ad populum provocarat. Acerbitatem judicis Julii Cæsaris a quo cupidissime condemnatus fuerat, Rabirio ad populum provocanti etiam

salutarem fuisse scribit Tranquillus. Perduellionis est postulatus Rabirius: quod sacro-sanctum tribunum interfecisse diceretur. Est autem perduellio genus læsæ Majestatis omnium atrocissimum et gravissimum: quo qui tenentur, ne morte quidem, cum decedunt in reatu, crimine liberantur, cum in aliis generibus læsæ Majestatis liberari soleant. TURNEBUS.

Cap. 1. *Quirites*] In Campo Martio ad populum hæc oratio habita est comitiis centuriatis, aut in concione quæ comitia antecessit. TURN.

Capitis, famæ, fortunarum] Perduellionis damnati virgis cæsi et unco per urbis vias tracti, ad extremum cruci, servorum instar, suffigebantur. HOTOM.

Non enim C. Rabirium culpa delicti] Rabirius non suo, sed de reipub. nomine in discrimen capitis vocatur, quod consuli paruerit ad arma vocanti, et remp. salvam esse voluerit. TURN.

Summum auxilium] Senatus-consultum illud significat, quod extremis reip. temporibus fieri solebat, ut viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet. TURN.

Consulare imperium] Nam ex illo senatus-consulto summum imperium et judicium consul habebat, et ad arma evocare poterat. GRÆV.

Cap. 2. *T. Labiene*] Hic trib. pleb. Cicerone consule diem dixit Rabirio. Hic est, qui postea militavit in Gallia auspiciis Cæsaris. TURN.

An de tabulario] Locus erat ubi acta et tabulæ publicæ reponebantur. Cum id igitur objiceretur Rabirio, nondum patefactum erat a quo incensum esset: quod Q. Sosius se fecisse postea confessus est. Vide III. 30. de nat. Deor. TURN.

Cap. 3. Man. Lamb. *expromenda.* Lamb. *Curius.*

Necatum] Ne maritus sororis Rabirii Curtius de peculatu, ut reor, causam diceret, ad probationem judicii filium sororis a Rabirio necatum objiciebant. Qui autem funus familiare ducit, justave mortuo facit, nec in jus, nec in judicium vocatur. Sed verisimile non est bidui causa tantum facinus esse perpetratum: nec probabile est chariorem ei maritum sororis quam filium fuisse. IDEM.

Legem Fabiam] Ne quis servum alienum invito vel inscente domino celaret, vinctum haberet, demeret sciens, dolo malo. HOTOM.

Lex Porcia] *Porcia lex* memorabilis a M. Porcio Catone lata est, ne quis magistratus civem Romanum virgis cæderet, necaretve: cum antea nudatorum cervix inseceretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. IDEM.

Multæ irrogatione] Multarum ratio hæc fuit. Magistratus reo ad populum diem dicebat: ter eum accusabat: post ei multam irrogabat, id est, rogabat populum ut certa bonorum parte multaretur. Hæc irrogatio trinundinum ut cæteræ leges durabat, post per trinundinum quarto reus accusabatur. Si defenderetur, ea multæ irrogatio dicebatur: si damnabatur, multæ judicatio. IDEM.

De pudicitia] Eo scilicet nomine male Labienus audierat. TURN.

Sublatum] Qua ratione Cicero sustulerat judicium perduellionis? Non lege lata, sed data facultate Rabirio dicendæ causæ comitiis centuriatis, suscepta etiam illius defensione, contra sententiam duumvirûm. FERRAT.

Cap. 5. *An vero, si actio ita popularis esset*] An non Scipionem Nasicam perduellionis postulasset C. Gracchus, qui maxime popularis fuit, cum ejus frater trib. pleb. cæsus esset, si quæstionem istam perduellionis legitimam putasset? TURN.

Patrui tui] T. Labieni. Significat a Labieno non tam tribuni mortem quam patrui hoc judicio vindicari. IDEM.

Obductio] Quanquam non sum nescius, *obducere* interdùm esse idem quod, *obtegere*; libentius tamen hoc loco legerem, *obruptio*. Nam quod

hoc vocabulum nusquam alibi apud Ciceronem legatur; ne *obductio* quidem. Et *obnupto* melius, ni fallor, conveniret cum diro illo et horrendo carmine, quod paulo supra recitaverat, *caput obnubito: arbori*, &c. MURET. Var. Lect. VIII. 9.

Lamb. *obnuptio.*

Lamb. *condictio.*

Conditio] Mallem, *condictio.* Etenim *condicere*, vetere lingua est *denuntiare*; et *condictio*, denuntiatio, ut et veteres Grammatici, et Jurisconsulti docent. Quo sensu mirifice hic, ut opinor, quadraret. MURET. *ibid.*

Una vindicta] Hæc erat virga quam prætor aut lictor manumittendi servi capiti imponens hæc verba pronunciabat: *Hunc hominem liberum esse aio.* HOTOM.

Ab uncо] Quorumdam criminum damnatis uncus in mentum impingebatur, atque ita per urbis vias tracti in Tyberim dejiciebantur. IDEM.

Cap. 6. *Q. Hortensio*] Hortensius causam Rabirii apud duumviros judices egerat. Non enim probo eos, qui ante consulem eum ad populum causam egisse censent. TURN.

Nihil me clamor iste] Apparet populum vocem illam indigne tulisse, *Saturninum hostem populi Romani appellari.* Moris fuit in concionibus, si quid magistratus diceret, quod populo placeret, ut id acclamationibus exciperent; si quid displiceret, admurmurarent et obstreperent. Sic in Agrar. III. *Video quosdam, Quirites, strepitu significare nescio quid.* HOTOM.

Quanto jam levior est acclamatio] Iterum est acclamatum, sed levius quam antea et exilius; ergo gravius objurgat et compescit. TURN.

Cap. 7. *Fit S. C. ut C. Marius*] Arma jure sumpta in Saturninum probat senatus-consulti auctoritate, quo summa potestas consulibus permissa est, ut viderent ne quid respub. detrimenti caperet. Cujus decreti auctoritatem primum senatus usurpaverat in C. Gracchum. Ita tribuni jus istud senatui non esse concedendum censebant. IDEM.

Gracchus] Is L. Equitius erat, qui pro Gracchi filio se gerebat: eum Saturninus in locum competitoris tribunatus comitiis palam occisi subrogare tentarat: is servus fuerat nequissimus in compedibus et ergastulo habitus: deinde manumissus libertinæ conditionis erat. IDEM.

Cap. 9. *At C. Decianus*] De quo Valerius Max. VIII. 1.

Imaginem] Imaginem L. Saturnini Labienus in concione protulerat. TUR.

Rationes] Forte *rates.* Sunt rates ligna colligata, vel navigium temere conditum. Tuscul. I. 30: *Tanquam in rate in mari immenso nostra versatur oratio.* PITH.

M. Antonium] Oratorem, qui anno sequenti consul fuit. FERRAT.

Cap. 10. *Si fides Saturnino data est*] Consules fidem publicam Glauciæ et Saturnino dederant, fore ut cum eis non vi, sed jure ageretur. HOTOM.

Quid jam ista] Quod illa tempestate multos esse sciebat, qui nec dedecus, nec ignominiam ad mortuos pertinere censerent omni sensu ut credebant plerique, orbatos. Percrebuerat enim tum sententia Epicuri, cui se dociles multi ex libris Amafanii præstiterant, animos mortales esse. TURN. De Amafanio, et Epicureis, vide Tuscul. IV. 3.

Lamb. *regionem.*

Cap. 11. *Quid fistulas*] Florus, lib. III. tubos quibus aqua in Capitolium ducebatur, præcisos scribit. Plutarchus in Mario. Appian. Civil. I. *Saturninus aquæ penuria coactus, deditionem fecit.* HOTOM.

Lamb. *civium multitudo esse collocavit, rempublicam servasse ab universo senatu judicatus est: cur supplicium in eum constitueretur, et non potius præmium ei decerneretur, qui improborum ducem sustulisset?*

Improborum civium] Pall. ambo adscriptum habent, deficere hic a fine chartas duas, a nescio quo exsectas. GRUTER.

IN

L. CATILINAM.

IN SENATU.

ORATIO XIX.

ARGUMENTUM.

Sæpe jam M. Tullius, antequam hancce orationem haberet, verba in senatu de Catilinæ conjuratione fecerat: ut vel ex eo perspicuum est, quod duodeviginti diebus ante, consulibus resp. senatus-consulto permissa erat. Quod ego ipsum admonere supervacaneum putassem, (est enim sane quam apertum) nisi animadvertissem, multos magnosque viros, non a recentioribus modo, sed etiam ex antiquis, quod, quid quoque tempore actum fuisset, non satis attente considerassent, in errores quosdam minime, ut arbitror, negligendos, in harum rerum explicatione incidisse. Mihi quidem ita videtur: Ciceroni imprimis ipsi maximam esse hisce in rebus habendam fidem; ut, sicubi ab eo cæteri discesserint, homines eos fuisse, idcircoque labi potuisse, arbitremur: secundum Ciceronem autem Sallustio, qui iisdem temporibus fuit: tum Asconio, qui ab eorum ætate non ita multum abfuit: Græcos autem, Plutarchum, Appianum, Dionem, magno esse adhibito judicio legendos. Nam, ut hinc ordiamur, cum conjurati, Catilinæ denunciatione, in M. Porcii Leccæ domum convenissent, repertique essent duo, qui se Ciceronem in lectulo suo interfecturos pollicerentur; tum demum ait Sallustius, rem ad senatum a Cicerone relatam; Senatumque decrevisse, ut darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. *Ad id manifesto falsum est: siquidem, quæ nox consecuta est posterum diem Nonar. Novemb. ea nocte coitionem illam in M. Porcii domum factam esse, constat ex oratione pro Sylla. Jam autem sedecim, minimum, dies erant, cum illa senatus auctoritas intercesserat: ut ex hac ipsa oratione liquido cognosci potest. Illud quoque non minus falsum est, quod idem Sallustius prodidit, cum aut hanc orationem Cicero, aut aliam quampiam habuisset, certe quidem aliquot diebus post commissam consulibus remp. Catilinam in eam vocem denique erupisse, ut diceret, si quod incendium in fortunas suas excitatum esset, id se non aqua, sed ruina restincturum. Id enim jampridem, id est, aliquot diebus ante comitia consularia, Catoni judicium minitanti ac denuncianti Catilina responderat. Quod ipse Cicero in oratione pro Murena testatum reliquit. Quod si Sallustium ipsum, et accuratum cumprimis hominem, et illorum temporum æqualem, tamen alicubi lapsum videmus: exscuenda profecto nobis ingenii acies est: neque ut quicque a quoque veterum proditum fuerit, ita protinus recipiendum est: sed conferenda alia cum aliis, et ad Ciceronis præcipue auctoritatem, tanquam ad Lydium lapidem, singula diligenter examinanda. Nunc ad rem. Dicta est hæc oratio a Cicerone consule, senatum habente in templo Jovis Statoris, VI. id. Novemb. ut infra probabitur. Qua quidem oratione ostendit, patefacta jam esse omnibus scelerata Catilinæ adversus rempubl. consilia: ipsique suadet, vel potius imperat, ut ex urbe exeat, quo et civitatem liberet metu, et ipse se liberius hostem P. R. profiteri queat. Genus igitur causæ judiciale non est, ut falso Cœlius Curio putat. Non enim in senatu judicia exercebantur. Sed ne deliberativum quidem est. Quid ita? quia enim non deliberat Cicero, neque sententiam dicit, neque aut suadet quicquam senatui, aut dissuadet: sed Catilinam increpat, objurgat, exagitat: jubet denique, ut cum reip. salute, sua vero peste ac pernicie ex urbe proficiscatur. Quid igitur? fatendum profecto est, non omnes Ciceronis orationes, nedum omnia quæ ab ora-*

tore tractantur, ad tria illa pervulgata causarum genera posse revocari. Ipse autem orationis χαρακτὴρ plenus est δυνάτητος, γοργότητος, σφοδρότητος, μεγαλοπρεπείας. Itaque quæcunque illo genere a veteribus prodita sunt, ea hic mirabiliter observata reperiemus. MURETUS. *Vide Lælii Bisciolæ Horas Subces. Tom. II. lib. IV. cap.* 8.

Cap. 1. *Quousque tandem*] Non putarat, ut videtur Cicero, Catilinam eo die in senatu affuturum. Sed cum eum, præter spem, adesse vidisset, subita indignatione commotus, in hæc verba prorupit. MURET.

Eludet?] Quasi afflictis, prostratisque nobis insultabit. Verbum gladiatorium. Illud quoque annotandum, quod de furore et audacia, quasi de re quapiam animata, locutus est. Recte enim admonet Fabius, miram ex eo sublimitatem oriri, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus. IDEM.

Nocturnum præsidium palatii] Periculosis temporibus præsidium palatio imponi solebat, quod illud qui occupasset, urbem facile in potestate habiturus videbatur. IDEM.

Nihil urbis vigiliæ] Decreverat enim senatus, ut per totam urbem vigiliæ haberentur, iisque minores magistratus præessent. Sallustius. ID.

Nihil timor populi] Nam et tumultum senatus decreverat, ut est apud Dionem, et Cicero ipse, ad indicandam periculi magnitudinem, comitiorum die loricatus in campum descenderat. IDEM.

Nihil hic munitissimus] Templum Jovis Statoris dicit. IDEM.

Constrictam] Quasi de immani quadam et rabiosa fera locutus est. ID.

Nos autem viri fortes] Ἐμφασις. Non enim in cautione, sed in animi magnitudine ac præsentia posita est fortitudo. IDEM.

Jussu consulis] Sed poteratne consul imperare, ut quisquam ad mortem duceretur? Poterat, ubi ei S. C. commissa erat resp. IDEM.

An vero vir amplissimus] Argumentum a minore: in quo, ut erudite annotat Fabius, non solum totum toti, sed etiam partes partibus comparantur. Nam Catilina Graccho, status reipub. orbi terrarum, mediocris labefactatio cædi, et incendiis, privatus consulibus comparatur. IDEM.

P. Scipio] P. Cornelius Scipio Nasica Serapio, ejus, qui optimus vir a senatu judicatus erat, nepos; ejus, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Ca. Scipionis, celeberrimi viri? P. Africani patrui, ipsius autem Tiberii consobrinus. Patereulus. IDEM.

Privatus interfecit] Video, interpretes conturbari, quod idem et Pontifex Max. et privatus esse dicatur: in eo autem nulla repugnantia est. Pontificatus enim magistratus non est. Quare nihil prohibet eundem et pontificem maximum esse, et privatum. IDEM.

Nam illa] Figuram hanc præteritionem vocant. Historia ex Livio petenda est. IDEM.

Cap. 2. *M. Fulvius*] M. Fulvius Flaccus, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris III virum nominaverat, sociumque regalis potentiæ assumpserat. IDEM.

Mors ac reip. pœna] De tribus antiquis libris, qui olim Dominici Grimani Cardinalis fuere, in eo, qui optimus est, locus hic ita legitur: *Nam unum diem postea L. Saturninum trib. pl. et C. Servilium præt. reip. pœna remorata est?* Quod ego ut vidi, qui Servilium illis temporibus prætorem fuisse meminissem, videremque etiam, ad nomen Saturnini additum esse nomen magistratus, in quo ille tum fuisset: dubium non habui, quin illud, *prætorem*, omnino recipiendum foret. Recordabar loci ex octava Philippica, qui me magis etiam in sententia confirmabat. Ita enim ibi scribitur: *C. Mario, L. Valerio consulibus senatus rempublicam defendendam dedit. L. Saturninus trib. pl. Glaucia prætor est occisus.* Quoniam autem scio, sæpe commissum esse a librariis veteribus, ut has notas *R. P.*

et *P. R.* quarum altera *rempublicam*, altera, *populum Romanum* indicabant, inter se confunderent, earumque alteram pro altera ponerent: plane statui, totum hunc locum ita legi debere: *Num unum diem postea L. Saturninum trib. pl. et C. Servilium, prætorem populi Romani, pœna remorata est?* Vocem, *mors*, additam puto ab aliquo, qui declarare vellet, quod pœnæ genus illos consecutum fuisset. IDEM.

Vicesimum jam diem] Rotundare numerum voluit. Erat enim hic tantum duodevicesimus dies post factum S. C. ut notat Asconius. Sic in Pisonem pro triginta sex annis, quadraginta dixit. Sic centumviri dicebantur, cum essent centum et quinque. Sic Euripides et Virgilius Græcos mille navibus ad oppugnandam Trojam venisse dicunt, quas Homerus CIↃ CLXXXVI. Dio CIↃ CC. Scholiastes Euripidis, mille centum et septuaginta fuisse affirmat. IDEM.

Interfectum esse te, Catilina, convenit] Vereor, ne aliquid in his verbis insit vitii. Primum, quod, seu verbum, *convenit*, media correpta legas, non convenient tempora: seu producta, quæram, ecquis unquam, qui aliquem modo Latinæ linguæ sensum haberet, ita locutus fuerit, ut diceret, convenit statim id fecisse, pro eo quod est, statim id fecisse oportuit. Ego vero, ἀπρέπειαν ἐντεῖν, utrovis modo, nedum indignum Cicerone, sed etiam plane barbarum esse loquendi genus censeo. Ut si quis dicat, *Multum laborem capere convenit eos, qui de gloria comparanda cogitant:* quidvis eum facere potius, quam Latine loqui putem. Meus quidem hic sensus est. Si qui aliter opinabuntur, ii si, prolatis exemplis, erroris me coarguerint; non committam, ut etiam pertinaciæ coarguere possint. Est omnino quidam locus apud Terentium in Heautontimorumeno, qui fallere homines minus perspicaces queat. Ibi enim senex ille seipsum puniens ita loquitur: *Non convenit, qui illum ad laborem impulerim, nunc me ipsum fugere.* Sed ibi alia ratio est. Comparantur enim duo ibi inter se, hæc, impulisse filium ad laborem, et ipsum laborem fugere: quorum alterum alteri convenire, atque consentaneum negat. Moveor etiam, quod in uno libro vetere, pro, *convenit*, scriptum video, *cum venit*. Qua de scriptura quam conjecturam fecerim, dicam: non quod ea mihi plane probetur: sed ut alius quispiam, ea reprehensa, meliorem aliquam proferat. Venit igitur mihi in mentem cogitare, si forte ita legendum sit: *Quod quidem senatus consultum confestim interfectum te esse, Catilina, cum velit; vivis: et vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* IDEM.

Cupio P. C.] Nunc demum ad patres orationem convertit, ideoque multo leniore, ac remissiore dicendi genere utitur. IDEM.

Interficiam te] Nihil ab hac dissentiunt Pall. sed Lipsius lib. III. Var. Lect. cap. 22. Modius epist. V. prodidere, restare in scriptis suis, *interficiere;* reperitque in Col. Gulielmius; videturque modestius, ac gravitate consulari dignius. GRUT.

Cap. 3. *Si illustrantur, si erumpunt*] *Illustrantur*, ad noctis tenebras retulit: *erumpunt*, ad privatæ domus parietes. MURET.

Muta jam istam mentem] Non cohortatur eum ad sanitatem, quod se frustra facturum sentiebat: sed ait, nihil esse, quod in urbe manens de cæde atque incendiis cogitet: quare aliud ei consilium esse capiendum, et in Manliana castra exeundum. IDEM.

Ante diem XII. *Kalendas Novembris*] Magnam nobis lucem hic locus afferet ad hanc historiam subtiliter intelligendam: quam profecto et Sallustius, et cæteri mirabiliter confuderunt. Ac primum sciendum est, in hunc diem primo edicta fuisse comitia consularia. Sed cum pridie ejus diei Cicero Catilinæ consilia ad senatum detulisset, factum est S. C. ne postero die comitia haberentur: ut de iis rebus in senatu agi posset. Nam aliter comitiali die senatus ha-

beri non poterat. Postridie igitur, id est, ut ait Plutarchus, ipso comitiorum die, Cicero frequenti senatu Catilinam excitavit, atque eum de iis rebus jussit, si quid vellet, quæ ad se allatæ essent, dicere. Tum ille dixit, duo corpora esse reipubl. unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite: huic, cum ita meritum esset, caput se vivo non defuturum. His auditis, decrevit senatus, ut viderent consules, ne quid resp. detrimenti caperet. Hæc sumpta sunt e Mureniana. Jam igitur, cum Asconius dicat, diem, quo hæc habita oratio est, a commissa consulibus rep. duodevicesimum fuisse: profecto si quis rationem dierum ineat, videbit, eam ut nos diximus, habitam VI. Id. Novemb. Hac autem in parte aliorum errata persequi piget. IDEM.

Mallium] Scripsi hic C. Mallium, non quomodo vulgati, *C. Manlium*. Putavi me tuto hac in re et sine reprehensione librorum veterum consentientem auctoritatem sequi posse, in quibus constanter hoc nomen et apud Sallustium, et in his ipsis orationibus apud Ciceronem ita perscriptum extat. Ego quidem usus aliquando sum antiquissimo libro, qui asservatur apud Gemblacenses, quem certa opinio est, et res ipsa docet, scriptum esse Sigiberti docti viri manu, qui in eo loco ante sexcentos plus minus annos claruit, in quo non aliter hoc nomen scriptum deprehendi. J. LIPSIUS.

Cap. 4. *Noctem illam superiorem*] Non ita, ut opinor, locutus esset, si proximam noctem indicare voluisset. MURET.

Venisse inter falcarios] Priscianus *lib.* XVIII. *col.* 118. *Venisse inter falcarios* interpretatur, *venisse in locum ubi sunt falcarii*. Veteribus glossis *falcarius* est falcifer, et falcifex. *Falx*, præter usitatam significationem, est etiam *sica*. Juvenalis, sat. VIII. 201.

Nec clypeo Gracchum pugnantem, et falce supina.

Vetus Scholiastes: *Thracum armatura intelligenda est, quibus proprium telum sica*. Glossæ veteres: *Sica, Thracius ensis incurvus*. Glossæ Isidori: *Falcarius, Gladiator falcem ferens*. Cicero, pro Sylla, cap. 5. *Emisso jam ex urbe Catilina, ille* (Antonius) *arma misit, cornua, tubas, falces*. Ubi male nonnulli scripserunt *fasces*. Jam fidem facere si quam potest vetus in Catilinam declamatio, cui nomen est adscriptum Porcii Latronis, M. Leccæ domum ad nocturnos cœtus delegerat Catilina, ut *remotam ab omni celebritate, constipatam multitudine arbuscularum, et ab omni suspicione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentem* ... quo *telorum innumerabilem copiam constipandam atque occultandam* curaverat. Si habitabat fabros *inter falcarios* Lecca, ejus erat domus ad hanc, quam Declamator commemorat, telorum comparationem valde opportuna. BUHERIUS.

In M. Leccæ domum] Scribendum *M. Læcæ* ex auctoritate argentei denarii, in quo M. hic PORCIUS LÆCA descriptus est. F. URSINUS.

Reperti sunt duo Equites Romani] Magna in his duobus nominandis scriptorum dissensio. Sallustius C. Cornelium, equitem Rom. et L. Vargunteium senatorem nominat: in quo dissentit a Cicerone, qui utrumque equitem fuisse ait. Nam de C. quidem Cornelio omnis dubitatio tollitur ex oratione pro Sylla. Dio duos dicit: sed neutrum nomine appellat. Plutarchus Marcium, et Cethegum vocat: de quorum priore nihil alibi reperio: sed Plutarchum falli constat: cum aperte Cicero C. Cornelium unum ex iis fuisse affirmet. Quanquam enim Cethego quoque idem et prænomen, et nomen fuit: tamen hunc C. Cornelium, de quo hic agitur, facile probari potest, non esse C. Cornelium Cethegum. Quid ita? quod Cethegus quidem in carcere strangulatus est. At hic adhuc vivebat, quo tempore Cicero P. Syllam, ipsius filio accusante, defendit. Omnium autem fœdissime labitur Appianus: tribus enim manifestis erroribus, in hac re tradenda, seipsum involvit. Primum

in tempore: ait enim hoc consilium initum esse, cum jam Catilina ex urbe discessisset. Deinde in his duobus nominandis: ait enim fuisse P. Lentulum, et Cethegum. Non dixisset autem Cicero duos equites, si ex iis unus P. Lentulus prætor fuisset. Illud vero palmarium, quod Cethegum quoque prætorem fuisse tradit. Ut, si hunc sequare, neuter eorum eques Rom. fuerit: nedum uterque, ut Cicero dicit. Non fuisse autem Cethegum prætorem, ex eo intelligitur, quod quæ religio servata est in Lentulo, ut magistratu cogeretur abdicare se, antequam ei cervices frangerentur, eandem profecto senatus in Cethego retinuisset. Quod ubi lectum, aut cui unquam vel fando auditum est? Ac vereor interdum, ne mea in ejusmodi scriptoribus reprehendendis ab aliquo culpetur audacia. Quod si id obtrectandi studio facerem, egometipse me temeritatis impudentiæque damnarem. Nunc cum investigandæ atque eruendæ veritatis desiderio incensus faciam, pro qua summus philosophorum non aliena tantum, sed sua etiam cuique, si res ferat, evertenda esse placita pronunciavit: neminem puto æquum rerum æstimatorem fore, qui mihi non id laudi potius, quam vitio, ascribat. Etenim sive eos merito accuso: quis me propterea vituperandum duxerit? sive injuria: prodeat aliquis, qui eadem opera et culpa illos, et errore me liberet. Nam quemadmodum ait Æschines, privatorum inimicitiis multa in repub. corrigi: ita in litteris quoque plurima litteratorum hominum, non inimicitiis quidem, sed modestis, et ab omni contumelia remotis dissensionibus corriguntur. MURET.

Vix dum etiam cœtu vestro dimisso] Fulvia enim media nocte ipsamet ad Ciceronem profecta, hoc ei indicavit. Plutarchus, Sallustius. IDEM.

Cap. 5. *Quæ cum ita sint*] Argumentationis summa est. Si omnia tua consilia nota sunt, exire debes. Sunt autem nota. Tibi igitur est exeundum. Annota autem, ut hæc tota pars tum brevibus membris, tum incisis, tum etiam iis, quæ incisis breviora sunt, contineatur: quod dicendi genus ad imperandum, et ad perterrefaciendum aptum esse, tradit Demetrius. IDEM.

Proximis comitiis] Habitis a me: quibus designati sunt Silanus, et Murena. IDEM.

Petisti] Verbum gladiatorium. ID.

Non jubeo] Ne poterat quidem. Nulla enim lex erat apud veteres Romanos, quæ ullum maleficium exilio multaret, sed in exilium ibant, qui legis multam sufferre in civitate nolebant. Cicero pro Cæcina. ID.

Cap. 6. *Quid enim Catilina*] Quasi deposita consulis persona, suasoris personam suscipit: ut, quod postea dicet, videatur, non odio, sed misericordia Catilinæ commoveri. Suadet igitur, ut ex urbe exeat: quod vita ei suavis esse non possit, ubi oderit omnes, odio sit omnibus, ubi invidia flagret, ubi ære alieno sit obrutus, ubi nefaria ipsius de disperditione reip. consilia omnibus nota sint. At hæc simulata suasio longe amarissimam Catilinæ insectationem continet. IDEM.

Quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ] Victorius et Manutius non aliter. Forsan, inquit Gruterus, *non inhæret tuæ famæ?* Lambinus, *non hæret in fama*, cui acquiescit Turnebus *Adv.* XXX. 15. Buherius denique: *Quod privatarum rerum* decus *non hæret infamiæ?* Multa scilicet in Catilina erant bona et decora naturæ, quæ omnia illa vitiis corruperat. Vide *pro Cælio*, cap. 5. et 6. Quod ediderunt Victorius et Manutius, facile intelligi posse arbitror, si quis animadvertat, famam in homine improbo esse infamiam. Hoc ergo vult Cicero: Nullum est privatarum rerum dedecus, quod tuo nomini, tuæ famæ et infamiæ non hæreat. OLIV.

Vacuam] Suspiciose significat, eam ab ipso necatam. MURET.

Alio incredibili scelere] Vel quod

filium occiderit; ut est apud Sallustium: vel quod filiam suam, ex adulterio susceptam, in matrimonium duxerit: quod ei objicit Cicero in oratione, quam habuit in toga candida. Plutarchus eum, præter parricidium fratris, ait, filiæ suæ virginti vitium obtulisse. IDEM.

Proximis idibus] Quo die usuram creditæ pecuniæ fœneratori solvere necesse erat. Horat. Epod. II. 69. MANUT.

Sed ad summam reipublicæ] Meus primus optimus et Pithœi rectissime scribit, *sed ad summam remp. Summa resp.* est res quæ pertinet ad salutem totius reip. Plautus in Mercatore:

Nam si istuc jus est senecta ætate scortari senes,
Ubi loci res summa est nostra publica.

Vid. Gronov. ad Liv. 26. 10. GRÆV.

Pridie Kalendas Januar.] M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. cum P. Autronius, et P. Cornelius Sylla Coss. designati, ambitus pœnas dedissent; inque illorum locum L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus suffecti essent: Catilina, qui, repetundarum reus a P. Clodio Pulchro factus, consulatum petere prohibitus esset, indignatione et odio in remp. accensus, cum Autronio et Sylla, (certe quidem cum Autronio) aliisque nobilibus viris, consilium iniit interficiendi ad Kal. Jan. novos consules, restituendique consulatus iis, qui abdicare coacti erant, occupatamque rempublicam pro sua libidine moderandi. Id consilium initum est circa Nonas Decemb. Ejus rei causa, pridie Kal. Jan. Catilinam Cicero ait in comitio stetisse cum telo: tum, ut opinor, cum abeuntes magistratu consules ad populum e Rostris ex more verba facerent. Postridie cum M. Crassus, qui et ipse conjuraverat, mutato, ut creditur, consilio, non affuisset: ideoque C. Julius Cæsar, ipse quoque ejus conjurationis particeps, signum, quod convenerat, non dedisset, (erat autem signum, ut togam de humero dejiceret) res ulterius progressa non est: sed dilata in Non. Febr. Tum quoque aliquod amicum P. R. numen effecit, ut Catilina, priusquam armati convenissent, signum daret. Id P. R. saluti fuit. Hæc e Sallustio, Asconio, Suetonioque collegi. MURET.

Quibus abs te initiata sacris] Sententia est. Ita te geris, ut vovisse videaris alicui Deo, te sicam illam in consulis corpore defixurum. Hac enim Cottam primo, Torquatum, deinde me consulem sæpe jam e medio tollere conatus es. IDEM.

Cap. 7. *Quæ tecum, Catilina, sic agit*] Longe pulcherrimum exemplum προσωποποιΐας, quam vel conformationem, vel personæ fictionem Latine vocare possumus. Porro et hoc, et alterum, quod in hac ipsa oratione reperiemus, et illud Appii Cæci in oratione pro Cœlio, puto ad imitationem Platonis efficta esse, qui hoc modo Leges in Critone, veteres Athenienses pro patria mortuos in Menexeno loquentes introduxerat. IDEM.

Tu non solum ad negligendas leges] Negligit leges, ac quæstiones, qui earum metu a peccando non continetur: easdem perfringit, qui, cum in judicium adductus, manifesto teneatur, aliqua tamen via elabitur. Catilina autem primum accusatus fuerat repetundarum, Lepido et Tullo Coss. atque absolutus per prævaricationem accusatoris P. Clodii: deinde etiam cædis, consulibus Cæsare et Figulo, ut est apud Dionem, et tunc quoque absolutus. Hoc quoque ipso tempore interrogatus erat lege Plautia ab L. Paulo. Sallustius. IDEM.

Cap. 8. *M. Lepidum*] Qui consulatum cum Volcatio gesserat. IDEM.

Q. Metellum prætorem] Q. Cæcilium Metellum Celerem dicit: qui, biennio de more interjecto, consulatum postea cum L. Afranio gessit. IDEM.

Virum optimum] Ironiam esse, annotat Fabius lib. 9. Et sane, quomodo idem Catilinæ sodalis, et vir optimus esse potuisset? IDEM.

M. Marcellum] Constat, non esse

..ndem, quem paulo post, virum fortissimum vocat: id est, eum pro quo extat oratio ad Cæsarem. Opinor, hunc M. Marcellum illius C. Marcelli, de quo in Sextiana defensione mentio est, patrem fuisse. IDEM.

Emori] Ita Victorius. Sententia est: Si non potes a te impetrare, ut hic moriaris, sive manus tibi ipse inferens, sive aliena manu utens, fuge hinc in solitudinem. GRÆV. Alii numero plurimi cum Mureto: *morari.*

P. Sextio] P. Sextio Gallo, quæstori C. Antonii consulis, pro quo extat Ciceronis oratio. IDEM.

M. Marcello] Hic ille est, ut ante dixi, quem postea apud Cæsarem defendit Cicero. IDEM.

Usque ad portas prosequantur] Mos antiquus erat prosequendi eos, qui in exilium abirent. Sic in oratione, quæ proxime hanc sequitur: *Vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe, prosecuti sumus.* IDEM.

Cap. 9. *Ad forum Aurelium*] Est is locus prope lævam Arminiæ, sive Floris amnis ripam, vulgari nunc vocabulo *Monte Alto*, oppidum satis celebre. Nomen et originem habuit ab Aurelio quodam, qui Aureliam viam a Roma Pisas usque, sub initium haud dubie subactæ a Romanis Etruriæ, stravit. Quis autem fuerit ille Aurelius incertum est. CLUVER. Ital. antiq. lib. II. cap. 2.

Aquilam illam argenteam] Romanorum legionum proprium signum fuisse aquilam, constat. Cum autem legio divideretur in decem cohortes; prima cujusque legionis cohors semper suscipiebat aquilam: ut est apud Vegetium. Erat autem aquila parvum sacellum, sive, ut Cicero hic loquitur, sacrarium: in quo inerat aquilæ effigies, vel argentea, ut hic videmus, vel aurea. Id sacellum hastæ impositum ex inferiore parte acutæ, quo in terram defigi posset, portabat is, qui *Aquilifer* dicebatur. Narrat Dio lib. 40. Aquilas autem illas divino cultu affici solitas esse, et ea quæ modo recitavi, indicant, et Ciceronis hoc loco verba confirmant. IDEM.

Cap. 10. *Verum etiam bonis occisorum*] Qui sunt illi occisi, et a quo sunt occisi? Forte quos jam pro occisis habebant. Sed omnes quatuor libri, quos evolvi, et Pith. excerpta; *Bonis otiosorum*, hoc est, in pace, tranquille viventium. Sic quoque P. Manutii editio. *Otium* est pax Ciceroni, *otiosus* in pace vivens, pacisque cupidus. Dies noctesque cogitat ut bello civili moto illis, qui pacem malebant, bona eripiat, et sibi vindicet. GRÆV.

Cap. 11. *Mactari*] Usum quemdam hujus verbi, paucis, ut arbitror, notum, quem ante hos decem annos annotavi, et publice docui, cum etiam tum adolescentulus, Limini, quod Pictonum oppidum est, et humaniorum litterarum, et juris civilis studiis florentissimum, Amphitruonem Plautinam enarrarem, tradere hoc loco institui: simulque locum Plautinum, a quibusdam, qui eum non intelligebant, corruptum, declarare. Mactare igitur hostiam alicui deo, usitate dicimus: ut,

Cœlicolum regi mactabam in littore taurum.

At mactare deum quempiam aliqua hostia, minus sæpe usitatum illud quidem, sed tamen a veteribus dictum esse constat. Atque inde jocandi occasionem arripuit Plautus: apud quem Mercurius, assumpta Sosiæ forma, cum Amphitruonem advenientem ludificaretur, et a fontibus repelleret, multis ultro citroque jactis conviciis, ad postremum ita eum alloquitur: *Sacrufico ego tibi.* Cumque miratus Amphitruo subjunxisset, *Qui?* respondet ille: *Quia enim te macto infortunio.* Ubi jocus est, ut dixi, e vocabuli ambiguitate quæsitus. Nam cum mactare aliquem, interdum sit, ei sacrificare, ad hanc verbi notionem Mercurius respiciens, ei se sacrificaturum pollicetur. At postea illudens, pro hostiæ nomine, ponit vocem, infortunio. Quid autem sit, *mactare aliquem infortunio*, nemo

nescit. Hoc qui non intelligebant, corruperunt et versum, et sententiam, adjectis duabus voculis, hoc modo: *Sacrifico ego hunc tibi, Jupiter.* Ejusdem autem locutionis exemplum est in interrogatione in Vatinium: *Cum inaudita, ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare soleas.* At extra hos duos locos, haud scio, an ullum præterea illius exemplum in veterum scriptis reperiatur. MURET.

Cap. 12. *Ego, si hoc optimum*] Dissolutio propositæ argumentationis: quæ quidem propositionibus duabus, earumque rationibus continetur. Prior propositio: Ego, si id e repub. fore judicassem, Catilinam, nulla interjecta mora, morte multassem. Ratio: Non enim metuerem, ne ulla tam pulchrum facinus invidia æqueretur. Quod si aliter caderet, tamen gloriam eam potius, quam invidiam, ducerem. Altera propositio: Sed satius esse duco, ut emittatur. Ratio: Quoniam, eo interfecto, video fore, ut hoc malum reprimatur tantum paulisper: ejecto autem, et profligato cum suis, ut in perpetuum comprimatur. IDEM.

Invidiam virtute partam, gloriam] Potestne virtus invidiam parere? Atqui si invidia aut odium est, aut quoddam odium; virtutem autem etiam vitiosi amant; quomodo e virtute potest invidia existere? Sed tamen et Pindarus alicubi queritur, et exempla docent, et communis omnium vox, quam ego quidem pro oraculo habendam esse duco, clamat, pulcherrimis factis invidiam plerumque comitari. Demus igitur nos aliquantisper huic cogitationi: est enim res digna cognitu. Hujuscemodi autem disputationes qui non amant, prætereant. Ego, quando hic, ut poetæ loquuntur, menti calor incidit, sequar eum, quocumque ducet: et vel mihi, ut dicitur, canam, et Musis, vel iis, quibus paulo φιλοσοφικώτερον ingenium est, serviam: quæramque, quæ sit origo invidiæ, quæ natura: qui, quibus, et quas ob res invideant tum quæ sint ea, quæ quasi cursum invidiæ sistant. Atque hinc ordior. Omnes affectus ab ingenito cuique sui ipsius amore proficiscuntur. Hic unus quasi fons cæterorum omnium est. Quia enim amat se quisque, idcirco quæ sibi bona esse vel scit, vel putat, ea et absentia desiderat, et objecta persequitur, eorumque tum adeptione, conservatione, amplificatione gaudet, tum contrariis rebus offenditur. Malorum autem contraria ratio est. Atque hoc quidem principium disputationis ponatur a nobis, sumaturque hoc loco, quasi concessum: longiorem enim orationem requirit. Cum igitur sibi quisque carissimus sit, fit ut se omnibus bonis ornatum, ac florentem videre cupiat: ægreque ferat, si quid ejus generis in alio videat, quod in se desideret. Hæc origo, quasique radix invidiæ est. Dolent autem, aut quod ipsi careant eo, quod alius habeat; aut quod alius habeat id, quo ipsi careant. Interestque inter hæc. Nam qui dolet, quod ipse careat, dolet malo suo: qui, quod alius habeat, alieno bono. Itaque ea demum invidia est, non quod tu careas: sed, quod alius habeat, dolere. Quod si progrediatur affectus hic etiam longius, ut doleas, id boni esse alii, quod tibi quoque sit: hæc jam non invidia est, sed illa, quam Græci ζηλοτυπίαν, Cicero obtrectationem vocat. Non igitur invidus est, qui alium formosum, valentem, opulentum, eruditum, πολύφιλον videns, dolet, se quoque talem non esse. Hac enim ratione omnes invidi essemus: sed cui hoc ipsum per se ægre est, quod hæc in alio sint, is demum est invidere censendus. Neque vero proprie invidia odium est: sed est tamen quiddam odio affine. Nam et odisse homines sceleratos dicimur, quibus non invidemus: et odium vel ex injuria accepta, opinata, expectata, vel ex opinione aliqua pravitatis, et sceleris nascitur: cum invidia longe alios habeat fontes: et odium interdum lan-

dabile est; invidia nunquam: et qui odit, male esse vult; qui invidet, non male omnino, sed aliquando minus bene. Ut si domus in vicino posita ædium tuarum luminibus officiat, non eam quidem funditus excisam, sed illam tantum partem, quæ tibi molesta est, sublatam velis. Quanquam in hac similitudine hoc dissimile est: quod invidus iis, quæ nihil ipsi officiunt, alienis prosperitatibus affligitur. Invidiam tamen odium quoddam plerumque comitatur. Ideoque ipsum invidiæ nomen interdum pro odio ponitur. Ac quoniam imminutio boni, malum quodammodo est, alienis malis gaudere invidus dicitur: unde illud poetæ:

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Eleganterque Bio, quemdam, qui hoc morbo laborabat, ridentem conspicatus, *Huiccine*, inquit, *boni quid contigisse dicam: an alii cuipiam aliquid mali?* Optimus tamen et dicendi, et sentiendi magister Aristotles ista distinguit, ut aliud φθόνον vocet, aliud ἐπιχαιρεκακίαν. Cum autem invidia dolor quidam sit, et dolor omnis fodicet, atque exedat eum in quo est; merito dicitur, ipsam invidiam esse supplicium sibi. Nunc qui quibus, et propter quæ fere invideant, strictim explicemus. Invident igitur, non qui sua sorte contenti sunt: (nam etiam poetæ, in quorum scriptis longe verissima omnium affectuum expressio est, cum amoribus suis secure fruuntur, negant se vel Jovi invidere) sed qui semper majus aliquid requirunt, quales præcipue sunt ambitiosi, atque avari. Illi enim quicquid ad gloriam, hi quicquid ad opes accedit alienas, sibi quodammodo detrahi credunt. Invident etiam fere inferiores superioribus: unde dictum est, *Summa petit livor*. non tamen iis, qui longo intervallo superiores sunt: ut diis, aut regibus. Neque procul remotis, ut Scythæ Persis, sed et ejusdem artificii homines inter se. Unde est apud Hesiodum, *Figulus figulo:* quod tamen ita intelligendum est: si gloriam ex eo studio, aut pecuniam aucupentur. Alioqui enim similitudo studiorum, amoris potius causa est: nonnunquam etiam superiores inferioribus, ut Crassus et cæteri nobiles crescenti adhuc Ciceronis gloriæ invidebant. Et novis potius, quam nobilibus: juvenibus potius, quam ætate provectis. Ut enim ignis exoriens plurimum fumum, ita maximam invidiam gloria exoriens excitat. Quo pertinet Themistoclis dictum, qui adolescens dicebat, ex eo se intelligere, nihildum a se splendide gestum, quod nondum invidiæ dente peteretur. Magnam etiam invidiam facit ostentatio sui: vereque scripsit Euripides, τὸ σεμνὸν esse omnibus odiosum. Et æquales æqualibus, et nobiles nobilibus, omninoque pares paribus ideo facile invident, quia aut antevertere ipsi aliis volunt, aut, ne alii sibi antevertant, timent. Et iis, qui tradita sibi potentia immodice utuntur. Cujusmodi invidiam in Catilinæ causa Cicero metuebat. Omnino autem invident aut felicitatem, aut partem aliquam felicitatis. Quocirca sapienter Pindarus, κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. Vereque vulgo dici solet, tribus ex optimis rebus tres pessimas oriri: e veritate odium, e familiaritate contemptum, e felicitate invidiam. Invident autem non tam virtutem, quam præmia virtutis, ut opes, honores, imperia. Nemo enim suam fortitudinem invidit Regulo, aut Deciis: at Ciceronis consulatus maximam invidiam habuit. Ac tum maxime accenditur invidia, cum genere, aut ejusmodi re aliqua superiori gloria ab inferiore præripitur. Itaque hæc interdum vel exitii causa est, ut Gobriæ filio contigit. Non igitur ἀμέσως invidiam parit virtus: sed virtus gloriam, invidiam gloria. Vitatur autem invidia, si te modeste et æqualiter cum aliis geras, nunquam te illis, ut ait Comicus, anteponens. Minuitur etiam, si non omnia tibi uno quasi tenore procedant. Ægre ferunt enim homines, aut unum præ cæteris excellere, aut uni, quasi fortunæ filio,

omnia prospere succedere. Sæpeque sapientes viri in secundissimis rebus aliquid sibi evenire incommodi optarunt. Hoc est enim, quod dicitur, invidiæ sanguinem mittere. Terminatur autem sine dubio quidem morte: unde illa,

Pascitur in vivis livor: post fata quiescit,
et, diram qui contudit Hydram,
Comperit invidiam supremo fine domari.

Sed et confirmata jam, et ad summum perducta gloria invidiam extinguit. Sic enim et aucto jam igne fumus evanescit, et Sol ad summum cœli evectus minimam umbram efficit. Quamlibet multa, aut innumera potius possem in hoc argumento dicere. Sed, hæc ipsa, vereor, ne nimium multa sint. Quæ tamen quoquo modo accipientur a lectoribus, juvat, ut ait poeta, indulsisse furori. MUR.

Cap. 13. *Malleolos*] Vide Vegetium lib. 4. cap. 18. IDEM.

IN

L. CATILINAM.

AD QUIRITES.

ORATIO XX.

Cap. 1. *Tandem aliquando*] Perterrefactus superiori oratione Catilina, ex urbe sese, intempesta nocte, cum paucis, ut ait Sallustius; cum trecentis, ut ait Plutarchus, conjuratis eduxerat. Postridie Cicero, cum senatum habiturus esset, interim dum senatores convenirent, hanc orationem ad populum e Rostris habuit. MURET.

Vel ipsum egredientem] Ejicimur nolentes, emittimur volentes: sed utrumque ab alio: egredimur autem ipsi per nos. Ejectus igitur Catilina. Nolebat enim exire, donec Ciceronem oppressisset. Vel potius emissus. Qui enim sua omnia consilia erui e tenebris, et e privatæ domus parietibus in lucem erumpere videret, in urbe tuto esse posse se non putabat. Vel potius neque ejectus, neque emissus est, sed per se egressus. Nihil enim erat ei longius, quam ut esset in Manlii castris. IDEM.

Prosecuti sumus] Qua de consuetudine a nobis superius dictum est. Non tamen ita hoc dicit, quasi revera Catilinam prosecutus fuerit: sed tantum hoc genere loquendi significat, nullum exeunti ei vim adhibitam fuisse. IDEM.

Abiit, excessit, evasit, erupit] Non est congeries idem significantium: sed crescit veluti per gradus oratio. *Excessit*, plus est quam abiit. *Evasit*, tanquam ex eo loco, in quo jam sine periculo versari nequiret. *Erupit*, cum impetu quodam, et alacritate animi gestientis pervenire in Manlii castra. IDEM.

Sine controversia] Non est, ut quidam exponit, ne ipso quidem Catilina repugnante. Sed idem valet, quod paulo post, *sine dubio*: et infra: *sine dubitatione* ἀτρεκέως. IDEM.

Loco ille motus est] Id est, de statu dejectus. Quem enim locum sibi quisque ad dimicandum cepit, is et a Græcis στάσις, et a Latinis status dicitur. Unde Ciceroni in controversiis forensibus status vocatur, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. IDEM.

Cap. 2. *At si quis est talis*] Nunc ingreditur ad declarandam rationem

consilii sui: cur non interficiendum potius, quam emittendum esse Catilinam duxerit. Artificiose autem facit, ut non modo non improbet, sed magnopere etiam laudet eorum sententiam, qui eum interfici debuisse dicebant; et tamen ab omni reprehensione se liberet. Tale enim dilemma afferri adversus Ciceronem poterat. Aut conjuravit Catilina, aut non conjuravit. Si conjuravit, interficiendus fuit. Si non conjuravit, ne ejiciendus quidem. Huic ita respondet, ut illum interfici debuisse fateatur, sed ostendat tamen magis e republica fuisse, ut emitteretur. IDEM.

Sed quam multos fuisse putatis] Tria hominum genera ponit, in quorum invidiam incursurus erat, si Catilinam interfecisset. Unum eorum, qui, ipsum Catilinæ inimicum esse, propterea quod eum in consulatu acerbum competitorem habuerat, putabant: ideoque, quæ ab ipso deferrentur, non credebant, quod ab odio proficisci existimarent. Alterum eorum, qui ita stulti erant, ut non putarent, aut etiam ut defenderent. Tertium denique improborum hominum, qui Catilinæ conatibus et inceptionibus favebant. MURET.

Invidiæ meæ] Qua mihi inviderentur, non qua ego aliis inviderem. Sic infra: *Invidiæ meæ levandæ causa.* Utroque autem modo dici invidiam, ipsemet docuit quarto Tusculanarum. Ego vero video, multa quoque alia nomina a veteribus eo modo usurpata esse. Utilitas enim mea sæpe quidem est ea, quam ego percipio: sed interdum ea quoque, quæ ex me percipitur. Terentius Eunucho:

In ea re utilitatem ego faciam, ut cognoscas meam

Cicero ad Tironem: *Utilitatibus tuis possim carere: te valere, tua causa primum volo: tum mea, mi Tiro.* Sic negligentia tua, qua tu negligeris: et odium tuum, quo te alius prosequitur. Terentius:

Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.

Sic insidiæ alicujus, non quas ipse tendit, sed quæ ipsi tenduntur, Cicero pro Cælio: *Quod in alicujus agrestis periculo non prætermitteret, id, homo eruditus, in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putare?* Multa his consimilia reperiet, si quis accurate observare voluerit. IDEM.

Tongillum, mihi eduxit] Illud, *mihi*, ad sententiam nihil, ad sermonis elegantiam, et, ut ita dixerim, urbanitatem longe plurimum adjungit. Sic infra, *Qui mihi accubantes in conviviis.* Et pro Murena, *Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos.* Terentius Phormione, act. V. sc. VIII. 21. *Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* IDEM.

Amare in prætexta calumnia cœperat] Ita reperio etiam in calamo exaratis libris. Neque tamen dubium est, quin ea vox aut omnino redundet, aut aliquo modo corrupta sit. Ego certi nihil pronunciare audeo. IDEM. Quidam emendarunt, *quem amare prætextatum in Gallia cœperat.* URSINUS. Credam a Cicerone scriptum, *infamare*, donec verisimilius quidpiam oriatur e Mss. BUHERIUS. Opinatus sum aliquando Ciceronem scripsisse: *Quem armare, in prætexta, calumnia cœperat.* Hoc sensu: Quem jam a tenera ætate, et adhuc adolescentulum Catilina ad omnem calumniandi artem formare cœperat; quique adeo vexandis per falsas criminationes innocentibus viris assuefactus, timeri fortasse possit in foro; in pugna et acie non possit. Quin Latinum sit *armare calumnia*, non dubitabit, qui legerit, aut legisse meminerit, *Armare accusatorem omnibus rebus: Perditos magistratus deorum immortalium regione armare: Temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare: Armatus audacia, ingenio.* Quæ omnia Ciceronis sunt; uti etiam, *Armare eloquentia: Uno versiculo armati consules, &c.* Catilina porro, quod narrat Sallustius, *de B. C. cap. 26.* et amplificat Cicero, *pro Cœlio, cap. 5. et 6.* homo erat om-

nium artium; et adolescentes, quos illexerat, ad cædes, et facinora, vel, si qui nimis imbelles forent, certe ad fraudes, et ad calumniam forensem exercebat. Sic restituta in locum, unde exciderat, una duntaxat literula, hanc puto salebram posse complanari. ODINUS.

Cap. 3. *Q. Metellus*] Missi sunt prætores, Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum: hisque permissum, uti pro tempore, atque periculo exercitum compararent. Hæc Sallustius. E quibus constat de delectu, quem habuit Metellus in Piceno. De Gallico autem, e Dione cognoscitur: qui narrat, cum senatus provincias decrevisset consulibus Macedoniam, et Galliam: Ciceronique Macedonia, quæ lucrosior erat, obtigisset: Ciceronem sponte eam concessisse C. Antonio, ut hominem magno ære alieno, ob idque non alienum a suspicione conjurationis, oblata lucri spe, ad bonas partes adduceret. Ac ne ipsum quidem in Galliam ivisse, sed, cum sibi sumpsisset urbis custodiam, eo Q. Metellum misisse. Atque hoc est, quod Cicero tám sæpe a se provinciam reipubl. causa prætermissam fuisse jactat. MURET.

Vadimonia deserere] Vadimonium deserere, est, quem in diem tu alium, aliusve te vadatus fuerit, eum diem non obire. In desertores autem vadimonii, pœna infamiæ constituta erat: et in eorum bona creditores a prætore mittebantur. IDEM.

Qui fulgent purpura] Significat senatores esse. Soli enim senatores purpuream tunicam lato clavo insignem ferebant. IDEM.

Superioris noctis] Non intelligit eam noctem, quæ proxime antecesserat. Neque enim conveniret, quod statim subjungit, *Patefeci in senatu hesterno die*. MURET.

Cap. 4. *Testamentorum subjector*] Ut Græcis ὑποβάλλεσθαι, ita Latinis, *subjicere*, est interdum falsum, et adulterinum quippiam veri ac germani loco supponere. IDEM.

Circumscriptor] Qui inducendi, ac circumveniendi homines, quasi artificium quoddam tenet. Hoc quoque a Græcis sumptum, quibus περιγράφειν interdum valet, decipere. IDEM.

Cap. 5. *Diversa studia*] Vide Orat. pro Cælio, cap. 5. et 6.

Obligurierunt] Unus e veteribus libris, *abligurierunt*. Idque fortasse verius est. Nam obliguriendi verbum non memini alibi legere. MURETUS.

Ebriosos] Omnes ad unum libri veteres, *ebrios*. Quod válde probo. Ut enim dormiens vigilanti, ita ebrius sobrio opponitur. IDEM.

Unius] Cn. Pompeii.

Cap. 6. *Paruit, quievit*] Verissimam hujus loci scripturam retinuit solus Duisburgensis: *Paruit, ivit. Hesterno*, &c. GRÆVIUS.

Cap. 8. *Unum genus est eorum*] Sex a generibus hominum Catilinæ copias conflatas esse dicit: de quibus singulis ordine videbimus. Primi sunt, locupletes, obærati, amantes possessionum. His id consilii dat, ut, divendita aliqua parte possessionum, dissolvant ea, quæ debent. Quod ut etiam cogantur facere, tabulas auctionarias propositurum se esse profitetur. MURET.

Tuas possessiones sacrosanctas futuras putas?] *Sacrosanctas*, intactas dicit, et ab omni injuria tutas. Sic sacrosancta potestas tribunorum plebis, qui non sine capitali piaculo attingi violenter poterant. G. BUDÆUS, *Annot. prior. in Pandect.*

Tabulas novas] In tabulis argentariorum perscribebatur, quid cuique quisque acceptum, expensumve ferret. Catilina igitur, qui videret magnum in civitate æs alienum esse, pollicebatur, se publice incensurum omnes argentariorum tabulas, ita ut nemo, quod æris alieni antea contraxisset, persolvere cogeretur. MURETUS.

Certare usuris cum fructibus] Est velle usuras sortis creditæ solvere fructibus, seu reditibus, quos capimus ex fundis possessionibusque nostris,

cum tamen usuræ fructus prædiorum superent. GRÆV.

Cap. 9. *Alterum genus est eorum*] In secunda quasi coborte Catilinariæ legionis ponit eos, qui cum ære alieno obruti essent, ad honores tamen, et imperia quoquo modo pervenire cupiebant. Ideoque studebant novis rebus, quod facile cernerent, se quieta rep. nunquam ea, quæ optabant, consecuturos. MURET.

Concedi sit necesse] Si Catilina, quod optabat, consecutus fuisset, sine dubio tradidisset honores, mandassetque imperia, non iis qui votis tantum ipsi favissent, spectatoresque se ociosos præbuissent; sed iis quorum in bello gerendo virtutem et industriam expertus esset. IDEM.

Tertium genus] Duo priora genera erant eorum, qui favebant quidem conjurationi, sed ita tamen, ut arma non caperent, neque ad exercitum proficiscerentur. Hæc, quæ nunc enumerat, eorum sunt, qui in exercitu erant. IDEM.

Quas Fesulis Sylla constituit] Puto vocem, *Fesulis*, delendam esse. Non enim plures colonias Sylla Fesulis constituerat. Ac suspicor, errori occasionem præbitam e similitudine, quæ est inter hunc locum, et alium quemdam e sequenti oratione, ubi Cicero de P. Furio loquens: *Qui*, inquit, *est ex iis colonis quos Fesulas L. Sylla deduxit.* Imperiti enim, qui ibi Fesulas nominari viderent, hic quoque nominandas putarunt. IDEM.

Cap. 10. *Quartum genus*] Primum genus, obærati, amantes possessionum. Secundum, obærati, honorum cupidi. Tertium, Syllani milites. Quartum, urbani decoctores. Quintum, scelerati, sicarii, parricidæ. Sextum, impuri, et impudici. MURETUS.

Vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorum] Præclarus ordo. Primum enim vadatur creditor debitorem. Si debitor vadimonium deseruerit, judicium adversus eum datur: mittiturque creditor in possessionem. Si per triginta dies bona possessa fuerint, proscribuntur. IDEM.

Manicatis et talaribus tunicis] Quorum utrumque mulieribus permissum, viris vel maxime indecorum habebatur. Vide Gellium cap. 12. lib. 7. IDEM.

Velis amictos, non togis] Togarum laxitatem, et tenuitatem significat. IDEM.

Vict. Man. *psallère.*

Vict. Man. LAMB. *scortatorum.*

Cohortem prætoriam] Quam ipse prætor, id est, imperator, perpetuo circa se habeat. MURET.

Cap. 11. *Tumulis*] Tumulus a tumendo est. Ubi enim tumet terra, ibi tumulus dicitur. Sed in quibusdam veteribus libris hoc loco legitur, *cumulis:* quod fortasse verius sit; ut cumulos silvestres vocet illam rusticorum hominum temere coacervatam, atque accumulatam manum. IDEM.

IN

L. CATILINAM.

AD QUIRITES.

ORATIO XXI.

Cap. 1. *Rempublicam, Quirites*] Hanc orationem alii scripserunt habitam esse Non. Decemb. ipsis: qua in re, non magno negotio, manifesti erroris convinci queunt. Etenim ea, quæ proxime hanc sequitur, habita est in senatu Nonis Decemb. quod epistola prima libri secundi ad Atticum Cicero ipse testatur. Hæc autem biduo ante habita fuerat, ut indicant verba illa e sequenti: *Is et tertius dies tertius in custodiam cives Rom. dedit, et supplicationem mihi decrevit; et indices hesterno die maximis præmiis affecit.* Constat igitur hanc habitam esse III. non. Decemb. Continetur autem quatuor præcipuis partibus. Primum enim brevi exordio populum, et sibi conciliat, et attentum ac docilem reddit. Deinde narrat, quem in modum a se patefacta atque oppressa conjuratio fuerit: quidque super ea re decretum a senatu. Hanc narrationem sequitur amplificatio, quæ constat commemoratione prodigiorum, quibus hæc conjuratio præsignificata fuerat; et comparatione illius cum cæteris civilibus, intestinisque bellis. Postremo brevi peroratione commendat se liberosque suos populo Romano; et se in suscepta defensione reip. etiam deposito magistratu, constantissimum fore pollicetur. MURETUS.

Debet dies *is*] Lege, ut est in veteribus libris: *debebit is.* Non enim de die loquitur, sed de seipso: ac seipsum cum Romulo tacite confert. IDEM.

Paucis ante diebus] Hic vicesimus quartus a Catilinæ profectione erat dies. IDEM.

Cap. 2. *Belli Transalpini*] Bellum in ulteriore, tumultum in citeriore Gallia dicit. Inter hæc autem vocabula quid intersit, disces e Cicerone VIII. Philipp. IDEM.

Quorum opera] Emenda e veteribus libris: *quorum opera utor assidue in rep. præsidio cum gladiis miserum.* Ut sit, miseram præsidio: non autem, *in præsidio reip.* MURET. Unus e principum quatuor editionum curatoribus, Mureti emendationem Lambinus approbavit. Grævius admisit in contextum. Ego nolui. Ut enim scite animadvertit Buherius, eorum opera uteris *in republica*, quos in consilium advocas: opera *in reip. præsidio* ab iis ponitur, qui manu eam defendunt. Reatinos autem adolescentes illos non adhibebat sane ad consultandum Cicero. Eorum igitur *opera* non utebatur *in republica*; sed *in præsidio reipublicæ* OLIVETUS.

Cap. 2. *Tertia fere vigilia exacta*] Vigiliarum, in quas nox a veteribus distribueretur, meminit et Julius Pollux libro primo: sed earum ratio planius explicatur a Suida, qui ait, vigiliam, id est, φυλακὴν, esse quartam partem noctis. Tertia igitur vigilia fere exacta, est quatuor fere horis antequam dilucesceret. MURETIUS.

Cap. 4. *Ut servorum præsidio uteretur*] Catilina enim, ut narrat Sallustius, servitia repudiabat. Id Lentulo displicebat. IDEM.

Ille] Catilina. IDEM.

Exciperet] A venatoribus sumptum. IDEM.

Ex fatis Sibyllinis] Fata Sibyllina dicuntur oracula Sibyllina, libri Sibyllini fatales, et fatidici. CASTALIO.

Decimus annus] Vid. Cicer. in Bruto, cap. 67. et quæ ibi ad hunc locum annotat Corradus.

Post Capitolii autem incensionem] L. Scipione et C. Norbano Coss. custodum negligentia Capitolium conflagravit; quod a Q. Catulo postea, Hortensio et Metello Coss. restitutum est. MURET.

Saturnalibus] XVI. Kal. Jan.

Cap. 5. *Præcepissent*] Ita est et in libris veteribus. Sed nihilo secius, legendum censeo, *recepissent*. Recipere autem hoc loco est, polliceri. MURET. Si hanc lectionem *præcepissent*, probabimus, quæ in omnibus libris, et manuscr. et vulg. reperitur, sic eam interpretabimur: Ut item illi facerent, videlicet senatus, et populus Gallorum, quæ sibi, nempe senatui et populo Gallorum, legati præcepissent, id est, præscripsissent, et faciendum esse ostendissent. Sed Muretus censet legendum, *recepissent*, ut sit hic Ciceronis sensus, quæ sibi, nempe Lentulo, legati eorum, recepissent, id est, spopondissent, et suo periculo promisissent. Quod valde probo. LAMB.

Qui sim ex eo, quem ad te misi cognosces] Apud Sallustium, hoc litterarum Lentuli exemplum ita relatum est: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis: et memineris, te esse virum: consideres, quid tuæ rationes postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.* MURET.

Cap. 6. *De summa reip.*] Lambinus in margine, *rep.* Consulatur Cujacius lib. XII. Observat. cap. 32. GRUT.

Dictæ sunt a principibus] Ab iis, qui primi sententiam rogati sunt. De ordine autem rogandi sententias videatur Gellius, lib. IV. cap. 10.

Sine ulla varietate] Nondum igitur constitutum erat de supplicii genere: qua de re postea variæ sententiæ fuerunt. MURET.

Ut P. Lentulus, cum se prætura abdicasset] Quomodo prætor erat Lentulus, tam senex? Intelligendum est, hanc ipsius secundam præturam fuisse. Cum autem lege Cornelia eundem magistratum capere, nisi interjecto decennio, non liceret; verisimile est, eum primam præturam gessisse L. Licinio Lucullo, et C. Aurelio Cotta Coss. Eo magis, quod interjecto ex more biennio, consul fuit una cum Cn. Aufidio Oreste. Cum igitur jam consularis, a censoribus Gellio et Lentulo, qui severissimam censuram egerunt, probri gratia, senatu motus esset, exacto legitimo tempore, ad recuperandam senatoriam dignitatem, denuo præturam petierat, quam tum gerebat. Id testatum reliquerunt Plutarchus et Dio. IDEM.

Cap. 7. *Somnum*] Quamvis superius Lentulum somnolentum fuisse in omnibus, quæ ageret, ostenderit, et commode sic possit intelligi, *somnus*: non frustra tamen *somnium* in antiquissimis codicibus habetur, quo significat illam spem, qua ex libris Sibyllinis somniabat imperium Romanum Lentulus. GRÆV.

Jam ad cæteras res] *Jam ad certas res*, omnes libri veteres. Et ita emenda. MURET.

Cap. 8. *Nam, ut illa omittam*] Sed ea omnia, nemo melius, nemo copiosius persecutus est, quam Cicero ipse longe pulcherrimis versibus, quos recitat Quintus lib. I. de Divinat. MURET.

Neque prætermittendum, neque relinquendum] Prætermittimus ea, quæ ne attingimus quidem: relinquimus jam suscepta. Fieri etiam potest, ut duo idem valentia conjunxerit. ID.

Cotta et Torquato Coss.] Teneri non possum, quin hoc loco versus Ciceronis, quibus hæc continentur, propter mirificam ipsorum pulchritudinem, adscribam:

Nunc ea Torquato, &c. MURET.

Vide lib. I. de Divin. cap. 12. Tibi

vero non placent Ciceronis versus. At placuerunt Mureto, nam hic vides. Placuerunt Camerario, *in Soph. Trach.* Placuerunt Turnebo, *Advers* II. 9. Placuerunt Casaubono, *in Capitol. Gord.* Placuerunt Buherio, *in Tuscul.* II. 8. Veniam hanc igitur peto a te, ut errare cum illis malim, quam tecum vera sentire. OLIVET.

Cap. 10. *Ad omnia pulvinaria*] Supplicationes interdum huic, aut illi Deo, interdum ad omnia pulvinaria, id est, omnibus diis, constituebantur. Ibant per urbem coronati pueri, matronæ, virgines, nonnunquam etiam lauream manu tenentes, canebantque hymnos compositos in laudem Deorum, ac decernebatur supplicario vel ad avertendum aliquod malum, quod aut premeret, aut immineret, vel ob rem bene ac feliciter gestam. MURET.

Dissentit M. Lepidus] Cum impedire, ne Sylla in campo Martio sepeliretur, (qui honos regibus tantum ante Syllam tributus fuerat) et acta illius rescindere conaretur. Livius, lib. 90. Appianus lib. I. de bellis civilibus. Plutarchus in Pompeio. Florus lib. 3. cap. ult. MURET.

Q. Catulo] Hic est Catulus ille, qui Ciceronem patrem patriæ nominavit: quique tum erat princeps senatus, adque adeo civitatis. IDEM.

Non tam ipsius interitus] Animadverte, quam considerate loquatur. Non enim prorsus negat, Lepidi mortem luctuosam fuisse: agit enim ad populum: et Lepidus tenuiorum se propugnatorem adversus Syllanos haberi voluerat: sed negat eam tam luctuosam fuisse, quam cæterorum. IDEM.

Cap. 11. *Eandemque diem intelligo*] Dies hic idem valet, quod tempus: ut in Divinatione, *Biduo breviorem diem.* Quod autem hic dicit Cicero, tale est. Intelligo, eandem diem, id est, idem tempus propagatum esse, et ad salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei: quod quidem tempus spero æternum fore. Itaque quamdiu stabit urbs, tamdiu recordabuntur homines, uno tempore duos in hac republica extitisse cives, &c. se autem, et Cn. Pompeium significat. MURET.

Cap. 12. *Quo quidem mihi libeat ascendere*] Nam nullus est magistratus superior consulatu, præter dictaturam. Hanc autem optare boni civis non esset. Non enim fere dicebatur dictator, nisi periculosissimis reip. temporibus. IDEM.

IN

L. CATILINAM.

IN SENATU.

ORATIO XXII.

M. ANT. MURETI PRÆFATIO AD LEONARDUM MOCENICUM.

Si præmiis tantum, Mocenice, et iis præmiis in quibus præcipuam felicitatis partem vulgaris opinio constituit, ad bene merendum de humano genere præstanti homines ingenio adducerentur: multos, ut opinor, et certe, ab instituto virtutis itinere animadversa superiorum ætatum exempla revocarent. Nam si replicare memoriam temporum, et antiquitatis monumenta excudere velimus,

deprehendemus unaquaque in rep. eos fere, quorum plurima in eam extabant maximaque beneficia, omni scelere laceratos, omni crudelitate raptatos, omni acerbitatis genere divexatos fuisse. Quod quamvis ita exploratum est et tibi, et iis omnibus, qui operæ aliquid in antiquitatis cognitione posuerunt, vix ut confirmationis indigeat: tamen, ut, si qua esse potest, dubitatio eximatur, aliquot, quæ mihi nunc in mentem veniunt, illustria ejus rei exempla subjiciam. Primæ autem in hac cogitatione occurrunt illæ omnium laudandarum artium, ipsiusque adeo humanitatis parentes Athenæ: quam optimis studiis deditam, refertam assidue, atque, ut ita dixerim, fœtam eruditissimis hominibus civitatem, cui unquam insigniter adjuvare, impune licuit? Non illa Miltiadem, Cimonem, Themistoclem, Aristidem, Æschinem, Demosthenem, quorum omnium summis erat usa beneficiis, in exilium pepulit? non illud probitatis, modestiæ, integritatis, sapientiæ specimen Socratem veneno necavit: et constituto adversus impios, ac prave de rebus divinis sentientes supplicio eum potissime affecit, qui unus ex omnibus ad veram dei cognitionem proxime accesserat? Sed Romana resp. quanto cæteras omnes magnitudine virium, atque imperii amplitudine superavit: tanto majorem nobis, atque ampliorem hujus generis exemplorum copiam subministrat. Cujus in historiam quisquis ingreditur, is in ipso quasi vestibulo illum ipsum urbis parentem Romulum senatorum manibus crudelissime discerptum, ac dilaniatum videt. Quod si tam horrendi facinoris immani atrocitate spectata, intro tamen ire perrexerit, non longe progressus, obvium habebit Collatinum, ob inanem popularis suspicionis auram, in exilium proficiscentem ea ex urbe, quam ipse magna ex parte dominatu regio liberarat. Atque ut Coriolanum tacitus prætereat, Marcum certe Camillum, haud facile dixerim, militarine virtute, an fide, justitiaque majorem, et mirabitur, et miserabitur eadem calamitate perculsum. Scipionem vero illum, de quo vere scripserat Ennius, nullam columnam a populo R. erigi posse, quæ magnitudini rerum ab ipso gestarum responderet, quis est, qui cum intellexerit eo post tot tamque insignes victorias redactum, ut exilium sibi suapte sponte consciverit, non debilitetur, ac concidat animo: planeque judicet, nullam iis attingendam esse reip. partem, qui commodo ac tranquillitati suæ consultum velint? Quid jam illos turbines, illas procellas, illas tempestates civilium dissentionum commemorem? quibus non unus aut alter præclarus et salutaris reip. civis perculsus est: sed ipsi acervi, ipsa millia immortalite dignorum hominum, nefariis conceleratissimorum latronum manibus trucidata jacuerunt. O acerbum illud, et vel Romani nominis hostibus miserabile spectaculum: cum passim per vias immanium gladiatorum in principes civitatis debacchabatur furor: cum qui aliquando reip. præsidio fuerant, eis nullum in civitate præsidium reperiebatur: cum quorum eloquentia ipsis gloriæ, aliis admirationi, reip. saluti fuerat, eorum ex illis ipsis Rostris, e quibus tam sæpe concionati erant, incisis cervicibus, capita sanguinolenta pendebant. Sed ut hæc mittamus, quibus satis dolenter deplorandis, alicujus eorum, qui tunc occubuerunt, opus esset ingenio: Ciceronis casus, totiusque vitæ jactatio quem non, qui in juvanda patria commodum suum, aut aliquod ejusmodi præmium sequatur, a reip. tractatione deterreat? Cujus enim unquam hominis vel plura, vel majora merita populus Romanus habuit? At ille tamen, cui senatus togatæ supplicationem decreverat, quem Q. Catulus, princeps senatus, quem M. Cato, quem alii parentem patriæ meritissimo vocaverant, cui L. Gellius coronam civicam a rep. deberi dixerat; quid non postea calamitatum, indignitatum, acerbitatum in ea, quæ ipsius consiliis stabat, civitate perpessus est? Ipse in exilium ab homine teterrimo pulsus, direpta bona, vexata uxor, vexati liberi, domus incensa: quicquid denique meruerat Clodius, Cicero pertulit: et eas ob ipsas res pertulit, quibus nulla satis ampla præmia poterant inveniri. Quocirca si sola, ut initio dixi, præmiorum expectatione præclari viri ad virtutem, et ad juvandum genus hominum adlucerentur: multi sine dubio, cognitis aliorum casibus, a proposito abducerentur. Sed est profecto, Mocenice, est major quædam vis, quæ tibi, ac tui similibus persuadeat, virtutem non modo detractis omnibus præmiis, verumetiam propositis omnibus suppliciis, esse expetendam: pulchrum esse adjuvare cives suos, et omnes curas, omnes vigilias in reip. salute defigere: nullum ejus causa periculum, nullam invidiam, nullam

dimicationem defugere: cives beneficiis affecti si quid præmiorum retulerint, non repudiandum: sin parum grati, parumque memores fuerint, quid denique nos reip. non quid alii nobis debeant, cogitandum. Sæpe enim ex te audivi, cum diceres, gratulari te tibi, et magnam gratiam debere omnium rerum moderatori deo, quod ea in rep. natus esses, in qua verendum non esset, non modo ne quisquam ob virtutem in invidiam vocaretur, sed ne vel minimis in remp. beneficiis sua præmia denegarentur: sed tamen si vixisses illis temporibus, et optionem tibi deus tulisset; Ciceronis fortunam ab urbe conservata exulantis, fortunæ Cæsaris, in eadem oppressa dominantis, antepositurum fuisse. Ac plane ita est, ut dicam; gratuita prorsus, non mercenaria est virtus: neque præmiorum mercedibus ad recte agendum excelso homines ingenio, sed ipsa dignitate, atque honestate ducuntur. Aut si quando de aliquo præmio cogitant, de gloria, deque immortalitate nominis cogitant: cujus splendore capti et incensi, omnia quæ aspera, molesta, difficilia perpessu, impatibilia creduntur, vel non sentiunt, vel despicatui ducunt. Neque vero M. Tullius, cum de conjuratis supplicium sumeret, non jam tum cogitatione præcipiebat eas tempestates, quibus postea vexatus est. Sed animus et a natura præclare conformatus, et sapientiæ adversus omnes vel fortunæ, vel hominum injurias confirmatus, multo pluris ducebat eam pulchritudinem, eamque gloriam quæ in conservanda patria esset, quam omnes acerbitates, quas ipsi postea perditorum hominum inflammata odio rabies objicere posse videretur. Hanc ipsius rationem ac sententiam fuisse, cum alia multa, tum hæc, quam explicare ingredimur, oratio manifesto declarat. MURET.

Cap. 1. *Video P. C.*] Hanc orationem qui dicunt habitam esse VII. Id. Decemb. eorum errorem Cicero ipse coarguit, qui, eam Nonis habitam esse, libro secundo ad Atticum scribit. Est autem in deliberativo genere. Suadet enim patribus, ut fortiter atque animose decernant. Cumque duæ contrariæ sententiæ sint, una D. Silani, qui conjuratos ultimo supplicio afficiendos esse censebat; altera, C. Cæsaris, qui ab eis mortem removebat, cæterorum suppliciorum omnes acerbitates sententia sua complectebatur: non improbat ille quidem sententiam Cæsaris, sed tamen non obscure ad illam alteram inclinat, eamque senatui approbare conatur. Quoniam autem multi erant, qui Ciceroni ipsi metuentes, amplexabantur mitiorem sententiam: idcirco ipse statim a principio, cum maxima significatione caritatis erga patriam suæ orat, obtestaturque eos, ut, omni alia cogitatione omissa, nihil aliud quam salutem dignitatemque publicam sibi in decernendo proponant. MUR.

Data est] Fataliter concessa. Terentius:

——— *est istuc datum*
Profecto mihi, grata ut sint, quæ facio, omnia. IDEM.

Hæc sedes honoris, sella curulis] In optimo illo libro, omnibus litteris aperte perscriptum est: *Hæc sedes honoris, id est, sella curulis:* ex quo, non est obscurum, quid suspicari aliquis possit. Ego tamen, hoc quidem loco, ἰστίχω. IDEM.

Si P. Lentulus] Vide superiorem orationem, cap. 4.

Cap. 2. Vict. Man. *qui mihi videtur amplecti rempublicam.*

Qui mihi videtur amplecti] Omnes, quos mihi quidem videre licuerit, veteres libri ab impressis discrepant. Ita enim in illis legitur, *Quem mihi videtur amplecti respub. tanquam obsidem consulatus mei.* Quam ego scripturam omnino veram esse arbitror. Cur autem obsidem consulatus sui filium vocet, hæc causa est. Qui liberis carent, eos verisimile est de salute publica minus sollicitos esse, quam quibus sunt liberi. Nam hi non minus liberorum causa, quam sua, salvam rempublicam velle debent: nisi omnem exuerint humanitatis sensum, ut illam repudient συγγὲν φυσικὴν, quæ ingenerata est non hominibus modo, verum etiam feris, eaque de causa, ut alibi retulimus, timuchi apud Massilienses non fiebant, nisi qui et uxorem, et liberos haberent. Parvulus igitur Ciceronis

filius, qui patri maxime cordi erat, quasi obses erat reip. qui confirmaret, patrem nihil gesturum, nisi quod videretur saluti fore. MURET. Ciceronis filius annum unum agebat, ut patet ex I. epist. lib. I. ad Atticum: eumque amplectebatur respublica tanquam obsidem paterni consulatus. Quibus enim periculis, non ultro se offerret pro republica Cicero, cum, ea servata, parvulus etiam filius conservaretur, et amplissima præmia sperare posset? Sic nimirum loqui respublica videbatur: Tuum, Cicero, filium fidei tuæ obsidem habes: si tu me servaveris; et ille salvus erit, qui ex te natus est, et ego ipsum jam grandiorem factum, in gratiam bene meriti de me patris ornabo, ac tuebor: si tu remissius egeris, neutrum fiet. FERRAT.

Gener] C. Calpurnius Piso: hic enim tum Tulliam in matrimonio habebat, quæ postea Crassipedi, deinde Dolabellæ nupsit. MURET.

Una cum repub. pereamus] Hunc locum primus sic interpolavit Lambinus. Omnes libri veteres manu exarati, omnes editi ante Lambinum, verissime et pulcherrime, *una reipub. peste pereamus*. Non intellecta vi locutionis *una peste perire*, hunc locum corrupit Lambinus, quem miror hic non reprehendisse Gruterum, cum tamen ei insultandi ubique captet omnes occasiones. GRÆV.

C. Memmium] Magna inter scriptores in hoc nominando varietas. Alii *A. Nonium*, alii *Nummium*, alii *Mummium* vocant. Quarum appellationum quæ verissima sit, illi solicitius viderint, qui, vel quod abundent otio, vel quod aliud præstare non queant, quasi hac una in re omnis eruditio sita sit, ita nihil aliud agendum putant. Mihi consilium non est in talibus, φλυαρίαις τε, καὶ λεπτολεσχίαις diutius immorari. MURET.

Cap. 3. *Statuendum vobis ante noctem est*] Tum quia periculum erat, ne noctu aliquis tumultus excitaretur, ut per vim eriperentur ii, qui in custodiam dati erant: tum quia senatum ante noctem dimitti oportebat. Varro enim apud Gellium, docet, senatus-consultum ante exortum, aut post occasum solem factum, ratum non fuisse. IDEM.

Cap. 4. *Video duas adhuc esse sententias*] D. Junius Silanus primus sententiam rogatus, quoniam, ut diximus, consul designatus erat, in eos, qui in custodiam traditi essent, et præterea in L. Cassium, P. Furium, P. Umbrenum, Q. Annium, si deprehensi forent, ultimum supplicium decreverat. Ei omnes assensi sunt, usque ad Ti. Neronem, qui, ut ait Sallustius, de supplicio, præsidiis additis, referendum esse censuit: ut autem ait Appianus, censuit, eos, in custodiis habendos, donec Catilina bello profligatus foret: ut tum tota res accuratius cognosceretur. Cæsar autem ubi ad eum ventum est, morte eos afficiendos negavit, sed publicanda bona, ipsos per municipia dispertiendos, et perpetuo in vinculis habendos censuit. Addidit alia, quæ hic a Cicerone ponuntur: tantumque valuit dicendo, ut nonnulli ex iis, qui priore loco sententiam dixerant, eam, ipsius oratione permoti, mutaverint: inter quos ipse Silanus, si Sallustio credas, pedibus se in sententiam Neronis iturum esse dixit: sin Plutarchum et Suetonium sequare, professus est, se ultimi supplicii nomine, non mortem, sed vincula intelligere. Cæsari assensi sunt omnes usque ad Catonem, qui gravissima oratione ita disseruit, eos morte esse multandos, ut in eandem sententiam reliquos omnes adduxerit. Cæsaris et Catonis orationes leguntur illæ quidem apud Sallustium: sed non iisdem, ut puto, verbis, quibus ab illis habitæ sunt. MURET.

Cap. 5. *Concionatorum*] Eorum qui omnes ventos concionum colligere consueverunt. MURET. Non hi sunt concionatores, sed qui seditiosis concionibus populum concitant in senatum et optimates, quales erant Gracchi, aliique tribunitii spiritus

homines. Malam in partem accipitur plerumque vox *concionator*. GRÆVIUS.

Video de istis] Notat quempiam e senatoribus, qui, ut popularis haberetur, eo die venire in senatum noluerat: ejusque stultitiam ostendit, qui vereatur judicare de iis, quos multis jam præjudiciis condemnarit. Ei autem ex contentione anteponit Cæsarem, quem revera popularem esse dicit, id est, studiosum salutis publicæ. MURET.

Cap. 6. *Cum avum jussu Consulis*] Hic nihil est, cur quisquam, mutando, aut corrigendo, ingeniosus videri velle debeat. Dixit enim Cæsar, P. Lentulum sororis suæ virum vita privandum esse: idque confirmavit hoc argumento, quod avus quoque suus, multo minus atroci scelere infectus, tamen jussu Opimii consulis interfectus fuisset. Avus autem maternus L. Cæsaris fuerat M. Fulvius Flaccus: nam ejus filiam L. Cæsar, hujus Lucii pater, in matrimonio habuerat. MURET.

Largitionis voluntas tum in republica] Cum C. Gracchus agros dividere, et frumentum plebi dare institueret. IDEM.

Atque illo tempore] Meminit Cicero VIII. Philip. et Valerius cap. 3. lib. 5. IDEM.

Cap. 7. *Ex multorum annorum dissensione*] Propter Sempronias et Cornelias leges de judiciis. Lege Asconium. MURET.

Revocatos] Lege Aurelii Cottæ. IDEM. Vide *Indiculum Legum*.

Scribæ ad ærarium] Ipso die convenerunt ad ærarium scribæ, ut sortirentur officia, qui scriba esset consulis, qui tribuni plebis. Viderunt conjuratos adduci ad senatum. Dimiserunt sortem: et omnes promiserunt præsidium. ANON.

Frequentasset] Vulgatis *frequentes advocasset*. Sed hoc est Latinis frequentare. GRÆ.

Cap. 8. Vict. Man. *sua virtute fortunam*

Lamb. *sua virtute ac fortuna*

Qui sua virtute fortunam *civitatis*. Multi libri veteres: *Qui fortuna sua hujus civitatis jus consecuti*: idque verum esse arbitror. Nam, consequi jus civitatis, probe et usitate dicitur: consequi fortunam civitatis, nescio, an usquam legatur. MURET.

Cap. 11. *Quam neglexi*] Provinciam Galliam, adeoque imperium, et exercitum deposuerat in concione: quam deinde sortitus est Q. Metellus Celer Prætor. FER.

Pro triumpho] Si enim fuisset in provincia, triumphum spectare potuisset. IDEM.

Urbanis opibus] Eloquentia, et auctoritate, tum in judiciis, tum in senatu, clientelas provincialium sibi comparabat, ac tuebatur. MURET.

PRO

L. MURENA.

ORATIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Comitiis consularibus, quæ consul Cicero habuit, D. Junius Silanus, et L. Licinius Murena consules designati sunt. Post comitia Murenam de ambitu competitor ejus accusavit clari nominis jurisconsultus Ser. Sulpicius cum tribus subscriptoribus, M. Catone, probitate sensuque erga rempublicam insigni viro,

Cn. Postumio, Ser. Sulpicio adolescente. Defendit eum Cicero, defensum jam a Q. Hortensio, et M. Crasso. Jucunda in primis oratio est. Nam et jurisconsulti propter Sulpicium exagitantur: et Stoica disciplina, cui deditus erat Cato, facete lepideque deluditur: adeo ut Cato, dignam consule gravitatem et detrahens, dixerit id, quod in Plutarcho legimus: Dii boni! quam ridiculum consulem habemus! MANUTIUS.

Cap. 1. *Renuntiavi*] Cur non ejus collega Antonius? quia consul priore loco creatus, comitia habebat consularia. MAN. Ostendit Gruchius, *lib.* I. *de Comitiis*, consuevisse inter se comparare consules, aut certe sortiri, uter habiturus esset comitia; non semper illud negotium datum ei, qui prior renuntiatus esset. FER.

Me rogante] Non, precante, sed interrogante: ut cum diceret: *Rogo vos, Quirites, velitisne L. Licinium Murenam consulem fieri. Quod si populus probat, suffragiorum tabellas ferebat ita inscriptas, U. R.* id est, Uti rogas. MAN.

Cap. 2. *Ad certam rationis normam dirigenti*] E Stoica disciplina. ID.

A me uno] A se uno tradebatur Murenæ respublica, non ab Antonio Ciceronis collega. GRÆ.

Periculum judicii præstare debet] Efficere, ut alienatio illa, et venditio rata sit: ne quid is, qui emit, damni patiatur. MAN.

Qui se nexu obligavit] Est, qui se suaque bona nexa et obligata fecit ad evictionem præstandam. Hæc dicebatur traditio nexu. Vide Fabri Semestria II. 23. et Salmas. de modo usurar. cap. 18. GRÆ.

Quod natura affert] Nunc sic Latini loquuntur? Recte Lambinus in margine, et Muretus in manu exaratis notis observarunt legendum esse, *quod natura fert.* Sed sic quoque Quintilianum legisse v. Institut. dudum Sylvius notavit. IDEM.

Duos consules] Silanum et Murenam. Unus enim esset, Murena condemnato. Decembri mense, et post Nonas habita videtur oratio, conjuratis interfectis: cum dixerit supra, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur. MAN. Vide tamen Victorii Var. Lect. VI. 18. ubi probat habitam esse ante Non. Decemb. nondum sumpto de Lentulo aliisque conjuratis supplicio.

Legem de ambitu] Legem tulerat, ut damnati ambitus decem annorum exilio punirentur: Calpurnia enim honorum tantum petitione, et Senatu privabat. FERRAT.

Cap. 4. *Te advocato*] Te consulto, et cui tu de jure consultus responsum dederis. FERRAT.

Quem contra veneris] Sæpe enim eveniebat, ut amici adversario consultus responderet, in causa tamen suam amico præsentiam commodaret; ac ne tunc quidem sine molestia ferebat, amici adversarium litem perdere. IDEM.

Cap. 5. *Sedere in equis triumphantium prætextati*] Moris erat, ut qui triumphans in urbem introibat, liberos ac cognatos utriusque sexus, si quidem prætextati essent, in curru juxta se haberet; sin grandiores essent, equis jugalibus funalibusque imponeret. Quod si plures essent, equis singularibus vecti currum prosequebantur, ut scribit Zonaras tom. II. Annalium ex Dione. Vide quæ notavimus ad Sueton. Tiber. c. 6. GRÆ.

Donis militaribus] Ob virtutem a patre acceptis. MAN.

Cap. 6. *Saltatorem appellat*] An ergo saltare in vitio erat? Non magis quam ædificare, loqui. Vituperationem nihilominus continent *ædificator, loquor:* quoniam in his, atque ejus generis nominibus aliis implicata est notio immoderationis, quæ vitio nunquam caret. OLIVET.

Tempestivi convivii] Sunt *tempestiva convivia*, quæ de die, aut ante solemnem cœnæ horam, quæ erat nona, inibantur, ut illius Marii, de quo Juvenalis:

Exul ab octava Marius bibit, &c.

Hæc vero tempestiva convivia erant probrosa. Nulla fuisse Romanis nota *intempestiva convivia* pluribus docuit Salmasius ad Flavii Vopisci Florianum. GRÆVIUS. Vide de Senectute cap. 14.

Cap. 7. *Pater enim fuit, equestri loco*] Animadverte patricii generis equitem Romanum esse. Nam Sulpicia gens patricia. Equestri autem loco is est, qui ab equestri ordine in senatorium non transiit. MAN.

Q. Pompeio] Qui cum Cn. Cæpione consul fuit anno Urbis conditæ 609. FERRAT.

Ut Scaurus memoriam prope intermortuam] Hoc Asconii verbis explanatur: *Scaurus*, inquit, *ita fuit patricius, ut tribus supra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, et nullam vitæ industriam honores adepti sunt. Itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit.* MAN.

Cap. 8. *Novis hominibus*] Hic quærendum est, quinam Romæ dicerentur novi homines: res enim non satis per se perspicua videtur. An ii, qui primum in familiam suam consulatum attulissent? Nequaquam; nam L. Murena, qui, ut infra habetur, primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, consulatum attulerat, nusquam homo novus dicitur, cum illius pater, et avus prætores fuissent. An ii, qui primi ex sua gente adepti essent magistratum? Multo minus; nam infinitum prope illorum numerum extitisse puto, quorum neminem appellatum fuisse novum hominem legimus. Quapropter, qui ad consularem dignitatem pervenissent, ex illis orti familiis, ex quibus antea nemo vel magistratum gesserat, vel fuerat senator; eos demum novos homines dicebant. Tales fuere, quicumque a Cicerone hic recensentur, quorum majores ex plebe, aut ex ordine equestri. Scribit Asconius in Comment. ad Orat. contra Competitor. *Sex Competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, et L. Cassium Longinum:* (dicuntur nobiles, quia ex illorum majoribus nonnulli consules fuerant) *duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, et C. Licinium Sacerdotem:* (hi neque nobiles erant, nullo gesto a majoribus consulatu, neque novi homines, quorum patres aut avi aliquem magistratum ceperant) *solus Cicero ex Competitoribus equestri erat loco natus;* adeoque consulatum adeptus, non tamen ante consulatum, novus homo. FERRAT.

Jacebant] Frustra commemorabant. FERRAT.

Cum multi... fiant] Subintelligendum, *quæstores*. Sic in hoc, unus, petitor scilicet, solus primus quæsturam possit obtinere. LAMB.

Lege Titia] Steph. Pighius in fastis Romanis ad annum 488, existimat C. Titium trib. pl. illo anno legem tulisse, de quæstorum numero duplicando, et provinciis quæstoriis augendis, sortiendisque ex S. C. Hanc esse illam legem, quam hic Cicero dicat Titiam. Nihil adhuc probabilius a quoquam est allatum, quamvis sit mera conjectura. GRÆ.

Provinciam tacitam] *Tacita* vocatur, quia fuit una ex provinciis quatuor Quæstoriis Italiæ, in qua nulla rerum meteria; cum longius abessent a bellica tempestate. IDEM.

Cap. 9. *Ab utroque dissimillima ratione tractatum est*] Franc. *ab utroque dissimillima ratione certatum est.* Quod longe præfero. Reliquum tempus, post quæsturam, in contentionem vocatur. Uter reliquo tempore magis servierit reipublicæ, et utiliorem operam navarit, magisque ut prodesset, contenderit, hic Cicero inquirit comparans utriusque in reipublicam merita. Ab utroque certatum est de bene merendo de patria, sed dissimillima ratione. Alter certavit in militia urbana, alter foris in bellica. *Tractare tempus*, non me-

mini quemquam dixisse. *Se tractare* pro talem se præbere, se sic gerere, apud nostrum semel iterumque legitur: sed *tractare tempus* quid sit, non intelligo. IDEM.

Respondendi, scribendi, cavendi] Tribus verbis jurisconsultorum consuetudinem expressit. Respondent enim de jure consulentibus, cum dicunt: Hoc in lege scriptum est, hoc jus postulat. Id responsum vel voce tantum, vel si rudior, et imperitior esset is, qui consulebat, scriptum dabatur. Inde natus est jocus ille in ep. ad Valerium jurisconsultum: *Qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum, quod male respondeas.* Et ad Trebatium: *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere. Scribere* autem dicuntur, cum formulas scribunt litigantibus. Quo spectat illud ad Trebatium: *Quod si scribere oblitus es; minus multi jam te advocato causa cadent.* Cavere, de iisdem proprie usurpatur. Cavent enim cum aliquem consilio juvant, atque instruunt, sive is litiget, sive contrahat. Ad Appium ep. 2. lib. III. *L. Valerium jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est jurisconsultus. Melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet.* Et ad Trebatium: *Tu, qui cæteris cavere soles, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto.* Et in procemio Topicorum ad eundem: *Cum tu mihi meisque sæpe cavisses.* MAN.

Apud exercitum] Objectio in persona expressa. Habet autem interrogationis figura hoc loco indignationem. Ut, *Quis tu es, quis mihi es, cur meam tibi?* Est autem in pronomine elegans idiotismus, qualis et in aliis linguis animadvertitur. Phormione, *Qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* CAMERAR.

Ista nostra assiduitas] Hoc loco Cicero, *præsentem esse, et ante oculos civium versari*, plus interdum obesse quam prodesse ad honores consequendos ponit. Contra vero pro Cn. Plancio mirum in modum prodesse præsentiam, ita illa scilicet causa postulante, vult ostendere. IDEM.

Cap. 10. *Aliis ego te virtutibus continentia, gravitatis*] Legendum videtur potius, *aliis ego te virtutibus, continentia, gravitate, justitia, fide, cæteris omnibus*, &c. Quis enim ita loquitur, virtus continentiæ, virtus justitiæ? &c. Omnino genus loquendi mihi est insolens, et inauditum. Ego tamen nihil mutavi. Consideret igitur lector eruditus. LAMB.

Cap. 11. *Posset agi lege*] Agere lege, est, suum jus in judicio a prætore legibus etere. Act. I. Verr. *Quis unquam isto prætore, Chelidone invita, lege agere potuit? Lege agere*, non quotidie, sed fastis tantum diebus licebat. Fasti autem dies non omnibus olim noti erant, sed a pontificibus petebantur: postea publicati sunt ab eorum scriba Cn. Flavio. Ad Attic. lib. VI. *Quid ergo profecit, qui protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse.* Livius libro IX. *Civile jus, repositum in penetralibus pontificum, evulgavit; fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur.* MAN.

Tanquam a Chaldæis] Qui, siderum observatione, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset, prædicebant. Petebantur igitur agendi dies a pontificibus, tanquam ab iis, qui, tanquam Chaldæi, de bonis, malisve diebus divinare possent. ID.

Inventus est scriba quidam, Cn. Flavius, qui cornicum oculos] Totam hanc historiam ex Pomponii Enchiridio cognoscere licet: cujus verba extant in Pandectis juris civilis, titulo de origine juris: unde hæc pauca sumam, atque huc adscribam, eorum, quibus hæc ignota sunt, gratia: "Deinde, inquit, ex his legibus eodem "fere tempore, actiones compositæ "sunt, quibus inter se homines dis-"ceptarent; quas actiones, ne popu-

" lus, ut vellet, instituere, certas " solemnesque esse voluerunt: et ap- " pellabatur hæc pars juris, legis ac- " tiones. Et ita eodem pene tem- " pore, tria hæc jura nata sunt: leges " XII. tabularum: ex his fluere cœ- " pit jus civile: ex iisdem, legis ac- " tiones compositæ sunt. Omnium " tamen harum et interpretandi scien- " tia, et actiones, apud collegium " pontificum erant, ex quibus con- " stituebatur, quis quoque anno præ- " esset privatis: et populus prope " centum annos hac consuetudine " usus est. Postea cum App. Clau- " dius disposuisset, et ad formam re- " degisset has actiones, Cn. Flavius, " scriba ejus, libertini filius, surrep- " tum librum populo tradidit: et adeo " gratum id munus populo fuit, ut " tribunus pl. fieret, et senator, et " ædilis curulis. Hæc liber, qui ac- " tiones continet, appellatur jus civile " Flavianum." LAMB.

Qui cornicum oculos] Proverbium est de iis, qui callidos et prudentes et circumspectos, qui cavere et scirent et deberent, fallunt ac circumveniunt. Nam cornix cum aliorum animalium oculos potissimum appetat, ipsam scilicet suis maxime prospicere oportet. CAMERAR.

Notas quasdam composuerunt] *Formulas actionum* significat, quas qui non tenuisset, id est, non quemadmodum oporteret, egisset, causa caderet. ID.

Cap. 12. *Manu consertum*] Gell. lib. XX. cap. 19, exposuit veterum morem in disceptandis vindiciis, cum peteretur res, quæ *fundi* esset, id est, ut nunc loquimur, *immobilis*. Nos possumus etiam, ut opinor, simpliciter accipere, *ex jure manu consertum* vocari, qui ad judicium accipiendum, id est, in jus vocetur. *Conserere* enim *manus*, et *conferre manus*, contendere est, et pugnare. Ut autem intelligatur non belli neque armorum pugna, sed civilis disceptatio, additur *ex jure*. Hæc autem a priscis sine dubio, ut et alia quædam ad talem modum facta et usurpata fuere, non excogitata a Jurisconsultis, quemadmodum Cicero ait: sed quia vere fieri desiissent, et species tantummodo quædam illorum remaneret, ideo *fictas res* et *commentitias* Cicero appellavit. IDEM.

Tibicinis Latini modo] Obscurum, et plane ignotum morem ex historia Livii conabor eruere, quo hic locus illustretur. Narrat ille, *lib.* IX. *cap.* 30. iratos tibicines, quia prohibiti a proximis censoribus fuerant in æde Jovis vesci, Tybur uno agmine abiisse; additque: *Adeo ut nemo in urbe esset qui sacrificiis præcineret.* Hinc manifestum est, tibicines consuevisse sacrificiis præcinere, neque alios manus illud obire potuisse. Nunc, quid essent Latinæ feriæ videamus. Quotannis in monte Albano ab omnibus populis Latini nominis communia quædam sacra fiebant, ex instituto Tarquinii Superbi, ut refert Dionysius, [*lib.* 4.] quæ Latinæ feriæ dicebantur; in his autem sacrificabant pro omnibus, cum septem et quadraginta urbes essent; sed principatum sacrorum Romani habebant; hoc est, primum pro populo Romano, deinde pro reliquis singillatim, solemnes preces fundebantur... Idcirco apud Livium [lib. XLI. cap. 20.] hæc habentur: *Latinæ feriæ fuere ad diem* III. *Non. Maii, in quibus quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, populo Romano Quiritium, religioni fuit.* Cum igitur in communi illo sacrificio quælibet urbe sacrificaret etiam separatim: cumque sacra non fierent, nisi præcinente tibicine, an septem et quadraginta tibicines in montem Albanum veniebant, quia totidem erant urbes, teste Dionysio? Dixerim potius, unum tantum adhibitum fuisse tibicinem, qui modo in hanc, modo in illam partem transiret, ut cujusque populi magistratus suum certum locum occupabat, et omnium sacrificiis singillatim præcineret. Quæ quidem consuetudo notari hoc loco videtur. FERRAT. Hæc velim conferas cum iis quæ adnotavit Turnebus in Agrar. II. cap. 34.

Tum vero] Videtur rectissime distinxisse Petrus Ciacconius: *Tum vero nullo usu utrisque*, petitori nimirum, et unde petitur. GRÆ.

Utrisque superstitibus præsentibus] Utrisque litigantibus. *Superstitibus* autem valet, præsentibus. Itaque necesse non fuit addere, *præsentibus*: quod additum ab aliquo fortasse est interpretandi gratia. Plautus: *Superstitem utrumque monui, ne injussi abeant.* MAN.

Inite viam] Quid sit, *inire viam*, et *redire viam*, quod prætor jubebat, explanatur sequentibus illis verbis: *Homines, cum recte, atque in loco constitissent, juberi abire, ut, unde abissent, eodem statim redirent.* Id enim fiebat in judicio ante prætorem, docente Jurisconsulto. IDEM.

Sed anne tu dicis] Ego hæc, et ipsius ætate Ciceronis obscura, et breviter hic ab eo pronunciata, vix arbitror esse, qui intelligat. IDEM.

Quæ potestate mulierum] Videatur Cujacius, lib. VII. Observat. cap. 11.

Ad coemptiones faciendas] Vide Gnonovium, *de pecunia veterum*, lib. IV. cap. 7. GRÆ.

Ut, quia in alicujus libris] Suspectum mihi est istud *exempli causa*, cum præcessisset, *ut*, quæ vocula idem hoc loco notat, quod *exempli causa*. Deinde mire scribitur id *nomen invenerant*. Quod fuit illud nomen? Atqui nullius nominis facta fuit ante mentio. Vereor ne multis centonibus hic locus sit inquinatus. Forte Cicero scripsit: *Ut quia Caia in alicujus libri exemplo invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari.* Exemplum *libri* est ἀνόγραφον libri. Locus est scaber. GRÆ.

Quæ coemptionem facerent] Hæc longe alia est coemptio, et multum a priore differt. Illa coemptione hereditas venditur seni cuidam imaginaria quadam negotiatione, quæ ab illo ipso emptore imaginario redditur heredi, sed hic coemptione uxor in manum viri convenit. Est enim triplex ratio matrimonium contrahendi apud Romanos, confarreatione, usu, coemptione, de quibus multa Brissonius et Hotomanus. IDEM.

Jam illud] Hæc Cicero irridens, formulas Jurisconsult. collegit. Quæ a Probo tales quædam annotantur: I. D. T. S. P. Id est, *In diem tertium sive perendinum.* Et, T. I. A. V. P. V. D. Id est, *Tempore judicem arbitrumve peto ut des.* Varro ait: *Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis.* Ideo in actionibus videmus dici, Q. R. S. L. D. O. Id est, *Quam rem sive litem dicere oportet.* CAMER.

Cap. 13. *Licet consulere*] Vel concessio consulti significatur, vel hoc dicebat is, qui operam petebat Jurisconsultorum: *Licetne consulere?* scilicet libros Fastorum. ANON.

Rebus prolatis] Res prolatæ dicebantur, cum feriari licebat, munerum urbanorum vacatione concessa: quo tempore ludi fiebant, Votivi, Romani, &c. MAN.

Qua de re agitur, addere] *Videre* pro *addere*, reponendum crediderim. Cur credam, his adducor exemplis. Lib. 2. de Fin. *Omnis in quærendo, quæ via quadam, et ratione habetur oratio, perscribere primum debet, ut quibusdam in formulis, quæ res agatur: ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseritur.* Subjungitque de Epicuro: *Negat definiri rem placere: sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur.* Et lib. V. *Si est quisquam, qui acute in causis videre soleat quæ res agatur.* Et de Fato: *Hæc disserens, qua de re agatur, et in quo causa consistat, non videt.* Et in Bruto: *Qua de re agitur, illud, quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset, videbat.* IDEM.

Controversum jus] Quod interpretationis est dubiæ, et de quo disputare licet in utramque partem. ID.

Cap. 14. *Ut ait ingeniosus poeta*] Ennius.

De rege Pyrrho] Epirotarum rege, qui anno urbis CDLXXIII. a Tarentinis vocatus, in Italiam contra Ro-

manos venit. De eo triumphavit post annos quinque M. Curius Dentatus. Testis omnis historia. MAN.

De Philippo] Persei patre, ultimi Macedoniæ regis: de quo, et de Macedonia capta triumphavit L. Æmilius Paulus: de Philippo autem T. Quinctius Flamininus, Livius, Plutarch. IDEM.

De Ætolis] De quibus triumphavit M. Fulvius Nobilior, anno urbis DLXVI. Livius, Eutropius, alii. ID.

De Pseudophilippo] De quo, et de Macedonia devicta triumphavit Q. Metellus propræter: unde Macedonici cognomen: quod Livius, Pausanias, alii præterea tradiderunt. ID.

De Corinthiis] De quibus, et de Achæis Mummius triumphavit, Achaicique cognomen est adeptus. IDEM.

Cum Antiocho] Cui victo pacis conditiones hæ datæ sunt, ut Europa abstineret, Asiaque omni, quæ cis Taurum est, decederet: XV millia talentorum Euboicorum daret: mille talentûm per XII. annos daret Eumeni regi, qui populum Romanum in bello juverat, CCCC talenta redderet. IDEM.

Cap. 17. *Summo ingenio, opera, gratia*] Hotomanus lib. II. Observat. cap. 13. reponit, *opibus;* sed præter libros veteres. Intelligitur autem *forensi;* quod annotavit ad oram Gulielmius. GRUT.

A Q. Maximo] Cui *Eburno* cognomen fuit propter candorem. MAN.

Cap. 18. *Duæ res vehementer in prætura desideratæ sunt, quæ ambæ in consulatu tum Murenæ profuerunt*] Duæ res deerant Murenæ, cum præturam petebat: hinc minus visus est gratiosus, quam competitor Sulpicius. Ambas deinde habuit in petitione consulatus; hinc eundem illum competitorem superavit. Pergit exponere, quænam illæ duæ res fuerint. *Una, expectatio muneris, quæ et rumore nonnullo, et studiis, sermonibusque competitorum creverat.* Ædilis Murena non fuerat, adeoque nullos fecerat ludos; expectatio igitur, hoc est, frustratio muneris obfuit illi cum præturam peteret, quod omissa ædilitate, populum sibi magnificentia ludorum, et apparatu, ut cæteri fere consueverant, non conciliasset. Præcipue cum omissionem ædilitii muneris neque dissimularet populus *rumore nonnullo;* et competitores suos ipsorum ludos verbis extollerent, et studiose amplificarent. Quid deinde? *Munus amplissimum, quod petitio prætura desiderabat, prætura restituit.* Sortitus enim prætoriam provinciam urbanam, magnifice ludos Apollinares, quos a prætore urbano fieri quotannis necesse erat, apparavit Murena. Qua ratione multum apud populum gratiæ illi accessit, consulatum petenti. FERRAT.

Nondum decesserunt] Nondum Lucullus cum exercitu Romam venerat ad triumphum, cum Murena præturam peteret. FERRAT. Vide Acad. II. 1.

Omen prærogativum] Prærogativa centuria: cujus voluntatem, et judicium centuriatis comitiis reliquæ centuriæ sequebantur: ut omen ea comitiorum fuerit. MAN.

Cap. 19. *L. Otho*] L. Roscius Otho, tribunus plebis Cicerone consule, legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis quatuordecim gradus proximi, spectandi causa, darentur: qua lege restitutam ait Cicero equestri ordini cum dignitate voluptatem. Livius, Asconius, Plut. IDEM. Vide Tom. VI. in Fragmentis Orationum de L. Othone.

Trinos ludos] Primos Cereri, Libero, et Liberæ: secundos Floræ: tertios Jovi, Junoni, et Minervæ *Verr.* III.

Cap. 20. *Sors juris dicundi*] Hoc est, provincia juris dicendi. *Sors* enim quævis provincia alicui imposita vel cum sorte, vel sine sorte. Sic apud nostrum *sortis conjunctio* est societas collegii. *Sors* autem *juris dicendi* est prætura urbana, quam qui consecutus erat, dicebatur *honoratus prætor.* Illi etiam soli et peregrino prætori jurisdictio dicebatur amig-

nata esse: reliqui prætores, qui quæstiones sortiti erant, carebant jurisdictione. Hinc Tac. Agric. 6: *Idem prætoræ tenor et silentium. Nec enim jurisdictio obvenerat.* GRÆVIUS.

Æquitatis largitio] Recte largitionis nomen ad æquitatem adjunxit. Nam sæpe quod jus negat, æquitas largitur. MAN.

Quæstio peculatus] Tu sortitus es quæstionem, hoc est judicium de peculatu, seu furto pecuniæ publicæ. Cæteri enim prætores, excepto urbano et peregrino, sortiebantur inter se quæstiones. Ista quæstio dicitur tristis et atrox, quia peculatus rei in squalore, omnesque illius necessarii in lachrymis versabantur. GRÆV.

Scriba damnatus] Scribam Servius prætor de peculatu damnaverat: quo totus ordo scribarum *alienus*, hoc est, offensus. MANUT.

Syllana gratificatio] Sylla victor iis, qui suas partes in bello juverant, de publico largitus est: ea largitio post illius interitum, peculatus nomine in judicium vocata; multique Servio prætore condemnati. Unde illi pars civitatis infensa. IDEM.

Lites severe æstimatæ] Æstimatio litis est quantum solvere, aut quid sufferre damnatum oporteat. CAMER.

Liberalitatis] Omittens in delectu habendo, quos vellet. FERRAT.

Missi] Favent enim Candidatis, ut sibi in provinciis gratiam illi rependant. IDEM.

Cap. 21. *Amisso jam tempore*] Cum præterierit occasio. MAN.

Accusandi terrores] Accusandi de ambitu, ut nunc accusas Murenam. Quos terrores jam tum candidatus jaciebas. IDEM.

Populi opinionem a spe adipiscendi avertunt] Efficiunt, ut populus opinetur, eum qui terroribus ejusmodi utitur, adipisci consulatum non posse. Qui enim candidatus competitoribus suis minatur, is parum sperare consulatum videtur. Quod cum populus animadvertit, desperantem deserit, et amici eorum studia debilitantur. IDEM.

Omnium] Candidatorum. IDEM.

Testatam rem] Ipsi enim Candidat desperationem suam testantur. FER.

Cap. 23. *Legem ambitus*] Lege Tullia de ambitu lata in gratiam Sulpicii, tria maxime perscribebantur: pœna in eos, qui suffragia venderent; exilium in eos, qui largitionem facerent; et ne reis de ambitu excusatio morbi prodesset. Hinc infra innuit, Murenam infirma valetudine judicio adesse. FERRAT.

Exilium] A te flagitatum est: quod Calpurnia lex non irrogabat. MAN.

Morbi excusationi pœna addita est] Videtur Servius et petiisse a Senatu, et obtinuisse, ut lex ferretur de cogendis omnibus ad comitia consularia, pœna addita, si quis morbum excusaret. IDEM.

Aut incommodo morbi cæteri vitæ fructus relinquendi] Aut, si propter morbum ad comitia non ivissent, potestate suffragandi in posterum privarentur. Sic enim illud accipio; *cæteri vitæ fructus relinquendi.* IDEM.

Lamb. *proderant. Quid? illa*

Cui minime proderant] Non enim ideo legem illam tuli, quia mihi prodesset. IDEM.

Confusionem suffragiorum flagitasti] Petierat Servius, non ut, latis suffragiis, centuriæ numerarentur, quod fieri solebat; sed ut omnia centuriarum omnium suffragia confunderentur: iisque numeratis quis consul factus esset, quis rejectus, intelligeretur. Ita fiebat, ut ambitus tolleretur, cum nullius centuriæ beneficium appareret. IDEM.

Prorogationem legis Maniliæ] Ut lex Manilia de suffragiorum confusione, quæ jam abrogata fuerat, in posterum valeret. IDEM.

Æquationem gratiæ, dignitatis, suffragiorum] Confusis suffragiis hoc sequebatur, ut eorum, qui suffragia ferebant, non gratia, non dignitas extaret. IDEM.

Edititios judices] Non ut sorte eligerentur, sed ipse accusator judices ederet. FERRAT.

Occurro vestræ sapientiæ] Id est, anteverto expectationem quantum

possum eorum, quæ mihi dicenda esse intelligitis. CAMER. Recepit *satietati* Lambinus, sed invitis libris omnibus. quos ego post Victorium, Manutium, Gruterum consului, *sapientiæ* præ se ferant, quamvis et ipse malleem *satietati*, si libri suffragarentur. GRÆV. Probat etiam *satietati* Hotomanus Observat. II. 13.

Cap. 24. *Observationes*] Quis largiretur, quis acciperet. MAN.

Testificationes] Tabularum confectio, quæ fit adhibitis testibus. GRÆV.

Seductiones] Cum seorsum ab aliis, cum quibus erant, duceret. IDEM.

Subscriptorum] Qui subscriberent accusationi. MAN.

Dissimillimo genere] Dissimilitudo erat in hoc potissimum, quod Fesulani et Arretini a Sylla spoliis belli civilis quasi essent ditati, cum illas colonias ibi dictator constituisset. De his vide cap. 9. Catilin. 11. Alii vero a Sylla bonis erant exuti et possessionibus, quas assignaverat suis colonis, qui itidem sequebantur Catilinam spe recuperandi amissos fundos et prædia in his turbis. GRÆV.

Cap. 25. *Unum debile, infirmo capite*] Si contrariis contraria referenda, legendum videtur, *firmo capite:* ut unius corporis debilitas cum alterius firmitate, et ejusdem firmum caput cum nullo capite conferatur. Unum autem debile corpus firmo capite, sunt partes Optimatum, quarum caput est senatus, consul, prætor, et reliqui magistratus. Alterum vero corpus firmum sine capite, plebs est, cujus multitudo si ducem habeat, Optimates facile vincit. Sed quid disputo, quasi ambigua conjectura sit? mecum sentit Plutarchus, aut ego potius cum illo, ut antiquitati honor habeatur. Ejus hæc verba sunt in Ciceronis vita: Τί γὰρ δεινὸν πράττω, εἰ, δυοῖν σωμάτων, τοῦ μὲν ἰσχυοῦ, καὶ κατεφθινκότος, ἴχνοντος δὲ κεφαλὴν τοῦδ' ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ, καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν ἀντὶς ἐπιτίθημι. MANUT. Ut contraria contrariis referantur, legi vult Manutius, *firmo capite*. At non optimam comparationem, et contrapositis elegantem quærebat Catilina; sed quam tempori, loco, et personis ad excitandam confidentiam, maxime convenientem putabat. Eo certe consilio id in senatu dixerat, ut multos novarum rerum studiosos ad conjurandum pertraheret. An vero id efficiebat facilius, si firmum esse diceret caput optimatium, contra quos arma laturi erant, quam si infirmum? Legendum igitur, *infirmo capite*, ut nomine *capitis* Cicero consul intelligatur, quem ignobilem, timidum, ac minime strenuum dicebant. FERR.

Cap. 26. *Divisorum*] A quibus pecunias populo pro Murena divisas esse, Postumius dicebat. MAN.

Adolescenti] Quis non intelligit, Ser. Sulpicii filium significari? qui et ipse cum Postumio, et Catone, patri Murenam accusanti, subscripserat. IDEM.

Equitum centuriis] Equitum Centurias octodecim a Servio Rege institutas narrat Livius, et suffragium in prima Classe tulisse. Hos a L. Natta Murenæ privigno ad prandium invitatos objecerant adversarii. FERR.

Cap. 27. *Etiam in veteris fortunæ discrimen adducitur*] Primum est ei timendum, ne dignitatem, et quam habet relictam a patre, avo, majoribusque suis, et quam ipse adeptus est, amittat; deinde, ne, dum studit novæ laudi, veteris etiam fortunæ jacturam faciat. Dividit Cicero Murenæ statum in dignitatem, et fortunam. MAN.

Sodalis filii] Filii scilicet L. Murenæ. FERRAT.

Prætorius candidatus] Prætorius candidatus Postumius præturam petere destiterat, ut candidatum consularem accusaret Murenam. Quod mirari jure licuit. Cur enim suos potius competitores non accusaret? an exspectabat, ut amicus aliquis alienam persequeretur injuriam? Nimirum, ait Cicero, ejusmodi hoc est, ut si desultorius in quadrigarum curriculum incurrat. Quid enim desultorio cum quadrigis? Desultorii dicebantur, qui ex uno equo in alterum

non intermisso cursu, celerrime desiliebant. Varro lib. 2. de re rust. cap. 7. *Aliter quadrigarius, ac desultor.* Livius lib. XXXIII. *Desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex sesso armatis transultare moris erat.* MANUT.

Cap. 28. *Expectatio tribunatus*] Designatus erat Tribunus pl.

L. Cottam] Vide omnino Valer. Max. lib. VIII. cap. 4.

Serv. Galbam] Idem ibid.

Cap. 29. *Inquit ille fortissimo viro senior magister*] Ex aliqua fortasse tragœdia sumptum, de Chirone Achillem, cujus magister fuit, instruente. MANUT.

Cujus inventorum æmuli] Hoc est, sectatores. Gronovius ad illud Livii in lib. I. cap. 18. GRÆV.

Gratia numquam moveri] Nihil facere, ut gratiam ab aliquo ineat. ID.

Cap. 30. *Petunt aliquid publicum*] Ut de minuenda vectigalium mercede. Quibus restitit unus, et pervicit Cato, Vide ad Attic. lib. 1. MAN.

Dixi in senatu, me nomen consularis candidati delaturum] Valet hoc maxime ad causam Murenæ sublevandam. A Catone accusatur, non quod contra leges fecerit aliquid, sed quoniam in senatu semel dixit Cato, se nomen consularis candidati delaturum. Alter quispiam, qui Stoicus non esset, fateretur, id se dixisse iratum, et dictum ac mentem mutaret. Hoc fateri non vult Cato, ne quid fecisse videatur indignum sapientis gravitate atque constantia. Idcirco itaque reus est Murena, quoniam Stoici docent, irasci non esse sapientis, et se Cato putat sapientem esse. OLIV.

Cap. 31. *Custodia*] Nam eodem anno Tribunus pl. Cato, Murena Consul futurus erat. FERRAT.

Fines officiorum] Id est, extremum et ultimum, quod est τέλος. Hæc etiam Cicero et alibi *finium* verbo indicavit. Præclara translatio a terminis agrorum aut regionum, quibus illorum spatia et territoria definiuntur. Hæc nunc protulisse longius quam natura rerum pateretur, Stoicos ait, id est, in ultimo et extremo quodam bono constituendo excessisse modum conditionis et usus vitæ humanæ. Quando enim ad illud rectum, quod ipsi κατόρθωμα, perveniretur, aut quæ hujus erit usurpatio in convictu et consuetudine hominum? Fuisse igitur hoc consilium illorum Cicero putat, non quod perveniri ad tantam perfectionem posse crederent, sed ut annitentes procederent longius. CAM.

In dissolvenda] Cum periculum est, ne misericordia justitiæ obsit, et æquabili severitati. FERRAT.

Eruditissimum] Panætium.

De L. Philippo] Locus unus ex iis, quibus, contra veteres libros, conjecturam libenter sequor. Quis enim historiæ peritus, *de L. Philo*, non probabit magis, quam de L. Philippo; Philus doctrina, et sapientia clarus: itaque conjungitur, item ut hic, cum Scipione, Lælio, Catone, in oratione pro Archia, cap. 7. *esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furium, modestissimos homines et continentissimos: ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum M. Catonem illum senem.* Sic et aliis in locis. At de L. Philippo, tanquam sapiente, et docto, quæ loquitur historia? MAN.

Cap. 33. *Rogatos*] Ut in campum Martium advenienti ex provincia Murenæ obviam prodirent. MAN.

Deductum] In campum, honorem aliquem petentibus infimorum hominum filiis. IDEM.

Societates] Publicanorum. IDEM.

Tota natio candidatorum?] Prætorii candidati, ædilitii, quæstorii, &c. ID.

Cap. 34. *Aut promerendi, aut proferendi beneficii locum*] Lambinus *referendi.* Male. *Promeremur* beneficium alterius, *proferimus* nostrum. GRUTER. *Proferre beneficium*, pro *conferre* nusquam legitur. Nihil tamen sine libris muto. Si in ullo eorum quos ego vidi, aut quos Gruterus aliique inspexerunt, invenissem *referendi*, recepissem id sane cum Ma-

nutio. Nam vulgata lectio est insulsa et aliena a Latino sermone. Expectandum est, donec meliores codices eruantur. Nam de Lambinianis merito dubitant homines eruditi. GRÆV.

Uno Basilicæ spatio] Cum spatiamur in basilica, vel semel, non modo iterum et sæpe. MAN.

Si, ut suffragantur, nihil valent gratia] Manutius hoc totum abundare arbitratur, et nihil omnino requiri post illud: *Si nihil erit præter ipsorum suffragium, tenue est.* Ego et necessarium alterum illud membrum esse judico ad absolvendam sententiam, et duobus modis exponi posse contendo. Nam suffragari nihil aliud est, et significat, quam suum dare suffragium, ne ab ipsius verbi notione recedatur. Jam constat, hanc superioris membri esse approbationem: *Si nihil erit præter ipsorum suffragium, tenue est;* nimirum, si in referenda gratia nobilibus viris, pro tot ac tantis sibi collatis beneficiis, nihil tenuiores habeant, præter suffragium, tenuis admodum est compensatio. Qua de causa? *Si ut suffragantur, nulla valent gratia;* quoniam, prout suffragantur, et in ferendis suffragiis, nulla tenuiorum gratia est. Hac eadem Oratione cap. 23. ubi agitur de postulatis Sulpicii a Senatu repudiatis: *Confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratiæ, dignitatis, suffragiorum.* Lex Manilia jam vel abrogata, vel repudiata jubebat, confusis omnium Centuriarum suffragiis, eos esse consules (idemque puta de cæteris Magistratibus) qui plura tulissent. Eadem lex ut restitueretur, Sulpicius petebat, cui si senatus assensus fuisset: primo nullius centuriæ beneficium apparuisset, hinc tollebatur gratia: deinde omnes simul omnium classium centuriæ suffragium tulissent, hinc dignitatem, et jus suorum suffragiorum, primæ et secundæ classis centuriæ amittebant, a quibus plerumque absolvebantur comitia. Habes igitur, duas tantum classes, ut plurimum, gratia valuisse in ferendis suffragiis, hoc est in suffragando, quod fere ab iis absolverentur comitia centuriata, de quibus loquimur, antequam reliquæ classes intro vocarentur; proindeque tertia, quarta et quinta, in suffragando, nulla gratia valebant. Hi erant tenuiores, de quibus ut pateat vere esse dictum: *Si nihil erit præter ipsorum suffragium, tenue est;* additur ratio: *Si* (pro quoniam) *ut suffragantur* (prout suffragium ferunt) *nulla valent gratia.* FER.

Non vocare domum suam possunt] Est, non invitare ad cœnam, seu convivium. GRÆV.

In circo] Circensibus ludis in Circo, gladiatoribus in foro. MAN.

Cap. 35. *Tabernas*] Ut ex iis ludos spectare posset. IDEM.

In tuam nimium diligentiam conjectus sunt] Non in Murenæ culpam. Videt populus, nimium te diligentem in his criminibus fuisse; Murenam tamen expertem culpæ putat. MAN.

Verum esse] Pro, æquum esse. Quo sensu Cicero sæpe accipit, ut jam sæpe diximus. HOTOM.

In robore] In dura quapiam materia, ac ligno. VICTOR. *Var. lect.* III. 15.

Alteri] Cretenses, quos debellavit Q. Metellus, hinc dictus *Creticus.*

Alteri] Lacedæmonii.

Cap. 36. *Triclinium*] Lectos sterneret; in triclinio enim lecti sternebantur. Tribus autem in rebus Tubero peccavit: quod hœdinis pellibus usus est pro veste pretiosa: quod Punicanis, hoc est ligneis lectis, pro eburneis et argenteis: quod vasis Samiis, hoc est fictilibus, pro Delicis, aut Corinthiis. FERRAT.

Cur ante petis, quam insusurravit] Cur ad homines accedis, et studium, favorem, gratiam petis, antequam servus monitor eorum tibi nomina insusurraverit? De servo monitore Horat. lib. I. Ep. VI. 50. et lib. II. Od. XVIII. 11. *Pauperem dives me petit.* OLIVET.

Sin perpendere] Si autem hæc, quæ in petitione facis, perpendere velis ad præcepta ejus, quam profiteris, dis-

ciplinæ, reperiri poterunt pravissima, et homine Stoico valde indigna. ID.

Cap. 37. *Natura et fortuna*] *Natura*, ob probitatem et bonitatem ingenii: *fortuna*, quod ipsi etiam expediret salvam et incolumem esse rempublicam. Ut paulo post, *Fortuna constitutum ad otium amplexandum*. CAMER.

Nolite admirari, &c.] Victorii ac Manutii hæc lectio est: quæ cur Lambino et Grutero displicuerit, non video. Valet hæc sententia ad confirmandam superiorem. *Magni interest esse Kal. Jan. in rep. duo consules*, quoniam magnum a Catilinæ sociis imminet reipublicæ periculum. Hi homines, inquit, nihil mediocre agitant animo; vias non ineunt concitandæ multitudinis tritas aliis hactenus factiosis, promulgationem legis improbæ, aut perniciosam largitionem: sed atrocibus consiliis, viis adhuc inusitatis, malum quærunt reipublicæ, quale nullum aliquando est auditum. Quæ statim exponuntur clarius: *Inita sunt in hac civitate consilia*, &c. OLIVET.

Cap. 39. *Qui impedituri*] Hunc locum esse mutilum, et in exemplis fideliter editis notatur, et satis per se manifestum est. CAMER.

Hunc jam qui impedituri sint, videtis. *Illa pestis immanis*] Ita hunc locum emendavit Pantagathus addito verbo *videtis*, quod deest in vulgatis. URSINUS.

Catilinæ] Legendum, *Catilina*, potius videtur. Quid, ut libere dicam quod sentio, vox, *Catilina*, fortasse aliena est, et ex annotatione nata. Nam per immanem et importunam pestem, Catilina describitur ac significatur. LAMB.

Cap. 40. *Fidem vestram vel defensoris*] Hic mihi suspicionem mendi varietas affert antiquorum exemplarium. In duobus, *vestram*, abest: in altero legitur, *Fide in vos defensoris*: unum cum pervulgatis libris consentit. Placeret, *Fide, defensoris, et amici officio adductus*. Fides enim proprie defensoris est, officium amici. Quid porro fidem hic judicum orare opus est? Quale autem videtur, (ut verba quoque consideremus) *fidem vestram oro?* Quæ si parum aut nihil habent momenti, dissensio certe veterum librorum contemnenda non videtur. MANUTIUS.

Cap. 41. *Quo se miser vertet*] Conferas licet cum iis quæ de Graccho habentur lib. I. de Orat. cap. 26.

Nova pœna] Legis a Cicerone latæ de ambitu. FERRAT.

A sacris patriis] Ædes et Lucus Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Rom. erat. IDEM.

Facere] Sacra facere. IDEM.

Tullii artificium in Oratione pro Murena retexere ut facilius possit studiosus eloquentiæ candidatus; operæ pretium mihi facturus videtur, si eam quoque legerit, quam in Murenam, exercitationis causa, scripsit Aonius Palearius, vir inter paucos disertus, nec minus ingenio ac doctrina, quam acerbissima morte nobilis. Vixit autem ille ante ducentos annos: quem propter elegantiam sermonis putares, nisi admonerem, ea floruisse ætate, qua Cicero. Hanc igitur Orationem, etsi longulam, hic repræsentare totam, et Commentario subjungere non dubitavi. OLIVETUS.

AONII PALEARII

ORATIO

IN L. MURENAM.

NUNQUAM ego putavi, Judices, cum vel fortissimus vir civitatis C. Piso legem de ambitu ferret, vel M. Tullius restituendam curaret summa contentione, ludibrio læsum iri dignitatem populi Romani: quæ si iis tam chara esset, quam solent prædicare, qui primo quoque verbo Patres patriæ, custodes libertatis, conservatores fortunarum nostrarum appellari volunt, nunquam profecto L. Murena consul nisi salvis legibus renunciatus, ac defensus fuisset. Quod si comitiis et auspiciis consularibus consecrati hominis tanta habenda ratio est, ut in eum lege agi non liceat: quid opus fuit pro Calpurnia superioribus annis tumultuosis conciouibus ad Bellonæ vocari populum Romanum? quid proximis mensibus Senatum haberi frequentem, et juratos etiam adhiberi, ut sententiam fortiter et graviter dicerent de pœna augenda? In quem, obsecro? si qui per ambitum consulatum est adeptus, antequam ineat, his artibus se eripit, et tegit involucro religionis? Quasi vero in ea civitate non simus, in qua sæpe alii se consulatu ultro sanctissime abdicarunt, alii legibus coacti turpissime sunt dejecti. Nulla enim bona auspicia sunt contra patriam, et commune bonum: nulla firma comitia sine legibus: nullo modo consecrari potest is, qui primum sanctiones violat, ut sit sacrosanctus. Dii enim immortales, quorum puræ simplicesque mentes, omnia perspiciant, ac vident: neque eos admittunt, neque cum iis communicant, quorum animi cupiditatibus infecti, et falli, et alios fallere consueverunt. Quod si solemnis precatio tantam habet vim, ut ratum firmumque sit, quod hoc ritu petitur: meminisse Judices debetis, Tribunos et Consules consecratos religione singillatim in lege ista ferenda, quod faustum, felix, fortunatumque sit Senatui, populoque Romano, fuisse deprecatos. Quod si omen prærogativum tantum semper valuit, quantum ex Hetruscorum disciplina didicimus, et a patribus est observatum: nolite contemnere, iisdem ominibus prius fuisse sancitam legem, quam consulem declaratum Murenam. Sed per Deos, Judices, quid hoc est? quid insinuatio? quid commentatio præ se fert consularis, nisi ambitum admissum? Quare ad hujusmodi artes necesse fuit converti oratorem: qui si aperte concederet, ac deprecaretur, et veniam peteret, esset fortasse ferendus: nunc cum tam audacter neget, et temere invehatur in M. Catonem, et Ser. Sulpitium, gravissimos et sapientissimos viros: non dubito, Judices, me bonis omnibus gratum esse facturum, si eorum causam suscipiam, qui non tam accusari Murenam, quam comitia et legem sanctissimam de ambitu defendi volunt.

Quod primum abs te, M. Tulli, si Cato desideravit, non est mirandum. Tu-ne, cum homo novus, ob opinionem integritatis ad consulatum fuisses provectus: cumque principem juventutis et nobilitatis L. Catilinam, ut de consulatu deturbares, legem Calpurniam aucta pœna restituisses:

ausus es ejus causam suscipere, qui de ambitu post eam legem primus ab integerrimis viris est accusatus? Istuc factum, M. Tulli (ita me dii ament) nunquam non modo nobis, sed ne tibi quidem probabis. Puto enim te, nos putare tua virtute in hunc locum pervenisse, non arte prensandi, ac salutandi, et comparandi suffragatores: quam quia nesciret Sulpitius, cum a consulatu decidisse perbelle arguis. In quo non possum non mirari vehementer, hominem in causis agendis exercitatum, imprudenter prope fuisse confessum, iis rationibus, quibus nascitur ambitus, in comitiis fuisse superiorem Murenam: in quibus superari se facile passus est Sulpitius. Quod si his artibus vicisset, neque Catoni, neque bonis cæteris amicus esse, neque abs te defendi se in animum poterat inducere. Nam quod consul esses, magis te legibus putabat obstrictum, majorem habiturum fuisse rationem æquitatis, minus daturum amicitiæ: nunquam commissurum, ut qui per ambitum, et largitionem factus esset consul, defendi se a laudato consule speraret.

An si L. Catilina consul designatus fuisset, versareturque in eo periculo, in quo vides esse, Murenam: putasses ab eo, qui consulatum gereret, defendendum? Nimirum facile nobis placemus, assentamurque nobis ipsis: unde data est via, ut peccemus in omni vita. Fit aliquando, cum altercari cum aliquo incoeperimus, et ab eo metuere, qui cum gerimus inimicitias, ut observemus clanculum quid agat, quibuscum sit, quid in convivio iratus dicat, quid scorto receperit: quod etsi sciamus non esse facturum, clamamus tamen, ut conjiciamus in voculas hominum, ut cogamus desperationem in consilium adhibere, et fortasse etiam indicta causa vel laqueo gulam frangimus, vel securi percutimus: et gloriamur postea, quod severitatis personam a Republica nobis impositam pulcherrime sustinuerimus: et non potius res nostras, et nos ipsos. Venit alter totus ex mendo compositus, humilis, demissus, abjectus, qui pro se causam dici vult: quid hunc recipimus? quid defendimus? quid amplexamur? scilicet ut misericordiæ et lenitatis agamus partes? neque pudebit dicere, quidquid id flagitii est, facere nos hominibus et diis approbantibus: quibus quoniam non possumus illudere, nihil erit mirandum, si aliquando pœnitebit.

Sed quoniam, Judices, qui ante me dixerunt M. Crassus, Q. Hortensius, M. Tullius, eloquentes viri, in rhetorum campis educati, non contenti fuerunt de crimine tantum dicere, sed liberius vagari voluerunt, in quibus M. Tullius veluti assuetus in prælliis equus, ferox ac terribilis, ut vidistis, nunc petebat Servium, nunc procurrebat in Catonem: liceat mihi, obsecro, bona cum venia vestra, antequam de ambitu dicam, non descendere in arenam, et certamen cum eo, qui ut de Pericle dicebatur, fulmen in lingua gerit: sed veritatis sustinendæ causa, verecunde et pudenter reclamare magno oratori, ne qui ad facultatem juris civilis, quæ per se honestissima est, et sanctissima, aut ad Stoicorum disciplinam, a summis philosophis probatam et cultam, se conferre velint, hujus opera abducantur: ut optimis viris, et studiis optimis defensis, a bonis ineam gratiam: quod nulla exercitatione dicendi, nulla eruditione, nullis opibus propriis, aut amicorum fretus, sed æquitate et humanitate vestra, Judices, non sim veritus repugnare eloquentissimis, et consularibus viris, et propter integritatem comitiorum inimicitias suscipere cum L. Murena graves et periculosas. Quem si tantum offendi putarem: multa, M. Tulli, in præsentia dicerem de Asiæ rebus quæ præteribo: quibus fortasse concederes, non ineptum omnino fuisse Catonem, qui Asiam objecerit. Nam omnes nos quidem scimus continentiam illam incredibilem eorum, qui

cum Lucullo fuerunt in Asia, et miram observantiam veteris disciplinæ: quod non utrem, non follem, non falculam quisquam sustulerit in tanta præda. Quî id fieri potuit, nisi exemplo eorum, qui exercitui præerant? Quamobrem quis miretur, si in luxuriæ sedibus et rerum omnium affluentia dicto audientes milites, non otium aut desidiam, sed signa secuti, bellum omne confecerunt? Ipse vero legatus, quid? miror in his litteris fuisse prætermissum, quæ datæ sunt a Lucullo ad Senatum, dum alii omnes convivia irent, ac saltarent, qua continentia ad focum sedens, rapam coquebat, qua scilicet assueseeret cœnaturus aliquando in Apollinis. Ex quo dubitavi sæpe, an his litteris testata sint omnia, in quibus neque illud erat, ubi gentium L. Murena fuisset eo tempore, cum jumenta illa onusta auro impedimento fuere, ne Rex caperetur: cumque a nostris militibus in Ponto collectis diligentissime sarcinis Mitridates effugit e manibus. Nam quod ne teruncium quidem ex Asia asportaverit Murena, vel illud argumento est, quod a tribus magnis oratoribus certatim defenditur: neque interim unus aut alter rabula est in foro venalis, qui non adsit advocatus. Num hæc parva signa sunt integritatis, et continentiæ? Quæ quoniam omnia tam nota sunt populo Romano, quam quæ maxime: venio ad dignitatem generis, in qua satis assecuti videmur, quod parem erator, non superiorem fecerit Murenam.

Quousque tandem, Judices, eloquentia iste potens ac exultans sperabit, et mentis et oculorum aciem nobis præstringere? quid non audebit persuadere? quid verebitur dicere is, qui genus patriciorum et equitum cum plebeio pari esse dignitate contendit? quæsono ita nos stolidos esse, et truncos, et stipites arbitretur, ut non intelligamus, cum Romulus ex omni civitate centum patres delegisset, eandem noluisse patricii generis et plebeii fore dignitatem? Quid Tarquinius, cum summo consensu populi Romani regnum obtinuisset, ut gratiam optimis referret, centum in patres legit? loca patribus et equitibus in Circo divisit, ut honestissimo ludos spectarent: non putavit patricios et equites plus quam ceteros affici ornamento? Quid cum L. Brutus, parens libertatis nostræ, ex lectissimis equitibus, et patriciis trecentis Senatorum summam confecisset, voluit nihil interesse hos ab iis, qui in illum ordinem non conscriberentur? Sunt et plebeiis familiis honores magni, atque ampli: quis neget? Quot patrum nostrorum memoria de plebe accepimus magistros equitum, consules, domi militiæque claros? Quot nos vidimus, et quotidie videmus, de plebe delectos Imperatores curru aurato, patriciis plaudentibus, congratulantibus equitibus, Capitolium ascendere? quos non deprimimus, cum laudamus patricium genus, et equestre: tantumque abest ut ob hæc laudes plebs rursus in Aventinum secedat, ut proximis superioribus annis per M. Cottam non obscure tulerit, ne equites soli, sed et patricii quoque judicarent. Novit enim plebs Romana usu quotidiano ex antiquis familiis, veluti ex senescentibus arboribus sæpe esse traduces, qui non modo patrum et avorum dignitatem vultus, et corporis formam referant, sed antiquos mores, et animi effigiem non mutam. M. Scaurus cum vetustissima familia ortus esset, et patrem et avum proavumque habuisset obscuros et tenues, intermortuam generis et virtutis exsuscitavit nobilitatem. An P. Scipio, cum per ætatem non liceret, amplissimos magistratus assecutus, et cum imperio missus ad bellum ingens et periculosum fuisset, nisi splendor generis magnam concitasset expectationem et opinionem virtutis? Quod si in belluarum fœtibus permagni refert, ex quo sobole catuli sint: nihil interesse putas in hominum genere, in quo mentem ipsam sæpissime transfundi videmus? Neque hæc ignorat Cicero:

sed id incommodi afferunt semper homines novi, ubi in altiorem locum prevehuntur, ut nullis finibus se contineant: at, veluti cum Senatu pugnarint, jactent se refregisse claustra nobilitatis. Fuit C. Marius fortissimus vir, et prope cælestis: is Jugurthinum bellum confecit, Teutonas et Ambronas fudit, Cimbros delevit: eas tamen in Republica turbas fecit, eas strages dedit, ut non minus patricii ad ædem Vestæ, quam ad aquas Sextias barbari sanguinis sit fusum. Quod non eo dico, ut judicium et æquitatem populi Romani improbem, qui voluit semper aditum virtuti patere ad omnes honores: sed ut contendam, illiberaliter facere eos, qui seditionem aiunt in civitate, qui negant ab illustribus viris aliquid proficisci ad posteros, quo nobilitas sit præferenda. Unde vero tandem Decios, Calpurnios, Marcellos, Scipiones, et cætera robora illa reipublicæ habuimus? ex quibus nati, si tales sunt qualis Sulpitius, ingrati est eorum in comitiis non meminisse, invidi splendorem contemnere, improbi non admirari virtutem: de qua diutissime dicere poteram, et quidem debebam, optime Servi: dicam tamen brevissime, quod unam omnes veluti divinum quiddam videant elucere sanctitatem tuam.

Fides, pudor, justitia, temperantia te sic illustrem facit, ut nihil indigeas luce orationis. Quare non Sulpitio, sed virtuti putat Cato fieri injuriam: negat vero diu salvam rempublicam esse posse, in qua dignior consulatu habeatur, qui cum hostibus aliquando dubio marte contenderit, quam is qui cum cupiditatibus explorata victoria pugnarit, et vicerit semper. Magis ab iis periculum esse reipublicæ clamat, qui per divisores populum corrumpunt, qui leges negligunt: quam a Regibus ipsis, quibuscum hoc tempore Cn. Pompeius bellum gerit. Fuit patrum nostrorum memoria in Italia Pyrrhus, tentaturus quid ferret sors, quem hera regnare voluisset: fuderat exercitum nostrum, ac fugarat. Domi tamen integritas Fabricii, Appii fortitudo, Curii continentia erat: quas expertus hostis, et admiratus, victus abiit: quod ii essent homines Romæ, quibus dii immortales superiores esse non possent. Fuit in Italia Annibal multos annos, et prope omnia occuparat, præter integritatem, et prudentiam civium: quorum uno consilio Scipio in Africam missus est, et Italia belli terroribus liberata. Quo in loco libenter istos rogarim, qui ad rem bellicam omnia referunt: quid P. Scipionis ad Ticinum? quid T. Sempronii ad Trebiam? quid C. Flaminii ad Thrasimenum concursus cum magnis copiis, profuit populo Romano? C. Minutii ferocia damnum attulit, C. Terentii studium pugnandi ignominiam et calamitatem Cannensem: quid ipse Q. Fabius Maximus, armis? quid Claudius Marcellus virtute illa militari efficere tandem potuit? erat nihilo secius in Italia Annibal, omnia ferro ignique vastabat. Unum illud consilium prudentissimorum civium, qui ad gubernacula reipublicæ sedebant, magnum imperatorem, qui in Hispania victor per Pyreneum et Galliam vi erumpens, per angustias Alpium, per convalles gelu et pruina rigentes, per juga altissima nive obducta, et præcipites rupes peditum octoginta, equitum millia decem traduxerat: tot postea rebus feliciter gestis unum, unum consilium fregit, fugavit, Italia expulit. Est quidem Africani nomen illustrius, quam eorum qui consilium dederunt: non tamen propterea negandum, istos ipsos fuisse auctores omnium commodorum. Iisdem consultoribus bellum gestum est contra Antiochum, et Græcia provincia decreta est L. Scipioni: de quo cum Senatus dubitaret, an belli molem posset sustinere, statuit, ut legatus fratri Africanus proficisceretur: quo consilio Antiochus victus, omnibus provinciis citra Taurum montem cessit. Quis hic non videat prudentiam civium, expendentem munia Imperatorum? a quibus si praeclara

quædam proficiscuntur, et ex urbana prudentia optimi Imperatores: quis neget, armis imperatoriis urbanam togam anteponendam? An non hac ratione Deos ipsos colimus, fatemurque auctores omnium rerum, quæ a nobis geruntur: quod mentem et consilium suum nobis impertiant? Quid Senatus frequens? quid conciones ad populum? nonne concilia quædam videntur Deorum immortalium, quæ ab Homero et antiquissimis poetis describuntur? Dicunt illi sententias graves, et ex fati firmitudine regunt orbem terrarum: agunt Senatores et consulares viri de Republica, et ex legum constantia tot urbes, tot gentium regna, tot nationum provincias moderantur: mittuntur, si quando opus est, non vulgares dii cum mandatis ad Priamum, ad Agamemnonem, ad primores Argivorum: preferunt legati populi Romani mandata ad Reges et principes civitatum, quæ ad Orientem et Occidentem solem spectant. Illi sæpe religione violata, concitatis tempestatibus fruges perdunt, pecora exterminant, urbes delent: læsa dignitate populi Romani, jubentur veluti ministri et assectæ voluntatis Senatus, mature cum exercitu exire Imperatores, qui excursionibus agrum vastent, diripiant pecuaria, oppida evertant. Qui et quales hi sunt viri, qui hæc mandare possunt imperatoribus? Ex his unus est, atque amplissimus, Sulpitius, qui cum multos abhinc annos ad Rempublicam accessisset, arbitrabatur se aliquanto digniorem esse in petitione consulatus militari homine, qui forum nunquam attigisset.

Ea de re declamavit, ut vidistis, Judices, is, qui multis viris nobilibus prælatus est ob hæc ipsa studia urbana, et civilem prudentiam, senatoriamque dignitatem: quam cum Sulpitius scientia juris civilis honestasset, putabat aliquid habere se quod non obesset petitioni consulatus. Nam cum a pueritia gloriæ desiderio arderet, ut omni genere laudis excelleret, cum diligenti observatione oratorum nostrorum, tum imitatione Atticorum hominum castum, purum, cultumque dicendi genus assecutus esset, totum se, ut ex arte diceret, ad Græcorum rhetorum præcepta convertit. Athenas profectus, auditis oratoribus Græcis, ad philosophiam quoque animum appulit, et liberales artes: in quibus partitionem non fecit, sed universas est complexus. Ex quibus vix credibile est, quæ ornamenta et adjumenta in urbem reportarit. Quæ ab illo scripta sunt eo tempore, sunt in manibus omnium. Poterat iis esse contentus, nisi magnitudine ingenii noluisset in secundis consistere. Utebatur familiariter Scævola: quem cum sapientem haberi et esse intelligeret, ejus monitu non satis dignum putavit oratorem cui primæ deferrentur, qui vel injuria, vel jure aliquod factum contendat: et ipse ignoret quid jus sit, quid æquum, qui sensus latorum legum. Quod si turpe est argentarium mensis palam propositis, cum pecunia numeranda est, currere ad fœneratorem, et versuram facere: an oratori erit honestum, cum causa dicenda est, cursare ad jurisperitum, ut ejus opera utatur? Philosophiam in oratore Hermagoras requirebat: an earum rerum peritiam, quæ quotidie versantur in foro, contempsisset? Hoc consilio jus civile didicit: at in ætatis maturitate nihil sibi putavit antiquius, quam prodesse civibus suis. Quare ad jus scribendum animum adjunxit, quo sine nullam putat stare posse rempublicam.

Tulit id graviter M. Tullius, quod relictis studiis oratorijs veluti minoribus, pluris facere Servius videretur scientiam jurisperitorum. Dissimulavit aliquando, sed occasionem nactus tandem erupit: invectus est, et cavillatione usus liberius quam deceret consulem populi Romani. Quid ergo est? Fuerunt illa quidem a Cicerone contra jurisperitos luculenter, fuerunt ingeniose dicta, fateor: ostendit in his Cicero aciem ingenii sui, confiteor: persuasit etiam quibusdam, quod est finis oratoris, fortasse: at

si falsa esse contendam, non facio injuriam. Neque enim oratoris officium est vera dicere, sed apposite dicere ad persuadendum? versatur enim orator sæpissime in eo, quod dialectici et rhetores probabile appellant. Colligam tamen omnia strictim, quod de M. Catonis studiis etiam, de lege ambitus, de accusatione est dicendum.

Ridet M. Tullius Cicero jurisperitos, et suspirat M. Porcius Cato: suspirat, et quid inquit? *Dii immortales! quam ridiculum consulem habemus:* quibus pauculis, præclaroque suspirio, putabat Servius satis fuisse responsum. Sed occurro ego desiderio et expectationi multorum, Judices. Quid primum objicit? observatione dierum vulgata a Cn. Flavio scriba, imminutam esse auctoritatem, et existimationem jurisperitorum. Nunquam mehercule jurisconsulti in eo positas juris fortunas putarunt, ut in editione dierum jus penderet: cum commune quicquam nihil habeant dies cum ratione juris. Id facile probant, quod in juris definitionem dies non cedat. At non hoc illi simillimum est? Tribulis meus homo agrestis, sed non indoctus, sanctissimos putat esse pontifices, quod dibaphum induant: num si omnes dies fasti essent, jus esset minus sanctum? num minor esset autoritas jurisperitorum? Jus ipsum per se sanctum est, natum, profectum ab æternis illis mentibus, quæ in nos sæpe ultro se transfundunt, et monent quid rectum, quid justum sit: ut honesta imperemus, prohibeamus contraria. Deos ipsos non videmus, sed hanc eorum præpotentem vim sæpe in animis sentimus, ita ut ardeamus aliquando ira, si quid injuste fieri videmus: lætemur, si quid sit benefactum: damnemus culpam, defendamus innocentiam, virtutes præmiis, vitia suppliciis digna judicemus: hoc quicquid est, divinum profecto est. Quod si veluti Deorum interpretes explicant apposite, et nobis enunciant jurisconsulti, quis neget magna eos esse sanctitate, et summa debere apud omnes esse existimatione?

Proximum huic caput est, quo formulas Jureconsultorum veterum ridet. Dolent jurisperiti non se, sed optima et aurea tempora indignissime rideri, ab eo præsertim, a quo minime erat expectandum: quæ si risu digna essent, non tamen ridendum putant jus civile. Nam formulæ multæ immutatæ sunt, et possunt immutari quotidie: abeunt et redeunt dicendi modi: stabile tamen jus est, et firmum, quamdiu humanum genus rationis est particeps. Quod vero queritur formulas et notas præscribi a jurisperitis, ut omnibus rebus intersint: queritur præter æquum et bonum. Est enim id profecto perquam necessarium. Nam si cuique esset integrum scribere ac dicere ex animi sui sensu, controversiis nullus esset modus: vix cum in angustissimum locum res adducta est, ut formulis ipsis et compositis notis omnia distinguantur, id possumus assequi, ne ex scripto litigent homines, ne quotidie manum et ferrum conferant. Dii boni, quæ turbæ essent, si petitiones, responsiones, pacta, conventa, stipulationes, testamenta, judicia nullis cancellis continerentur? an non hoc esset homines revocare ad sylvas?

Atque ut ad singula apposite cum jurisperitis respondeam, rejeci in hunc locum, quod tenuem sciontiam appellavit jurisperitorum: quod res parvæ sunt, prope in singulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatæ. Quod si hic tantum exprobrasset M. Tullius, aiunt se id potuisse ferre. Quid ergo est? queruntur, sæpe in aliis orationibus effusum esse hoc virus acerbitatis. Quid, inquit, me ad verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos revocas? Rogant jurisperiti, an non hoc idem sit in philosophia, et in oratoria ipsa facultate, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos? Sed quoniam monent quidam, in oratione Latina

non plus nos debere Græce loqui, quam in Græca Latine: servemus institutum, adhibeamus exempli causa voces Latinas. Quantum interest si dixerit Teucer, *cum occisus est Ajax aderat Ulysses:* vel, *aberat Ulysses?* quantum si dixerim, *Abduxit virginem,* aut *Virginem adduxit Thraso?* Tantum interest, ut stolidus omnino sit, qui non videat quantum interest At id est ex singulis litteris: quid possint interpunctiones, videamus. *Nicomachi filius vir bonus minime multos lædit:* quanti est interpunctio? *Vir bonus minime:* vel, *minime multos lædit.* Et ex rhetoribus illud, *Testamento Rex jussit poni statuam auream hastam tenentem,* quanti refert quo loco sit interpunctio: an statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta aurea tantum? Quod vitium ne ita facile vitari posse dicat Cicero, viderit ipse in illis verbis, dum jurisperitos ridet. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt.* Incertum dubiumque est, an mulieres voluerunt, an majores voluerunt. Et in oratione, quam habuit pro C. Rabirio perduellionis reo, rogabat Labienum: *Cum omnium ordinum homines qui in salute Reipublicæ salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent, quid tandem C. Rabirio faciendum fuit, de teipso Labiene quæro?* Falli quis poterat, num, quæro quid faciendum fuit C. Rabirio de teipso: vel (ut certe est) Quæro de teipso Labiene, quid faciendum fuit C. Rabirio? quod interpunctione, vel conjectura dignoscimus. Sexcenta sunt, ne omnia prosequar, in scriptis tuis M. Tulli, et antiquorum, quæ egent interpunctionibus. Quid ergo obtrectas de interpunctionibus uni facultati jurisperitorum?

Quod clamas, genera tutorum mulierum potestate contineri commento jurisperitorum: si ea genera sunt, quæ prætoris permissu mulieribus possunt concedi; potestatem prætoriam bene video, mulierum quidem nullam: ad coemptiones faciendas senes repertos interimendorum sacrorum causa, nihil est quod accuses. Quasi vero non satis sint matronæ usu uxores, ut privata sacra solennia, perpetua maneant: hæc quæ in manum convenit, columen est familiæ, præsidium fortunarum, dulcis et contubernalis heres. Nam quod insimulas ac imponis, credo, joco, quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant jurisperiti, putarunt omnes mulieres quæ coemptionem facerent, Caias vocari: nimium lepidus es, qui cum teneas omnem antiquitatem, res Romanas Græcis velis esse notiores quam tibi. Sæpe illi celebrant Caias appellatas uxores per coemptionem, ob Caiam Cæciliam, honestam et lectam mulierem, quæ uni ex Tarquinii liberis nupta est: cujus statua in Anci templo constituta fuit, cum sandaliis et colo, quæ domesticæ curæ et frugalitatis essent monimenta. Ecquis alius est? Nunc in memoriam redeo: familiaris tuus M. Varro, qui descriptiones temporum, qui sacrorum jura, qui omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit: is lanam cum colo et fuso Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata est, in templo M. Anci fuisse scribit: factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus: unde factum est, ut nubentes virgines comitetur colus compta et fusus cum stamine. Caiæ ergo appellatæ, ut frugi essent, cujusmodi fuit Caia Cæcilia.

Quod de arbitro et judice, de die tertio et perendino, de lite et re objicis, nolo plura dicere. Hoc tantum dicam, de verborum significatione a nullis diligentius fuisse scriptum, quam a jurisperitis: atque hoc ipsum, quid *Arbiter sit, quid Judex,* ab istis ipsis hominibus nos copiosissime scire.

Quod ergo colligis, Dignitas in ista scientia consularis nunquam fuit: qui id probas? Quæ tota ex rebus fictis, commentitiisque constaret: id

negant jurisperiti, quod ex rebus veris certisque eorum scientia sit. An obsecro statuere, quid æquum justumque sit, suum cuique tribuere, quæ facienda sint jubere, prohibere contraria, res fictæ et commentitiæ sunt? Gratiam sibi ex hac facultate homines comparare non possunt. Hæc prima laus est juris scientiæ: assentatoris et sophistæ, simulatoris ac dissimulatoris forensis est aucupari gratiam. Atque ut mirere, ob idipsum, quod gratiam comparare non possunt, ob idipsum sunt gratiosi. Quod omnibus patet, et æque promptum est mihi, et adversario meo, id jus æquabile est: quod neque distinguit divitem hominem ab inopi, neque amicum ab inimico. Tantumque abest ut verum sit quod objicitur, quod neque extra Romam usquam, neque Romæ valeat hæc facultas: ut judicio aliquando tuo, si tibi constans esse vis, nihil pluris sit ad regendas urbes hac una facultate.

Quod deducis, hac scientia peritum neminem haberi posse, quod in eo quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare: quod sumis, hoc erat probandum. Quod sciant omnes: id quoque si probes, non vides quo te includas. Necesse est, eos omnes qui sciant, esse peritos: et qui tales sint, in peritis haberi. Difficilis res non putatur, quod et perpaucis, et minime obscuris litteris continetur. Utinam istuc vere diceres, M. Tulli. Quid si alibi dixisti, Artem jurisperitorum uberem et dissipatam? An non una hac ex omnibus Græciæ civitatibus accepta jura, et nostrorum sapientum responsa, plebiscita, senatus-consulta, decreta, leges continentur? Parva ergo facultas? Quod si, ut in Græco proverbio est, quæ difficilia sunt, ea pulchra: pulcherrima est facultas jurisperitorum. Multa sunt perpendenda ex jure naturæ, quod non omne genus causæ scriptis potuit comprehendi, nec comprehendetur unquam: quæ relicta sunt ingeniis unis jurisperitorum. Illud vero quanti est? quod Latinis, purisque litteris sunt omnia illustranda, et jurisperitum in primis bene oportet esse eloquentem? Huc accedit, quod si philosophia, quæ ad mores attinet, tantis laudibus digna est, quantis eam extulit semper Cicero, quod mater omnium artium sit, donum et inventum Deorum: non video, qui rejicere possit hanc facultatem, quæ pars optima est moralis philosophiæ: sine qua non regna, non urbes, non denique vita hominum stare potest: quam qui contemnendam putat, is vincula revellit, non modo judiciorum, sed etiam utilitatis, vitæque communis. Quid vero est tam necessarium retinere in urbe, quam prudentiam civium? Quid tam admirabile, quam unum aliquem existere usu et exercitatione probatum, qui nosse possit animi eorum sensum, qui multis ante annis fuerunt? Quid tam denique utile quam leges aut scribere, aut restituere, aut tractare ad communem usum: et providere, ne quem mali habeant nocendi locum? Hæc curat Sulpitius, interpres legum, propugnator juris, defensor æquitatis: et propterea acceptissimus M. Catoni, integerrimo viro: præter quem non habet Respublica, mihi credite Judices, non habet Respublica unde præsidium expectet, qui consoletur, qui auxilium ferat, cujus fidem implorét. In summum periculum atque discrimen adducta est: divino quodam judicio M. Cato venit, non incidit in disciplinam: quam oppugnat, rerum vel nescius, vel dissimulator M. Tullius.

Una hæc est, quæ potest ægrotis et infectis animis civium mederi. Vix credibile est quam late diffusa pestis per omne corpus Reipublicæ grassetur, ad quam propulsandam non Epidaurum mittendi legati, non Æsculapio opus est, sed severitate vestra, Judices, et restitutione veteris disciplinæ. Avaritia, libido, luxuria, audacia omnia occupavit: non privata res, non publica antiquum obtinet. Animi imbuti malis cupiditatibus, molles, effœminati, distorta depravataque sunt ingenia: comitia, magis-

tratus, leges, quisque ex suo commodo æstimat: jura divina atque humana serviunt hominum cupiditati. His miseris perditisque temporibus, corrupta civitate, non Græcis, non barbaris, sed nobis scripta divinitus videntur præcepta illa colenda et observanda:

SAPIENTEM GRATIA NUNQUAM MOVERI, NUSQUAM DELICTO CUJUSQUAM IGNOSCERE: NEMINEM MISERICORDEM ESSE NISI STULTUM ET LEVEM: VIRI NON ESSE NEQUE EXORARI, NEQUE PLACARI.

Salus ipsa, si velit, non potest nos magis servare, quam hæc doctrina: nam cum sapienter leges a majoribus nostris constitutæ sint, ne æqualitas juris oppugnari possit, illud in primis est sapientis hominis, qui ad Rempublicam accedit, Gratia non moveri. Sapiens cum is sit, qui et scientia et vi mentis rerum omnium comprehendat rationem, rebus veris et certissimis ducitur: opinari ergo non potest. Quid mirum? si neque falli potest, neque huc neque illuc impelli, quemadmodum stultus et levis, qui in eo ipso quod ignoscit, et misericordia sententiam mutat, peccat vel improbitate, vel imperitia. Juras tu populo, recipis Senatui legum custodem fore te, quem video esse eversorem, et non es improbus? Nescis multos venire cum lacrymis et squalore, ut juri vim afferant, et non es imperitus? Viri erat, primum statuere quid bonum, quid æquum esset: et id recipere quod esset æquum et bonum: deinde neque exorari, neque placari. Nam si ignoscendum est, cur huic potius, quam illi? Vel si omnibus ignoscendum, quid sunt leges nisi verba inanissima?

SOLI SAPIENTES REMPUBLICAM ET ÆQUITATEM ADMINISTRARE POSSUNT, SOLI SUNT LIBERI, SOLI DIVITES, SOLI HONESTI, ET FORMOSI: QUI SAPIENTES NON SUNT, FUGITIVI OMNES, EXULES, HOSTES INSANI.

Hæc ita vera sunt, M. Tulli, ut digna ingenio tuo, postulent aliquando abs te illustrari. Depone personam patroni, remove causam Murenæ: libenter ego abs te hoc judicio, hoc concursu doctissimorum hominum audiverim, quid sentire in hac re me velis. Nam per Deos, quid hoc tandem est? Negas solos sapientes esse liberos? Quos tu mihi alios producis? Vindicta-ne? censu-ne? an testamento? an eos fortasse, si diis placet, qui multarum sint imaginum, et perpaucorum hominum, qui æque vitiis serviant? Si animus est qui agit, qui moderatur, qui imperat: is si captus est, quid est in homine liberum? Vitiorum crudelissimus est dominatus: habet qui tergit, qui vertit, aliquod vacuum tempus dum cœnat, dum dormit: at cupiditates et libidines, magnos Reges neque interdiu neque noctu sinunt quiescere. Quid dicam de iis, qui invidia, qui odio, qui iracundia quasi effrenato equo feruntur? qui cursu concitatus, et incensus calcaribus, neque sessorem audit, neque habenas curat: quam multa admittunt, quorum e vestigio necesse est eos pœnitere? An qui amant, hi-ne sunt liberi? qui in alio se dicunt vivere, non mentis compotes. Sæpe in fabulis audimus hæc mancipia meretricularum: Ego-ne illam? quæ illum, quæ me, quæ non? Sine modo: mori me malim, sentiet qui vir siem. Quid postea? labascunt vel lacrymula, vel uno verbo tam cito, ut servi admirentur, ac clament: Dii boni, quid hoc morbi est? Adeon' homines immutarier? Quæ spectacula nobis poetæ valde boni proponunt sæpe, ut a voluptate, veluti a Circe caveamus, quæ facile homines vertit in belluas: quam quia soli contemnunt sapientes, soli sunt liberi: qui (vel quantulum hoc est?) neque nexu dominorum fieri servi possunt, neque vi adduci, neque ab hostibus capi. Siquidem sapiens non est id quod digito demonstrari potest, fragile, mortale, caducum: sed animus ipse, qui viget, qui meminit, qui sempiternus se movet. Huic quis vim afferat? quis faciat ut nolit quæ velit? Quod si animi sola

est libertas, sola opulentia; soli sapientes sunt liberi, soli divites, qui sua virtute contenti nihil quærunt, nihil petunt, nihil optant amplius. Desunt multa tetrarchis, desunt multa regibus: sapientes abundant, et beati sunt, et beare alios possunt, et beant infinitos homines: neque propterea eorum copiæ sunt minores, non decrescunt facultates. Sunt in urbe, qui suis fructibus alere exercitum possunt, et nemo est dives. Sunt ex portu, sunt ex decumis, sunt ex scriptura vectigalia populi Romani, et mira est inopia: profecto aut ingenia civium, aut vectigalia facta sunt deteriora. Multi sunt publicani: at Fabricii, at Curii, at Coruncani illi locupletes perdiu nulli: qui quod cultu corporis agresti ac rustico fuisse dicuntur, multo mihi videntur fuisse formosiores iis, qui delibuto capillo per forum volitant: quorum animos si possemus cernere, incredibile odium sui excitarent. Nihil est enim virtute formosius, nihil turpius vitio: quod quoniam a ratione, quæ nobis propria est, deturbat homines, et a sapientia longe arcet, nonne tibi M. Tulli itidem videntur, ut Catoni, omnes imperiti, exules, extorres? Quod si, qui sine causa alios lædunt, et hostes sunt, et insani: num qui ultro temere se, et alios perdunt, erunt sapientes? Qui sentiunt, et dicunt aliquid, quod non sit, sibi videri, furere dicuntur: ii quibus turpia honesta, mala bona videntur, quo nomine sunt appellandi? Orestes cum matri manus attulisset, agitatus est furiarum tædis ardentibus: an minor L. Syllam regnum occupantem furor, et amentia invaserat? Turpem Orestes, et injustam matrem, cujus opera pater fuerat occisus, de medio sustulit: at Sylla in optimam Rempublicam, in patriam et cives suos sæviebat, nullis satis justis de causis, et præclare se facere arbitrabatur. Sed quid Syllam commemoro? quasi non viderimus L. Catilinam cupiditatum ardoribus accensum, animo ferri in patriam inimico, de excidio urbis cogitantem, de necando Senatu, de templis Deorum incendendis? quid est, si non hoc insania est? Qui illum noctes et dies furor agebat, ageret omnes imperitos, si cætera adessent, quibus ille adductus est ad cogitandum et sperandum. Multi erunt Syllæ, multi Catilinæ: nunquam hac impunitate nobis deerunt seditiones: magnus est in civitate campus corruptionis, multis apertus cursus ad regnum. Istis itineribus ibat Sp. Cassius, istis Sp. Melius, istis M. Manilius. Recordamini per Deos immortales, Judices, quantum sæpe fuit periculi: nunc his moribus, hac caligine temporum non est timendum? Quid nocturnum præsidium disponis? quid cohortes explicas? quid excubiæ et vigiliæ istæ nobis prodesse possunt, M. Tulli, si ambitio, si avaritia, si luxuria civitatem occuparit? Quid anseribus cibaria locamus? quid canes alimus in Capitolio? Vereor jam ne barbari nostras impensas rideant, cum viderint a custodibus libertatis ea excludi, quibus unis salvi esse possumus. Ubinam ille mos majorum nostrorum? ubi illa integritas? ubi severitas est? quæ turbulentissimis Reipublicæ temporibus caput erigere, et vociferari solebat, et regio dominatu liberare? Quid reficiet, aut recreabit mentem meam? cum videam a consule laudari prensandi studium, ambiendi diligentiam: objurgari Sulpitium, quod integritatis fuerit observantior: ob gravitatem injuriose appellari Stoicum, et rideri Catonem? Videbis, videbis, M. Tulli, si quando pro salute patriæ vita sit profundenda, quantum ad pietatem accendere possit Stoica disciplina, qua una lex ambitus nititur, et quæcumque alia lata est unquam ad coercendam luxuriam, avaritiam, ambitionem. Nemo legi ambitus amicus est, et huic disciplinæ inimicus. Quid ita? quia nemo esse potest integritatis amator, et oppugnator severitatis: cujus observantissimum non Zenonem, Judices, non Panætium, non cæteros homines Græcos, sed auctorem

generis recognoscite Romulum, recognoscite L. Brutum auctorem libertatis. Alter, ut licentiam reprimeret eorum, qui dissimili genere ac lingua, moribus corruptissimi confluxerant in urbem, ut in ea esset aliqua observantia legum, fratrem quod muros transiliisset: alter liberos, quod de reducendis Regibus egissent, securi percussit: ut si qua vestigia essent reliqua corruptionis, hac morte tollerentur. Quid his propius potuit accedere ad Stoicam disciplinam? quæ non modo Philosophis, sed principibus civitatis nostræ, qui domi militiæque clarissimi fuerunt, una semper visa est aptissima ad totius Imperii conservationem? Quibus illam laudibus Africanus extollebat? quibus illam Maximus, Cato, Rutilius ferebant in cœlum? quorum tempore beatam et florentem Rempublicam habuimus: non quod populus Romanus Græcis artibus esset eruditior, sed quod amplissimi viri, qui rebus præerant, ea disciplina oblectarentur, quæ ad integritatem vitæ, ad gravitatem morum esset maxime accommodata.

Quid, inquiet aliquis, populo igitur est philosophandum? quis nisi stolidus hæc petat? quasi vero quivis non intelligat, paucis esse concessum donum, et inventum Deorum. Quid ergo est? dico, eos qui ex omni numero in consilium publicum delecti sunt, et studiorum et morum gravitate debere excellere. Solet enim fieri in omni Republica, ut tales se esse studeant cæteri cives, quales videant principes civitatis. Nunc Aristippi sententiæ in honore sunt: eorum præcepta qui ad voluptatem omnia referunt, Latinis versibus illustrantur, canuntur ad tibiam, ad multam noctem: quibus auctoribus quid tandem didicerunt nostri? piscinas in medio mari extruere, in quas servos coemptos et obtruncatos conjiciunt, ut mulos barbaros habeant meliores: montes exæquare, ut feras alant. Et interea effodiendis metallis miseros homines speluncis includunt, in quibus odore fœdo, et quod de cœlo animam ducere non possint, moriantur. Nolo cætera: turpitudine abhorret animus a recogitando, refugit lingua a dicendo. Et dubitamus, Judices, in urbe corrupta retinere parentem juris, reginam æquitatis, expultricem vitiorum, Stoicam disciplinam? Cujus vim vel ex eo cognoscite, quod eloquentissimus, et ingenio præstans, et usu callidissimus orator, corruptionem, ambitum, luxuriam Murenæ non speravit se posse defendere, nisi hanc oppugnasset: ut ea deturbata de mentibus vestris, animos oratione effœminaret. Nostis oratoris ingenium: et mehercule præclare a vobis agetur, si quæ dixerit omnia erunt vobis plenissima suspicionis. Nisi ab eo non putatis cavendum, qui cum est dicturus, solet sibi sumere ad meditandum complures continuos dies. Quæ præterea ars? quæ exercitatio? A pueritia scripsit de iis rebus commentarios, a pueritia sic declamavit, ut nulla esset causa, quæ suo patrocinio digna non videretur.

De gratia, autoritate, potentia nihil dicimus. Nam quod alienissimo loco et tempore contendimus, quod nec diis nec viribus pares sumus, vos oculis cernitis, Judices, et nos dolemus. Clamat tamen, conqueritur, precatur, ne auctoritas, existimatioque aliorum sibi et suis noceat: immo vero quod multo est æquius ego vos oro, atque obsecro, Judices, ut secuti fieri solet, cum tyroni cum veterano manus est conferenda, si qua eorum qui adsunt voluntatis sit inclinatio, in eam partem esse solet, quæ æquitate teneri, viribus et peritia non potest sustineri: ita et vos nunc faciatis. Primum, nihil eloquentia, nihil autoritas, nihil existimatio valeat: sed plurimum jus, lex, conservatio civitatis. Deinde, ut quicquid incommodi est, quod post tres summos oratores ab omnibus rebus imparati dicimus, id commodi aliquid afferat imbecillitati nostræ, quæ una spe æquitatis vestræ se sustentat: qua fretus, quid vereor tandem? quid cunctor

de integritate comitiorum dicere, et teipsum compellare. Murena? Volo enim de te audire; quoniam rei militaris majorem usum habes, quam urbanæ, quæ plaga est injecta exercitui L. Luculli? quæ pestis, quæ pernicies castra invasit? cum veteri disciplina sublata, aliquis lascivia atque licentia milites corrumpebat paulatim, occulte largitione solicitabat. Nolo ego quemquam nominare: si tu nosti, quo autore veterani secessionem facere, lixæ et calones cum jumentis abire, et impedimenta deserere cœperunt: hunc latronem, hunc hostem patriæ, hunc parricidam appellabat Imperator tuus. Quod si ille faciebat veris, justisque de causis: quid est quod mirere, si M. Cato, si Servius Sulpitius, si Posthumius olim familiaris, nunc quæsitor, clamant, accusant, quod everteris veterem disciplinam comitiorum, malis artibus circumveneris centurias equitum, et classes populi Romani? si castra L. Luculli deserta et capta fuissent, non negarim, non potuisse fieri sine ignominia et damno Reipublicæ. At poterant novi haberi delectus, aliæ submitti legiones, alia castra deligi, duci, communiri altiore vallo, latiore fossa: at, quod dii prohibeant, si hanc urbem, lucemque libertatis semel omiserimus, nusquam alibi nobis imperium, nusquam Roma futura est.

Quæ te (malum) spes in istam insaniam adegit? ut auro quod cepisti, vel quo potius captus es in Asia, putares posse emere dignitatem consularem, et cibo objiciendo corrumpere populum omnium gentium victorem? In ea re tu fidem, tu pietatem, tu religionem, tu jure divina atque humana violasti. Quæ Deorum immortalium, quæ legum hæc humanarum contemptio et injuria est? Consularibus comitiis quid est sanctius? quæ centuriata, quæ justa, quæ maxima appellantur: auspicato hæc urbs condita est, auspicato comitia consularia habentur. Auspicamur in aliis, fateor, sed non ita: si pulli non pascantur, si cavea exiverint tardius, si occinuerit avis, hæc impediuntur: si fulserit, si tonuerit, si servatum fuerit de cœlo, dimittuntur. Quid hoc est? quod omnibus rebus fulmen optimum auspicium habemus, in his comitiis est malum: Jupiter hæc comitia sejungit ab aliis. Quid? quod sorex si rodere auditus est, quid hoc levius videtur? Magna in his comitiis est obnunciatio: quid ita? quia nulla in re scimus Deos esse præsentiores, quam in his comitiis. Status, fortuna, conservatio civitatis posita est in magistratibus gerendis. Quantum interesse putas, boni malive sedeant ad rerum gubernationem? sine tu populi integrum esse judicium, sine verissimis sensibus discernere tribus: apagete a classibus, ne quod virtute effici debet, tentetur pecunia. Oppugnas comitia largitione? Hoc est Reipublicæ manus afferre, hoc est deturbare cives suis sedibus. L. Philippus gloriabatur, se sine prece adeptum esse omnia: Curio, quod sine ullo munere, quæ haberentur amplissima, esset assecutus. Magnum signum est innocentiæ, maximum virtutis, vocari invitum ad honores: proximum, petentem sine ambitu admitti.

Quod si epularum apparatu et largitione contendendum est, quo loco erunt viri boni, qui in virtute omnia posita esse censuerunt? Ergo si M. Curius, si Fabricius, si Cincinnatus reviviscant, turpissimi habebuntur? Non ita dii irati sunt huic urbi, ut istum velint esse sensum populi Romani, qui firmissimis legibus munivit comitia consularia, ut essent integra, sancta, incorrupta. Quæ sunt leges? Licinia, Judices, lex est de sodalitiis, lex est Fabia de numero sectatorum: est gravissima Calpurnia, quæ omnes leges ambitus complectitur, restituta L. Tullio et M. Lepido consulibus: pœna aucta ex edicto, quod est L. Cæsare consule factum, aucta ex S. C. quod est factum consule M. Tullio Cicerone. Tu cum leges,

edicta, senatus-consulta contempseris, violaveris omnem religionem, audes tamen, Murena, in horum hominum conspectum venire? audes ab his Judicibus pro scelere petere consulatum? Parum hoc est, nisi etiam diceres meritum et debitum. Homine pecunioso nihil injustius; qui omne quod ipse petit, æquum et rectum putat. Nullane te religio, nulla existimatio, nullius judicii metus pungit, ac avocat ab audacia? Itane comitia et judicia nundinationem putas? Procede in medium male conciliate, quoniam ambitum admissum negavit patronus tuus: ego jam sic agam, ut omnes mortales tui sceleris non vestigia, sed frontem videre possint.

Erat in Gallia Murena, Judices, eo tempore quo Metellus in urbem a Pompeio missus dicebatur veluti fulmen ad feriendam Rempublicam: qui rumor, ut scitis, ab iis natus est, qui gloriæ clarissimi viri invidebant: quibus non satis fuit solicitare cives falsis nunciis, et turpissimam serere suspicionem, nisi fundamenta etiam jecissent de oppugnanda dignitate ejus, qui magnis exceptis laboribus, nullis se periculis frangens, in extremis orbis terrarum partibus bellum gerit pro gloria populi Romani. Hoc tempore, si meministis, agebatur de consule designando: ardebat ambitione Murena, molestissime ferebat absentiam: venisse tempus videbat, quo periculum faceret, quid aurum Ponticum posset, et tota Asia quæsitæ divitiæ. Ad ea conversus, quibus potentior accederet ad petitionem consulatus, desperatas pecunias in provincia sibi addixit, spopondit nostris, exsolvit pro peregrinis, pependit de suo, ut unà re et municipales et urbanas tribus haberet obnoxias. Qua largitione sic omnes obstrinxit, ut cum in urbem venire diceretur, undique ad eum legationes concurrerent, tanto comitatu, ut nulla diversoria alere, nullæ urbes possent excipere: quamobrem iste more regio præmittebat antecursores, mulos, coquos, pulpamenta, tabernacula, ante cœnam tibicines, in cœna pueros vocibus, fidibus denique canere jubebat: nunquam in homine tanta fuit vanitas et levitas. Dii immortales, quæ superbia, quæ ignoratio sui! cum plenissimis viis iretur, scribit ad L. Nattam, adolescentem primarium et gratiosum, sex diebus se tridui iter processisse, ut percommode cum copiis urbanis veniat obviam: pecuniam per Agathonem libertum mittit, ut si usu veniat, quantum velit possit largiri. Ibi tum Natta convenire sodales, gregem cogere, orare, obsecrare, prehendere, ut sequantur, aliis equos emere, aliis dare vestem, pecuniam multis. Obviam itum est usque in Umbriam, ut istum, tanquam si esset consul, salutarent.

Ponite ante oculos, Judices, magnam multitudinem salutantium et resalutantium: considerate qui sermones tot diebus haberi potuerunt dissimili hominum genere, cum biberetur ad multam noctem, luderetur alea, perstreperent omnia vocibus ebriorum. Nam quid est, quod Cn. Posthumius paternus amicus, vicinus et necessarius vetus Murenæ, qui necessitudinis causas complures, simultatis nullam commemorare potest, sedet pro accusatore? Iverat ipse quoque obviam, honestissime amico cupiebat, et favisset petitioni. Quid est? percunctemini: erat cum equitibus præfectus fabrum, qui fuit in exercitu Luculli socius consiliorum, particeps prædarum. Huic mandatum est, præsente Posthumio, ut militibus, qui ad triumphum Romam convenerant, et cum præfecto exierant, pecunia daretur ut sequerentur. Audite, Judices: audite quid Fimbriani milites eundo canerent: *Me saucium recreavit, me præda donavit, hoc duce castra cepimus, quæ capiemus consule?* Si hæc non inter cives Romanos, sed in aliqua solitudine dicerentur; conclamaremus, regno viam fieri. Hic cum et cives et peregrinos largitione corrumpat, spe lac-

tet, incendat cupiditatibus, excusatur, defenditur. O impunitatem incredibilem, o nunquam expectatam defensionem. Sed quæ foris gesta sunt, si esse possunt, sint sane levia, sint exigua, sint nulla: videamus quæ domi.

Venit in urbem Murena cum exercitu, cum grandi pecunia, veluti oppugnaturus comitia, bellum illaturus legibus: erant ædes regio apparatu plenæ ornamentorum, vestibulum novo tectorio, imagines coronis, parietes veste stragula, pavimenta opere vermiculato distincta: auro, argento, ebore omnia collucebant. Hic a L. Lucullo et suis excipitur, tanta lætitia, tantis complexibus, ea salutatione, ut non ad petendum, sed ad gerendum consulatum venisse videretur. Nox tota in epulis, compotationibus et cantibus absumpta est. Postero die vix lucebat, et jam ad fores L. Natta cum equitibus, M. Lucullus cum patriciis: ad quos beatus iste ædium dominus purpura vestitus tandem progreditur, et stipatus deducitur in campum Martium. Præfectus interea fabrum, cum ludi futuri essent, invitat tribules suos ad spectandum: locum pollicetur, unde honestissime et jucunde spectarent. Lucillam vestalem, hujus propinquam et necessariam, Murenæ nomine, Murenæ inquam nomine orat, ut locum suum concedat. Honestissimæ sunt matronæ, quæ si vultis non recusant, Judices, testimonium dicere. Est virgo vestalis ipsa ingenua, ea consecrata religione, ut rogata non tacere, jurata non mentiri possit. Nam quod L. Natta, ut equestrem ordinem conciliaret Murenæ, in equitum centuriis esse voluit: quid fuerit causæ, rogate vitricum ejus, rogate matrem, rogate domesticos. Cum adolescens litteras accepisset a Murena, ut cum sodalibus maturrime proficisceretur, ut diximus, aliis equos emit, aliis vestem, aliis pecuniam dedit. Impendium ad matrem servi domestici deferebant: sumptus unde suppeditaretur, cum ignorarent, non poterant deferre. Quamobrem misera cum se excruciaret, ejus rogatu vitricus adolescentem ad se vocat: Hem Natta, inquit, quid te nobis, quid tibi rem familiarem perdis? quid lancinas? quid patrimonium dissipas? Bonus adolescens, ut consolaretur, in conclave senem adducit, grandem pecuniam ostendit missam a Murena. Tum vero admirari, suspicari, vociferari senex: Mi fili, quid nos laqueis implicas? quid periculum creas? nam sic agere, propemodum nobis diem dicere est: nam hic ambitus est. Cum responderet Natta, facile ætate adolescentem excusari posse: veritus est grandis natu, si quando hæc suo consilio facta viderentur, ne posset accusari. Homo antiquus servis præsentibus cum uxore communicat, pergit ad Jureconsultos: petit, an quæ fierent, adolescenti vel vitrico fraudi aut crimini esse possent. Cum esset responsum, neque alienum pro candidato, neque vitricum pro privigno teneri: nolite quærere, Judices, quam Natta audacter, quam effrenate cætera. Turmatim equites ad se vocat, conficit pecunia, ut se in equitum centuriis esse velint. Impetrat cum gratia: et miramini, si secuti sunt equites usque in Umbriam? Cum redisset in urbem, noctu divisores tribuum adit, suffragia emit, pecunia in circo Flaminio apud Apollinis ædituum deponitur, quam consule renunciato Murena capiant.

Quid est hoc, Judices? num vanum aut fictum est? Pecuniam nos per prætorem intercepimus: quam ubi divisores partiri inter se non posse intelligerent, in Servii petitionem omnia redundarunt. Comprehensa pecunia est a nobis: clamat L. Natta indignum facinus esse, si a vitrico metuat, pecuniam sibi non licere deponere in tuto. Ædituus pecuniam delatam non negat: quî enim negare potest, si comprehensa est? At qua causa delata sit, minister consiliorum scire se id vero pernegat. Hæc suspicio, Judices, late manare debet: magna pars sacculorum Asiam olet,

cistophoris plena est. Unde adolescenti, qui sub vitrico victitat, numorum tantum? quid est, quod nulli sunt bigati? quid quod noctu? quid quod per servos Murenæ missi sunt ad æditumum? Excandescis, Natta? amici servis, inquis, tam bene utor, quam meis. Perbelle nunc concedis, quasi philosophus aliquis, omnia amicorum communia esse: si quid ego amici causa te fecisse dicam, negas ilico. Prandia, bone adolescens, sectatoribus dedisti: nihilne ad Murenam suspicio attinet? cum equum, vestem, pecuniam datam abs te sodalibus aio, quereris protinus, impediri a me liberalitatem tuam. Quo me vertam, Judices? quid appellem; aut implorem, nisi prudentiam et sapientiam vestram? Cum his si de jure contendo, opera luditur: omitto tyronem, excutio veteranum. Præfectus fabrum pecuniam militibus præsente Posthumio mandato Murenæ dedit, et excusat. Erat illud viaticum, non largitio. Quid? quod tum dedisti, cum Murenæ itum est obviam. Quid ais? Si obviam itum non esset, num dedisses? Non possum, inquit, divinare. At hercle divini et cœlestes viri hi Judices divinabunt. Præfectus iste fabrum prandia tribulibus suis a ludo redeuntibus dedit, plus quam trecentis. Quid est vulgo dare prandia, si hæc non sunt data vulgo? Sectabantur candidatum quotidie equites, patricii, tenuiores: eorum dux, et quasi moderator erat M. Lucullus, et non fuit ambitus: quid hoc est, si ambitus non est? tracta senatus-consultum: SI MERCEDE OBVIAM CANDIDATIS IERINT, SI CONDUCTI SECTABUNTUR, SI GLADIATORIBUS VULGO LOCUS TRIBUETUR, SI PRANDIA VULGO DANTUR, CONTRA LEGEM CALPURNIAM FACTUM VIDERI. Quid est mercede obviam ire, nisi emolumento accepto? Vestis, equus, non est emolumentum? Ergo si vestem militibus dat imperator, si frumentum metitur, non dat mercedem? si pecuniam dedit, non sunt conducti? Prandia data sunt tribulibus plusquam trecentis, non sunt data vulgo: quid ergo est vulgo? Quod factum est, concedunt: quod consectarium est, negant: turpissima fuga est.

Solet fieri, Judices, ut qui victi sint, desperatis rebus consilium sæpe capere cogantur, minime salutare. Sed nos insequamur, et nullo loco sinamus consistere. Licinia lex est de sodalitiis: dic tandem, Natta, quæ tibi sunt sodalitates? an-non eorum, quibuscum Murenæ itum est obviam? Ante petitionem Murenæ perpauci tibi erant sodales, epulabaris modice, ingentes sodalitates a te constitutæ sunt: constituta illius petitione, invitasti centurias equitum, quas Murenæ suffragatas videmus. Vitricus tuus, cui æque charus es, ac fuisti patri, negat fuisse te quenquam magis modestum, ac frugi: quod contra legem Liciniam, Cinciam et Corneliam feceris, culpam omnem conjicit in eum qui te perdidit pecunia. Lex Fabia est de numero sectatorum: de numero non laboramus, nemo deductus est in campum, nemo domum reductus est majori numero sectatorum. Lex Calpurnia vetat, ne pecunia, ne vulgo locus, ne prandia dentur: pecunia, spectacula, prandia tributim data sunt. Liberat nos, Judices, M. Tullius magno labore, ne testes producamus: sunt enim omnia in illustri loco, in conspectu populi Romani posita: fatetur patronus, concedit rei nomine. Videte in quem angulum res deducta est: tot tantisque de rebus, unum est responsum eloquentissimi oratoris, mira est angustia, non habet jam quo se vertat. Quid inquit? *Etsi hoc factum a Murena omnino*, Judices, *non est, ab ejus amicis autem more et modo factum est.* Itane tandem? at isto more et modo quod fecissent superioribus annis nobilissimi viri P. Sylla et P. Antronius, consules designati, damnati sunt: Murena absolvetur? Credo. Nam quid per Deos est? Murena non fecit, amici ejus fecerunt? Quid si Murena fecisset, condemnaretur?

Condemnaretur. Quid si per servos? quid si per amicos fecit, non erit idem? Inepta defensio est: Pecunia data est, non est a Murena numerata pecunia. Fateor, ego quoque idem dico. Quid? si numerasset ejus nomine argentarius, non dedisset Murena? Natta dedit, Præfectus dedit. At nihil erat quod isti darent: Murenæ intererat ut daretur, cujus gratia empta suffragia sunt. Non est quærendum, cujus manu numerata sit, sed cujus jussu sit data: cum servi perferrent saccolos, tu ipse Murena perferebas. Cum pecuniam numerarent amici illi tui, manus erant tuæ: quicquid ab his datum est, quicquid numeratum est, tua manu datum, tua manu numeratum est. Nam quod tuo nomine rogata est virgo vestalis, ut locum concederet: scis quid est tuo nomine? tua scilicet causa.

Sed næ ego homo ineptus sum, qui de re tamdiu disseram, de qua dubitat nemo. Nam quod rescitum iri Murena metuebas, egisti per amicos: quis non intelligat? quæ cautio si firma esset, nemo unquam esset tam stolidus, qui ea non uteretur. Non pudet his nugis agere? non vides apud quos judices? ex horum severitate te ulla fraus, aut eloquentia eripiet? Lex de ambitu dilucide vetat, mercede candidatis obviam iri. Itum est obviam, merces data est: nihil refert, a quo data sit, sed qui fuerit candidatus quærit. Jubet ne conducti sectentur: conducti sunt, sectati sunt. Non quærit, quorum opera, sed quem sint sectati. Vetat, ne gladiatoribus vulgo locus tribuatur, ne prandia vulgo dentur: si tributim data sunt, quis nesciat vulgo data? si petente amico locus datus est, quis non videt eblandita suffragia?

Videtis quo loco res sit, Judices: videtis audaciam hominum, videtis corruptionem. Vix credibile est qui conventus essent ad prandia, qui concursus ad compotationes. Itane servire Romanos homines ventri et gulæ? Ut nihil mirum jam sit, pluris venire in civitate piscem quam bovem; pluris vini amphoram quam olei medimnum. Nam de avaritia quid dicam? Itane venalia esse omnia in urbe, ut comitia sanctissima turpiter venditentur? ut barbari etiam, veluti Apollo Pithius, dicant, Rempublicam nostram, quod dii prohibeant, propere perituram? Quis huic imperio tam est inimicus, qui hæc possit audire et perpeti? Militem locupletem sperasse se consularem dignitatem pecunia emere, ciboque objiciendo corrumpere comitia populi Romani ne libera essent: ita effœminare animos, ut tot rebus victores, pecunia et cibo vinceremur? Hunc civem appellabimus? hic Rempublicam geret? huic libertas patriæ committetur? quam si non poterit occupare, cum tanti emerit, pecunia majore vendat?

Obsecro, Judices, consulite libertati nostræ, quæ vita vobis charior esse debet: providete, ne largitio omnia occupet: ne leges, ad quarum custodiam delecti estis, victæ in foro turpissime jaceant, obterantur, et conculcentur. In comitiis consularibus, ut videtis, precio et cibo addicta fuit fides et religio: vultis hunc usum et consuetudinem civibus vestris injicere? vultis alere impunitatem? nunquam ambitus fuit major, nunquam corruptio certior. Quid si hic judicium effugerit, improbi non tentabunt? dubitatis posthac omnia omnes ausuros? utinam esset integrum. Si judicia severa futura non sint, quam vellem Murenæ dies dicta non fuisset, ne in hoc periculo versaremur: non enim eodem loco res est, quo fuit antea quam accusaretur. Tutius multo erat, Murenam non accusari, quam nunc absolvi. Cogitate diligenter, Judices, et pro vestra sapientia prospicite, quantum periculi sit, si is hoc judicio crumpat, cujus salus cum salute Reipublicæ conjuncta esse non potest. Memineritis postea, si hic absolvetur, brevi nullam nobis futuram Rempublicam. Quæ ea

vox est? vox hæc mea est, vox doloris et pietatis, non malevolentiæ aut odii. Quid est? inhiant libertati nostræ, Judices, non Manlius, non Catilina, notissimi latrones, quos satis constans rumor est ab Antonio fuisse oppressos, sed principes civitatis opulenti et gratiosi: neque armis vinci res Romana potest, sed obsequiis, lenocinio, corruptela, pecunia, largitione. Formidolosum est, et optimo cuique pertimescendum, si veterani milites Saturninum ad occupandum Capitolium excitarunt: si L. Syllæ memores, libidinem Catilinæ ad extinguendam Rempublicam injecerunt: si Luculli tyrones legatum secuti extulerunt ad consulatum, et prostratis legibus defendunt, et de manibus vestris eripere conantur: pertimescendum est, ne legionarii, qui duces posthac sequentur, incendant imperatores nostros pravis cupiditatibus, præsertim cum plures Catilinæ conjurationis participes fuisse dicantur.

Quare per Deos immortales date operam Catoni, Judices, expergiscimini, capessite Rempublicam: is in hoc judicio censet esse omnia, et in manu vestra positam fortunam populi Romani. Nihil vos falsæ quorumdam lacrymæ abducant. Si quis misericordiæ locus est, misereat vos in primis patriæ, cui nati estis: quæ divulsa a Regibus, discerpta a civibus, timore perdita, misera atque afflicta, desperatis prope rebus a vobis auxilium petit, et de nobis solicita est. Duces armati domi ferisque cum magnis copiis sunt, milites inflati cupiditatibus feruntur. Quis nos eripiet? quis liberabit, nisi sapientia, nisi severitas vestra, Judices? Eos si hoc judicio deterrebitis, salvi sumus.

DELECTUS
COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS SECUNDI PARTEM SECUNDAM.

ORATIONES.

PRO

L. FLACCO.

ORATIO XXIV.

ARGUMENTUM.

Accusatum a D. Lælio L. Flaccum de repetundis ex Asia, cui triennium post præturam præfuerat, Cicero defendit. Tota fere defensio ex confutatione testium Asiaticorum, et Græcorum, qui Flaccum oppugnabant, ex ipsius Flacci superiore vita, magnisque erga rempublicam meritis constat. MANUT.

Cap. 1. *Prope quingentesimo anno*] Anni vere numerantur a Valerio Poplicola, patriæ liberatore, ad consulatum Ciceronis, quo prætor Valerius Flaccus patriam a conjuratione Catilinæ incolumem servavit, CDLXVI. sed Ciceroni mos est non subtiliter annos interdum numerare. MANUT.

Cap. 2. *Confirmationem*] Flacco absoluto in gratiam extinctæ per ipsum conjurationis, senatus auctoritatem confirmabitis, qui et conjuratos puniri voluit, et præmio dignos censuit, qui tunc temporis Reip. operam navaverant. FERRAT.

Damnatus est is] C. Antonius, a M. Cælio accusatus, a Cicerone defensus. Infra cap. 38. *Oppressus est C. Antonius*, &c. MANUT.

Cap. 4. *Utrum*] Imperfecta sententia: cum nonnulla desiderentur. ID.

Quibus verbis] Δάνεισον μοι μαρτυρίαν. LAMB.

Nunquam nobis] Cum Rei patronus eos interrogat, nunquam respondent ad id, quod rogantur: cum accusator, plura etiam dicunt, quam rogantur. FERRAT.

Libertus] De quo infra.

De villico] De quo infra.

Recuperatorum] In causis civilibus Prætor Recuperatores dabat, qui de iis judicarent. Flaccus autem nefas esse putaverat, Cælium publicanum sedere judicem contra alium publicanum, quem fore damnandum manifestum erat. FERRAT.

Cap. 6. *Lege hac*] Quam paulo ante Cæsar Consul de Repetundis promulgaverat. In illa autem lege certus comitum numerus Accusatori in requirendo assignabatur, ob invidiam illarum rerum, quas in Flaccum fecerat Lælius. IDEM.

Distributis partibus] Multis ex suis comitibus in varias Asiæ partes distributis, qui sermonem illum de Cn. Pompeio dissiparent. IDEM.

Regum] Mithridatis, et Tigranis. FERRAT.

Testimonii denuntiatione] Quintil. lib. 5. cap. 7. " Duo, inquit, genera " sunt testium, aut voluntariorum, " aut eorum, quibus judex in publi- " cis judiciis lege denuntiare solet. " Quorum altero utraque pars utitur, " alterum accusatoribus tantum con- " cessum est."

Locupletes] Hi passi sunt fieri psephismata, ne cogerentur venire Romam ad testimonium dicendum: tenuiores, viaticum sperantes, si Romam ipsi a civitatibus mitterentur legati: stulti, Pompeii auctoritate permoti. FERRAT.

Cap. 7. *Tributim, et centuriatim*] Tributim, cum scisceret plebs: centuriatim, cum populus universus juberet. MANUT.

Auctoribus] Iis qui plebiscitum, populive jussum suaderent. IDEM.

Vict. Man. *eminebant*.

Iidem. *Cynicus*.

Cymæus] Ab Asiæ urbe Cyma, cujus psephisma proferebatur: qui ob exportatum frumentum virgis cæsus, et Flacco proinde iratus, data Lælio concione, populares suos, ut decretum in Flaccum facerent, hortatus est. FERRAT.

Ego] Cum accusarem C. Verrem. MANUT.

Cap. 9. *Falsas rationes*] Tabulas publicas civitatum recitaverat accusator, in quibus erat summa pecuniæ, quam ex ærario et vectigalibus sumptam se Flacco dedisse dicebant. FERRAT.

Hypsæum] Qui Pompeii Mithridatico bello quæstor fuit. MANUT.

His auctoribus] Pompeio, et Hypsæo. IDEM.

Cap. 10. *Triduo*] Postquam Romam delatæ fuissent. Hoc autem caput unum erat legis Corneliæ, qua Flaccus fuerat accusatus. FERRAT.

Illa expectatio] Testium, qui loco tertio dicebant. Quid enim dicturi essent, audita accusatione et defensione expectabatur. Nam si eorum studium cum accusatore sociatum est, scitur quid dicturi sint, non expectatur. SYLV.

Quo revertantur] Non enim eos amplius hospitio Lælius recipiet. FERRAT.

Summa est in testibus] Vis totius causæ. CAMERARIUS.

Cap. 13. *Rogabamus*] Lambinus ex Turnebi conjectura reposuit, *erogabamus*: neque mihi ea conjectura displicet. Gruterus intelligi vult *populum*. Quasi vero in sumptibus ex ærario faciendis ad populum latum esset, et non potius ad Senatum a Coss. relata, et a Senatu decreta res esset. Si esset ea rogatio facta, a Tribuno profecto populari facta esset: quod esset contra jus et auctoritatem Senatus: non minus ac si rogaretur provincia alicui. Itaque Cicero non dixisset, *nos rogabamus*: quod ad Senatum referendum est necessario. IDEM.

Cap. 14. *Non refert vero. Quid lucretur? Cum enim genus imperatæ pecuniæ suscipit*] Recte hunc locum viri docti exponunt: *Non refert* scilicet in tabulas accepti et expensi. *Quid lucretur*, etsi non referat? *Cum enim onus imperatæ pecuniæ suscipit*, (sic non solum Maffei codex, quem consuluit Manutius, et merito probat, et quos inspexit Faernus, sed et Francii secundus,) quod est, cum onus in se suscipit rationis reddendæ de imperata pecunia, se illam accepisse, et bene expendisse; fatetur se fecisse, quod tu tanquam crimen ei objicis. GRÆVIUS. *Onus* valde probo: neque audacior tamen fui Manutio et Faerno, qui probabant illud, sed a quibus receptum non est. OLIV.

Cap. 15. *Prodeant. Etiamne præconem mentiri coegisti*] Forte transpositione verborum hic locus est corruptus, quem sic restitues: *Citat præco voce maxima legatos Aemonenses, Prodeant. Procedit unus Asclepiades. Etiamne præconem mentiri coegisti?* GRÆV.

Mentiri] Legatos enim citavit, cum unum citare debuerit. FERRAT.

Ab A. Sextilio] Acceptam ab A. Sextilio. Sed mendosa summa. Quis enim credat, privatum hominem ansum esse dicere, Flacco se tot drachmas dedisse, quot civitatem publice? Quare velim ex hac summa centum drachmarum millia detrahere. MAN.

Ex tempore] Pro ratione temporis, prout diversitas temporum postulat, servientes tempori: pro qua statim dicit, *temporis causa scripsisse*. GRÆV.

Cap. 17. *Judicium fieri videtur*] Species in eo quædam judicii est. MANUT.

In causa liberali] In qua agebatur de libertate illius. FERRAT.

Illum effugere non possit] Quia testimonium jam in Flaccum dixit. MANUT.

Mithridatico] Subaudi negotio, aut testimonio. GRÆV.

Cap. 18. *Ad illam ætatem*] Ad senectutem, ad illam, quam videtis, ætatem. MANUT.

Pro socio] Quod socium fraudasset. Vide pro Quintio, cap. 3.

Nimium amplecteretur] Id est, nimium diligeret. Sed ita rempublicam amplectebatur, ut eam spoliaret. SYLV.

Falsas esse voluerunt] Pro, corrumpere voluerunt, cum falsum servorum numerum professi sunt. MAN.

Cap. 19. *Conficientissima litterarum*] Quæ perscribit omnia diligenter. MANUT. Turnebus libro XXX. Adversar. cap. 4. conjicit, *et conficiendarum litterarum diligentissima.* Sic etiam Francii codex. Quæ lectio videtur esse planior, et auribus Tullianæ copiæ et candori adsuetis gratior. Potest tamen vulgata defendi forte ex V. de Finibus: *Sed hæc cum corporis bona sint, eorum conficientia certe in bonis numerabimus.* GRÆV.

Majorem etiam] Hæc summa erat perscripta in tabulis, ut relata operi publico, cum tamen dicerent datam Flacco, idque occultatum, quod eum timerent. FERRAT.

Judicatum] Pecuniæ Hermippo debitæ condemnatum. Qui cum judicatum non solveret, Hermippo addictus est, et ab eo ductus, ut in ejus scilicet potestate esset. Id enim jus erat creditoris in debitorem, qui judicatum non solveret. MANUT.

Usque Tmolo] Non accepit præsens, sed usque a monte Tmolo petivit. IDEM.

Huic uni] Manutius, *huic una.* etsi *una* sufficere videbatur, auget *sola.* Et utrumque, inquit, alibi quoque Cicero conjungit.

Intulit] Non solum pecuniam pro frumento non dedit suis civibus: sed induxit, et intulit in rationes sumptus falsos, quos se fecisse dicebat. FERRAT.

Cap. 20. *Cornici oculum*] Vide supra, Orat. pro Murena, cap. 11.

Percussit] Fefellit, damno affecit. MANUT.

Addictus Hermippo] A Flacco Prætore Hermippo datus est, ut ei serviret, quod pecunia credita ei dissoluta esset. Addictus a servo quid differat. Quintil. lib. 7. c. 3. scribit: *Servus,* inquit, *cum manu mittitur, fit libertinus: addictus, recepta libertate, est ingenuus,* &c. SYLV.

Cap. 21. *Missus*] Dimissus est, cum pro sua persona mancipia quædam dedisset. FERR.

In duplum iret] Apparet ita fuisse olim datum judicium iterum de re judicata, ut qui judicatum negaret, si contra eum pronunciatum secundo fuisset, perderet alterum tantum, quantum judicato contineretur. CAMERARIUS.

Q. Naso] Locus aliqua declaratione indiget. Quod enim dicat Q. Nasonem judicem sumptum, intelligendum est, eum arbitrum a partibus lectum. Quod vero sequitur, *ab eo judice abiit,* subaudiendum *Heraclides.* Ea vero verba, *quod judicium lege non erat,* sic intellige: Quia judicium illud non erat lege constitutum, sed partium voluntate; nam arbitria quæ nos *compromissa* appellamus, ad libera partium voluntate dependent. Ut si actor causam prosequi noluerit, nulla id lege facere cogatur. Idcirco Heraclides qui actor erat, ab eo judice abiit, et causam totam reliquit. FARNUS.

Nudum esse voluisti] Nudum, bis dixit, primum Deciani turpem libidinem, deinde avaritiam carpens. MANUT.

Occupavisti] Occupare pecuniam, est in quæstu collocare. Fiduciam accipere, est fundum accipere ea lege, ut eum aliquando restituas, fide utrinque data, sine testibus et litteris. Fundus alicui commissus dicitur, qui loco pignoris creditori obligatus, proprius ejus efficitur, debitore ad diem non solvente. Decianus igitur pecuniam dedit Lysaniæ, accepto fundo, quem restitueret, restituta pecunia ad certum tempus, ut ille dicebat. Lysanias eo tempore non solvit, et ideo ad se devolutum fundum Decianus putabat: quem

tamen se redditurum pollicebatur, si ille contra Flaccum testimonium dixisset. FERR.

Cap. 23. *Erat ei Castriciano nomine irata*] Castricio Tralliani debebant pecuniam. Castricius ad Flacci judicium Trallianam civitatem adduxit. Ut Tralliani Castricio creditam pecuniam solverent, Flaccus judicavit. Eam ob causam Flacco Tralliani irascebantur. SYLV.

Exsiluerunt] Sic Henricus Stephanus ex antiquo codice reponit, *exsiluerunt*, ubi vulgo legitur, *siluerunt*. LAMB.

Ad hujus dies festos atque ludos] In honorem magistratuum populi Romani solebant institui ludi ac dies festi a provincialibus, collata publice pecunia ad impensas illorum. Hoc aliquando fiebat vero studio, aliquando a coactis, aliquando ab assentatoribus, ut indicatur actione II. Verr., ubi exagitat hoc festum. Sed et alibi in epistola ad Atticum dicit, se recusasse ludos et statuas aut fana, et dicit se aliis oneribus et sumptibus civitates liberasse. Nam gravabantur certe hoc nomine provinciales. CAMER.

In quæstum] Id est, Tralliani collocarunt hanc pecuniam, non impenderunt in institutionem honorum, ad quos fuit collata, quibus fuit destinata: et ita quasi fuit abalienata a Flacco. IDEM.

Cap. 24. *An id, quod Pergami*] Id est, plane idem, quod Pergami: quod Asiæ caput erat. MANUT.

Una epistola] Significat id, quod in Maniliana exposuit his verbis. *Uno die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuncio, atque una litterarum significatione cives Romanos necandos, trucidandosque denotavit.* cap. 3. IDEM.

Est confitendum] Aut ille motus ex Mithridatis epistola consilio principum est excitatus: aut, si temeritate multitudinis, non consilio principum, ita delicta vulgi et omnium imperitorum, quos Mæandrius concitavit, insector, ut ea separem a publica causa, et civitatem hac lædendi Flacci culpa liberem. IDEM.

Cap. 25. *Ex quibus*] Hoc est, ex Trallianis ipsis. FERR.

Si non licuit] Nisi cum facturus erat ludos, licuit filio, omni ludorum spe intercepta post ejus mortem. ID.

Impetraverunt] Ut illis dimitteret omnem usuram, quam inde perceperant. IDEM.

Cap. 28. *A gradibus Aureliis*] Circa quos Judæa gens versari solebat. MANUTIUS. *Gradus Aurelii*, forum Aurelium, et tribunal Aurelium a Cicerone sæpe dicitur. SYLV.

Judicatum] Agebat enim per Judices Flaccus, in auro deprehendendo, quod Hierosolymam deferebatur. FERRAT.

Elocata] Quasi loco mota, suisque sedibus pulsa. MANUT.

Servata] Facta tributaria, serva. Videantur interpretes ad Justiniani lib. I. Tit. 3.

Cap. 29. *Purpuram Tyriam*] Vel in lato clavo, si senator erat: quod non arbitror; cum annos triginta Pergami fuisset: vel in angusto, se eques Romanus. MANUT.

Unis vestimentis] Quod eandem, quoties ad urbem rediret, tunicam referret. IDEM.

Miseriores habes] Facis, ut sint miseriores. Habemus aliquem miserum, habemus sollicitum, ut Terent. *Omnes sollicitos habemus servos.* CAMERAR.

Pater tuus] Qui iisdem in locis pari crudelitate negotiatus est. FERRAT.

Habere] Non, emere, sed, habere; quia fraude occupaverat. MANUT.

Pedibus compensari pecuniam] Quia quo minoris emuntur, eo laboriosius visuntur longinqui agri; et quod in pecunia lucrum fit, pedum labore compensatur. IDEM.

Ad Caïcum] Phrygiæ fluvium, ex Mysia fluentem. IDEM.

Agamemnon] Vide Eustathium Iliad. A. in illud Homeri παλιμπλαγχθέντας. IDEM.

Emisses] Emere debebas. IDEM.

Cap. 31. *P. Scipioni*] Ei qui Tib. Gracchum occidit: quo facto Pergamum in exilium abiit. IDEM.

Imponebant] Nolim hoc verbo aliquem falli: non enim hoc dicit, Deciani præsentis capiti coronam auream vere esse a Pergamenis impositam. Nam impositam non esse, ex verbo, *litteris*, intelligitur. Sed *imponebant litteris*, valet, imponendam psephismate decernebant. Aliud est autem, litteris; aliud, re ipsa imponere. Sed cum litteris, tum te, inquit, ludebant. Nam revera tibi non plus aurum committebant, quam monedulæ: cui si quis committeret, amissum sciret: avis enim illa aurum et argentum avide furatur, auctore Plinio, XXIX. 10. IDEM.

Proscriptiones] Prædiorum, quæ Decianus a se empta dicebat. IDEM.

P. Orbius] Tres Asiæ prætores nominat, P. Orbium, P. Globulum, L. Flaccum. Orbius inquit, contra te decrevit: in Globulum fuisti gratiosior, id est munera contulisti: ideo nihil contra te decrevit. Flaccum decrevisse fateris, verum inimicitiis et iracundia incitatum. IDEM.

Cap. 32. Lamb. *Flaccum elatum iracundia decrevisse dicis. Et vero adjungis*

Decrevissent] Locus corruptus. Alii aliter emendant. Lambini, quæ textui subjuncta est, sive lectio, sive conjectura, sit instar omnium.

In consilium] Ut judex esses. In quo tibi honorem habuit, oblitus inimicitiarum, quæ patri tuo cum illius patre fuerant. MANUT.

Quæ quidem quam sancte solita sint observari] Quænam? fuisse militem in ejus legione, vocatum ab eo esse in consilium: quæ tu Deciane non observas: Flaccum enim accusas. IDEM.

Nobis] Συνεκδοχικῶς, id est, a mea parte et Flacco. CAMER.

Sed edixisset?] Quod pro imperio fit: cum decernatur jure, causa cum consilio cognita. MANUT.

Quas easdem] Locus depravatus. Mihi et apertior et melior sententia videtur, si legatur, *Queis easdem mulieres amandatas apud Pataranos requisivit*. Quas enim mulieres, id est Amyntæ uxorem, et filiam, reddendas esse Flaccus decreverit, eas cum Decianus, ne redderet, apud Pataranos amandasset, Q. Cicero litteris requisivit. IDEM.

In censu dedicavisti] Professus es, in censum retulisti. Antiqua locutio, sed exemplis parum confirmata. Sic locutum Africanum minorem, teste Gellio cognoscetur. *In uno scorto*, inquit L. VII. cap. 11. recitans Africani verba, *majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censu dedicavisti*. IDEM.

Convicta ab Apollonidensibus] Judicio tibi adempta ab Apollonidensibus, condemnatione Polemocratis. IDEM.

Censui censendo] Non poterant censeri, adeoque subsignari bona, quæ non haberent jus civile, et non essent mancipi, hoc est, nisi ita essent sua, ut possent abalienari. FERRAT.

Subsignari] Id est, in tabulas publicas referri. MANUT.

Tempus] Bellum ejusmodi, ut ubique tributum imperari necesse esset. IDEM.

Tributum] Nam Apolloniæ censebantur nomine Amyntæ, Romæ nomine Deciani. FERRAT.

Dividi non potest] Quia in liberas civitates deduci coloniæ non poterant. IDEM.

Centum triginta] Sestertiorum centum triginta millia: parva omnino summa: cum præsertim Decianus gloriosus esset. Quod si, CXXX. pro centies tricies, accipiamus: præclare Deciani gloriæ satisfiet. In quo Cicero jocatur, mentitum esse Decianum ostendens gloriæ causa. MAN.

Eum (maximam habiturum esse familiam. Responsum est, ejus facta non videri. Idem visum est postea Flacco, cum rem cognosceret: itaque decrevit.) *Habetis.*] Hæc uncis circumsepta Lambinus in veteri codice invenit. Editionibus aliis absunt: neque nos habemus pro germanis. GRUT.

Cap. 33. *Scilicet defendam Decia-*

num] Ironia; pergitque cum eodem joco: *Non est, mihi crede, corruptus.* MANUT.

Redimeretur] Quod ab eo Flaccus emeret. IDEM.

Ut duceret judicium?] Hoc est, ut produceret, ut moram necteret. CAMERARIUS.

Sex horas lex dedit] Tres accusatori, totidem defensori in causa repetundarum. MANUT.

Subscriptoris tui] Subscriptores dicebantur, qui faventes accusatori, et accusationem una facientes, subscribebant ad accusatoris nomen suum in reum. CAMER.

Fortasse fecisti et tu et populi sermo, ne exciperes] Nulla fere mutatione turpis ex hoc loco eluitur macula. Nam si legatur, *fecisset ut ex populi sermone excideres:* vitii nihil supersit. Si locum, inquit, illi tanquam subscriptori tuo ejusdem agendæ causæ dedisses, fortasse tuam laudem obscurasset. MANUT.

Usque ad coronam] Adduxisti in populi conspectum: sed verba facere, quod erat subscriptoris munus, non sivisti. FERRAT.

Ita enim dixisti] Ita frigide, ita jejune Flaccum accusasti, ut corruptus ab eo videri possis. MANUT.

Cap. 34. *Ad ipsum*] Quod Valeriæ propinquus esset, et illa intestato esset mortua. IDEM.

Coemptione] Vide Topic. 3.

Occasio] Inter impressionem, et vim, occasionem nominari non placet, sed conjungi malim cum eo, quod sequitur, *non tempus*, hoc ordine: *Non impresso, non vis, non occasio, non tempus.* MANUT.

Doti dixerat] Eo ipso, quod in manum convenerat. Id Cicero negat. FERRAT.

Ne nostrum in prætermittendis provinciis] De se ipso dicit, qui post consulatum ire in provinciam noluit: cum postea consilium mutaverit, et in Ciliciam iverit. MANUT.

Litteras misit] Flaccus.

Cap. 36. *Decisionis arbiter fuit*] Arbiter hic non est, qui decidat litem et controversiam inter Andronem, et Flaccum, ut explicat Manutius, sed testis transactionis, qui præsto fuit cum paciscerentur tanquam testis. *Decidere* enim est transigere. GRÆV.

Obsignator] Non pecuniæ, ut vult Manutius, sed pactionis, seu decisionis. *Obsignator* est hic, qui aliter dicitur *signator*. Sic *signatores testamentorum*, sunt testes, arbitri, qui testamento subscribunt nomina, et id suis signis obsignant. IDEM.

Cap. 37. *At fructus*] Accusator hoc dixerat. FERRAT.

Si dat] Incipit argumentari: quæ quidem argumentatio est obscura nobis, quibus negotium non est notum. CAMER.

Nihil detrahit de vivo] De eo quanti est, quod emisti. CAMER. Lucrum et vivum in emptione sunt ad hunc modum: si quis rem valentem triginta scutatos viginti scutatis emat, *vivum* est viginti scutati, *lucrum* decem. SYLV.

Cur Albanum venire] Cur fundum Albanum vendi jubet?

Ab negotio] Jocatur. Nullum enim erat Falcidio in Græcia negotium, nisi ut pergræcaretur, id est cum Græcis ipsis, Græco more bibendo, contenderet. MANUT.

Lamb. *scire. Quis is est igitur? Ille tibi*

Cap. 40. *O nox illa*] Qua Flaccus et Pontinius prætores in transitu pontis Mulvii legatos Allobrogum, cum litteris mandatisque ad suos cives, et eodem itinere ad Catilinam missos, comprehenderunt. MANUT.

O nonæ illæ Decembres] Quo die expositis in senatu, atque editis conjurationis indiciis, consule Cicerone, quid fieri placeret, consulente, Senatus censuit, ut P. Lentulus, cum se prætura abdicasset, itemque alii octo qui cum eo conjuraverant, in custodiam traderentur. IDEM.

PRO

P. SYLLA.

ORATIO XXV.

ARGUMENTUM.

P. Cornelius Sylla, L. Syllæ dictatoris propinquus, consul designatus cum P. Autronio Pæto, damnatus erat cum collega de ambitu, et in eorum locum accusatores L. Cotta, et L. Torquatus legis beneficio successerant. Eundem Syllam accusavit aliquanto post de conjuratione L. Torquatus filius. Defendit Hortensius primum, deinde Cicero. Absolutum esse, satis ex eo constat, quia Gabinium accusavit. Qua de re epist. 3. *lib. III. ad Q. frat.* MANUT.

Victo. et Lamb. editio scribunt Sylla. *Sed aliæ, ut et nummi et inscriptiones,* P. Sulla. *Et sic quoque ratio postulat. Non enim est hæc vox a* Sibylla, *ut Plutarchus aliique volunt: sed a* Sura *est* ὑποκοριστικὸν Sulla: *quæ mei doctoris J. F. Gronovii est sententia.* GRÆV. *Quod si ego neque a Victorio et plerisque Italis, neque a Lambino et Gallis omnibus voluti dissentire, ignoscant alii, quibus* Sulla *magis placet. Atque ut hoc agam paucis: cur nam ratio* Syllam *recusat,* Sullam *postulat? Quoniam, ut censet J. F. Gronovius, a* Sura *diminutivum est* Sulla? *At virum habeo non minus eruditum, quem opponam, G. J. Vossium in Etymol.* v. Sybilla. *Habeo Plutarchum, qui scripsit* Σύλλας. *Is et sæpe cum Romanis, et Romæ diu fuerat, sciebat Latine, et monumenta rerum Romanorum multa perlegerat. Si in hoc vocabulo, prior Syllaba eadem erat, quæ prima est in* Surena, *in* Sulpicio, *cur non scripsit* Σούλλας, *ut scripsit* Σουρήνας, *et* Σουλπίκιος? *Dixerint antiquarii* Sullam, *ut* lacrumas, Burrum, Bruges. *Tamen et* lacrymas, *inquit Cicero, Orat.* 48. *et* Phryges, *et* Pyrrhum, (*addo et* Syllam) *aurium causa dicimus.* OLIVET.

Cap. 1. *Modestiæ*] Ut nemo eum denuo accusaret, cum damnatus de ambitu id modeste tulisset. FERRAT.

Cum ... invidia] Qui voces accentibus onerari volunt, hic legant, *cum ... invidia.* OLIVET.

Autronii] Sic scribendum est hoc nomen, per, *u*, inquam, in prima syllaba, non per, *n*. LAMBINUS. *Autronii* scribendum hic et infra, ex auctoritate veterum librorum et numismatum. URSINUS. Hic ipse est, de quo Cic. in Bruto, cap. 68. ubi primam syllabam non per *u*. sed per *n* scripsimus, Victorium secuti, et Corradum.

Redomiti] Pro *domiti* ponitur, ut *recubor* pro cubor, *redimo* pro emo, *refero* pro fero, *ut refero ad senatum; reformido*, pro formido, *refugio* pro fugio, et hujus generis alia. GRÆV.

Judicium, qui] Hoc est: plusne momenti sit in meo, quam in Hortensii et aliorum judicio, quo perpendimus, quo statuimus, quis nobis sit defendendus reus, quis deserendus. ANONYMUS.

Cap. 2. *Celebrari*] Venerant non ut patroni causam acturi, sed ut advocati reum sua præsentia, suaque auctoritate sublevaturi. MANUT.

Hoc genere quæstionis] Lege Luctatia de vi. FERRAT.

Autronio] Apparet eum bis esse damnatum: de ambitu primum; deinde, quod hic significatur, de majestate. MANUT.

Cap. 3. *Partiendæ invidiæ*] Quasi una mecum illi etiam in conjuratos animadverterint: quod apud populum invidiosum erat. FERRAT.

Ratio reip.] Cum alterum nocentem noverim, alterum esse innocen-

tem certo sciam: quo modo ostendit, se minime levem esse et inconstantem. IDEM.

Cap. 9. *Ex domesticis imaginibus*] M. Manlium significat, qui, dejectis ex capitolio Gallis, postea, cum in suspicionem regni venisset, de rupe Tarpeia deturbatus est. MANUT.

Cap. 10. *Is tribunus pl.*] Fortasse Metellus Nepos, qui Ciceronem abeuntem consulatu concionis habendæ potestate privavit, cum diceret, ei qui in alios animadvertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. Quod si Metellus Nepos est; habita hæc oratio Silano et Murena Coss. IDEM.

Cap. 11. *Quam ego defugiam*] Defugere auctoritatem, est negare, se auctorem fuisse, Nos Galli dicimus, *désavoüer*. LAMB.

Quæ juratus] Ultimo consulatus die juravit, a se servatam esse rempublicam. Id ipse narrat in orat. in Pisonem, et in ea pro Domo. MAN.

Cap. 12. *Contubernalis in consulatu*] Ita tunc mos erat: ut adolescentes quotidiano convictu et sermone clarorum virorum, administrandæ reipublicæ scientiam perciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in consulatu contubernalis fuit: ut in Bruto. Sic M. Cælius Q. Pompeio proconsuli contubernalis in Africam est profectus: ut in orat. pro ipso. IDEM.

Princeps juventutis] Dicebatur, qui primus erat ex Equitibus lectus a Censoribus, et in albo primo loco scriptus. GRÆV.

Cap. 15. *Quantum vellet*] Id est, ne quis plus aut minus de periculo reipublicæ aut alicujus cogitaret, quam res fuisset. SYLV.

Cum familiari meo] Cum aliquo ex meis familiaribus. FERRAT.

Cap. 18. *Te enim existimo*] Hoc sensu: Ideo tuum factum non reprehendo, quod existimem, et teipsum prudenter statuere, quid tibi faciendum sit; neque optimum amici alicujus judicium in ea re tibi defuisse. FERRAT.

Reliquerit] Nam si indicaret ipse, indicii præmium, id est absolutionem, consequeretur. Cum vero per filium indicat, præmium reliquit. MANUT.

In confessione] Culpam enim fatetur, cum Syllæ consilia sibi nota fuisse dicit, qui gladiatores Fausti simulatione ad cædem, ac tumultum emerit. IDEM.

Sin tu ais illum comitatum Autronii, &c.] Locus procul dubio corruptus. Quem P. Faber Tolosanus, nunc supplicum libellorum in regia magister, vir doctiss. sic emendare, ac restituere conatus est. *Sin tu ais, Syllam comitatum Autronium et Catilinam*, &c. in qua conjectura vult ille *comitatum* esse participium. Ego sic: *Sin tu ais, Syllam in illo comitatu Autronii et Catilinæ fuisse, cum in campo*, &c. LAMB.

Informat ad hoc adumbratum indicium filium] Id est, instruit ad hanc rem, ad hanc causam. SYLVIUS. Pith. et Franc. prim. *informat adhoc adumbratum indicium filii*. Et sic vetustiores editiones. Quod perperam interpolarunt recentiores. *Adhoc* ἐφαπαξ scribitur pro *adhuc*. *Informat adumbratum indicium filii*, hoc est in filii illo ficto indicio instruendo et componendo adhuc laborat. Utrumque vocabulum *adumbratus* et *informo* est a pictorum arte petitum. *Adumbratio* est σκιαγραφία, cum lineæ modo extremæ umbræ, quam corpore in sole faciunt, circumscribuntur, ut Quintilianus ait. Unde Cicero, I. de Nat. Deorum. *Cedo miki istorum adumbratorum Deorum lineamenta atque formas*. Hinc *adumbratus* et *expressus* opponuntur. Ut in Tuscul. III: *Gloria est solida quædam res expressa, non adumbrata*. GRÆV.

Falcarios] Vide Catil. I. 4.

Cap. 19. *Fausti simulatione*] Id est, simulando Faustum Syllam Lucii filium scripsisse, ut gladiatores P. Sylla emeret, quos ipse Faustus testamento patris deberet. SYLV.

Arrepta est familia] Objectio accusatoris, repente gladiatores illos esse emptos, ad cædem scilicet, ac tumultum. Solutio: At ii si empti non ex-

sent, alios emere potuit, quibus Fausti munus præberet. Est autem brevi cum objectione brevis item conjuncta solutio: ut objectionis infirmitatem solutionis brevitas ostendat. Infertur enim solutio per prænomen, *quæ*. Nam cum dici posset: *At ea si esset prætermissa;* dicitur, *Quæ si esset prætermissa.* Sic pro Archia: *At domicilium Romæ non habuit, is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum, ac fortunarum suarum Romæ collocavit.* Familia *servos* hic designat. Servi autem gladiatores, ideoque emuntur. *Arrepta*, properationem Syllæ ementis ostendit: quod infra quoque confirmatur iis verbis: *Properatum vehementer est, cum longe tempus muneris abesset.* Ex quo miror, cum nec obscuritatis, nec vitii sententia quidquam habeat, cur nonnullis, locum mutare, et pro, *Arrepta*, reponere, *at empta*, in mentem venerit. MANUT.

Utinam] Hæc est responsio ad superiorem objectionem. Urget deinde accusator: *Properatum vehementer.* Defensor: *Quasi vero.* Accus. *Necopinante Fausto.* Def. *At litteræ sunt Fausti.* Accus. *At præfuit familiæ.* Def. *Jam si in comparanda*, &c. FER.

Iniquorum invidiæ] Qui Fausto invident propter opes ei a Sylla patre relictas, quibus non satisfacit hæc familia, ut exigua, parum respondens ejus honoribus, cui mortuo dabatur. MANUT.

Ferramenta] Quibus gladiatores in pugna uterentur. IDEM.

Cap. 20. *Per se*] Conjuratio, quæ Romæ fiebat, nullo modo nitebatur provinciarum discordiis, neque ab alia ulla re, quam a se ipsa pendebat. FERRAT.

Cap. 21. *Pompeianos*] Pompeii oppidum fuit in Campania, prope Neapolim. Ii a populo Romano devicti, parte agri multati sunt. Eo a Triumviris, in quibus P. Sylla erat, colonia deducta est. Inter Pompeianos et Colonos exorta seditio est, quod nollent Pompeiani Colonis tantum jus suffragii ferendi ac magistratus gerendi esse, quantum sibi. Hanc seditionem a Sylla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in sua potestate haberet, iisque ad hanc conjurationem uteretur. SYL.

De ambulatione] Gulielmius interpretatur *porticum;* ut in ipso Cicerone sæpe alias. Et Catullo: *In Magni simul ambulatione.* De porticu ergo dissensere cum colonis Pompeiani. GRUT. Alii, *de ambitione*, quod interpretantur, de magistratuum petitione. *Ambulatione* tuentur quatuor libri veteres a me consulti, et editio prima. GRÆ.

Cap. 22. *Rogationis Cæciliæ*] Ut per vim ferretur lex, quam frater P. Syllæ Cæcilius tribunus pl. de minuenda ambitus pœna promulgaverat. MANUT.

De levanda] Quia damnatus fuerat Sylla de ambitu. Eam pœnam nova lege Cæcilius minuere cupiebat.

Primum Cæcilius] Duo fere versus fuerant a scriptore librario omissi. Quos ego partim conjectura ductus, partim ab antiquis libris adjutus, repræsentavi. Errans scilicet librarius in nominibus, *Cæcilius*, et *Cæcilium*, a *Cæcilius* ad *Cæcilium* transiliebat: et ita versum unum integrum omiserat, quem restituimus. LAMB. *In qua re est uterque laudandus. Primum Cæcilius, qui id promulgarit, in quo res judicatas videbantur voluisse rescindere, ut statueretur: Sylla recte respondit, status enim*] Locum aperte corruptum ita Pantagathus restituebat: *In qua re est utique laudandus, per eum Cæcilius, qui si promulgarit, in quo res judicatas videbatur voluisse rescindere, ut restitueretur Sylla, recte reprehendit: status enim*, &c. URSIN. *Primum Cæcilius*, &c.] Malui locum notare asterisco, quam admittere Memmiani codicis scripturam Lambini conjectura ferruminatam. Erat viri probi seorsim exhibere codicis Ms. lectionem, et sic deinde subjicere divinationem suam. Nostri Palatini octo nihil variant, nisi quod sept. *Cæcilium*. Henr. Stephanus laudat e Ms. *Primum Cæcilius*, qui

id primum promulgavit, quo fratris casum levare posset: quem quia res judicatas, &c. quod sane admisissem, si tale quid offendissem in nostris, aut ulla veteri editione: interim uno stare libro, et tali quidem, qui nunquam forte fuit in rerum natura, non est nostrum. Vix oculis meis credo, nedum ut linguæ alienæ. GRUT.

Lamb. *qui fratris calamitatem levare, pœna legis mitiganda, voluerit, laudem meretur: deinde Cæcilium, qui id promulgarit, in quo res judicatas videbatur voluisse rescindere, ut Sylla restitueretur, Sylla recte.*

Eam ferebat] Placet quod aliis, *auferebat*. Nisi si dicas, voluisse Cæcilium eam ferre pœnam, non quæ cum ultima lege, (ultima autem Calpurnia tunc erat, qua Sylla damnatus est) sed quæ cum superioribus congrueret: in quibus aliquanto levior, quam in ultima, ambitus pœna constituta erat. Ut, *superioribus legibus*, valeat, iis, quæ ante ultimam latæ fuerant. *Nuper* autem sit, non multo ante ultimam. MANUT. *Auferre pœnam*, vix Latinæ aures ferunt. GRÆ.

Cap. 23. *Posita est in senatu*] Cum diu de hoc loco cogitassem, animadverti hæc verba, *posita est in senatu, populum Romanum latuit*, esse spuria, et suppositicia, ut non tantum sententia et Romani sermonis integritas flagitat: (quid enim est *ponere*, aut *deponere legem in senatu?* quomodo potuit populo Romano latere quod propositum est?) sed et veteres, uti vidimus, libri, in quibus *pop. Rom. latuit* non legitur. Videntur autem irrepsisse, cum oscitantia librarii repetita esset vox *posita* ex præcedente versu: *lex dies fuit posita paucos*, sic enim pro *proposita* legitur in Pithœano, et itidem repetita vox *senatum* ex sequente versu. Forte margini fuit adscriptum *rogatio*, quod est in Mediolanensi. Spero omnes, qui judicio valent, mihi, ubi hæc verba ineptissima recte consideraverint, assensuros. Delere tamen nondum ausus sum, quia *posita est in senatu* in omnibus codicibus legitur. Si vel unus melioris notæ illa non agnovisset, uti nonnulli non agnoscunt sequentia *populum Romanum latuit*, ea delevissem. Nunc et hic pannus purpuræ Tullianæ, ut multi alii, adsutus est ferendus. GRÆ.

Populum Romanum latuit] Vult Gaspar Scioppius, *Præf. Grammat. Philos.* hoc Latinum non esse, vel saltem Ciceronis ætate non fuisse. Græco more dicitur, *latet me*, sed Latino, *latet mihi*. Itaque in veteribus Ciceronis libris fuit, *P. R. latuit*: quod erat dandi casu legendum, *Populo Romano latuit*. Hæc ille pluribus. Vide Catilin. I. cap. 6. OLIVET.

De Rep.] Henricus Stephanus emendat, *e rep.* ingeniose et erudite. LAM.

Tamen] Repone, *tum*, ex utroque Francii, et editione prima. GRÆ.

Cap. 24. *Me hoc demonstrasse*] Quare colligebat hoc accusator? Quia cum primæ conjurationis causam innueret Cicero fuisse judicium, quo damnati fuerant de ambitu Sylla, et Autronius, neutrum ab illa excludere videbatur. FERRAT.

De quo etiam si quis dubitasset] Ostendit L. Torquatum dixisse quæ non conveniant. Nam si P. Sylla conjuravit L. Torquati patrem Cos. Kalendis Januariis interficere, ut consulatum judicio amissum per vim recuperaret: non est verisimile eum, postquam damnatus est, operas et manum comparasse, ut Catilinæ contra Torquatum suffragaretur. SYL.

Interfecto patre tuo consule] L. Torquatum et L. Cottam, cum inirent consulatum, Kalendis Januariis, interficere, et consulatum per vim arripere Catilina et Autronius conjuraverant. IDEM.

Descendere] In forum. Sic enim loquebantur, quia nobiliores in collibus habitabant. MANUT.

Vict. Man. Lamb. *aliquid, et de ipso, qui accusatus est.*

Cap. 25. *Conatum*] Remp. scilicet perdere. FERRAT.

Cum indicibus] Qui viros innocentes falsis criminibus vexarent. IDEM.

Cap. 26. *Quam posse debet*] Non enim civis eam in alios cives potestatem habere debet, ut illorum vita a sua voluntate pendeat: sed est vitium temporis. IDEM.

Celebratio quotidiana] Celebratur quotidie Syllæ domus civium honestissimorum conventu. MANUT.

Familiaris dignitas?] Pro, familiarium dignitas. Ut infra, cap. 28. ID.

Cum lege retineretur] Lege Calpurnia, quæ de ambitu damnatis exilium non irrogabat. Postea decem annorum exilium addidit Tullia lex, a consule Cicerone lata. MANUT.

In hoc vos pudore judicii] Cum illum puderet hujus judicii quo damnatus erat. Sic potest exponi, sed puto tamen Tullium scripsisse, *In hoc vos pudore, Judices, et in hac vita.* GRÆVIUS.

Cap. 29. Vict. Man. Lamb. omittunt, *est hoc dictum fortasse, Judices.*

Lamb. *ad testandam memoriam*

Grut. *attestantem memoriam*

Cap. 30. *Conceditur*] Hoc est, si id ab omnibus mihi concederetur, ut ea in re standum meæ auctoritati esset, sponte remitterem, ac recusarem. FERRAT.

Grave esse] Ironia. FERRAT.

Pudori meo] Quomodo enim pudori suo Cicero consuleret, si defenderet quem conjurasse arbitraretur? IDEM.

De re P. Syllæ rem ullam] Vitium apparet: itaque nonnulli, *de re*, tanquam supervacaneum inducendum putarunt. In quibusdam antiquis libris, *de reatu*, legitur, quod idem vitiosum esse constat. Nobis placeret, *de crimine*. Non enim longe differt *crimine* a *re*, si *crimine* contracte legatur. MANUT.

Cap. 32. *Rejectione interposita*] Facile est intelligere, unius accusatoris in crimine conjurationis rejectionem judicum fuisse. Verisimile est autem in rejectorum locum eos deligi solitos ab accusatore, quos putaret de reo severissime judicaturos, quam Cicero ex accusatoris mente, *acerbitatem* appellat: judicum autem gratiam et clementiam aucupatur in eo, quod subjungit: *A fortuna nobis ad præsidium innocentiæ constituti.* Et infra: *Est vestri animi, atque virtutis, declarare non eos esse vos, ad quos potissimum, interposita rejectione, devenire convenerit.* Quo loco significat, si crudeles judices accusator quæsierit, errasse in delectu: quos enim delegit, a crudelitate longe abesse. IDEM.

PRO

A. LICINIO ARCHIA

POETA.

ORATIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Archias, magni nominis poeta, Antiochenus, Romam venit anno urbis 648. *et ab Heracliensibus civitate donatus in gratiam Luculli, Romanam etiam civitatem adeptus est lege Plautia Papiria, anno* 661. *Sed elapsis viginti et octo annis, Gratius quidam Archiæ litem intendit de civitate, ex lege, ut opinor, Papia. Cicero Archiam hac oratione defendit.* FERRATIUS.

Cap. 1. *A. Licinius*] Nomen ex Licinia gente sumpsit: cujus beneficio civis Romanus factus fuerat. Cur autem non etiam prænomen, incertum est. FERRAT.

Memoriam recordari ultimam] Id est, primam, remotissimam. De hac voce plura in Orat. *de Prov. Cons.* cap. 18.

Ne nos quidem huic cuncti studio] Tò *cuncti* magnas hic turbas dat. Quid enim est *cuncti?* At Festus cunctos negat dici nisi omnes conjunctos. Manutius exponit *cuncti* toti, ut sit, ne nos quidem toti huic studio eloquentiæ dediti sumus. Sed ne Carneades quidem mihi persuaserit *cunctos* totos dici, et de uno homine. Libri Err. Memmii habent partim *cuncto*, quod respuo, partim *curæ et:* quod perspicue verum est. PASSER. Non male corculum Galliæ suæ Claudius Puteanus *huicce uni studio:* sed Mss. nihil mutant. Recepit id tamen in contextum Lambinus. GRUT.

Humanitatem] Vide Gellium, lib. XIII. cap. 17.

Commune vinculum] Vide Cic. de Orat. III. 6. Vitruvium initio lib. I. &c.

Cap. 2. *Legitima*] De qua lex est, et quæ lege exercetur. MANUT.

Severissimos] Apud quos extra causam si quid affertur, locum habere non videtur. IDEM.

Hac vestra humanitate] Litterarum illarum scientia, de quibus mihi sermo futurus est. IDEM.

De studiis humanitatis] Quæ ad humanitatem informant, quæ animos humanitate excolunt. Significatur autem historia in primis, et poetice. Nam utraque infra laudatur. Gellius alias quoque disciplinas humanitatis nomine comprehendit, cum eam eruditionem vocat, et ait propemodum esse, quam παιδίαν Græci dicunt; exemplis tamen valde probantibus non utitur. Et in hac ipsa oratione cum ait Cicero: *Ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet:* quid putemus? mathematicane, et physica significari? At hæc Romæ tum non colebantur: aut virili certe ætate, non puerili: et omnino a perquam paucis. Quare, quod ad Gellii opinionem attinet, nec probare possum, nec improbare audeo: assensum libenter sustineo. IDEM.

Tractata] Id est, Oratores ejusmodi personas in judiciis non tractant, quia poetæ otium studiumque sectantes, adduci non solent in judicium. PASSER.

Cap. 3. Lamb. *celeriter ei, ut antecelleret...contigit.*

Cap. 4. *Siciliam*] Ita Grut. et Græv. ex Mss. vulgo, *Cilicium.*

Æquissimo jure, ac fœdere] Videtur omnino significare, meliore quodam jure, ac fœdere Heraclienses fuisse, quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. Alioqui cur in eas adscribi cuperet Archias, quasi ceteris, in quos adscriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam non uti, quod semper se Heracliensem esse voluerit, infra dicit. MAN.

Sexaginta diebus] Non est per sexaginta dies continuos profiteri, quo quid absurdius, nec post sexaginta dies, ut Lambinus conatur reponere; sed intra sexaginta dies. Dati autem sexaginta dies, ut ii qui longius abessent, satis scilicet haberent temporis quo Romam venirent ad profitendum. Profitetur qui edit aliquid, et publice testatum esse vult, ut profiteri censum, et merces apud publicanos. Græci ἀπογράφεσθαι, de qua voce vide Budæum in Pandectas. PASSER.

De civitate ac lege] C. Puteanus vir doctiss. censet legendum, *hac lege*, quod Lambinus improbat, ego probo: nam hac lege reus erat Archias. HOTOMAN.

Ante civitatem datam] Silvani lege, et Carbonis. Quæ civitatem non dabat, nisi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuisset. MANUT.

Cap. 5. *Quamdiu incolumis fuit*] Antequam condemnaretur. IDEM.

Omnem tabularum fidem resignasset] Omnem ejus tabulis, in quibus professorum erant nomina, fidem abrogasset. Resignasset, inquit, quia ta-

bulæ obsignabantur annulo prætoris. MANUT.

Ad judices] Ut de litura illa, quam in suis tabulis deprehenderat, judicarent. IDEM.

Gratuito] Nullo eorum merito, nulla, aut humili arte. IDEM.

Post civitatem datam] Lege Silvani et Carbonis: ut supra.

Post legem Papiam] Secundam latam a C. Papio, *Ne quis peregrinus pro cive se gereret*. FERRAT.

Apud exercitum] In exercitu, et apud exercitum, non eodem sensu dicitur: in exercitu, qui miles est: apud exercitum, qui vel negotii, vel rei militaris cognoscendæ gratia, vel quovis potius, quam stipendii, nomine, in exercitu est. Archias autem non miles erat, sed pro sua virtute contubernalis imperatoris. MANUT.

Iis temporibus, quæ tu criminaris, ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum jure esse versatum] Hæc mihi perobscura videntur et ἀνακόλουθα. Quomodo enim Archias testamentum fecit Romanorum legibus, et adiit hereditates civium Romanorum, si ne suo quidem judicio tum in civium Romanorum jure est versatus? Contrarium Cicero voluit ostendere. Itaque ut hæc ἀνακολουθία tollatur, pro *quæ* scribe *queis*, et sic interpunge: *Iis temporibus, queis tu criminaris, ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum jure esse versatum, et testamentum sæpe fecit nostris legibus*. Hæc est vera sententia, illis ipsis temporibus, quibus tu contendis Archiam ipsum nondum præ se tulisse se civem esse, multa pro cive gessit, testamentum fecit, et quæ sequuntur. Igitur falsum est, quod tu criminaris. GRÆV.

In beneficiis ad ærarium delatus est] Hunc ego morem deferendi ad ærarium, si qui bene de republica meriti essent, didici olim ex epist. 20. lib. V. Famil. in qua sic est: *Quod scribis de beneficiis, scito a me tribunos militares, et præfectos, et contubernales dumtaxat meos delatos esse*. Qui enim utilem reipublicæ operam in bello quacumque ratione navaverant, eorum nomina, ex bello reversi, vel prætores, vel imperatores ad ærarium deferebant. MANUT. *Deferri in beneficiis* ad ærarium, non erat emolumentum, verum merus honor et commendatio illarum personarum apud populum Romanum profutura illis vel ad majora ornamenta ab republica consequenda, vel ad pericula, si quæ extitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio et beneficio principum honestarentur. Sic hic Archiam a Lucullo: sic L. Cornelium Balbum a Pompeio in beneficiis ad ærarium delatum esse jactat in illorum defensione Cicero. J. Fr. Gronov. de pec. vet. III. 17. ubi vide plura. GRÆV.

Cap. 6. *Tempestivis*] Vide supra, pro Murena, cap. 6.

Vict. Man. Lamb. *crescit*

Ex his studiis hæc quoque censetur oratio et facultas] Dicendi facultas ex poetarum lectione *censetur*, id est, pretium et æstimationem meretur, et in primis laudatur: a Græcis δοκεῖν dicitur, quorum imitatione ita loqui solemus. BUDÆUS in *Pand.*

Cap. 7. *L. Furium*] Philum, quem disputantem induxit Cic. in lib. de Rep.

Grut. *adversionem*.

Remissionem] Vide P. Victorii Var. lect. lib. XXIX. cap. 7.

Idem. *agunt*.

Adolescentiam alunt] Recte, *alunt*, de ætate quæ crescit. Libri veteres in mendo consentiunt: habent enim omnes, *agunt*: ut interdum necessaria conjectura videatur. MANUT.

Cap. 8. Vict. Man. Lamb. *afflari*

Inflari] Est a Mss. nostris omnibus: et id propius ad vim Græci verbi ἐνθουσιάζεσθαι, quam quod publicatur *afflari*. GRUTERUS. *Inflari* nostri quoque omnes libri tuentur. GRÆV.

Commendati] Accedo Gulielmianæ conjecturæ *commodati*. GRUT.

Cap. 9. *Ipsi illi C. Mario*] Qui Cimbros devicit. MANUT.

L. Plotium] Nominatum a Suetonio inter claros rhetores. IDEM.

Cap. 10. *Rudium hominem*] Rudiæ oppidum Apuliæ, fœderata civitas, quo tempore Ennius in civitatem est receptus: quæ postea colonia fuit, a Q. Fulvio Nobiliore deducta, cujus beneficio civis R. factus est Ennius; ut in Bruto legimus.

Noster hic Magnus] Ergo aderat Pompeius, qui Messala et Pupio Coss. urbem ingressus est: adeoque eodem anno habita est hæc oratio. FERRAT.

Alternis versibus longiusculis] Imparibus, ut in elegiis. PASSERAT.

Cordubæ natis poetis, pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum] Quonam fato evenisse dicam, ut eandem regionem tamdiu eadem lues infecerit? Non enim possum, quin de poetis Hispanis, Mureti judicium describam e præfatione in Catullum. "Hispani poetæ præcipue et "Romani sermonis elegantiam con- "taminarunt, et, cum inflatum quod- "dam, et tumidum, et gentis suæ "moribus congruens invenissent ora- "tionis genus, averterunt exemplo "suo cæteros a recta illa, et simplici, "in qua præcipua poetarum sita laus "est, et in quam superiores omni "studio incubuerant, imitatione na- "turæ. Itaque fere post Augusti "tempora, ut quisque versum maxi- "me inflaverat, sententiam maxime "contorserat, eo denique modo lo- "cutus fuerat, quo nemo serio soleret "loqui, ita in pretio haberi cœpit. "Quin etiam fucatus ille splendor, "et adulterina eloquentiæ species "ita nonnullorum, qui veræ eloquen- "tiæ gustum non habent, occæcavit "animos, ut his quoque temporibus "extiterint Hispani duo, homines "cæteroqui et in primis eruditi, et "scriptis editis nobiles; quorum al- "ter Lucanum Virgilio, alter Mar- "tialem Catullo anteponere veritus "non est. Quorum ab utroque ita "dissentio, ut, si quis deus potes- "tatem mihi optionemque faciat, "non dicam Virgilii, cui videor in- "juriam facere, si eum ullo modo "cum cæteris comparem, sed Ennii "alicujus, aut Furii, quam Lucani, "multo similem in scribendo esse "me malim: inter Martialis autem "et Catulli scripta tantum interesse "arbitror, quantum inter dicta scur- "ræ alicujus in trivio, et inter libe- "rales ingenui hominis jocos, multo "urbanitatis aspersos sale. Neque "vero negaverim, multa in Martiale "quoque non inscienter dicta repe- "riri: sed profecto deteriorum longe "numerus major est. Latinæ quidem "orationis nativa illa, minimeque "quasi pigmentis infucata germani- "tas in Martiale nulla est, in Catullo "præcipua." Ut discederem ab instituto, atque hunc, contra ac sum solitus, pannum assuerem, induxit me, et prope coegit orationis totius mira suavitate conjuncta utilitas. Quam enim hæc scripta candide! quam vere! quam opportune huic ævo, nostrisque hominibus! Huc illos voco festivarum scriptionum artifices, quos pravæ imitationis necscio quæ intemperies atque contagio privat omni bono naturæ; et cum in curatura styli parum, vel nihil ponant, sibi ac muliercullis canunt. OLIVETUS.

Cap. 11. *Non cum vitæ tempore esse dimetiendam*] Sic reposui, scripturæ veteris vestigia secutus, pro eo, quod est in vulgatis libris, *dimittendam*. LAMB. Repugnant omnes veteres libri, quamvis P. Manutius hanc conjecturam Lambini receperit. GRÆV.

Cap. 12. *Tum dignitate, tum venustate*] Pro *venustate* legendum *vetustate*. Hoc enim dicit: pudorem et integritatem morum in Archia comprobari amicorum ipsius tum dignitate, tum vetustate. Luculli enim, et Metelli, et Catuli, et alii præterea viri gravissimi, quos antea nominarat, non tantum Archiæ amici, sed veterrimi amici erant... Inepte in talibus viris, quasi in pulchellis pueris, venustatem commendari &c. MURET. *Var. lect.* XII. 15. Hic denotat *venustos*, homines venustos, politos, ut apud Catullum;

Et quicquid est hominum venustiorum.

Hi aliter dicuntur *belli, elegantes*, culti homines, qui studiis et ingenio Archiæ capiuntur. Cur autem *studiis* in contextu Gruteri retineatur, cum tamen in notis eam vocem damnet, librariorum negligentiæ est tribuendum. GRÆV.

Si qua] *Si* affirmantis est. Virg. *Dii si qua est cœlo pietas.* Item: *Si qua pios respectant numina.* PASSERATIUS.

Non modo humana] Non modo ab hominibus, sed et a diis profecta commendatio. Hominibus commendatus esse debet, qui hominum laudes commendat posteritati. *Divina*, quod divino afflantur spiritu poetæ, unde quoque sancti habentur. IDEM.

POST REDITUM.

AD QUIRITES.

ORATIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Pulsus in exilium Clodia lege Cicero, quod cives Romanos indemnatos necasset, cum decem et septem menses abfuisset, tandem revocatus in Urbem rediit prid. Non Septembris, anno urbis DCXCVI, *P. Lentulo Spinthere et Q. Metello Nepote Coss. Postridie, hoc est nonis Sept. Senatui gratias egit, ut ipse fatetur Epist.* 1. *lib. IV. ad Atticum: et paulo post etiam Populo hac Oratione, data a Consulibus concione, Dione teste lib.* 38. FERRATIUS.

In veteribus duobus codicibus Lambini, hac oratio sequitur eam, quam habuit in senatu, et præterea habet hanc inscriptionem: Cum populo gratias egit. *In primo Francii etiam sequenti præponitur, cum hac inscriptione:* Oratio qua populo gratias agit pro sui restitutione in patriam. *Sed in Erfurt.* Incipit oratio M. T. Ciceronis cum de reditu suo P. R. gratias egit. *Illi etiam præponitur oratio in Senatu.* GRÆV. *Quod cum ita esset, huic tamen Grævius alteram in sua editione non præposuit: neque ego a vulgatis recedam; in re præsertim nullius momenti.* OLIVET.

Cap. 1. Grut. *in me uno potius, quam in optimo quoque et in universa rep. deficeret.*

Ejus devotionis me esse convictum] In devotione votum inest, ut ii serventur, quorum causa se aliquis devovet. Ita videtur dicere; Ejus devotionis me compotem esse factum; id est, quem illa devotione fructum petivi, eum tulisse me. MANUT.

Cap. 2. *Necesse*] Necesse est ut ex matrimonio filii procreentur: sed vos me voluntate Consulem fecistis. FERRAT.

Illis accepi temporibus] Belli enim socialis initio sumpsit virilem togam: nec multo post secutum est Marianum civile bellum: et in utroque resp. bello versata est in summo discrimine. Ideo subjungit, *quæ pene amisita est.* MANUT.

Cap. 3. *P. Popillii*] Quem expulerat C. Gracchus, quia in consulatu T. Gracchi amicos insectatus fuerat. FERRAT.

C. Metello] Lege *Q.* ut infra. Hic fuit Q. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus Numidicus, qui anno U. C. 653. in exilium ivit. GRÆV.

L. Diadematus]. L. Metellus Dia-

dematus fuit L. Metelli Macedonici filius, qui quatuor filios habuit, omnes summis dignitatibus illustres, quorum humeris est elatus, teste Plinio, Valer. Maximo, et Velleio Paterculo. Primus fuit Q. Cæcilius Metellus, qui Consul fuit cum T. Quinctio Flaminio, qui post triumphatis Balearibus dictus est Balearicus. Alter fuit Cæcilius Metellus Diadematus, qui Consulatum gessit cum Q. Mucio Sævola. Tertius erat M. Cæcilius Metellus, cujus collega fuit in Consulatu M. Æmilius Scaurus. Quartus numero fuit C. Cæcilius Metellus Caprarius, qui in Consulatu habuit collegam Cn. Papirium Carbonem. Macedonicus Metellus vero habuit fratrem L. Calvum, cujus duo fuerunt filii, Metellus Numidicus et Metellus Delmaticus, quem perperam eundem esse putant, qui et dictus fuerit Delmatiaris, in qua sententia est quoque Cl. Harduinus ad Plinii lib. VII. c. 44. et in qua fuerunt olim Sigonius et Onufrius, sed refutata est a Steph. Pighio, qui in annalibus ad annum 635, ex illustri fragmento triumphorum Capitolinorum ostendit Delmaticum fuisse L. Calvi Metelli, qui erat Macedonici frater, filium. Diadematus autem dictus est, quod ulceris in fronte tegendi causa diademate sit usus. GRÆV.

Metellus Censorius] Hic fuit C. Cæcilius Metellus, Caprarius, Q. Macedonici filius, patruelis exulis Metelli Numidici. Censor fuit cum Q. Cæcilio Metello Numidico. Vide annales Pighii ad annum 651. IDEM.

Metellarum] Metellæ sæpe dicuntur tres sorores, cum tamen duæ tantum fuerint germanæ sorores Macedonici filiæ, tertia vero esset patruelis filia Calvi, ut observavit Cl. et doctissimus Perizonius Animadvers. Hist. cap. 9. IDEM.

Lamb. *domi posset esse miki ætate filius, in foro item pietate filius, inventus.*

Unus hic, qui domi] Optime Francii primus: *Unus qui in foro.* Præcedentia verba aliis explicat, ut ostendat unicum fratrem fuisse, qui pro se populo fuerit supplex. Nam illum unum fuisse, qui potuerit in foro versari, cum id officium ei nec uxor, nec filia, nec filiolus posset præstare. Domestica officia et negotia hic inepte commemorarentur. Itaque delevi *qui domi*, præsidio munitus antiquorum codicum. GRÆV.

Cap. 4. *Ter.*] Vide Ciceronis Historiam, per Franc. Fabricium anno Urb. DCXCVI. Cicer. 50.

Inimico autem] Q. Metello consule; qui tribunus pl. Ciceronem abeuntem concionis habendæ potestate privaverat. MANUT.

Is inimicus] Attilius Gavianus, Trib. pl. De quo infra, et pro Sext. 36.

Cap. 5. *Superiores consules*] Piso et Gabinius. MANUT.

Ne gratiæ causa] Ironia. Non enim id veriti sunt, sed pactione provinciarum irretiti, quæ mei funeris merces fuit, nunquam referre voluerunt. IDEM.

Affinis erat] Piso, quia Ciceronis filia, C. Pisonis uxor erat. IDEM.

Trib. pl.] Attilius Gavianus.

Ut patefactum est] Quia postero die intercessit: cum se moram nullam esse facturum dixisset. MANUT.

Cap. 6. *Uno dissentiente*] P. Clodio. Est autem sermo de S. C. quod factum est pro Cicerone in templo Virtutis. FERRAT.

Cap. 7. *Suam classem*] Cujus custos erat, dum ferrentur suffragia. *Attentatam*, a Clodianis corrumpere conantibus. MANUT. *Classem*, quam bello Piratico Gellius sub imperio Pompeii obtinebat, eam dicit attentatam fuisse in Thusco mari a Catilinariis. Florus. FERRAT.

Cap. 8. *Frugum ubertate*] Vide Orat. pro Domo sua, cap. 6.

Infracto] Multis exemplis Joann. Vorstius de Latinitate merito suspecta, cap. 6. ostendit *infractus* Latinis esse idem simplici *fractus*, ab *infringo*, nulloque idoneo exemplo probari posse, *infractus* esse *non fractus*, fortis. GRÆV.

Tum se fuisse miserum] Hoc quid sit, et quemadmodum oratoris instituto conveniat, fateor me non intelligere. Repugnant enim Marium forti et confirmato animo fuisse, virtutem animi nunquam perdidisse, et simul miserum se esse dixisse. Præterea Ciceronis disputatio ad Marii fortitudinem cum sua virtute comparandam pertinet. Ut mihi mirum videatur, si non hoc loco negatio desit: ut sic legatur: *Tum se non fuisse miserum.* HOTOM.

Cap. 9. *Nec id reip. repetere*] Malim, *petere:* ut sit petere, ne colas bene meritos. Respondet autem ad illud, *temporibus reipublicæ communique utilitate deponi.* MANUT. Non improbo Pauli conjecturam. Ego quoque sine libris emendatioribus meliora non promitto. Cogitabam legendum esse, *nec id reip. dare,* hoc est facere propter remp. ut bene meritum non colas. *Dare reip.* est aliquid in reip. gratiam facere. Nam reip. tempora neminem cogunt bene meritum non colere. Egregie id præstitit Atticus, ut C. Nepos in ejus vita ostendit. GRÆV.

Atque in officio] Tota ista periodus, *Atque in officio persolvendo dissimilis,* usque ad *et qui habet, dissolvit,* nec est in Francii primo, nec in Dresdensi, nec in editione principe. Forte ex Planciana, cap. 28, aut libro de Officiis II. cap. 20, fuerunt huc translata. IDEM.

Cap. 10. *In sententia simpliciter referenda*] Sæpe a Tribunis producebatur ad populum Senator aliquis, ut is palam referret, quod actum fuerat in senatu. FERRAT. *Simpliciter,* est nulla habita ratione hominis aut potentis, aut invidi, sed ut jus, utilitas, et tempus reip. postulabit. GRÆVIUS.

POST REDITUM.

IN SENATU.

ORATIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

M. Tullius postridie quam ab exilio in patriam reversus est, hoc est Nonis Septemb. in Senatum profectus, orationem hanc habuit, qua nominatim utrique Consuli, dein, octo Tribunis pl. post septem Prætoribus, dein Cn. Pompeio tum temporis privato, postremo Senatui universo pro reditu impetrato gratias agit. Consules sunt P. Lentulus, Q. Metellus; quorum ita beneficia commemorat, ut illis restitutionis suæ laudem attribuat. Huic, quod adversatus non sit, simpliciter gratias agit: simulque duos superioris anni Consules, quorum opera P. Clodius in ipso ejiciendo præcipue usus fuerat, vehementer exagitat. Tribuni sunt T. Annius Milo, P. Sextius, C. Sestilius, M. Cuspius, T. Fadius, M. Curtius, C. Messinius, Q. Fabritius: in quibus duo primi nominati, ut principes in Ciceronis salute recuperanda fuerunt, ita potissimam in hac gratiarum actione partem obtinent: duos reliquos Sex. Attilium, et Numerium Quintum, a quibus læsus potius, quam adjutus fuerat, ita prætermittit, ut tamen non obscure perstringat. P. autem Clodium, qui Tribunus anno superiore fuerat, et lege lata Ciceronem in exilium ejecerat, multis verbis passim divexat. Prætores sunt L. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Crassus, Sex. Quintilius, C. Cornutus, quorum nulli eximie ac præter cæteros gratias agit.

Octavum autem prætorem App. Claudium, P. Clodii fratrem, qui a reliquis dissenserat, prætermittit. Non est autem mirandum Tribunos pl. ante prætores nominari: quia multo majores illorum quam prætorum in comitiis, et legibus vel ferendis vel abrogandis partes fuerunt. Postea Cicero Cn. Pompeio qui tum privatus, id est sine ullo magistratu fuit, nominatim singularibus verbis gratias agit, quod pro ipsius salute municipia coloniasque adiisset, et præstantissimam de eo in Senatu sententiam dixisset. Diximus autem hanc orationem habitam esse Non. Septembribus postridie quam reversus est. Cujus rei auctorem habemus Ciceronem ipsum, qui in epist. I. lib. ad Attic. IV. his scribit verbis: Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Septemb. senatui gratias egimus. *Unde perspicue intelligitur, primam fuisse hanc, quam post reditum suam habuit, ac propterea orationem ad Quirites posteriore loco collocandam fuisse.* HOTOM.

Cap. 1. *Quod hæc antea singula*] Subest mendum. Neque enim plena sententia est: quinetiam particula *quod* ab omnibus vetustis libris, quam plurimis etiam impressis abest. Quod si conjecturæ locus potest esse, fortasse particula *tamen*, illius *quod* loco substituta sententiam impleret; ut sensus sit: Etsi hæc olim accepimus, tamen cum antea singulatim, hoc tempore universe recuperaverimus, multo majus hoc recens beneficium est, quam alia superiorum temporum universa. HOTOM. Cur non deletur *quod*, cum sententiam turbet, et nec in edit. prima reperiatur? GRÆV.

Cap. 2. *Per eum trib. pleb.*] Ælium Ligurem, quia intercessit. MANUT.

Per se] Homo ignobilis, nullis opibus. IDEM.

Sub alieno scelere] P. Clodii, quem secutus est in delenda republica. ID.

Ab his consulibus] Pisone et Gabinio. IDEM.

Qui vendiderant] Clodio, pactione provinciarum, quæ sceleris merces. IDEM.

Consules modesti] Εἰρωνικῶς. Hoc enim legis nomine cupiditatem suam tegebant. HOTOM.

Impediebantur lege] Quam Clodius tulerat, ne quis ad senatum de revocando Cicerone referret; neve sententiam diceret: ut paulo infra. ID.

Non ea, quæ de me] Nam illa lex nihil me facere vetabat: sed consules ipsos, et eos qui jus ad senatum referendi habebant. IDEM.

Meus inimicus] P. Clodius.

Magno in periculo] Festive cum sarcasmo legis sententiam immutat: quasi Clodius significasset, si Catilinarii revixissent, illico revocandum Ciceronem, ut illorum conatibus iterum obsisteret. IDEM.

Princeps] Cn. Pompeius.

Cap. 3. *Quo quidem mense*] Januario. Sermo est de rogatione Q. Fabricii, quam memorat Orat. pro Sextio, cap. 35. FERRAT.

Cum is excessisset] Cicero.

Tribuni plebis] P. Sextii.

Cap. 4. *Ne pedibus iret*] Hoc est, ne per discessionem S. C. fieret.

Auctorem] *Auctor* fuit, cum ejus sententiam alii secuti sunt. *Adscriptor*, cum pro more nomen ejus in præscribendo S. C. apponeretur. HOTOM.

Amatorem suum] Virum Gabinii Catilinam, paulo post appellat, et in oratione pro domo: *Gabinium Catilinæ delicias.* MANUT.

Alter Cethegum] Piso.

Quorum alter] Gabinius.

Cap. 6. *Cæsoninus Calventius*] Calventius homo Gallus e patria in Italiam venit, Placentiæ consedit: ubi in civitatem receptus est. Inde Romam cum filia profectus, eam Pisoni Cæsonino hujus L. Pisonis patri collocavit. Cic. in Pisoniana, et in eandem Ascon. HOTOM.

Pseudotyro] Clam scilicet, et per posticum ostium. FERRAT.

Cap. 7. Vict. *esse, an Romæ, sicut eras eo tempore, in qua.*

Sicut eras] Piso Duumvir erat creatus a Cæsare ad Capuam Coloniam deducendam: simul etiam Romæ Consul. FERRAT.

Comitiis] Quibus consulatum Piso petiit. MANUT.

Præfeceras] Ut primus custos er-

eum in prærogativa centuria, ne qua fraus committeretur. Judicium enim prærogativæ tota comitia sequebantur. IDEM.

Tertio loco] Primum fortasse, absente C. Cæsare genero suo, Cn. Pompeium, alterum M. Crassum, tertium Ciceronem rogavit. In Pisonem: *Cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ, quem in senatu sententiam rogabas tertium.* IDEM.

Ne unam quidem horam] Clodius enim, cum rogationem de Cicerone tulisset, statim de provinciis tulit, ut Macedoniam Piso, Syriam Gabinius administraret. IDEM.

Arbitria] *Arbitria* dicebatur pecunia vectigalis, quæ a sociis pendebatur reipublicæ, pro jure monopolii, ut docuit Gronovius ad Liv. II. 9. GRÆV.

Cap. 9. *Qua voce*] Legebat Ubaldinus, *qua voce antea semel:* alii *qua voce ter omnino:* satis longe, ut mihi videtur, uterque a vetere scriptura: verumtamen concedamus aliis, quod ipsi nobis non concedimus, ut conjectura liberior esse possit: rem ipsam ponderemus. Videtur Ubaldinus, cum, *semel*, reponendum putavit, de uno consule P. Valerio Poplicola cogitasse: qui, cum Ap. Herdonius noctu Capitolium arcemque cum exulibus, et servis occupasset, ipse pro imperio consulari, nullo S. C. nullo populi jussu, in concione illa dixit, quæ scripta sunt apud Livium lib. III. *Se arma capere: vocare omnes Quirites ad arma: Si quis impediat, jam se, consularis imperii, jam tribunitiæ potestatis, sacratarumque legum oblitum, quisquis ille sit, ubicumque sit, in Capitolio, in foro, pro hoste habiturum.* Quid vero ii, qui, *ter*, maluerunt, quam, *semel*, spectarunt? tria scilicet tempora, unum Poplicola consule, alterum L. Opimio, qui Gracchum occidit, tertium, C. Mario, qui Saturninum tribunum pl. et Glauciam prætorem. Utra igitur opinio ad Ciceronis mentem propius accedit, nihil decerno; tantum aliquid dicam veritatis indagandæ gratia. Mihi de uno potius consule Poplicola, quam de Opimio simul, et Mario, loqui Cicero videtur. Nam ea major est laus, ut, cum semel tantum, non ter, post urbem conditam consul eos, qui exaudire possent, pro universa republica ad arma vocaverit, senatus ad unius salutem defendendam omnibus agris, vicis, opibus cives, totamque Italiam excitaret: ut comparetur senatus factum pro uno cive restituendo cum consulis facto pro universa republica liberanda, quod singulare tamen fuerit post urbem conditam. Attigit eandem rem in oratione pro Sextio, et in Pisonem. MANUT.

Cap. 10. *Frater inimici*] Sic in oratione pro Cælio fratrem patruelem Clodii Metellum hunc appellat, oratorie potius, quam ex Jurisconsultorum subtilitate: qui consobrinum potius dixissent, quia P. Clodius Cæciliæ filius erat, quæ hujus Metelli Nepotis amita fuerat. HOTOM.

P. Servilius] Isauricus, qui et consulatum et censuram gessit, et de Isauris, quos in Cilicia domuit, triumphavit. IDEM.

Communisque sanguinis] Nam Isauricus Q. Metelli Macedonici nepos erat ex filia: quod ex orat. pro domo intelligitur: ubi Cicero eum alloquens, Macedonicum ejus proavum appellat. IDEM.

Fratrem ab inferis] Significat Q. Metellum Celerem, qui Cicerone consule Prætor cum esset, ei in opprimenda conjuratione adjutor ac socius exstitit. IDEM.

Cap. 11. *Calumniarentur*] Astute rem producerent. Id enim interdum est, *calumniari:* unde illud in ep. ad Lentulum: *Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis.* Et pro Sextio: *cum omni mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur.* MANUT.

Quid? ut ad illam diem, res cum redissent] Hunc locum P. Manutius ex loco simillimo, qui est in oratione pro P. Sextio, non longe ab extremo: qui sic legitur in libris vulg. *Atque, ut iidem ad res redeuntes*, &c. ubi tamen

quidam docti legi volunt, *ad suos redeuntes*, sic legendum existimat, *Quid ut iidem, ad res cum rediissent, rogarentur, ut pari studio convenirent?* a quo nunc dissentio. Nam contra atque ille existimavit, locus orationis Sextianæ mendosus est: hic autem emendatus, et integer: aut, si locus Sextianæ emendatus est, hic ex illo non est mutandus, cum mendo vacet. Quod ex Plauti verbis in Captivis demonstro. Sic igitur Plautus statim in principio: *Prolatis rebus, parasiti venatici sumus. Quando res redierunt, molossici, odiosicique, et multum incommodistici.* Ex quibus perspicuum est, *res prolatas* dici, cum lites, et res forenses, ac judiciales intermitti jussæ sunt: *res rediisse*, cum repetitæ sunt. Sic igitur hunc locum explico primum; deinde ad eum, qui est in Sextiana, veniam. Quid (inquit Cicero) quod decrevistis, ut rogarentur municipia, ut pari studio Romam convenirent ad illam diem, id est, ad illud tempus, cum res rediissent, id est, quo tempore res intermissæ ac prolatæ, repeterentur? Venio nunc ad illa verba Sextiana: *Decrevit eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meæ causa convenerant, agerentur gratiæ: atque ut iidem, ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur.* Dico igitur in his verbis, *atque ut iidem, ad res redeuntes*, &c. subesse mendum: idque sic esse purgandum, ac tollendum, *atque ut iidem ad illam diem, cum res redissent, ut venirent, rogarentur:* Ut idem dicatur in Sextiana, quod hic dicitur, et locus ille ex hoc emendetur. Quod si quis dicat, iisdem verbis manentibus, eandem fere sententiam constare posse, hoc modo, ut iidem ad res redeuntes, id est, negotia sua intermissa repetentes, rogarentur, ut venirent: primum, si hoc confitear, non continuo ei assentiar, qui hujus orationis locum, ex illo mutare conetur. Deinde hoc dico ineptam esse hanc sententiam, *ut iidem ad res redeuntes, rogarentur, ut venirent.* Nam, si hoc sentit Cicero, decretum esse, ut tum, cum ad res suas redibant, rogarentur, ut venirent: quando venirent? nam quo tempore, aut ad quod tempus venirent, non dicitur. Sin hoc significat, decretum esse, ut rogarentur, ut tum venirent, cum ad res suas redirent: quid ineptius, atque adeo quid absurdius, aut repugnantius dici potest, quam aliquem rogare, ut veniat tum, cum redeat? LAMB.

Illa dignitate] Qui senatores fuerunt: ut in Pisonem. MANUT.

Rogatores] Qui tabellas distribuerent: Diribitores, qui lata jam suffragia dirimerent: Custodes, qui puncta notarent singularum Centuriatum. FERRAT.

In colonia] Capuæ, ubi gerebat Duumviratum, collega L. Pisone consule. MANUT.

Nemo erat emptus intercessor] Hoc in Ælium Ligurem tribunum pl. conjicit; qui Kalendis Jun. referente L. Ninnio de Cicerone revocando, emptus a Clodio, intercessit. IDEM.

Privilegii] Clodii legem qua pulsus est, invidiæ causa privilegium vocat. IDEM.

Cap. 13. *Consul*] Gabinius.

Alter consul] Forte scripsit Cicero: *Alterum consulem, ut me et rempublicam non modo desereret, sed etiam hostibus reipublicæ proderet, pactionibus Clodius suorum præmiorum obligarat.* Nam *eos* quo referas, quamcunque lectionem amplecteris, non habebis. Nam si legas cum Hotomano et Augustino *consules*, delendum est *eos*. Dicendum enim erat, Alter consules pactionibus obligarat. Sin vero legas, *Alter consul*, qui sint, quos pactionibus obligarit, non invenies. Quamvis autem utrosque Clodius obligarit consules, quia tamen in præcedente περιουσῇ dixerat, alterum consulem gradus clivi Capitolini demolitum esse, ne equites possent ejus institutum inhibere, in hac addit, alterum consulem pactionibus Clodii inductum se et rempublicam prodidisse. GRÆV.

Erat alius ad portas] C. Cæsarem

significat, qui (teste Plutarcho). cum Galliam utramque cum imperio et exercitu obtineret, tamen non prius ad bellum profectus est, quam Cicero ex Italia pulsus esset. Clodii enim benevolentiam sibi retinere voluit, ne ea quæ consul contra leges et auspicia gesserat, a tribuno pl. rescinderentur: ut in Pisoniana Cicero significat. HOTOM.

Simulatione collegiorum] Legem Clodii significat, ut collegia, id est conventus artificum a Numa instituti et magna ex parte tum a legibus, tum a S. C. sublati, multique alii restituerentur. IDEM.

Cap. 15. *P. Popilio... Q. Metello*] Vide superiorem Orat. cap. 3.

Cum alter eorum] Locus requirere vocem *tamen* videtur: ut sit, *cum tamen alter*. Nam hoc significat, postulatu senatus non sunt restituti, *cum tamen*, &c. HOTOMAN. Sensus est: non sunt a Senatu restituti, quamvis Popilius perierit, quod ex S. C. amicos Tib. Gracchi persecutus fuerat: Metellus, quod vim et cædem bonorum et Senatus ipsius vitaverat. FER.

PRO DOMO SUA.

AD PONTIFICES.

ORATIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Non videbatur sibi Cicero in patriam restitutus, nisi domum etiam suam recuperasset: qua diruta, aream illius Libertati consecrandam Clodius curaverat, ne profana rursus fieri posset: Cum igitur de religione tollenda ex S. C. ageretur apud Pontifices, hanc habuit orationem Cicero prid. Kal. Octob. P. Lentulo et Q. Metello Coss. qua consecrationem neque jure, neque rite factam fuisse contendit, contra adnitente P. Clodio. Adjudicatam fuisse aream Ciceroni a Pontificum collegio, ac deinde a Senatu, patet ex Ep. 2. lib. IV. ad Att. et ex Orat. de Har. Responsis. FERRATIUS.

Cap. 1. *Pontifices*] Minores, absente Pontifice Max. C. Cæsare, qui tum in Gallia bellum gerebat. MAN.

Vos eosdem] Non tam eos, qui tum pontifices erant, qui longe aberant a majorum ætate, quam superiores omnes pontifices; ut religioni præesset nemo, qui summam rempublicam simul non administraret, id est, qui senator non esset. IDEM.

Per hos dies] IIX. Id. Sept. ut opinor, id est, biduo post, quam in urbem rediit, Significat sententiam a se dictam in senatu de Pompeio, cum esset annonæ summa caritas, rei frumentariæ præponendo. Qua de re, ep. I. lib. IV. ad Attic. IDEM.

Cap. 2. *Specie ipsa*] Non solum dignitate formæ, et oris majestate, sed etiam insignibus honoris et splendore vitæ et dignitatis. Nam *species* notat omnem apparatum exteriorem, qui in oculos incurrit, et hominibus apud vulgum utique solet afferre dignitatem aliquam et venerationem. Horat. lib. I. ep. 6.

Si fortunatum species et gratia præstat.
GRÆVIUS.

Me absente] Cum factum est S. C. ut pecunia publica restituerentur Ciceroni domus et villæ, quas Clodius diruerat: ut colligitur ex Ep. I. lib. IV. ad Att. FERRAT.

Ad populum] Quod in gratiam populi Pompeio adhæseris, tanta potes-

tate eidem delata extra ordinem, contra mentem Consularium, adeoque Pontificum. IDEM.

Primum adveniens] Biduo, postquam in patriam reversus. IDEM.

Cap. 3. *Exercitus terrore*] Cæsar enim erat ad portas, hoc est, in Italia. IDEM.

Turbulento illo die] Commota plebe propter annonæ caritatem.

Cap. 5. *Alio potius*] Non ad Pompeium. MANUT.

Putarunt] Longe præfero Francii codicis lectionem, *putavisti*. GRÆV.

Propter varietatem] Quod quidam ex iis, qui venderent, in alias terras suum frumentum miserant, in quibus negotiari solebant. FERRAT. Non capio quid sit *varietas venditorum*. Suspicor Ciceronem scripsisse, *propter avaritiam venditorum*. GRÆV.

Si causa fuit annona] Hoc est, si prætextu annonæ tu seditionem stimulabas. FERRAT.

Plebei] Hoc *Plebeio*, habent Vict. Lamb. &c. Alterum Grut. et dicitur antiquo more pro *plebis*. Quis enim nesciàt dictum esse olim, non *plebe*, sed *plebes*; et fuisse quintæ, ut nunc loquuntur, declinationis? OLIVET.

Cap. 7. *Non habebatur*] Quid? frumenti videlicet copia. Mihi tamen suspectus locus est. MANUT. S. Victor: *possem aliquid in ea re generatio; non habebatur*. Ex cujus vestigiis censeo scripsisse Tullium: *nam possem aliquid in ea re gerenda; ratio non habebatur*. *Quasi* vulgatum nec in nono Palatino habetur. *Num* puto librariorum culpa periisse, et pro illo postea substitutum *quasi*: duo vero vocabula *gerenda ratio* coaluisse et degenerasse in *generatio*. GRÆV.

Cap. 8. *Rem maximam*] Rem frumentariam. Sic infra: *Nos quod rei maximæ summum virum præfecimus*, &c. HOTOM.

Qua mihi quoque utendum fuit] Ipsi faciunt, quod solent, cum extra ordinem Pompeio nihil dant: æque enim id omnibus negant. Ego quoque, quod antea feceram in bello Mithridatico extra ordinem Pompeio mandando, idem feci nunc in rei frumentariæ procuratione eidem extra ordinem decernenda: et quam in illis constantiam probo, eadem in me ipso delector. MANUT.

Patrocinium] Huc nescio quomodo in primis editionibus irrepsit ex Gruteriano codice *patrocinium* illud, cum alii omnes *latrocinium* ediderint. Latrocinium enim, ait Manutius, vere dici potest illa publicatio. OLIVET.

Quid ad te] Catonis laudes tuum factum non excusant. Nam si juris non est, ulli rei quemquam extra ordinem præfici: cur tu Catonem præfecisti? MANUT.

Ulli reipublicæ] Intelligeretur fortasse facilius, si Criticis libuisset, non scribi hæc conjunctim, sed in hunc modum, *rei publicæ*. Hic enim *res publica* est negotium publicæ utilitatis causa, et publica auctoritate susceptum. OLIVET.

Cap. 9. *Subduxeras*] Ne tibi adversaretur in tuo tribunatu. MANUT.

Illius tui sceleris] In amandando Catone. IDEM.

A C. Cæsare] Ex Gallia. Notæ sunt Cæsaris et Catonis inimicitiæ. IDEM.

Proconsule] Sic tempore Ciceronis loquebantur. Prima editio et multæ aliæ, *Proconsuli*, quod est ævi posterioris. GRÆV. *Proconsuli*, male: Pertinet enim ad Cæsarem vox illa, quemadmodum alia *Pulchro*. VICTORIUS, in *Fam.* V. 19.

Libertatem ademisses] Catoni: ne posset in posterum contra extraordinarias potestates verba facere. Quod enim ipse accepisset, in aliis reprehendere non posset. Huc illud pertinet ex oratione pro Sextio: *Qui in concione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, quæ semper contra extraordinarias potestates libera fuisset*. MANUT.

Homini] Gabinio.

Ereptam vi ex Cæsaris rebus actis] Locus est contaminatus, qui sine melioris libri ope non potest purgari. *Actis* quid sibi velit, nemo dixerit. GRÆV.

Decreta lege sanxit] Legendum de-

eretas, libris omnibus invitis: subintelligitur autem, *provincias*. LAMBIN. Mihi videtur *decreta* delendum esse, aut pro *decreta* legendum *lata lege*. GRÆVIUS.

Cap. 10. *Socio tui sanguinis*] Qui tibi socius esset in turpi consuetudine sororis tuæ. MANUT.

Abalienavit] Effecit, ut ipsa magis eum diligeret, quam te. IDEM.

Cap. 11. *De illius dignitate industrius*] P. Manutius ac Lambinus *illustrius*, sed non suffragantur libri editi, scriptive. GRUTER. Hunc locum explicat, *Ad Att.* II. 21. quo dicit, Pompeium *omnibus a se pictum et politum artis coloribus*. ANONYMUS.

Meum tempus] Et hic, et paulo post, tempus accipe pro adverso tempore, ut in procemio Manilianæ, *amicorum temporibus*. MANUT.

Pene deditum] Gravius est, *deditum*, quam desertum. IDEM.

Cap. 13. Lamb. *te esse patricium*.

Hoc dico esse parricidium] Ita scriptum est in vulgatis libris. Ant. Augustinus legit, *hoc dico esse pontificium*. Sed non id agit nunc Cicero, ut probet causam hanc esse pontificiam, quæ profecto erat, et agebatur apud pontifices; sed opponit illud *hoc* (quod demonstrat Clodii privilegium in Tullium sine judicio) ad illud *omnes actiones tuas*, quas possum generatim, et communiter coarguere, non esse legitimas, quia specie, non re tribunus eas egisti: sed nunc non ago id, ut redarguam illas omnes: hoc ago, ut etiam si legibus, ut re vera esses tribunus pl. tamen hoc tuum de me privilegium contra leges, contra jura, mores et religionem latum sit; atque ideo parricidium necesse sit fateare tu te ipse. Vel igitur vulgatam lectionem *parricidium* retineamus, necesse est; vel pro ea, si magis placet, *parricidam* reponamus, quomodo alibi appellat Clodium. URSINUS. *Patricium*, sententia postulat. Nam si patricius est, sequitur, ut tribunus plebis esse non potuerit. Cur autem patricius sit, probatur in sequentibus. MANUT.

Jus adoptionibus] De jure adoptionis vide Gellium lib. V. cap. 19. ID.

Generum, ac dignitatis] Ne scilicet a genere clarissimo ad obscurissimum, a summa dignitate ad infirmam conditionem adoptione transeatur. Infra: *Ita adoptet, ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur*. IDEM.

Sacrorum] Ne sacra intereant. Adoptati autem in aliena sacra transibant. Valerius Max. lib. VII. cap. 7. *M. Anneii filius in Suffenatis familiam, ac sacra transierat*. Pro Murena: *Sacra interire illi noluerunt*. ID.

Intereunt] Quia, cum adopteris a Fonteio, ad Fonteiæ gentis sacra transis. MANUT.

Vict. Man. *adoptaret*

Hereditates nominis] Triplex adoptionis jus notat. Qui enim adoptabatur, adoptivi patris prænomen, nomen et cognomen sic adsumebat, ut suum duntaxat nomen, idque inflexum, atque immutatum retineret: ut apud Dion. libro XL. et XLVI. HOTOM.

Cap. 14. *Vel eo quo fuit*] Quadrigulam hanc verborum redono Ciceronianis, auctoritate omnium librorum, antiquitus editorum, ac Mss. nisi quod illi habebant, *quod*. Et significat sane istis, loco Ganymedis fuisse Clodio Fonteium. GRUT.

Emancipari statim] *Emancipatio*, et suitatis et agnationis jus exstinguit. Quomodo ergo plebeius manebat, cum adgnatio nihil aliud esse videatur, quam gens? Patet nimirum aliud esse gentem, aliud adgnationem: ut *gens* ad patriciorum et plebeiorum qualitatem referatur: *adgnatio* ad propinquitatem. HOTOM.

Angustiorem] Hujus loci sententiam, quia obscuriorem plerisque videri scio, explicabo. Prius autem sciendum, plebeios binos consules fieri potuisse; patricios, non item, sed singulos tantum, et patricio non licuisse fieri tribunum. Tum hoc supponendum, omnes homines utile sequi. His positis, Ciceronis sensus planus est. Hoc enim significat. Si tales adoptiones probabuntur: omnes

volent ex patriciis fieri plebeii. Cur enim quisquam tam stultus esset, ut vellet manere patricius, et ita non licere sibi fieri tribunum? et angustiorem sibi locum esse ad consulatum obtinendum, et sacerdotium opimum ac fructuosum amittere, quia sit patricius? LAMB.

Neque regem sacrorum] Enumerat eos sacerdotes, qui plebeii esse non poterant. MANUT.

Auctores] Qui probabant ea, quæ centuriatis curiatisque comitiis fiebant: quos ex antiquo more, cum senatus e solis patriciis constabat, patricios esse oportebat. IDEM.

Auspiciaque] Nam fieri potest, ut nulli creentur magistratus Patricii, apud quos sunt auspicia: tunc, si nulli sint Patricii, a quibus, et ex quibus prodi possit Interrex ad habenda Comitia, Interrex nullus erit, sed neque magistratus: nulla igitur auspicia. FERRAT.

Cap. 15. *Agi cum populo*] Mitti in suffragia populum. FERRAT.

Cum de cœlo servatum sit] Servare de cœlo, id est impedimento esse, quominus lex ferretur, cunctis plane magistratibus, tam plebeiis, quam patriciis, licebat. MANUT.

Lamb. *qui tum domum suum tribunatum perire voluerit, ubi*

Apertius] Vereor, ne accentu Typographus in primis editionibus ultimam gratis onerarit, cum hæc mihi sententia esse videatur: An quæris etiam aliquod populi jus, quod sit *magis apertum?* Jus autem illud quodnam esset, mox dicet. OLIV.

Cap. 17. *Prodicta die*] Victorius, *prædicta:* quod eodem redit. *Prodicta* legitur in melioribus libris tam scriptis, quam editis. Et est hoc proprium in hac re verbum. Vide Festum. GRÆV.

Aut excusationis] Excusatio Jurisconsultis est, cum causa affertur, per quam quis præstare non potuit, quod præstandum erat, ut si latrones, aut flumina, aut morbus sonticus, aut alia vis major impediret, ne quis prædicto die in judicio esset præsto. IDEM.

Cap. 18. *Hæc cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? Quid indignius*] Ita omnes, quas inspexi, editiones: a quarum consensu recedere, mihi religio fuit. Video tamen, sic fuisse scribendum: *Hæc cum ita sint in re, ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes: quid indignius,* &c. Hæc enim non est congeries interrogationum, urgendi causa, ut sæpe fit: sed mera enumeratio cum repetitione, hoc sensu: Si res ita se habet, et sic agitur in causa, in qua crimen est, est accusator, sunt testes: *quid indignius, quam conductos sicarios egentes et perditos suffragium ferre de capite, liberis, fortunis omnibus ejus* civis, *qui neque jussus sit adesse, neque citatus, neque accusatus, et putare legem* esse; legis loco esse habendum quod ejus generis suffragatoribus placuerit? OLIVET.

Aquâ, et ignis] Ita et veteres habent editiones, quas secutus est Manutius, et in veteri codice reperit Lambinus: neque aliter legebat grammatici juris consultissimus Franc. Sanctius, *Minerv. lib.* III. *cap.* 3. Si quis tamen malit, *aqua, et igni,* non repugnabo. IDEM.

Operum architectis] Proprio, non translato, utitur sermone; non enim, *operum,* pro actionum dixisset: quod Latini sermonis elegantia respueret: sed *operum,* dixit, Libertatis sedem significans: a Clodio in eversa Ciceronis domo exstructam. Ex quo infra: *Quid operum publicorum exactio?* MANUT.

In prædæ quidem societate] Non adhibere potuisti in prædæ societate prædæ socium absurde dicitur, non equidem ore Tulliano. Pro *societate* scribendum censeo *sectione.* Quod et Pithœo in mentem venisse deprehendo. Cum bona mea diripefes, nullum potuisti invenire, qui vellet particeps esse hujus cruentæ prædæ, qui vellet esse sector et emptor, nisi ex sceleratorum tuorum satellitum numero. GRÆ.

Cap. 19. *Per medium forum*] Vera lectio est servata in Francii primo: *Per medium cohortis popularis.* Co-

hortem popularem vocat illos Clodii socios ac satellites, quorum opera et audacia omnia turbabat sub prætextu libertatis populi tuendæ. Cum te illis, inquit jactares, ac iis commendares tuos amicos, ut eorum suffragatione ad magistratus proveherentur. In Pall. S. Victoris, et Dresdensi sunt vestigia veri. GRÆV.

Amici illi tui] Ad Vatinium hoc pertinet, qui, ædilitatem petens, repulsam tulerat. MAN.

Palatinam] Tribum in qua Clodius censebatur, et suffragium ferebat: Quam in oratione pro Sextio, hanc ipsam rem commemorans, nominat. ID.

Novitius Ligur] Novus civis ex Liguria: hic fuerat Tribunus pl. cum Clodio, et cognomen sibi assumpserat ex Ælia gente. FERR.

Improbatus] Papirius suo judicio fratrem Ligurem improbaverat, quod non reliquisset heredem omnium bonorum. IDEM.

Mortem ejus se velle persequi dixit] Quasi veneno sublatus esset. MAN.

Accusare non est ausus] Nominis delationem accusatio sequebatur: sed legitur, cum nomen jam detulisset, accusationem omisit, veritus, ne calumniæ damnaretur, qui accusaret eum, in quo culpa non esset, cum in ipso potius crimen hæreret, qui Papirium, fratrem suum, hereditatis cupiditate et spe tollendum curasset. Ideo subjungitur: *Alienæ damnationis, sceleriseque socius;* quia damnari nemo vere posset, nisi simul, sceleris ejusdem socius, Ligur damnaretur. IDEM.

Digito, voce] Qui eam scripsit, et qui laudavit ad populum. IDEM.

Falsum S. C.] De afficiendis ultimo supplicio conjuratis. IDEM.

Uno sortitu] Contra legem Cæciliam Didiam, ne una rogatione diversis de rebus ad populum ferretur. HOTOM.

Decumis] Opinor hunc esse Decimum illum, de quo sic ep. 3. lib. IV. ad Att. *Vix jam Decimum designatorem, vix Gellium retinet.* MAN.

Clodiis] Sex. Clodio scriba, quem paulo ante dixit legem illam P. Clodio de Ciceronis exitio tulisse. ID.

Cap. 20. *Quid? operum publicorum exactio?*] Obscurum est, quid dicat: dici tamen hoc arbitror: Cum id, quod in publicata et eversa Ciceronis domo ædificatum fuerat, (id autem quid esset, satis infra ostenditur) Clodius a conductoribus exegisset, id ei facere non licuisse: cum opera publica ab iis exigi solerent, qui ei muneri publice præpositi essent. MAN. Quid sibi velit operum publicorum exactio, quærant doctiores. P. Manutius quem sensum eis affinxerit, in ejus commentario licet videre. Si Clodius locavit illa opera, cur non exigeret? Suspicor Ciceronem scripsisse, *Quid operum publicorum extructio?* quæ nimirum in area domus Ciceronis diruta Clodius ædificarat. GRÆVIUS.

Exules] Vide Or. pro Sext.

Cistophorum] Asiatici nummi species hic ponitur pro tributo Asiæ. FERRAT.

Cap. 21. *Per amicos suos complerent*] Locus suspectus. Putabam legendum, *compilarent*. Et vocem, *viris*, delendam. Verumtamen judicet lector. LAMB. *Compilarent* habet vetus liber. URSIN. *Complerent*. Uti fieret, quod de domo Anci, ut dispari plane habitaretur domino. Ego nihil muto, secutus Mss. Pall. meliores. GRUTER. Dresd. et ed. prim. *per amicos suos compellerent*. Forte vocula excidit, et Cicero scripsit: *per amicos suos terrore complerent*. Videntur id suadere sequentia. GRÆV.

Cap. 23. *Campanum*] L. Piso Consul erat inter eos, qui Capuam ex lege C. Cæsaris coloniam deduxerant. GRÆV.

Testis tectorum] *Testæ*, sunt *testacei lateres*, ut vocantur a Vitruvio, qui Græcis dicuntur κέραμοι, quod coquerentur. Iis nonnunquam domus tegebantur, unde et tectum κέραμον vocarunt, ut docuit Salmasius, cui hæc debes, ad Solinum. IDEM.

Intestinumque] Certe τὸ *intestinum* hic nullus locus est. In bellis inte-

tinis si urbes, cum quibus bellum gerimus, evertimus, nobis ipsis oculos effodimus. Secutus igitur sum Palatinum nonum, qui hanc vocem non agnoscit. Si addicerent libri, illorum qui legendum censent *internecivum* emendationem arripuissem. Plane sic Ciceronem scripsisse mihi est persuasissimum. IDEM.

Cap. 24. *Senatum consules vetabant*] Hoc quid sit, non intelligo: nisi verbum *haberi*, aut subaudiendum sit, aut potius adhibendum. HOTOM. *Senatum consules pro me deprecari edictis, atque imperio vetabant*] Cum ita scriptum olim reperissem in codicibus manusc. *senatus consules vocabant:* videremque hic aliquid deesse, sic enim vulgo legitur, *senatum consules vetabant*, nihil me temere facturum existimavi, si hunc locum ex ipso Cicerone supplevissem. Itaque feci. Supplevi autem ex princip. orat. de Harusp. resp. ubi hæc leguntur: *cumque ad consulare off. insign. ill. imp. ad meam salutem non solum auct. sed etiam pr. vestr. voc.* Itaque sic olim edideram: *senatus consules ad meam salutem non solum auctoritate, verum etiam precibus vocabat.* Quod si quis malit sequi libros vulgatos, qui sic habent, *senatum consules vetabant*, ut diximus, licebit item probabilem sententiam exprimere, paucis additis ex loco huic simillimo, qui est novem circiter post paginis hac eadem oratione, ibi, *qui pro me patres conscriptos deprecari, et populo supplices esse edictis atque imperio vetarent.* Ex illo igitur loco sic hunc licebit legere: *senatum consules pro me deprecari, edictis atque imperio vetabant.* LAMB. Exhibui *Senatusconsulta volabant*, quod erat in Erfurd. GRÆ.

Dubitarem hoc] Editio prima, et cæteræ omnes ante Victorianam: *Dubitarem? hoc meliore conditione quam Decius, quod ille ne auditor quidem suæ gloriæ, ego etiam spectator meæ laudis esse potuissem?* GRÆ.

Cap. 25. *Infractus*] Fractus, ut supra.

Extrudere ad Cypriam pecuniam] Ad vendenda Ptolemæi Cypri regis bona: ex quibus pecuniam exactam, Romam retulit. MANUT.

Præda perierit] Verba Clodii: si Catonem virum optimum, ad Cypriam pecuniam mitto, hæc mihi præda omnino peribit. IDEM.

Hunc modo amandandum esse] Subaudi, stet, fixum sit, deinde aliam prædam quæremus. IDEM.

Regis amici] Tigranis historiam narrat Pedianus pro Milone. IDEM.

Fregit fœdus Gabinius] Conspirationi de necando Pompeio renunciavit, consilium mutavit. HOTOM.

A firmissimo robore] Cum jam Gabinius defecisset. FERRAT.

Cap. 26. *Nihil esse inscriptum*] Opinor legendum, *Nihil esse jure scitum.* MANUT.

Quoniam quidem] Scripto, hoc est, lege sua Clodius prohibuerat, dici sententiam in senatu pro Cicerone: quoties igitur sententia dicta est, toties judicatum est, nullam eam legem esse. FERRAT.

Verum ea lege] Qua tanquam empti consules Clodio promiserant, se legem illius observaturos, id est, de Ciceronis reditu non esse ad senatum relaturos. MANUT.

Cap. 27. *Pœna damnati*] Utcunque et injuste damnati, ex vi rei judicatæ. FERRAT.

Felicem] Tacite significat, non puniri Clodium, hostem reipublicæ, cum penitus Catilina sit. MANUT.

Cap. 29. *Nisi cum pro populo fecisti*] Pro populo facere non solum est, populi rem, causamque tueri, sed etiam, pro populo sacra facere: quod sacerdotum est. Ludit igitur Cicero in ambigua sententia: sed re vera pangit acerbe Clodium, renovata illius temporis memoria, cum Pompeiæ, Cæsaris pont. Max. uxoris, amore flagrans, ad sacra Bonæ deæ, quæ in domo pontificis max. a mulieribus pro salute populi fiebant, muliebri vestitu, quasi et ipse pro populo facere vellet, accessit. MANUT.

Lamb *dicere? Potest desinere civis esse, cum hoc juris.*

Nisi ipse auctor factus sit] Nisi ipse consenserit. IDEM.

Sacramentum] Sacramentum sumitur pro lite: proprie significat pecuniam certam, quam utraque pars ad Pontificem deponebat ea conditione, ut illius, qui victus fuisset, pecunia ad ærarium referretur. FER.

Cap. 30. *Sedulio principe?*] Primo suffragium ferente. Pro Plancio: *Primus scivit legem*, &c. MANUT.

In ejus nomen incideris?] Mihi legendum videtur, *In æs ejus nomen incideris?* æneis enim tabulis incidebantur leges, et cum iis eorum nomina, qui primi scivissent. IDEM.

Interamnæ] Probaverat Clodius, se fuisse Interamnæ illo die, quo Bonæ Deæ sacra Romæ polluerat. FER.

Legem de injuriis publicis] Videtur, cum Menulæ cuidam civi Anagnino injuria publica facta esset, P. Clodius in ejus gratiam legem aliquam de injuriis publicis tulisse, qua gravem pœnam constituerat. HOT.

Inscriptionem statuæ] Inscripserat Menula P. Clodio, ob latam legem de publicis injuriis. MANUT.

Cap. 31. *Ne scriptum quidem*] Ut exularem. FERRAT.

Etiam quibus damnatis] Cum ego damnatus non sim. MANUT.

Occultantem se capite demisso] Significat eam obscœnitatem, quam superius notavit. HOTOM.

Eique imperium est abrogatum] Amplificat iniquitatem legis Clodiæ exemplo Appii Clodii. Hic iratus Cinnæ, in eum cum reliqua nobilitate conspiravit; dictaque die a tribuno plebis, anno sequenti, cum noluisset adesse, imperium sibi abrogari passus est. Hanc pœnam legitimam vocat Cicero, quia juxta leges die dicta, citatus fuerat a tribuno; cum sibi neque diem dixerit Clodius, neque jusserit adesse; et hoc illud est, quod maxime queritur. FER.

Cap. 34. *Vis intima*] Cum T. Gracchum privatus, et P. Mutii sognitiem detestatus, sua manu interfecit. Vide Valer. lib. 3. cap. 2. HOTOM. Palinonus non agnoscit illud *intima*. Gulielmius mutat in *incita*, aut *legitima*. P. Manutius conjiciebat *ultima*. Quod non displicet. GRUT.

Non tam insolens sum, quod Jovem esse me dico, quam eruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo] Sic edidit Victorius. Qui omnem emendandi occasionem captant, sensum aiunt hic esse nullum. Atqui et aliquem video, et valde Ciceronianum, hoc est, salsum ac facetum. Age, veniamus quasi in rem præsentem. Oratori de suo Consulatu, et republica conservata, sæpius quam aures hominum ferre possent, glorianti hoc objicit Clodius: *Istæ gloriatione tu te Jovem esse dicis; Minervam tibi facis sororem.* Imperite dictum: non enim Minerva Jovis soror, sed filia. Sui sane, atque artis immemor Cicero sit, neque minus Clodio fatuus, si stolidam criminationem serio depellat. Joco mavult agere, et jocandi erat locus. Ain' vero, inquit, dicere soleo, esse me Jovem? Idem dictito?. Minervam esse sororem meam; eo nimirum, quod ego sim Jupiter? Arroganter dictum; sed tamen docte. Immo docte magis, quam arroganter: ut non tam culpanda videatur insolentia dicentis Jovem me esse, quam suspicienda eruditio existimantis Minervam esse sororem Jovis. Sum insolens: sed *non tam insolens sum, quam eruditus.* Hic ergo *tam* comparationem continet, ut in aliis plerisque locis, in quibus assumit *quam*. Unde autem fatua hæc manarit accusatio, si quis forte quærat: inde, opinor, quod se *Urbis servatorem* esse jactaret Cicero: et *Servator, Conservator*, titulus sit Jovis proprius. De Minerva, narrat Plutarchus in vita Ciceronis, quod hic, cum amicorum secutus consilium, decrevisset cedere Clodiano furori, atque abire, signum Minervæ, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit, cum hac inscriptione MINERVÆ URBIS ROMÆ PRÆSIDI. Quæ quidem de Minerva animadversio an huc fortasse faciat, videbunt

Critici. Quid tamen emendatores attulerint, videas licet apud Grævium. OLIVET.

Cap. 35. *Duplicata gloria*] Una pulcherrimi facti, altera judiciis populi factum comprobantis. MANUT.

Discessissem] Ex judicio: absolutus essem. IDEM.

Cap. 36. *Conjugis discidium*] *Discidium* animi est: *discidium* vero corporis. GIFANIUS in Lucret.

Fundare] Non significat condere, aut statuere; sed firmare, ac stabilire. *Colonis urbem fundare*, est urbem stabilire, urbis statum confirmare colonia eo deducta. SCIOPPIUS.

Cap. 38. *Stultitia pœna*] Puta legendum *stultitiæ* in secundo casu. HOTOM. Mihi videtur *stultitia* nescio quo casu irrepsisse, et *Melii*, ex vestigiis veterum codicum colligo excidisse. Num Cicero scelus et flagitium Melii regnum affectantis stultitiam vocet? Cæcina apud Cic. VI. ad Famil. ep. 7. stultitiam vocat, cum qui contra potentes scribit: sed assectationem tyrannidis nemo sanæ mentis, nedum Tullius, stultitiam dixerit. Ciceronis manus fuit? *Nomine ipso Æquimelii Melii pœna est comprobata?* GRÆ.

Cap. 39. *Castissimi sacerdotis*] Acerba in Clodium ironia: qui, tanquam sacerdos, noctu, libidinis causa domum C. Cæsaris Pont. max. in qua mulieres pro populo faciebant, muliebri vestitu introivit. MANUT.

Quod severe de religione decerneret] Cum de incestu Clodius est accusatus, qui spe corrumpendi judicii, contendit, et obtinuit, adjuvante in primis M. Pupio Pisone consule, ne sudin causam senatus judicaret. Ep. 14. lib. 1. ad Att. MANUT.

Cap. 40. *Qui cæcus est factus*] Appium Cæcum denotari et Hotomanus et Manutius, et quotquot sunt interpretes, existimarunt. Sed is senectute cæcus factus est. At cur hic ex gente Appia, is quem ætas longa oculorum usu privavit, nominaret inter illos, qui sacris interfuissent, quibus interesse illis non liceba? Absurde hic mentio fieret Appii Cæci. Non Appium intelligit Cicero, sed Cæcilium Metellum. Is e flammis cum Palladium eripuisset, cæcus factus est. Compendium Livii lib. 19: *Cum templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus Pont. Max. ex incendio sacra rapuit.* Ob illam causam, orbam luminibus illum exegisse senectutem, quæ illo amisisset incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ, Plinius docet Hist. Nat. VII. 42. Sed et multi alii hoc commemorant. Vide Ovid. VI. Fast. Credebatur igitur punitus esse a diis cæcitate, quod, licet fuisset maxime pius, vidisset Palladium, quod viro videre non liceret. Vide Ovid. VI. Fast. Clodius autem materna stirpe fuit ex Metellorum filia. Mater enim ejus fuit Cæcilia Metella, cujus pater exul Q. Metellus Numidicus, qui anno U. C. DCLIII. exilio, a Saturnino tribuno pl. adjuvante Glaucia prætore, fuit multatus. Hunc vocavit paulo superius in hac oratione, patrem Clodii. *Sed si patrem tuum, civem medius fidius egregium, dissimilemque vestri, nemo unquam sanus exulem appellavit*, et quæ ibi sequuntur. Sic in oratione post reditum in senatu Q. Metellum consulem, collega Lentulo, appellat fratrem Clodii: *Q. Metellus et inimicus, et frater inimici, perspecta vestra voluntate, omnia privata odia deposuit*, cum esset frater patruelis. GRÆ.

Cap. 41. Lamb. Grut. *ut te ipse, tanquam in captivis sedibus, collocaret.*

Cap. 42. *Bonam esse oportet*] Renovat memoriam Bonæ deæ, cujus ceremonias nefario stupro Clodius polluerat. MANUT.

Negares liberos esse] Intercedentes, aut obnunciantes contemneres. ID.

In templum Castoris] In quo legem Clodius, revulsis gradibus, ne quis introire posset, contra Ciceronem tulit. IDEM.

Hunc] M. Lucullum, ut opinor. IDEM.

Principem] Cn. Pompeium.

Cap. 43. *Tanagris*] Tanagra Boeotiæ civitas fuit non ignobilis.

Homo nobilis] Is fuit Appius Claudius, P. Clodii frater, qui prætermissa ædilitate, L. Pisonis consulis gratia et suffragatione præturam est adeptus, ut olim docuit St. Pighius ad annum U. C. DCXCVI, quem vide. GRÆ.

Non alienus] Jocus quidam est: loquitur enim de fratre. *Frugaliter:* Appii rapinas notat. MANUT.

Interversa ædilitate] Appius Clodius, Publii frater, eo anno, quo Cicero exulabat, ædilitatem petebat, signaque ac tabulas ex tota Græcia, atque omnibus insulis, deportaverat Romam: *Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare.* Sed mutata repente sententia, et omissa ædilitatis petitione, per fraudem factus est prætor. Qua vero id ratione contigerit, orator sic exponit: *Is posteaquam intellexit* (sic enim inter Appium, et Pisonem convenerat) *posse se interversa ædilitate* (fraudabat populum ædilitate quam pollicitus fuerat, eamque quasi debitam avertere videbatur) *a L. Pisone consule* (qui magistratuum omnium habiturus erat comitia) *prætorem renuntiari, si modo eadem prima littera competitorem habuisset aliquem.* Hoc eodem anno petiisse præturam A. Postumium quemdam; cum tabellis nequaquam inscriberentur integra nomina candidatorum, sed brevitatis causa, primæ tantum litteræ nominis cujusque, necesse erat, prætoriis comitiis, præter alias aliorum multas, duas etiam tabellas dari, quarum una A. P. haberet pro Postumio, altera A. C. pro Clodio. Promiserat autem Piso consul, se in examinandis uniuscujusque centuriæ suffragiis, tabellas omnes inscriptas A. P. pro Appio accepturum; quorum punctorum accessione facta ad ea, quæ ipse tulisset, dubium non erat, quin prætor fieret. FERRAT.

Eadem prima littera] In tabellis scribebantur solum primæ litteræ nominum, hoc modo A. C. P. Poterat igitur Piso consul, qui habebat comitia, pro A. Postumio, vel A. Manlio, Ap. Claudium falso renuntiare prætorem. IDEM. Vide Schott. lib. I. Nodor. c. 18.

Partim in area, partim in hortis] Ea, quæ ad suam ædilitatem ornandam paraverat, duobus in locis collocavit, alia in area, alia in hortis suis. Paraverat autem pecunias, et signa. His suos ornavit hortos; illis arcam implevit. Porro ut *horti* dicantur numero multitudinis, necesse non est esse plures. Hortum unum spatiosiorem, arborum proceritate, porticibus, statuis, &c. ad delicias ornatum, *Hortos* vocabant. Hæc animadversio est Franc. Mar. Grapaldi, lib. de partibus ædium. ANON.

Cap. 44. *Luminibus*] Fenestrarum illius domus lumina se impediturum minabatur Clodius, structo contra pariete. FERRAT.

Vacua est] Cur vacua dicitur Ciceronis domus? an quod eam Clodius possidere ausus non fuerit, ut aliquis existimavit? Atqui de Clodio dictum fuit paulo ante: *Habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos* (Scianam et Ciceronianam) *conjungere.* Quæ ergo *illa* res est, qua *domus* Ciceronis *prope tota vacua* esse affirmatur? Religio, sive consecratio. Clodius enim disjecit porticum Catuli, partemque aliquam illarum ædium, quæ fuerant Ciceronis, atque in eadem area novam exstruxit porticum, dedicavitque Libertati. Pars illa Tullianarum ædium, quæ *ad Catuli porticum accessit, vix* eorum *pars* erat *decima.* Hæc pars tantummodo religioni poterat esse obnoxia, et, an posset restitui, necne, cognoscere pontifices debebant. Reliqua domus ab omni religione vacua erat. Partem eam ad porticum Catuli addiderat Clodius, ut domus Ciceronis videretur dedicata Libertati, utque porticum ipse haberet amplam magis ac splendidam. IDEM.

Causa fuit] Duas causas assignat, cur partem suarum ædium cum porticu Catuli Clodius conjunxerit; tum ut Ciceronis etiam domus videretur Libertati consecrata; tum etiam ut porticum haberet amplam et splendi-

dam, columnis ex parte clausam, ad deambulandum. IDEM.

Assignavit genti Clodiæ] Assignabantur in testamento liberti certis heredibus. Sic puto Clodii testamentum significari, quo quemdam ex Clodiis heredem ex ista ædium parte instituerat, et proximum quemque ei succedere jusserat, ne ea res e sua familia exiret. Videtur autem moris fuisse, ut quibus testamentum illud non displiceret, ii nomen suum profiterentur. HOTOM.

Cap. 45. *Frater uxoris meæ*] Non Fulviæ, sed Pinariæ, cujus frater fuit L. Pinarius Natta, ut ostendit Jac. Perizonius in Animadvers. Historicis cap. 5.

Antelatum] In petitione Pontificatus adjuvit Clodius Nattam potius, quam Ap. Claudium, cui tamen aliqua alia ratione satisfecit. FERRAT.

Adolescentem quemquam] Qui tibi non esset affinis. IDEM.

Cap. 46. *Templi*] Cum dicunt postem esse tenendum, intelligunt postem templi, non postem porticus, et loci ad ambulandum extructi. IDEM.

Sine religione loco moveri potest] Auferatur simulacrum, aut ara Libertatis: si modo ea sunt a te per pontificem dedicata. Potest enim id fieri religione salva. MANUT.

Cap. 48. *Id in me infirmas*] Non idem ais de mearum ædium consecratione. MANUT.

Cap. 49. *Rex*] L. Claudius, rex sacrorum. FERRAT.

Si loco] Hoc est, Statuebantur aræ, quæ religiosum reddebant id, ubi erant constitutæ, si loco, hoc est suo, seu commodo loco, jure et legitime essent consecratæ. Hanc enim vim *loco consecrare* habet. Terent. Adelph. II. 2: *Pecuniam loco negligere, maximum interdum est lucrum.* Cicero pro Milone: *Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitabit occidere.* GRÆV.

Cap. 50. *Syngraphas*] Quanta nimirum pecunia et restituendi essent Byzantini exules, et alia quam plurima peragenda. FERRAT.

Fœdera feriebantur provinciarum] Sic omnes editi, quos inspexi. Sed quid sit, *fœdera provinciarum ferire*, non ego intelligo. Prava distinctione laborat hic locus, qui levissima tranpositione virgulæ post *fœdera* restituetur sanitati: sic enim scripsit Cicero, *fœdera feriebantur, provinciarum, regum appellationes venales erant.* Pretio feriebat cum exteris populis fœdera de societate; provincias addicebat Romanis magistratibus, qui maximam offerebant ei pecuniam, aut partibus ejus se addictissimos fore promittebant; regum quoque nomen et insignia conferebat iis, qui ejus gratiam sibi argento conciliarant. GRÆV.

Imperia adscribebantur novæ juventuti] Est locus contaminatus, qui sine libri melioris ope non poterit purgari. GRÆV.

Cap. 51. *Tu sustulisti*] Censores in recitando Senatu, præteritis indignis, eum cuique locum dabant, quem cujusque dignitas postularet. Hoc etiam Clodius lata lege sustulerat. FERRAT.

Absentis] C. Cæsaris.

Cap. 52. *Ab Hercule*] Pinarii, et Potitii sacra quædam Hercule didicerant. *Livius*, lib. I.

Bustum] Signum de busto meretricis ablatum. MAN.

Separatim] Cum de ambitu, Cicerone defendente, est absolutus. ID.

Cap. 53. *Sub saxo sacro*] Vide Guther. Jur. Pontif. III. 5.

Ad equitum notam] Aut locus mendo non caret, aut inscriptio monumenti aliquid habebat, quod equites Romanos tangeret. FERRAT.

Incideris] Quid incidit? Credo *tuum* excidisse, et sic olim fuisse: *sublatoque Q. Catuli nomine tuum incideris.* Quod et Manutio in mentem venisse video. GRÆV.

Cap. 54. *Fictore*] Fictores quid fuerint, Isidorus explicat: *Fictor a componendo et fingendo, velut qui capillos mulierum linit, et pertractat,* un-

git, et nitidat. Tales autem ministros habuisse paganos ex Artemidoro II. 34. docet Lipsius II. Elect. cap. 18. cui hæc debes. Sed Gutherius de vetere Jure Pontificio II. 14. putat fictores dici, qui in sacris simulata pro veris offerunt. Nam cum de animalibus, quæ difficile inveniantur, de pane vel cera facta et pro veris accepta. Sic dixisse poetam sacrorum peritissimum IV. Æneid. *latices simulatos fontis Averni.* Hanc simulationem ait tenuioris fortunæ hominibus concessam fuisse. Illos enim, cum nullum animal sacrificare possent, taurum e farina finxisse, ut Suidas prodiderit in Βοῦς ἴδομος. Et taurum verbenasque in Commentario sacrorum significasse ficta farinacea, ut videre liceat apud Festum in *Taurus,* a quo fictores Pontificum dictos, qui de pane vel cera simulatas hostias fecerint. Equidem *fictores* dicti sunt *a fingendis libis:* teste Varrone, lib. VI. de L. L. quæ *libandi causa fiebant.* GRÆV.

Cap. 56. *Arbitratur*] Tu lege cum Lamb. *arbitrantur*, vel cum aliis, si lubet, *arbitrabuntur:* At vobis malo sit, mali Typographi.

Cap. 57. *Convictam*] Ad exitum perductam: exitu ipso comprobatam. Vide Orat. ad Quir. post red. MANUT.

DE

HARUSPICUM RESPONSIS.

IN SENATU.

ORATIO XXX.

ARGUMENTUM.

Exaudito in agro propinquo, et suburbano, qui Latiniensis vocabatur, strepitu quodam recondito, et horribili armorum fremitu, senatus, ut solebat in similibus prodigiis, atque ostentis, haruspices consulendos censuit. Haruspices hæc responderunt: Postulationes debitas esse Jovi, Saturno, Neptuno, diis cælestibus. Delicta autem, ob quæ Diis violatis *expiatio debebatur, esse hujusmodi:*

1. Ludos minus diligenter factos, pollutosque.
2. Loca sacra, et religiosa, profana haberi:
3. Oratores contra jus, fasque interfectos:
4. Fidem, et jusjurandum neglectum:
5. Sacrificia vetusta, occultaque minus diligenter facta, pollutaque.

Quamobrem monere deos immortales, 1°. *Ne per optimatum discordiam, dissensionemque patribus, principibusque cædes, periculaque creentur, auxilioque deminuti deficiantur: quare ad unum imperium provinciæ redeant, exercitusque pulsus, deminutioque accedat.* 2°. *Ne deterioribus, repulsisque honos augeatur.*

Cum igitur Clodius Ædilis Curulis dixisset in concione, secundo ex criminibus, propter quæ Dii erant irati, designari domum Ciceronis, quæ sacra, et religiosa, quippe a se consecrata, profana habebatur; sumpta Cicero occasione suæ domus defendendæ, invidiaque liberandæ, hanc orationem habuit in Senatu, in qua, post expiatam aedium suarum religionem, ita in ipsum Clodium est in-

vectus, ut omnia fere Haruspicum responsa pertinere ad ipsum ostenderit: quod si quid calamitatis Reip. impendeat, ejusdem sceleri et furori tribuendum esse. FERRATIUS.

Cap. 1. *Quibus senatus dabatur*] Ut audirentur controversiæ, quæ erant inter Syros, et eam publicanorum societatem, quæ Syriaca vectigalia de censoribus redemerat. Dissensiones autem inter provinciales, et publicanos nunquam fere non fuisse, notius est, quam ut exemplis indicandum esse videatur. MAN.

Duobus inceptis verbis] Accusare Clodium de vi poterat Cicero, quia saxis, ignibus, ferro vastitatem suis ædibus intulisset. Quod qui fecissent, eos decrevit senatus lege de vi, quæ esset in eos qui universam rempublicam oppugnassent, teneri. Infra. ID.

Inimicus] Ipse Cicero. IDEM.

Collega patris] Cum patre P. Clodii consulatum gesserat P. Servilius Isauricus. IDEM.

Cap. 2. *Duobus*] Consulibus, Pisoni et Gabinio. IDEM.

Nefariæ pactionis] Acceptis a Clodio provinciis, prodita salute mea. ID.

Cap. 3. *Ambustum ignibus*] Eorum sacrorum, quæ apud pontificem max. in operto Bonæ Deæ a solis mulieribus pro salute populi Romani fiebant. *Ambustum* vocat, quasi ad sacrificia ita prope accesserit, ut ignibus ambustus videri possit. MAN.

Vulnerati] Infamia judicii.

Stipitem illum] Ælium Ligurem, P. Clodii collegam in tribunatu: qui referente L. Ninnio de Ciceronis reditu, intercessit. MAN.

Cap. 4. *Non modo vincire, verum etiam vincere*] Sic habent libri Mss. longe melius, quam vulgati, *vincere, verum etiam vincire.* Victus enim fuit P. Clodius a Milone ab illo jam tempore, ex quo eum reum fecit, et legibus irretivit Milo: sed tum demum erit victus, cum ab eodem Milone interfectus in via Appia jacebit. LAMB. Vinxit Clodium Milo emptis gladiatoribus, quorum opera in eum furentem uteretur. Vide I. de Offic. II. 17. Ut vinceret, accusabat Clodium de vi. FERR. Hic autem edidit, *non modo vinci, verum etiam vinciri oporteret.* Sed vult Gruterus, *non modo* vincere, *verum etiam* vincire *oporteret.*

Cum mihi stanti] Ciceronem scripsisse censeo, *Cum mihi tacenti stans minaretur.* Cum consurrexisset, et mihi tacenti minaretur, ac meæ domui, simul ac verbo attigi judicium illud, consedit, et tacuit. *Tacenti* et *stans* sunt oscitantia librariorum invicem permutata. GRÆV.

Diem dixisset] *Diem dicere*, magistratus est, non privati hominis. Erat autem hoc anno ædilis curulis Clodius. Sensus est: Si me, die dicta, ad populum vocasset: ego illum contra eo crimine accusassem, quo causam ante me dicere cogeretur. Ejusmodi crimina de vi, et de majestate erant: quæ, nulla interposita mora, extra ordinem diebus etiam festis judicabantur. Vide orationem pro Cœlio, et ejusdem Cœlii epistolam quæ incipit, *Etsi de republica, quæ scribam, non habeo.* MAN.

Cap. 6. *Ne una quidem littera*] Quæ meæ domus consecrationem attingeret. FERR.

Vox interdiceretur] Ne posset unquam dicere, meam domum, quam ipse consecrasset, religione non esse liberatam. MAN.

Duobus locis dicta] Primum in senatu, absente Cicerone, cum de reditu ejus ageretur: deinde in foro apud pontifices, ipso causam suam agente. IDEM.

Cap. 7. *Scribendo adessent*] Cum S. C. fiebat in gratiam alterius, illius omnes amici solebant adesse, dum scriberetur: qui nominabantur ut testes in eodem decreto. FERR.

Antistite sacrorum] Ironia. Sæpe enim sacerdotem appellat, quia tanquam sacerdos ad sacra Bonæ Deæ accesserat. MAN.

Jure privato] Exponit, quid sit esse jure privato, hoc est, vel jure hereditario, vel jure *auctoritatis*, sive usuca-

pionis, vel jure *mancipi*, seu venditionis, seu jure *nexi*, sive oppignerationis. FERR.

Cap. 8. *In villa publica*] Annotavit Gulielmius Janum Palmerium ex Asconio in Pisonem emendasse, *in Velia publice*: neque aliter nuper conjecit Rubenius lib. I. Lect. ap. 7. GRUT. Nulla est villa publica, nisi in campo; et, si esset villa publica præter illam alia, quomodo tamen domus in domo ædificabitur? Legendum, cum Palmerio et Rubenio, *data domus est in Velia publica*. Publica domus data est in Velia. Quamvis mallem pro *publica* legi cum Palmerio *publice*, hoc est, senatus auctoritate et populi jussu. GRÆV.

Litterate respondissem] Scite et eleganter. Sic per εἰρωνειαν loquitur. Nihil enim in his litterati: *civis Romanus sum*. Sed perquam scitum est, *ejus civitatis sum, quæ carere me non potuit*. GRÆV.

At ipse non modo respondet quidquid potest] Significat, eum, quisquis sit, non solum esse malevolum, sed etiam tardum atque hebetem, quippe cui nihil in mentem veniat, quod lacessitus respondeat. LAMB.

Cap. 9. Man. Vict. Lamb. *vicissitudinem*.

Cap. 10. *Postulationes*] Postulationes erant, cum Dii violati aliquid fieri postularent, ad avertenda mala; quæ ostenta minabantur. GRÆV.

Tui Sacerdotii] Pontifex non erat, ut e sequentibus constat: erat autem, opinor, epulo Jovis Opt. Max. MAN.

Thensæ, curricula] Thensæ sunt sacra vehicula, quibus Deorum statuæ in Circensi pompa circumferebantur, ut notatum ad Verrinas ex Asconio. *Curricula* sunt, aurigarum, bigariorum, trigariorum, quadrigariorum currus, quibus in ludis illis certabant. GRÆV.

Præcentio] Est tibicinum, qui in ludis, cum sacrificarent, tibiis canebant. IDEM.

Cap. 11. *Atque illa mater dea*] Recte Faernus pro *Dea*, reposuit *Idæa*: locumque sine dubio corruptum, una tantum addita littera, integritati restituit. Ejus autem conjectura confirmatur cum historia, tum iis, quæ paulo infra scripta sunt: *Sacra illa majores nostri ascita ex Phrygia Romæ collocaverunt: quæ vir is accepit, qui est optimus a populo Romano judicatus P. Scipio. Fœmina autem, quæ matronarum castissima putabatur, Q. Claudia*. Videndus Livius, libro 24. Ovidius, lib. 4. Fast. Valer. Max. VII. 5. Solinus, cap. 7. URSINUS. *Mater Dea*: haud aliter Mss. nostri, et veteres edit. Nam Lambinus *Idæa*, quod tamen eodem redit. GRUT. Non eodem redit. Nemo mortalium Matrem Deûm dixit *Matrem Deam*. Multæ erant Deæ, quæ matres appellantur: de quibus viri summi Thomas Reinesius in epistolis ad Rupertum, et ad inscriptiones, et Gisbertus Cuperus in Commentario ad inscriptiones et marmora antiqua; quem adjecit dissertationi de Apotheosi Homeri. Itaque verissime Faernus emendavit, *Mater Idæa*. Sic sane Cicero eam vocat in Verrinis. Apud Arnobium itidem corrupte legitur *Mater Dea*, pro *Mater Idæa*. GRÆV. Prima Lambini editio, quam præ oculis habuimus, quo tempore in hunc locum incidimus, vocem *Idæa* non repræsentat. Quamvis igitur Faerni emendatio nobis admodum placuisset, fecit tamen nostrorum quatuor principum editorum consensus, ut a vulgata non liceret discedere. OLIVET.

Cujus ab avia] Lentulus genus maternum trahebat ab illo Scipione Nasica, qui optimus a Senatu judicatus Matrem Deûm hospitio acceperat. FERRAT.

Megalesia] Ludos in honorem Ideæ matris ab ædilibus cur. dari solitos. Dedit autem eos hoc anno ædilis Clodius, Marcellino consule. MAN.

Proavo] Qui T. Gracchum occidit.

Si ludius constitit] Ludius est histrio, ὀρχηστής. Si interrumperetur saltatio, piaculum commissum credebatur. Servius in VII. Æneid. *Cum*

ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nunciatus est, circa portam Collinam urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea cum piaculum formidarent, invenerunt in circo saltantem senem quendam: qui cum interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: Salva res est, saltat senex. Vide Festum, *salva res.* ELMENHORSTIUS.

Aut puer ille patrimus et matrimus] *Patrimi*, quibus pater; *matrimi*, quibus mater. *Patrimi et matrimi*, quorum uterque parens vivit. Illos autem adhibitos sacris Livius ostendit lib. 37. *Patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti.* J. G. VOSSIUS.

Si terram non tenuit] Vide Turneb. Advers. XVI. 10.

Vict. Man. *si nutu.* Lamb. *symbolo.*

Aut simpulo] Vide Lipsium lib. IV. Antiq. Lect. cap. 3.

Cap. 12. *Nam quid ego de illis ludis loquar*] Aliorum ludorum mentionem videtur inducere, sed loquitur tamen de Megalensibus, verum illis vetustis, non iis quos proxime Clodius fecerat. Diversa igitur sunt tempora, non diversi ludi. MANUT.

Megalensibus] Diebus.

Quo] Redit ad ea Megalensia, quæ Clodius dederat. IDEM.

In alteram scenam] Ubi sedebant spectatores, cum altera actorum esset. FERR.

Cap. 13. *Sibyllino sacerdoti*] Unus erat Clodius ex decemviris, qui Sibyllinis libris præerant: quod sequentibus intelligitur. MANUT.

Brogitaro] Deiotari regis genero. IDEM.

Cap. 14. *Quod is, qui illud armamentarium sustulit*] Ap. Clodium Pulchrum P. Clodii, fratrem germanum intelligo ex ep. 2. lib 4. ad Atticum. FABRIC.

Cap. 15. Lamb. *nunc maxime*

Vict. Man. *qua invaseras*

Meretricis] Tanagrææ, de qua sæpius in Orat. pro domo.

Quid habet mea domus religioni] Quædam domus meæ pars, quia P. Clodii, hominis impuri, et sacrilegi, parietem tangit, religionis habere quiddam videtur; ut in ea habitare nefas esse videatur. MANUT.

Tollam altius tectum] Nullamne hic difficultatem viderunt interpretes? Nullam quidem monstrant: nisi quod Grævius in *Orat. pro Rosc. Amer.* notat *despicere* hoc loco idem esse ac videre. Dissentit Ernestus, et merito, quoniam *despicere?* inquit, non est videre simpliciter, sed desuper videre, deorsum spectare: unde factum, ut *despicere* sit etiam contemnere. Jam indicabo nodum, et, si potero, expediam.

Clodio ait Cicero: Ne quis meorum introspicere possit, etiam *imprudens* et casu, tuam domum, et videre ea, quæ scelerate facis, *tollam altius tectum* meæ domus. An ergo sic impediebat, ne quis e sua domo in vicinas Clodii ædes introspiceret? Sane. Quod ut apertum faciam, operæ pretium est animadvertere id, quod ex Vitruvio repetitum habet Isaacus Casaubonus, in Atheneum *lib.* IV. *c.* 12. Julius Minutolus *Dissertat. de domib. Roman. sect.* 2. Josephus Laurentius *Polimath. lib.* IV. *cap.* 16. Romanæ domus, præsertim divitum, haud quaquam in plures consurgebant contignationes: tecta habebant, non qualia videmus, fastigiata et declivia, sed plana, et constrata, adeoque apta insisti, ut ait Lipsius, ita denique conformata ut in ea adscendi posset ad spectandas pompas, apricandi causa, deambulandi, dormiendi Otiantes super tecta servi curiosos sæpe oculos alienas in domos immittebant, ut ille conqueritur, quem inducit Plautus *in Mil. Glor. Act.* II. *scen.* 2. Non timet Cicero, ne quis e sua familia sciens et volens exploret domestica Clodii vicini flagitia; vult cavere, ne quis, aliud agens, oculos eo visu inquinet: idcirco tollet *altius tectum;* quo enim in editiore loco stas, eo minus introspicis ea, quæ ex adverso sunt depressa.

Quod addit: *Non ut ego te despiciam*, sic intelligo: Id faciam autem, non ut insultem tibi, teque desuper videam infra me positum; *Sed ne urbem adspicias*. Erat in monte Palatino Ciceronis domus *in conspectu totius urbis*. ANONYMUS.

Cap. 16. *De Alexandrinis*] Quos Romam missos Ptolomæus rex insidiis plerosque sustulit. Dio. MAN.

Ab illo] Ab ipso Clodio. IDEM.

E carcere] Judices fecit, quo anno tribunus pl. fuit, eos, qui propter scelera in carcerem conjecti erant. ID.

Platorem] Vide in Pisonem.

Imperatorem] Pisonem.

Cap. 17. *De tuorum judicum manifesto perjurio*] Cum te de incestu notissimo absolverunt. MANUT.

Nisi a senatu præsidium postulassent] Jocus in judices a Clodio corruptos, qui de ejus incestu judicaturi, cum a senatu, quasi vim timerent, præsidium postulassent; et Clodium tamen, nummis ab eo acceptis, postea absolvissent. Festive Q. Catulus, cum ex iis quemdam vidisset, *Quid vos*, inquit, *præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?* Epist. 14. lib. XV. ad Attic. IDEM.

Conjurasti] Una jurasti.

In imperio] Non quod Pontifex Maximus re ipsa imperium haberet: sed quod eo anno Cæsar Pontifex Max. erat Prætor, et in Consulis, aut Prætoris domo fieri ea sacra solebant. FERRAT.

Cap. 18. *Ne id quidem*] Satius est, cæcum esse, ut illum Appium, quam flagrantes libidine oculos habere, ut Clodium. IDEM.

Illata in ipsos] Cæsarem designat, qui uxorem quidem dimiserat, quasi a Clodio stupratam; eidem autem quasi arma ministraverat in Ciceronem. IDEM.

Invictum] Pompeium.

Philoctetæ] Qui pede sagitta Herculis vulnerato, in Lemno jacebat.

Athamantis] Qui, læsa Junone, furore correptus fuerat. FERRAT.

Somnium] Orestem, et Alcmæonem, qui matres suas interfecerant, tristia omnia, tetraque somniantes finxerunt, quod solet sceleratis contingere. IDEM.

Cap. 20. *Piratarum*] Captus est a piratis, qui plerumque Cilices. IDEM.

Decidit] Metu accusationis a propinquis suis pecuniam extorsit. Nam *decidere* est mutuo consensu litem dirimere, ut unicuique sua portio contingat. IDEM.

Prævaricaretur] Accusaverat Catilinam de repetundis. IDEM. Vide lib. I. ad Attic. epist. 2.

Divisores] Pro numero tribuum, quidam Romæ erant divisores legibus constituti, qui legitimas a principibus factas plebi largitiones dividerent. His porro et ad corrumpenda suffragia utebantur Candidati, et hic dicitur quæstus campestris. IDEM.

Cap. 21. *A crocota*] Simulaverat Clodius, se unam esse ex psaltriis et ancillis: hinc crocotam vestem crocei coloris, et mitram capitis integumentum, et fasciolas, et strophium quasi ad cohibendas papillas, et soleas, quibus pro calceis utebantur mulieres, assumpserat. IDEM.

Post dissidium] Quæ discordia cœpit Cæsare et Bibulo Coss. ID.

Consul ne fieret] Sensus erit apertior, si legas, *consul, ne fieret*, &c.

Obstiterat] Cum traduceret ad plebem Clodium C. Herennius Tribunus pl. restitit Q. Metellus frater illius patruelis. *Ad Attic.* I. 17. FERRAT.

Affinis] Pompeius, cujus filius Appii filiam in matrimonio habebat. IDEM.

Auctore] Pompeio, qui fuerat in auspicio Cæsari legem Curiatam ferenti de adoptione Clodii. IDEM.

Cognitorem] Defensorem: nam ea omnia Consul Cicero tutatus fuerat. IDEM.

Cap. 22. *Ut se ... vendat*] Quid est *se alicui vendere?* Sed *venditare se alicui*, est alicujus gratiam captare, sive ostendendo merita, sive offerendo officia, vel aliquem demereri, ac sibi devincire. C. Nep. *Non florenti-*

hus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. Mihi itaque persuasum est Ciceronem scripsisse, *ut modo se venditet his, modo illis*, ut etiam Manutius conjecit. GRÆV.

Violentos] Quidam libri non *violentos*, sed *volaticos*, habent, id est, instabiles, ut Sturmius interpretatur, et Clodii impetus, quos modo in hunc, modo in illum faciebat, bene volatici nominantur. Sic ad Atticum lib. 13. epist. 25: *O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc.* FABRIT.

Atque ex hac nimia nonnullorum alienatione, et quibusdam hærentia tela in republica] Hunc locum conjectura ductus, sententiam ipsam subsecutus, vestigia scripturæ et veteris, et vulgatæ persecutus, sane quam feliciter restitui: *Atque ex hac a me nonnullorum alienatione, et quibusdam occultis odiis hærent etiam tela in republica.* Quis enim non videt hanc scripturam esse corruptam? *Atque ex hac nimia nonnullorum alienatione, et quibusdam hærentia tela in republica*, &c. LAMB. Locum esse corruptum nemo non videt. Si sic sanari possit, ut sanandum censuit Lambinus, nihil tam inquinatum est, quod non facile possit a quovis non imperitissimo purgari. GRÆV.

Cap. 23. *Totum ejus tribunatum continebat*] Nam si curiata lex vitio lata, plebeius esse Clodius non potuit, ergo nec tribunus plebis. MAN.

Togatum] Ciceronem.

Sica] Pro Milone, cap. 7.

Alteram porticum] Eversa Pompeii domo quæ erat in Carinis, sicuti, eversa mea, porticum fecerat in Palatio. MANUT.

Cap. 24. *Eorum*] Cæsaris, Pompeii, Crassi, qui tum ab Optimatibus dissentiebant. IDEM.

Obtrectatores] Ii, quos jam sæpe nominavi, Bibulus, Cato, Domitius. IDEM.

Ne causam] Ne judicium fieret, cum accusaretur a Milone de vi. ID.

Ne privatus esset] Nam cum ante Clodii judicium comitia ædilitia fieri voluerunt, ædilis curulis, ut crearetur, effecerunt. IDEM.

Cap. 26. *Justitium illud conceptum*] Hunc locum interpolarunt scioli. Erfurt. Franc. et ed. prima: *Justitium illud concoctum.* Hoc est, longa et crebra deliberatione in conventiculis gregalium agitatum. GRÆV.

Cap. 27. *Fonteiano nomine*] Quia Fonteiam in gentem adoptatus. MAN.

Sollemnes mensas] Novi dies, ludos, sacra, religiones sollemnes. Sed quid sint *mensæ solemnes*, non capio: quamvis possis forte explicare, quibus sollemniter utuntur in illis sacris Bonæ Deæ. Sed sic veteres non loquebantur. Non frustra tot veteres libri, in quibus est Erfurt. et Francii, *solia, mensas*, &c. Sane *solia* in sacris locum habuisse, et ea fuisse ornata, et strata, æque ut lectos, ostendit Tacitus XV. Hist. cap. 44. *Sella* illæ dicebantur, et *solia*. Hinc quæ Tacitus vocat et Glossarum Græcarum auctor *sellisternia*, Festus dicit *solisternia*. Imprimis *solia hæc* et *sellæ* tribuebantur Deabus, ut lecti Diis. Valer. Max. II. 1: *Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Sic solia, nihil aliud sunt quam sellæ, quæ sternebantur Diis, quale solium videtur etiam habuisse *Bona Dea.* GRÆV.

Earum] Nympharum.

Censuram exstinxit] Tulit enim, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset. Vide Orat. in Pisonem. MANUT.

Intercessionem removit: auspicia delevit] Quod utrumque lege Ælia et Fusia confirmabatur. IDEM.

Cap. 28. *Suffragia descripta*] Sententia est: Ita corrupti sunt plerique cives, ut patiantur se induci ad suffragandum, quibus illi pauci bene volunt. Itaque *suffragia descripta sunt*,

est, imperatum et injunctum quasi est singulis civibus suum suffragium, cui debeant suo suffragio commodare. Sic alibi *describere civitatibus pecuniam, tributa, milites*, jubere quantum debeat pecuniæ, tributorum, militum, singula civitas conferre. GRÆV.

Procurationes] Expiationes, placationes. MANUT.

PRO

CN. PLANCIO.

ORATIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Cum ædilitatem simul peterent Cn. Plancius, et M. Juventius Laterensis, creatus ædilis est Plancius, Laterensis præteritus. Qua ille commotus ignominia, Plancium de sodalitiis accusavit, quod inter ambitus crimina gravissimum est, ut inter crimina majestatis perduellio. Patrocinium Cicero suscepit, egitque causam diligenter, memor ejus temporis, quo quæstor in Macedonia Plancius ejectum lege Clodia complexus est, fovitque omni genere officii. Hanc orationem, et eam pro Scauro habuit eodem anno. Quæsitor hac in causa fuit C. Alfius, ab accusatore editus; ut ipsa declarat oratio: et ipsi quoque judices, editicii dicti: hanc enim Licinia lex facultatem accusatori dabat in crimine de sodalitiis. MANUT.

Cap. 2. *Cum respondero criminibus*] Non erant *crimina*, quibus respondebat. Rectius igitur Erfurtensis: *cum respondero omnibus*, nimirum accusatoribus, qui plura pene de me, quam de reo dicunt. GRÆVIUS. *Crimen* dicitur id omne quod reo alicui objicitur. Quare non est cur dicto simus audientes. OLIVETUS.

Hujus dignitatis] Legendum videtur *huic*, ut annotavit pater meus. JAC. GRONOVIUS.

Largitionis] De qua Plancius accusatur. Nam si dignitate non vicit, reliquum est, ut comitia corruperit. MANUT.

Cap. 3. *Tu non dignitatis*] Lambinus legit, *tune æquum dignitatis*, &c. Manutius, *tu non inanem dignitatis*, et negationem refert ad *inanem*, non ad verbum *putas*. Grævius, *an tu dignitatis*, legendum existimat.

Reprehensores] Corrigebant quæ perperam in comitiis erant facta. GRÆV.

Auctores] Hoc est, ea vel probabant vel irrita judicabant. FERRAT.

Cap. 5. *M. Scium*] Qui damnatus in privata aliqua causa partem bonorum amisit, ut ne censum quidem equestrem in posterum habuerit. IDEM.

Ignobilem] Ignobiles Mallii: nobiles Manlii. De eadem re sic pro Murena: *Quis L. Philippum summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio.* Et hic autem, et in ea pro Murena, ejecto *Manlio, Mallium* restitui. Et in ea quoque pro Sex. Roscio, *Mallius Glaucia quidam*, cum antea legeretur, *Manlius*, reposui. Quia Manliorum nota nobilitas, Mallii autem perobscuri: in quo nostram

opinionem veterum librorum adjuvat auctoritas. MANUT.

Cyrenis] Quæstor. IDEM.

Si hoc indicasti] Quis ita legendum esse non videt? Est enim hujus dilemmatis vis hujusmodi. Cum reliquisti petitionem tribunatus pl. indicasti horum duorum alterum: vel te in tanta tempestate non posse rempublicam gubernare, vel te nolle. Si indicasti te non posse, de virtute tua dubitavi: si te nolle, de voluntate. At si legatur, *judicasti*; vide, quæso, lector, quam sit absurda tota hæc oratio, et sententia futura. Si judicasti te non posse rempublicam gubernare, de virtute tua dubitavi. Potest enim aliquis judicare se quippiam efficere non posse, et tamen ita occulte, atque obscuro, ut alios celet. Sed demus hoc membrum tolerabile esse. Id, quod deinceps sequitur, quis feret? si judicasti te nolle, &c. Quid hoc est, judicare se nolle? quis ita loquitur? nonne simile est, ut si quis diceret, Arbitror me nolle hoc, vel illud facere? quo quid absurdius dictu? Quare sic legendum esse contendo, non libris solum omnibus, verum etiam malevolis, et sciolis omnibus reclamantibus atque invitis. LAMBINUS. Erfurt, *judicasti*. Omnino bene. *Judicasti* te nolle, est constituisti, decrevisti te nolle. GRÆV.

Idem mihi, quod ostenderas] Oratio præcisa est. Subintelligendum enim est *præstabunt*, aut aliquid simile: nisi si quis dicat omissum esse, et desiderari. LAMB. Integrat hunc locum egregia clausula Turingicus liber. GRUT. *Idem mihi sunt et judices parati: tribuni plebis permagni interest qui sint. Quare aut redde mihi, quod ostenderas: aut,*

Aut, si] Vel, si quoquo modo vis esse Ædilis, pete rursus, et dabo. FERRAT.

Quod mea minus interest] Minus enim prodesse mihi potes in ædilitate, quam in tribunatu. MANUT.

Cap. 7. *In summa sacra via ... ad Fabium fornicem*] A Palatio, seu colle Palatino, in quo domus erat Ciceronis, in forum descendebatur. At forum erat *Regia*, seu domus Numæ. Ad Regiam *Fornix Fabius*, vel *Fabianus*, ut Asconius vocat, hoc est, arcus a Fabio censore constructus eo, qui a devictis Allobrogibus cognominatus est Allobrogicus. Plura de his Alexander Donatus, *Rom. vet. ac rec. lib.* II. *cap.* 12. ANONYMUS.

Cap. 8. *E præfectura Atinati*] Præfectura erat urbs Italiæ, in quam mittebatur Roma præfectus, qui eam administraret, secundum leges a Romanis præscriptas, et qui jus in illa diceret. Vide Sigon. de antiquo jure Italiæ II. 10. et sequentibus. Atina vero est urbs Volscorum in Latio, in monte ad Lirim posita: etiam nunc retinet antiquum nomen, non nunquam *Atino* dicitur. Vide Cluver. Italiam antiquam, III. 8. GRÆV.

Num de tot Fabiis *gloriari*] Fabii non Tusculo orti sunt, sed ante ipsam Urbem conditam in ejus sede inter Romuli et Remi comites agitarunt: immo eo loci ex Evandri, ut nonnulli volunt, filia ab Hercule procreati, et postea expulsis Regibus inter primos patricios gloria, dignitate, Consulatibus floruerunt. Recte Pighius, quod de *Fulviis* plebeiis et obscuris origine sua, non *Fabiis* illustribus et patriciis loqui Ciceronem autumat: ideoque id quod unum recte tentavit Pighius, accipere debuisset Gruterus, non autem repudiare, præferendo *Fabiis*, de quibus ut ex nullo municipio, adeoque nec Tusculo ortis, nulli municipes gloriari poterant. Reponendum omnino *Fulviis*, qui tamen non Tiburtes, sed Tusculani origine fuerunt. Etenim primus Fulviorum in urbe Roma L. Fulvius Curvus, Cos. A. U. C. 431. a Tusculanis rebellantibus, quorum Consul erat, transiit ad Romanos, et ab his eodem anno, quo hostis fuerat, Consul Romanus triumphavit de suis popularibus. Diserte hæc Plinius Hist. Nat. VII. 43. Atque hinc Cicero Philip. III. 6. Antonio Fulviam uxorem habenti, cum his Octaviano *Aricinam matrem exprobrasset*, objicit vicissim

uxorem *Tusculanam*. *Tusculana* hæc non alia est quam Fulvia, quæ Antonii tunc uxor, et filia erat Fulvii Bambalionis, ac Semproniæ Tuditani filiæ. Perizonius *Animadv. Hist.* Proxime ad veram lectionem accedit Dresdensis, qui pro *Fabiis* legit *filiis*. Sed in Erfurtensi est ipsum *Fulviis*, unde merito id arripuimus. GRÆV.

Non enim Tribum] Non per sodalitia, et contra leges Tribum Terentinam Plancio confecerunt. FERRAT.

Oculorum conjectum] Admirationem populi. IDEM.

Cap. 9. *Qui carnem Latinis petant*] Ex Livio, et aliis notum est, sacrificio facto in monte Albano feriis Latinis, carnem cæsarum hostiarum municipibus, qui affuissent, distribui solitam. MAN.

Vel quod is a sociis unice diligebatur] Duas ob causas præcipue habuit equestrem ordinem Plancius sui studiosum in honore; tum quia pater ejus publicanorum princeps, tum quia idem unice diligebatur ab iis publicanis, quibuscum sæpe in redimendis vectigalibus fecerat societatem. Ii enim socii dicebantur, qui vectigal alicujus provinciæ communi nomine redimerent a censoribus, et a provincialibus exigerent. FERRAT.

Cap. 10. *Ex impiis manibus*] Carnificis, qui missus fuerat ad eum interficiendum. IDEM.

Ut haberent, quem *reducerent*] Sine mora hanc lectionem, quam in Erfurtensi inveni, recepi. Vulgati libri, *ut haberent* quod *reducerent*. GRÆV.

Cap. 11. *Nunquam desideratus esset vehemens tribunus*] Laudabatur M. Cato, qui tribunus plebis effecerat, ne a Metello Nepote collega læderetur respublica; L. Ninnius, qui Clodii conatibus pro virili restiterat; Milo et Sextius, qui Clodianos tribunos in officio continuerant. Si Nepos, Clodius, aliique tribuni moderate se gessissent in administranda republica, ut se gesserat Plancius; nunquam collega aliquis desideratus fuisset, qui se illorum furori, atque amentiæ objiceret. Quid opus est vehemente tribuno, si nemo res novas seditiose moliatur? Plancii laus inde nascitur; quod nunquam e republica fuit, ejus conatum aliquem reprimi. FERRATIUS.

Cap. 12. *Si minus in scena sunt*] Est, si minus in oculos incurrunt hominum. *Esse in scena* dicitur, quod oculos hominum in se convertit, ut plurimis notum sit et laudatum. Ovid. I. de Trist. el. 9. *Scena manet dotes grandis, amice, tuas*. Cic. XII. ad Fam. ep. 63. *Magnum theatrum habet ista provincia*. Omnibus patet, quicquid in illa provincia geritur. GRÆV.

Emissus] A Plancio, cum tribunus plebis esset. A prætore autem requisitus ad carcerem et custodiam. ANON.

Cap. 13. *Societatum auctor*] *Auctor* societatum, est qui alios publicanos hortabatur ad conducenda vectigalia. Magister societatis, qui sociis non repugnantibus, arbitratu suo statuebat de iis, quæ ad commune societatis pertinebant. FERRAT.

Q. Scævolam] Qui cum Asiam regeret, ad injuriis publicanorum provinciales defendit. Vide, Cic. ep. ad Lentulum. Hinc in ejus honorem Asiatici *Mucia* instituerunt. IDEM.

Cap. 14. *Quod auctiones essent*] Jocus in Granium, qui lætus esse deberet, cum auctiones essent, unde ipse tanquam præco lucrum faceret. MAN. Non frustra dubitaverunt de hujus loci integritate, quamvis veram scripturam non potuerint invenire. Et qui posset sine meliore libro, quem ex Turingia bona nobis obtulit fortuna. Is sic habet: *An quod rejectæ auctiones essent? Imo vero, inquit, quod legationes*. Quod dilatæ sint propter justitium auctiones, alter respondebat, imo vere quod legationes sunt rejectæ, hoc est non auditæ. Ambiguitas est in *rejicere*, quod est differre, et non admittere. Æque male *essent*, referretur ad legiones, quam *essent*. GRÆV.

Quod legiones] Quæ scribuntur edicto justitio. MAN.

Tu, Druse, quid agis?] Pro, quid turbas? quid in rep. moliris? IDEM.

Injuriam] Quod petentibus publicanis, ut induceretur locatio, quia nimium magno conduxissent, nullum a senatu responsum daretur. Hac de re Cic. ad Attic. I. 15. 16. IDEM.

Legem de publicanis] Quam tulit C. Cæsar consul, ut publicani tertia pecuniæ debitæ parte relevarentur. Quo facto equestrem sibi ordinem adjunxit, cum et populum antea teneret. MAN.

Ordinis] Equestris.

Cap. 15. *Liciniæ*] Vide Indiculum Legum, Tom. I.

Neque enim quidquam aliud] Cum non haberes crimen, quod Plancio Licinia lege objiceres, accusasti tamen ea lege, ut edendorum judicum facultate uti posses. Nihil præterea secutus es: unum hoc spectasti. ID.

Nisi hac tribuaria] Reprehendit Laterensem, qui cum reliqua potius ambitus crimina, quam sodalitium, in Plancium conferat, judices tamen ediderit arbitratu suo: quod in una tribuaria re, id est in crimine sodalitii, in quo tribus edebat accusator, æquum erat. Quod si, inquit, hoc æquum esset in aliis rebus, præter hanc tribuariam, non id fieri hoc uno in genere senatus voluisset, sed eandem judicum edendorum rationem ad cæteras quoque causas transtulisset, præsertim ad ambitum, qui cum sodalitii causa quasi affinitate quadam conjungitur. Tu, inquit, finxisti velle te accusare Plancium Licinia lege de sodalitiis, ut ederes judices, quos velles: quod assecutus es: accusas tamen reliquis potius de ambitu legibus: cum vel agere de sodalitiis Plancii debeas, ut beneficio legis in edendis judicibus jure ac merito usus esse videaris: vel, si te crimen ipsum, quo accusas, deficit, ideoque accusationem tuam ad communem ambitus causam traducis, confiteris, non recte a te judices editos esse, quos tantum in causa de sodalitiis edi senatus censuit, populusque jussit. IDEM.

De ipso denique ambitu]. Si æquum est edi judices in aliis rebus, nisi hac tribuaria, id est, nisi in causa de sodalitiis: non video, cur senatus non modo in cæteris dissimilibus causis, sed in ipso ambitu, ad quem sodalitia pertinent, editicios judices non probavit autem, quia non æquum esse judicavit. Cur igitur tu contra sententiam senatus in ea causa judices edidisti, in qua, legis Liciniæ simulatione, reliquis de ambitu legibus accusas? IDEM.

De rejectione judicium fieri voluerit alternorum] In omnibus causis, exceptis sodalitiorum criminibus, rejectio judicum fiebat ab accusatore, et reo. Quod Cicero judicium *alternorum de rejectione* appellat. Judices enim, cum senatorius ordo lege Cornelia L. Syllæ solus judicaret, e curia senatoria conscribebantur: postea lege Aurelia L. Cottæ, qua judicia inter tres ordines communicata, e senatu, ex equitibus, e tribunis ærariis. Hi selecti judices vocabantur, de quibus in orat. pro Cluentio, apud Pedianum, et Plinium. Horum nomina in urnam conjecta, sortite deducebantur a quæsitore, id est ab eo, qui de majoribus criminibus, ambitu, repetundis, inter sicarios, majestate, quærebat. Ita de pluribus confecto per sortitionem necessario numero, permittebatur accusatori, ac reo, ut ex illo numero rejicerent, quos putarent sibi aut inimicos, aut ex aliqua re, ut Pediani verbis utar, incommodos fore. Post rejectionem, subsortiebatur idem quæsitor in locum rejectorum alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur. Erat igitur prima sortitio, secunda rejectio, tertia subsortitio. His perfectis, jurabant judices in leges, ut obstricti religione judicarent. Cum jurassent omnes, præter ipsum prætorem, qui judicio præerat, (nam prætorem non jurasse, tum ex Cicerone, tum ex Pediano constat) nomina eorum libellis consignabantur, et ubique habebantur; ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime judicarent. Eorundem

judicum nomina in codicem relata prætor asservabat. Qua de re sic in ea pro Cluentio: *Multam a Junio petivit: qua lege? quod in legem non jurasset: quæ res nemini unquam fraudi fuit: et quod C. Verres, prætor urbanus, homo sanctus, et diligens, subsortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.* Quibus verbis illud quoque planum fit, subsortiri solitum eum, qui judicio præesset, sive prætor esset, sive non esset. Nam Junius ille a quo multam petitam esse Cicero dicit, prætura nondum adeptus erat, cum in Oppianici judicio judex quæstionis fuit. Itaque miror, quod a Pediano scriptum est, et sortitum esse judices, et subsortitum prætorem Verrem in Oppianici judicio: contra quam et ipsius verba Ciceronis, jam a nobis proxime recitata, demonstrant, et illa præterea, quæ dixit in Div. *De subsortitione*, inquit, *illa Juniana, judices, nihil dico.* Cum igitur, ut redeam unde diverti, rejectio judicum fieret in omnibus causis; lata est Licinia lex ex S. C. in sententiam Q. Hortensii oratoris facto, ut in causa de sodalitiis judices ab accusatore editi, nulla interposita rejectione, judicarent. Quod infra Cicero docuit his verbis: *Quid? hujus rei obscura causa est? an et agitata, cum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosius a Q. Hortensio? cui tum est senatus assensus.* Ex eo autem S. C. latam esse legem (nam multæ leges et sine S. C. et contra senatus voluntatem ferebantur) indicat id, quod infra scriptum est: *Si quemadmodum senatus censuit, populusque jussit, ita fecisses, ut in hunc et suam et ab hoc observatas tribus ederes: non modo non quererer, sed hunc, judicibus editis, qui testes iidem esse possent, absolutum putarem.* IDEM.

Et per consensionem magistratuum, quæ honeste sodalitas nominaretur] Vide an non verius codex Erfurtensis scribat: *et per hanc consensionem, quæ magis honeste, quam vere sodalitas nominaretur.* Hic *consensio* est coitio civium epulis et largitionibus contractorum ambitus causa, quæ minus vere sodalitas dicebatur. Nam erant sodalitates honestæ, de quibus Cicero de Senectute, cap. 13. Quæ enim est illa magistratuum consensio? GRÆVIUS.

Cap. 16. *Terentinam, credo*] Plancii tribum: quam in primis edere debuit, nec tamen edidit. MAN.

Cum Lemonia?] Quam Laterensis edidit. IDEM.

Vict. Man. Grut. *tertiam.*

Non ad sententiam legis] Ideo enim judices editicios lex accusatori dabat, ut ederet eos, qui largitione devincti suffragium pro aliquo tulisse putarentur. At Laterensis judices edidit ex tribu Lemonia, ex Veientina, e Crustumina: cum quibus Plancio nihil fuisse ipsemet Laterensis in sermone ostenderat, cum de Terentina, et Voltinia criminaretur, has autem non nominaret. IDEM.

De Civitate] De omni civium numero, ex omnibus tribubus: quod infra dicit, *Ex omni populo.* IDEM.

Quam in decernendo secuti sumus?] Cum in senatu decrevimus, ut accusator tribus ederet, quæ de reo judicarent, id secuti sumus, ut, quæ maxime reo convinctæ tribus essent, eas ederet; quod eas maxime corruptas esse verisimile videretur. Tu autem, Laterensis, eas edidisti, cum quibus Plancio nihil est: qui Terentinam, et Voltiniam officiis ab eo, non largitione, observatas judicares. ID.

Vict. Man. Grut. *iniquos.*

In proximo reo] Ipso quoque de sodalitiis causam dicente: cui judices concesserunt, ut ex iis, qui editi erant, judices quinque rejiceret: quod Plancio concessum non est. IDEM.

Cap. 17. *Referret*] Forte, *ferret*, id est pateretur. J. F. GRONOV.

Ex omni populo] Nam tribus ex omni populo deligebantur. MAN.

Et illud acerbum] Sensus est: Et illud licet per se acerbum judicium non quererer, si quemadmodum, &c. sed hunc, &c. FERRAT.

Fugisti sententiam legis] Quia,

quod lex jubebat, non fecisti, ut in reum et suam, et ab eo observatam tribum ederes. MAN.

Tacitum testem] Habemus tacitum testem, qui sola mente, non voce assentitur: excitamus autem, cum ad palam dicendum testimonium invitamus. FERRAT.

Cap. 18. *Reficere necessariis suis*] Primum deleo *suis*, Francii librum secutus. *Reficere necessariis tribum*, est pauperiores tribules refocillare iis, quibus maxime egebant. Pro quo paulo ante dixit, *plebem colere modica liberalitate*. Per tribum intelliguntur pauperiores ex tribu. Hinc *tribulis convivа* apud Horatium, est pauperior, ex egena plebe. Sic olim scripseram, antequam ad me delatus erat Erfurtensis. Sed cum in illo legissem, *ne conficere necessariis suis suam tribum possint;* viso hoc vero, non diutius hærendum putavi. *Conficere suis necessariis suam tribum*, est conciliare suam tribum suis amicis et cognatis. Ut apud Terent. *conficere alicui virginem, nuptias, argentum*. GRÆV.

Decuriatio] Decuriare, est per factionem cogere. FERRAT.

Promuntiasse] Id est, Promisisse pecuniam. IDEM.

Cap. 20. *Comitiis jam superioribus*] M. Crassus consul, habitis Comitiis Consulum et Prætorum, contra veterum morem, subito, et præter opinionem omnium habuit et Comitia Ædilium, idque ad reprimendum ambitum: quibus vel intercessione, vel obnuntiatione prolatis, antequam absolverentur; alia deinde habuit, quibus creati sunt Ædiles. FERRAT.

Non exigua pars populi] Ut in comitiis centuriatis centuria prærogativa. MAN.

Non unius tribus pars] Argumentum urget tribus adjunctis; tum quia ab eodem consule comitia illa habita fuerant, qui et habuerat posteriora; tum quia eodem anno utraque habita sunt; tum quia universus populus, non illius exigua pars, qualis erat centuria prærogativa, pars unius tribus, suam in Plancium voluntatem declaraverat, cum illa fuerant impedita comitia. Itaque priora illa comitia fuerant *prærogata* et quasi prærogativa Plancio. Vid. infr. cap. 22. FERRAT.

Comitiis] Posterioribus. MAN.

Fuerint prærogata?] Tanquam prærogativa fuerint. IDEM.

Cap. 22. *Non magnum quendam motum illius petitionis tuæ*] Loquitur de petitione tribunatus: quem cum peteret Laterensis, et eodem tempore C. Cæsar legem agrariam ferret, reclamantibus nobilibus: cumque reliqui candidati in legem illam agrariam jurassent, Laterensis destitit a petitione sua, ne juraret. Auctor Cicero lib. 2. ad Attic. ep. 18. LAMB.

Duxerunt] Ad Plancium accusandum. FERRAT.

Coitio] Hoc erat crimen ambitus, si coirent Candidati in corrumpendis Tribubus. IDEM

Plerasque] Cum pleræque Tribus dixerint Ædiles Plancium, et Plotium: non autem vel Plancium, et Laterensem; vel Plotium, et Laterensem. IDEM.

Quippe cum] Ex persona Ciceronis. MAN.

Venissent] Ad posteriora comitia. IDEM.

Sortitionem ædilitiam] Duo creabantur ædiles curules. Fieri tamen poterat, et ut plures, quam duo, peterent, et ut plures etiam pares suffragiis essent. Quod si accideret, constitutum est a majoribus, ut sortirentur, quinam ex iis ædilitatem gererent. Sin autem soli duo totidem suffragia tulissent, sortitio locum non habebat: ii enim ædiles renunciabantur: cum duos tantum ædiles esse oporteret. IDEM.

Concessum] Plancius concedebat suam Tribum Laterensi, cum Tribules suos, apud quos gratia valebat, precabatur, ut se et Laterensem Ædiles dicerent. FERRAT.

Ne in angustum venirent] Ne paucis suffragiis superiores essent. Is enim, qui duobus tantum punctis plus tulit, *in angustum* venisse di-

titut, vel in angustias. BUDÆUS in *Pandect.*

Arripuisse] In judicium vocasse, quod non, sicut Plotius, rogaverit te, ne id faceres. FER.

Cap. 24. *Expostulavi*] A te, Latensensis, non postulavi, ut rem mihi aperires de illo Juventio, de quo Cassius. FER.

Primum de plebe] Ædilitas curulis primum patebat solis Patriciis. ID.

Longino] C. Cassio Longino, qui Consul fuit. MANILIUS.

Multæ insidiæ sunt bonis] Hi versus sunt Attii poetæ, quos paulo integriores leges in Sextiana: hoc modo, *Non te id, quod multi invideant, multique expetant, inscitia est postulare?* LAMB.

Cap. 27. *Syracusis*] Cum duæ essent in Sicilia Quæstoriæ provinciæ, Cicero sortitus fuerat Lilybætanam, non Syracusanam. FERR.

Nisi sorte, lege, necessitate] Assiduus Romæ fuit Plancius, et si quando abfuit, tres omnino habuit absentiæ causas; *Sortem*, cum Macedoniam sortitus quæstoriam provinciam, ab urbe profectus est; *Legem*, cum tribunus militum creatus a populo, rei militari in eadem provincia operam dedit; *Necessitatem*, cum fuit in Africa miles A. Torquati, in Creta, Q. Metelli, ea necessitate adductus, qua omnes cogebantur post sumptam virilem togam decem stipendia facere. IDEM.

Cap. 28. *Nec Q. Metelli Calidius*] Non ideo liberatus Calidius, quia sua lege Metellum ab exilio revocasset. Hoc significabat Cassius, quanquam Plancii magna merita in Ciceronem exstarent, non ideo tamen tum absolvi debere; cum nec Opimius, reipublicæ servator, nec restitutor Metelli Calidius, absoluti judicio sint. MAN.

Cap. 29. *Finitimo*] Fregellano, Fregellis urbe capta. *Domestico*, cæsis domesticis reipublicæ hostibus, Flacco, et Graccho. MAN.

Cap. 30. *Propter ejus magnitudinem dicta est de scripto*] Non propter longitudinem, sed *propter magnitudinem*. Quam de rebus gravissimis instituimus, apud viros dignitate, atque auctoritate præstantes, deque nobis optime meritos, ea demum magna oratio est. An vero qui sæpe apud judices per tres, aut quatuor horas dicere solebat memoriter, non potuit Cicero senatui gratias agere, nisi de scripto? Senatores rogati sententias dicebant interdum de scripto, ne verbi inopia aliquid efferrent aliter, ac sentirent. Sic Philip. X. 2. de Caleno: *Ita enim dixisti, et quidem de scripto.* Cum igitur multi sibi, iique summi viri nominandi essent, verebatur Cicero, ne quem præteriret invitus, aut appellaret minus grata commemoratione, quam volebat: itaque ipsius rei magnitudine suadente, memoriæ diffisus, de scripto dixit. FERR.

Cap. 31. *Nihil in Cispio profecisti*] Defendisti Cispium, nec tamen absolutus est: nihil jam valent apud judices preces tuæ. M. Cispius tribunus pl. fuerat, quo anno Cicero restitutus est. Post red. in sen. et pro Sextio. MAN.

Absolutæ jam sunt preces tuæ] Novi quid sit *hominem absolvere*, sed quid sit *preces absolvere* fateor me ignorare. Sic tamen omnes Mss. et omnes editi, quos vidi, præter P. Manutii, qui edidit ex ingenio, sed eleganter, *obsoletæ jam sunt præces tuæ.* Non ego detractarem id ambabus amplecti, si libri addicerent. Credibile enim est Tullium sic scripsisse: sententia sane aut hanc aut similem vocem flagitat. IDEM.

Cap. 32. *Tam licuisset*] Significat Racilium populi judicio injuste damnatum. IDEM.

Atqui eum cum vides] Melius Erfurt. *Atque hæc cum vides.* GRÆV.

Cap. 33. *Salutem pro te objecero*] Erfurt. *abjecero.* GRUT. Sic utique legendum. Nam *objicere salutem pro aliquo*, non addito cui objiciatur, ut discriminibus, hostibus, contentionibus, latinum os respuit. *Abjicere vero salutem* hic dixit, ut in ep. 16. lib. IX.

ad Pætum, *famam ingenii abjicere.* Pro *abjicere* frequentius dicitur *projicere* in hac notione: Virgil. VI. Æneid.

——— *lucemque perosi*
Projecere animas. GRÆV.

Cap. 34. *In ludos*] Vulgo *locos:* sed quis dubitet *ludos* legendum esse, Circenses nimirum, in quibus thensæ ducuntur. Quamvis res ipsa, quæ in illis ludis gesta est, ut hic a Laterensi ejus fiat mentio, fit obscura. GRÆV. Plurimum in permovendis judicum animis valebat Cicero, ut illi semper extremus perorandi locus propterea daretur. Noluerat Laterensis uti locis communibus in accusatione sua, (lege enim, *in locos causam conjicere*) ne ad eosdem Cicero quoque confugeret, factaque mentione thensarum, quæ sacra erant vehicula ædilibus usitata in ludorum celebritate, ad misericordiam judices moveret, qui de designato ædile Plancio sententiam laturi erant. Post illud de thensis, hoc alterum sequitur: *Hoc etiam addidisti, me idcirco* (ea nimirum mente et consilio, cum locos misericordiæ communes consectari soleam) *mea lege* (qua pœna exilii irrogata est ordini senatorio) *ex isto ambitu* (qui major in dies et immanior fit) *traxisse* (illud commodum percepisse) *ut miserabiliores epilogos possem elicere.* Videbatur Cicero ideo graviorem in reos ambitus pœnam tulisse, ut sibi commodior excitandæ misericordiæ locus inde pateret. FERR.

Lamb. *dixisti, addidisse me idcirco meæ legi,* Nisi ex testamento præstituta die, *ut miserabiliores*

Putabam in Vaccæis dicturum] Sic est scriptum in codicibus antiquis, et nonnullis vulgatis. Vaccæos autem Hispaniæ citerioris populos commemorat Plinius III. 3. LAMB. Jocus, opinor, ac derisio subest. Ut enim Cordubæ nati poetæ, ita forte Vaccæi oratores male audiebant. Vide pro Archia cap. 10. Fuisse Vaccæos dicit Harduinus, in eo tractu, qui Salmanticam inter et Zamoram interjacet. OLIVET.

Perdidisse] Oblitum esse me tibi Cretam objicere, cum petitioni Planci favebam. FER.

Quas ad aliquem misissem] Intelligit ad Pompeium missas, in quibus se Lælium, ipsum Africanum facit GULIELM.

Cap. 35. *Recentes*] Piso exercitum in Macedonia amiserat: Gabinius, pecunia corruptus, a Syria in Egyptum exercitum duxerat, ut Ptolemæum restitueret. FER.

Qui exercitibus] Cæsar, Pompeius, et Crassus. IDEM.

Furiatis] Clodius.

Saltator] Gabinius.

Cap. 36. *Suum*] Quia jurare noluit in legem Saturnini. MAN.

Cap. 38. *Stare omnes debemus tamquam in orbe aliquo*] Vide quæ de hoc argumento docte disputat, etiam ex Philosophorum libris, in ep. 9. lib. I. ad *Lentulum.* GRÆV.

Cap. 39. *Monumenta nobis litteræ prodiderunt*] Pro *litteræ*, legebat Pantaghatus *litterarum*, et ita omnino scribendum esse arbitror. URSINUS.

Cap. 40. *Collegia*] Quia collegæ fuerunt in prætura: post præturam autem Virgilius in Siciliam, et eodem anno Q. Cicero in Asiam profectus est. MAN.

PRO

PUBLIO SEXTIO.

ORATIO XXXII.

ARGUMENTUM.

P. Sextius, cum Lentulo et Metello Coss. tribunus plebis esset, omnem vim tribunatus sui ad Ciceronem patriæ restituendum maximo animo contulit. Ejus conatibus cum P. Clodius, qui Ciceronem urbe expulerat, homo seditiosus ac turbulentus, obsisteret; factum, ut VIII. Kal. Feb. inter eos, qui Ciceroni favebant, et Clodianos magna pugna, armatis utrinque hominibus, committeretur. Eo nomine, anno post, Marcellino et Philippo Coss. P. Sextio M. Tullius Albinovanus detulit nomen, eumque lege Lutatia de vi apud M. Æmilium Scaurum prætorem postulavit. Defensus Sextius cum ab aliis, tum a duobus præstantissimis oratoribus, Q. Hortensio, et M. Tullio Cicerone, atque absolutus est. Itaque ipse Cicero lib. II. ep. ad Q. Fr. Sextius, *inquit*, noster absolutus est III. Id. Mart. et, quod vehementer interfuit reip. nullam videri in ejusmodi causa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. *Exulavit tamen postea hic ipse Sextius: quo crimine condemnatus, pro certo dici posse non arbitror: puto tamen, quod a Pompeio adversus Cæsarem stetisset: id quod constare potest vel e lib. VII. epist. ad Atticum. Quidquid sit, certe nisi post interitum Pompeii non exulavit. Exstat epistola, qua ei Cicero consolationem adhibet, lib. V. Famil. ep.* 17. MANUTIUS.

Cap. 1. *Voluntarios*] Nulla vel minima causa impulsos, sola sua voluntate adductos. Ut apud Terent. *mala mens, malus animus.* Gallice dicimus, *De gaieté de cœur.* HOT.

Nihil timere] Dio scribit, Clodium hoc anno factum Ædilem opera et studio Optimatum, ne de vi accusatus a Milone causam diceret. FER.

Commemorandoque beneficio] Edidit Grævius *beneficia*, quam vocem, substituta voce *beneficio*, corruptam fuisse putat a sciolis, qui ignorabant his gerundiis casum quartum apponi. Atenim plures invenias sciolos, qui nesciant, illud *commemorando beneficio*, latinum ac probum esse, quam qui dubitent an latinum sit *commemorando beneficia.* Non enim sciunt omnes, ea quæ *gerundia* dicuntur, vere nomina esse adjectiva. Si hoc non ignorabat is, qui pro *beneficio* scripsit *beneficia*, certe non videbat huic parti, quæ antecedit, *agendis gratiis*, aptius respondere hanc, *commemorando beneficio*, quam istam, *commemorando beneficia.* Quin ista in voce, *beneficio*, plus multo granditatis est. Intelligitur enim beneficium illud unicum, singulare, eximium restitutionis in patriam. Quæ imago prorsus deformabitur, si legas, *beneficia.* ANONYMUS.

Cap. 2. *Extremo*] Idcirco Ciceroni datus, quod valeret maxime ad *misericordiam*, et reliquos *affectus* excitandos. M. ANT. FERR.

Cap. 3. *Hic est puer*] Prætextatus, quem in epilogo flentem excitabit. HOTOM.

Scipionis] Asiatici: qui cum C. Norbano consul fuit, Marianasque partes adjuvit: sed ejus exercitu ad Syllam signa transferente, cum interimi posset, dimissus est. MANUTIUS.

Sorte] Quæstores designati, cui quisque muneri in magistratu præesset, sortiebantur. Alii cum consulibus in urbe remanebant: alii ærarium curabant: alii in provincias exibant. IDEM.

Nonnullius officii] Nec vel Antonium in invidiam vocet, quem dicat participem fuisse conjurationis; vel Sextium, qui suo Consuli fuerit infidelis. FERRAT.

De Antonio nihil dico] Occurrit suspicioni. Nam quod intelligit, ex eo quod, dictum est, posse aliquem colligere, et existimare participem Catilinæ conjurationis Antonium fuisse, ingeniose facit, ut hanc suspicionem neque confirmet, ne hominem eum, quem in consulatu collegam habuerat, in exilio satis misere viventem, suo testimonio condemnet; neque tollat, ne, quæ a Sextio de illius consiliis ad se delata significat, ficta et inania videantur. Propterea, ne objiciat aliquis, Ergo tu cum Catilina consensisse Antonium confirmas: Ego, inquit, nihil dico, neque participem illius conjurationis fuisse, neque non fuisse: hoc unum dico; si negare voluisset, se Catilinæ partibus hærere; aut saltem dissimulare; futurum fuisse, ut ille metum civitatis, et eam, quæ de ipso erat, suspicionem aut omnino tolleret, aut certe sedaret. Neutrum tamen fecit. Et est animadvertendum, quod, cum hic quasi lubrico in loco Cicero versetur, quia, si Sextii quæsturam laudat, Antonium vituperat; si Antonium excusat, Sextii causam non sublevat; lubrico, ut dixi, in loco constitutus, ad Sextium, cujus periculum agebatur, potius, quam ad Antonium, inclinat: et cum ait, numquam illum neque negare, neque dissimulare voluisse, non alienum a Catilinæ consiliis fuisse tacite significat: aperte non exponit, ne miserum hominem suo testimonio premat. In Pisonem tamen apertius: *Ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in rep. molientem, patientia, atque obsequio meo mitigavi.* MAN.

Cap. 4. *Familiam*] Gladiatorum, qui fere Capuæ detinebantur: quibus se Marcellus immiscuerat eo prætextu, ut armis tractandis exerceretur. FERRAT.

Conventus] In Præfecturis, qualis erat Capua, *Conventus* dicebatur publicum consilium, quodcunque illud esset: in Coloniis sonatus erat nomine Decurionum: et quia Capuam coloniam deduxerat Cæsar, decretum pro Sextio nunc fecerant Decuriones, nomine commutato, idem, quod tunc fecerat Conventus. ID.

Vict. Man. Lamb. *virilis.*

Puerilis] In more id erat, ut liberi paternas prosequerentur inimicitias, ac vicissim eos accusarent, quorum accusationibus fuerant parentes vexati. Hinc est, quod Publium, P. Sextii filium adolescentem, quis Capuanum recitaturus erat decretum, sic excitat: Age, ad parentis depellendum periculum, attolle vocem; infirmam adhuc et puerilem, ut est ætas adhuc puerilis et infirma; quo intelligant inimici nostri, quid posthac, cum illam anni corroborarint, effectura sit ad hanc ulciscendam injuriam. Aliis tamen placet, *virilis tua vox.* Quam lectionem Grævius ut tueatur, hoc, quod sequitur, *Quidnam, cum se corroborarit, effectura esse videatur,* sic explicat: Quid ista vox virilis, cum puer hic se corroborarit, hoc est, ad virilem ætatem pervenerit, sit effectura. Hæc ipsa Grævii verba sunt. At quis credat ita construxisse Ciceronem, aut intelligi voluisse? OLIVETUS.

Lamb. *vocem*

Vicem officii] Vicissitudinem officii, relationem gratiæ. HOTOM.

Cap. 5. *M. Petrei*] Hic Antonii consulis legatus, ipso Antonio consule absente, quod ex podagra laboraret, Catilinam cum sua manu vicit, ac trucidavit. MAN.

Nuper] Cum abessem lege Clodia pulsus. IDEM.

Cap. 6. *Auctoritatem*] Exemplo P. Sextii auctor fuerat Hortensius, hoc est, docuerat reliquos cives, ut esset administrandus Tribunatus. FERR.

Hujus] Nempe Sextii.

Cap. 7. *Ille annus*] Is, quo C. Cæsar consul P. Clodium Pulchrum ad plebem traduxit. MAN.

Vinctam auspiciis] Quia, si patricii

fierent plebeii, contra auspicia videbatur. Quæ cum patriciorum tantum essent, ut et Livius, et ipse Cicero non semel significat; nimirum, si ad plebem homines patricii traducerentur, interitura auspicia videbantur, cum, a quibus haberentur, patricii deessent. IDEM.

More majorum] Quia non ratione prolis adoptatus est a Fonteio, sed ut fieret Tribunus plebis. Vide Orat. pro Domo. FERRAT.

Legum sacratarum catenis] Leges sacratæ dictæ, quæ in Sacro monte, plebis causa, latæ sunt. In iis hoc maxime sancitum est, ne tribunatus plebis homini patricio mandari posset. Quam ob causam solvisse videtur eas leges Cæsar consul, cum Clodium ad plebem traduxit, ut deinde, quod factum est, tribunus pl. crearetur. MAN.

Solvit subito legum] Hæc est primæ editionis lectio, neque secus imprimi curavit Victorius, restatque in Pal. nomo. Aliæ habent, *Solvit subito cura legum*. Aliæ, *Solvit subito legum vinculis*. Lambinus recepit conjecturam Turnebi, *solvit subito lege curiata;* de qua videantur illius Adversaria libro XX. cap. 3. GRUT. Nimirum dicitur *solvi legum*, ut *absolvi parricidii, purgare omnis facti dictique hostilis, increpare avaritiæ*, et quæ sunt hujus generis alia, de quibus vide Vossii de Constructione librum cap. 33. GRÆ.

Cap. 8. *Alter*] Gabinius.

Puteali] *Fœneratores*, inquit Cornutus, *ad puteal Scribonis Licinii, quod est in porticu Juliæ ad Fabianum arcum, consistere solebant. Puteal* autem dictum est, in quo fœneratores deambulabant. HOTOM.

Inflatus] Locum esse corruptum nemo non videt. Quomodo poterat Gabinium inflare puteal, quod tantopere metuebat, et grex fœneratorum, qui ad tribunal illud eum vocabant, et propter æs alienum persequebantur? Sine subsidio melioris libri vix poterit emendari. Cogitabam: *Puteali et fœneratorum gregibus infestatus atque perculsus olim*, &c. *Perculsus*, est, eversus fere. GRÆ.

Scyllæo illo] Apte, et congruenter ad sententiam traducit similitudinem maris: quod æs alienum Gabinio fuerit tamquam mare illud navigantibus infestissimum, Scyllæ et Charybdis: quo certe obrutus esset, nisi in tribunatus quasi portum perfugisset. Et quoniam Siciliensis freti mentione facta, de columna subjunxit: Rhegiam columnam potuit intelligere, quam Plinius ait in Siciliensi freto fuisse: et quasi jocum in verbo quærens, potuit significare, ut cum de Mænia loqueretur, simul tamen ad Rhegiam, similitudinis causa, respiceret: quæ naufragis idem erat, quod Mænia debitoribus: cum ad illam e naufragio projecti sic adhærescerent, ut ad Mæniam ii, quibus non esset, unde creditoribus satisfacerent. Rhegia vero columna dicebatur, quod ab urbe Rhegio non longe distaret. MAN.

Alter] Piso.

Imaginis ornandæ] Vulgo, *Formandæ*. Hoc est, inquit Manutius, ut fingeret ac componeret vultum ad illam severitatem, quam in urbe postea consul præ se ferre meditaretur. Turnebus vero conjecit, *ornandæ*, quod in suis Palatinis repertum Gruterus recepit. Credibile autem est homines ambitiosos imaginibus suis etiam adscripsisse magistratus municipales, ut Eumolpus apud Petronium, aut falsæ hæc dicta esse a Tullio, ad irridendum illum duumviratum Capuanum. GRÆ.

Seplasiam] Platea fuit Capuæ, in qua unguenta veniebant. At Piso ita capillo erat horrido, ut odisse unguenta videretur. Ideoque de tollenda ab eo Seplasia pro ea potestate, quam Capuæ duumvir habebat, argute Cicero comminiscitur. MAN.

Est tamen] Prosopopœia vulgi loquentis. ABRAM.

Affinem] Ob Tulliam C. Pisoni Frugi, L. Pisonis propinquo, in matrimonium collocatam. MANUT.

Cap. 9. *Eo nomine*] Pisonum familia *Frugi* dicebatur. FERRAT.

Materni] Vide Fragmenta Orat. in Pisonem.

Cap. 11. *In æde Concordiæ*] Qua in æde factum est Cicerone consule senatus-consultum de conjuratis occidendis. MAN.

Quod ille, cum quasi quæstum faceret, amisit] Salse simul et acerbe. Mirum enim, qui quasi meretrix divulgato corpore quæstum faciat, eum patrimonium amittere. Notat impudicitiam simul, et nequitiam Gabinii. IDEM.

Vestem mutandam] Non modo senatui, ut hic Cicero videtur significare, sed populo quoque Ninnius persuasit, ut tamquam in aliqua publica calamitate, pro salute Ciceronis vestem mutaret. Dio, lib. 38. MANUTIUS.

Cap. 12. *Adesse*] Qui in concionem venire jussit eos, qui se pro mea salute deprecaturos esse dicebant, eosque demum expulit e foro per servos ex ergastulis eductos, et ad vim seditionemque concitatos. ABRAM.

Daturos illius diei pœnas] Quidam libri veteres habent, *dies:* et notant grammatici veteres, hic ita locutum esse Ciceronem, et A. Gellius lib. IX. cap. 14. Est enim, *dies*, hoc loco patrius casus antiquus. LAMB.

In clivo Capitolino] Circa templum Concordiæ, in clivo Capitolino, cum in eo templo de conjuratis consul Cicero ad senatum retulisset, armati equites Rom. præsidii causa circumsteterant. MAN.

Cap. 14. *Pro te ipso*] Apostrophe ad Pisonem absentem. Nam hoc tempore Macedoniam proconsulari imperio administrabat. Apparet autem in hoc loco, Pisonem ante consulatum reum fuisse: quo crimine, incertum est. MAN.

Nullo S. C.] Cum antea, qui in provincias ibant, legatos, quos secum adducerent, a senatu petere consuessent: quam consuetudinem primus neglexit P. Vatinius, et post eum anno proximo, Piso et Gabinius, legis, ut opinor, Clodiæ privilegio. Vide Orat. in Vatinium. IDEM.

Cap. 15. *Sedentibus*] Non resistentibus. FERRAT.

Ne auspicia valerent] Ne quo die cum populo ageretur, quisquam de cœlo servaret, aut ejus rei ratio haberetur ad discutiendam concionem. ABRAM.

Ne quis obnuntiaret] Ne magistratus renuntiarent quid augures servantes de cœlo advertissent: atque hac obnuntiatione concionem dissolverent. IDEM.

Ne quis legi intercederet] Ne Tribunus plebis sua auctoritate, nullaque sui facti reddita ratione, legis ullius rationem impedirent. Quæ tria ut fieri liceret, lex Ælia prudenter cavebat, ad refrenandam Tribunorum plebis insolentiam, qui novis subinde rogationibus Remp. vexare cupiebant: nisi Augures obnuntiando, Consules et Prætores de cœlo servando et obnuntiando, cæteri Tribuni plebis intercedendo, huic legum frequentiæ restitissent. IDEM.

Ut omnibus] Dies alii fasti fuerunt, alii nefasti, alii intercisi. Fastis agi cum populo licebat, nefastis non licebat; intercisis partim licebat, partim non licebat, quod eorum media pars, puta ab ortu solis ad meridiem, nefasta: media, puta a meridie ad solis occasum, fasta duceretur. Quare Fusius Consul, ut legum Tribunitiarum multitudinem impediret, legem tulit, qua certis etiam quibusdam diebus fastis agi cum populo non liceret. Hanc lege contraria Clodius evertit. IDEM. Vide *Indiculum* Legum.

Gradus Castoris] Satis constat gradus istos exemtitios fuisse. HOTOM.

Cap. 19. Lamb. Grut. *sanabilis, illis mortifera, qui eam imposuissent.*

Cap. 22. *Justorum armorum*] Seditiosas leges tulerat Sulpicius in gratiam Marii, adeoque *prope justa* vocat arma Syllæ ulciscentis suam, et patriæ injuriam. Velleius. FERRAT.

Periculo Reip.] Cum in mea vita periculum adiret Respublica, me-

cumque simul periclitaretur: cum eadem utrique fortuna impenderet: cum accidere mihi ab illa sejunctum nihil posse videretur. MAN.

Consularibus litteris] Non Consulum, sed eorum, qui Consules fuerant, quorum apud exteras nationes vigebat auctoritas. MAN.

Cap. 25. *Promulgatæ*] Aliquot igitur non perlatæ, Tribuno pl. aliquo, ut opinor, intercedente. Quod et infra patet, et pro Domo sua. IDEM.

Ut censoria notio] Hac de Clodii lege sic in oratione in Pisonem: *Ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris et modestiæ, censoria severitas sublata est.* Quem locum Pedianus ibi exponit. IDEM.

Collegia] Vide Orationem in Pisonem, et ibidem Asconium.

Vectigalium] Lege enim lata, ut frumentum populo, quod antea semis æris, hoc est quadrante, ut vulgo nunc appellantur, cum dimidio, in singulos modios dabatur, gratis daretur, vectigalia quinta fere parte diminuebantur. Hanc legem et Saturninus, et ante Caius Gracchus tulerat. Epitome Liviana lib. LX. ad Herennium lib. I. et Pedianus. MAN.

Cap. 26. *De jure, et de tempore*] De jure, hoc est de auspiciis, erat Ælia: de tempore, Fusia. Clodius utramque sua lege delevit. Tulit enim, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret: et ut omnibus diebus fastis legem ferri liceret. Vide supra. ID.

Brogitaro] Vide Orat. de Harusp. resp. cap. 13. 27.

Ptolemæus] Vide Orationem pro Domo, cap. 8.

Cap. 27. *Antiochum*] De quo in Orat. pro Deiotaro.

Tulit, gessit] Apertum mendum: nec dubium est quin Tigranes significetur, cujus comparatione auget Clodii scelus ex Ptolemæi injustissima calamitate. Est enim argumentum a majori. Si Tigrani, inquit, qui hostis fuit populi Romani, regnum conservastis: quanto magis Ptolemæo, qui semper socius, semper amicus fuit, conservare debuistis? Postulat igitur sententia, ut pro, *tulit, gessit*, reponatur, *Tigranes igitur*, vel, *igitur is*. Sed quoniam odi conjecturas, quæ a litterarum similitudine discedunt, opem veterum librorum expectandam censeo. Alioqui nihil tentandum. MAN.

Ille Cyprius] Ptolemæus. Socium semper fuisse dicit, tum quia majores ejus hanc appellationem obtinuerant a Senatu, tum quia semper animo et voluntate fuerat socius, licet nondum hunc honorem fuisset consecutus. Adverte vero quam ad miserationem concinnata sit oratio. Non regnum ait, sed, quod gravius est, Regem ipsum tanquam vile mancipium fuisse publicatum. Addit id vivo et videnti contigisse, quod est longe miserabilius. Cum suo, inquit, victu et vestitu, non cum suo regno et gazis, quasi nihil ei deinceps ad vitam tolerandam, nuditatemque tegendam superfuturum esset. ABRAM.

Cap. 28. *M. Catonis*] Clodius legem tulit, ut Catoni provincia daretur regiæ gazæ vendendæ et pecuniæ deportandæ, partim ut virum fortissimum et improbis civibus infensum a Republica removeret, partim ut eum socium ac defensorem haberet, si quis legem de Cypro publicatam criminari vellet. HOTOM.

Rogationi paruit] Si hæc in contumeliam potius Catonis, quam honoris causa fiebant, cur huic Clodiæ rogationi paruit, et mandatam sibi ad deportandas Ptolemæi pecunias admisit provinciam? IDEM.

Quasi vero] Respondet quæstioni per ironiam. Vult dicere: Non mirum est Catonem Clodiæ rogationi paruisse, cum in alias quoque leges quas injuste rogatas putabat, ut in legem Agrariam Cæsaris de agro Campano dividendo contra Bibuli collegæ obnuntiationem et auspicia perlatam, jam ante jurarit. IDEM.

Cap. 29. *Templo occupato*] Sæpe dictum est, *Rostra* passim appellari *templum*. Collega autem is est Q.

Metellus Nepos, qui ut iniquam legem ferret, templum occupavit: non tulit autem, Catone cum vitæ periculo resistente. HOTOM.

At si isti] Duo hic ostendit. Alterum, nihil utilitatis sperari potuisse, si Cato Cypriæ rogationi obstitisset, nec voluisset mandatam sibi potestatem admittere. Alterum, Catoni vim inferendam, et exilium, perinde ac Tullio, irrogandum fuisse, si ei legi parere noluisset. ABRAM.

Per se conservari] Non permittere, ut alius eam procurationem suscipiens publicatas Ptolemæi pecunias depecularetur, et in proprios usus deflecteret. IDEM.

Superiore anno] Cæsare consule. Quo annò, cum nihil more majorum gereretur, Cæsare leges et auspicia negligente; Cato desperatione quadam in senatum non venit. MAN.

Sententia sua] Cum enim pulsus est Cicero, tum damnari et senatus visus est, et sententia Catonis. Pulsus enim est ob conjuratorum necem. Illi autem e senatus-consulto, Catonis in sententiam facto, necati sunt. IDEM.

Cessit] Cum Cypriæ rogationi paruit, et in Cyprum profectus est. ID.

Cap. 30. Lamb. *audiret*

Idem. *vellent*

Pecuniam] Penes Senatum erat cura ærarii, neque Tribuni plebis quicquam ex eo, suis legibus, poterant erogare. ABRAM.

Ab Senatu petebat] Cum P. Clodius et Consules omnem Senatus auctoritatem e Republica sustulissent, eaque per populum facerent, quæ prius per Senatum fieri consuerant. IDEM.

Populari sacerdoti] Clodio qui veste muliebri ad opertum Bonæ Deæ, ubi sacra pro populo fiebant, penetrarat. IDEM.

Cap. 31. Vict. *non insolitam*

Ligus iste nescio qui] Ælium Ligurem significat: et in ambigua nominis significatione ludit. Nam Ligus et gentis Æliæ cognomen est: et hominem in Liguria natum demonstrat. Notat igitur ignobilitatem, cum ait, *Ligus iste nescio qui*: et, *Ligus*, non ut familiæ Romanæ cognomen, sed ut nationis nomen posuit. MANUT.

Cap. 32. *Privatim*] Si legas cum Victorio, *privati*, antecedat oportet interpunctio; hic autem erit sensus: Cum in Senatu Consules flagitabantur, ut Senatores, qui *privati* erant, sententias de Cicerone dicerent, &c.

Legem Clodiam] In qua caput hoc erat, ne quis de Ciceronis reditu referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in sententiam, ne scribendo adesset. Post reditum in Senatu, et ad Attic. MANUT.

Man. *sustineri*

Ex quo intellectum est, &c.] Si quis animum in sententiam diligenter intendat, deesse negativam particulam intelliget. Nam quia de reditu Ciceronis octo Tribuni promulgarunt, cum eorum antea ferenti legem Clodio intercessisset nemo; poterat aliquis, absenti Ciceroni crevisse amicos, existimare. Quod falsum esse arguit. Non, inquit, mihi amici creverunt, sed, cum antea idem pro me voluissent, non idem tamen ausi sunt. Et ipse se exponit, cum infert: *Nam ex novem Tribunis, quos tunc habueram, unus me absente deffuxit.* Legendum igitur sic opinor: *ex quo intellectum est, non mihi absenti crevisse amicos*, &c. MANUT.

Lamb. *non mihi.*

Quo magis nationis ejus esse, quam generis, videretur] Opinor legendum: *Quo magis generis ejus esse, quam nationis, videretur.* Confirmat autem hanc lectionem locus similis in oratione pro A. Cluentio, de hoc ipso Ligure, cap. 26. *Quid tu* (inquit) *Pæte? Hoc enim Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine, videretur.* URSINUS.

Hoc igitur anno] Pisone et Gabinio Coss. qui fuit ab urbe condita, DCXCVI. cum P. Lentulus Spinther et Q. Metellus Nepos essent Consules in annum proximum designati:

et Tribuni plebis Milo, Sestius, Fabricius, Numerius, Calenus, Curtius, Fadius, Gratidius, Cispius, ut partim ex hac oratione, partim ex epistola ultima lib. I. ad Quintum fratrem colligitur, essent etiam designati. ABRAM.

Cap. 33. Lamb. *rep. recuperata.*

Gracchum] Per ironiam, quasi Tribunum plebis valde popularem, vel potius quod filius esset illius Quintii, qui se olim Tiberii Gracchi filium esse simularat. Nam hic noster Quintius videtur filius fuisse illius insitivi Quintii, qui ex ergastulo productus se in Gracchorum familiam inserebat: unde et infra *Gracchus insitivus* vocatur. IDEM.

Nitedula] Allegoria festiva a muribus, sive nitedulis e rubis aut vepretis ad rodendam segetem prodeuntibus: qua Numerii obscuritas et indignitas denotatur. IDEM.

Ex deserto] Cum Gavii cujusdam Oleli filius esset, ab inopi ac vacuo patris horreo in Atiliam familiam per adoptionem transiit. Quod quasi jure quodam factum est. Nam cum in deserto illo Gavii horreo ita pauca grana essent, ut calarentur, hoc est, voce numerarentur, (paucitas enim mensuram non requirebat:) merito hic ejus filius a calatis granis in eam familiam, quæ Calatini cognomen habet, insitus est. MANUT. Vide Perizonii Animadv. Histor. cap. 1.

Nominibus in tabulas relatis] Mihi hæc videtur esse horum verborum sententia: Cum subito et præter omnium opinionem tabulis Censorum sua nomina *Sex. Atilius Serranus* inseruisset, nomen suum ex tabula promulgationis sustulit, nec inter cæterorum Tribunorum promulgantium legem de Ciceronis reditu id voluit legi. GRÆV.

Cap. 34. *Socer*] Cn. Oppius. Post red. ad Quir.

Cap. 35. *Concilii de me agendi*] Hoc est, in quo de me agatur. GRÆV.

Patricium et Prætorium] Appium Pulchrum designat, qui et patriciæ gentis erat, et præturam eo anno gerebat; hic enim gladiatores eos, quos in funere Marci propinqui sui daturus erat, P. Clodio fratri suo commodavit: ut videre est apud Dionem libro 49. et infra. HOTOM.

Cap. 36. *Cinneno die*] Est, in pugna illa Cinnana. *Dies* sæpe ponitur pro facto illius diei. GRÆV.

Pertinacia, aut constantia] Pertinacia, cum interceditur salutari legi: constantia, cum perniciosæ. MAN.

Non auspiciis, &c.] Magistratu quopiam renuntiante se spectasse de cælo, et signa vidisse, quæ cum populo agi, legesve ferri prohiberent. *Non intercessione*, quopiam Tribuno plebis intercedente, et comitia prohibente, nullam reddendo facti sui rationem. *Non suffragiis*, populo refragante, legemque promulgatam suis suffragiis repudiante. ABRAM.

Jure læsisset] Usus fuisset potestate legitima. IDEM.

Ædilitate] Quam eodem tempore petebas, quo has seditiones in Republ. concitasti. Ædilium vero fuit ludos exhibere: et eam ob rem ædilitatis candidati longe ante gladiatorum familias, belluas, et cætera ad ludos necessaria sibi comparabant. ID.

Forum purges] Vide Turnebum, Advers. lib. XX. cap. 3.

Cap. 37. *Interfationem*] Nam non licebat Tribuno plebis loquenti interfari, seu interloqui. LAMB.

Consuli] Q. Metello habituro, ut puto Comitia Ædilium. Ep. 3. lib. IV. ad Attic. FERR.

Tam tempori] Tam mature, antequam vere mortuus erat. GRÆVIUS. Istud *tempori* Gruterus e suis Palatinis eduxit. Victorius, Manutius, Lambinus, *tam temere*. Vetus editio, *tam tempore*.

Ferrum non recepit] Vide Tusc. II. 17.

Cap. 38. Man. *resipuisset*

Gracchum] Numerium Quintium Gracchum, quem Clodiani occidere cogitarunt, ut a Sextianis interfectus putaretur. MAN.

Muliebricam penulam] Vestem rusticanam arcendis pulviis idoneam,

qua utuntur muliones et agasones. Lepide vero fingit Quintium eadem penula fuisse indutum, cum primum Romam ad comitia venit Quæsturam petiturus. Ex his enim fictis narrationibus, ut dicitur I. de Oratore, orationi lepos adspergitur. ABRAM.

Cap. 39. *Nondum erat maturum*] Ut armis contra cives improbos viri boni uterentur. Cur autem maturum nondum esset, causam subjungit. MAN.

Non omnino manu sola] Non a Clodianis tantum operis, sed et a consulibus ipsis. IDEM.

Prætoris] Ap. Claudii Pulchri, P. Clodii fratris. IDEM.

A. Serrano] Tribunus enim plebis, alterius Tribuni acta poterat rescindere. IDEM.

Nova quæstio] Nova quæstio est, cum ob criminis atrocitatem, nova lege lata, de aliquo quæritur. Quod in causa Milonis ob necem P. Clodii factum est. IDEM.

Alterius Tribuni] Milonis.

Cap. 40. *Hoc loco*] Laudaverat, opinor, Milonem Sextii accusator, quod oppugnatam a Clodio domum defendisset. *Hoc loco*, inquit, id est cum de oppugnata domo mentio fit. Et est imperfecta oratio: deest enim, cum Sextium accuses. Quod absolute dixit infra. MAN.

Civem] Scilicet Ciceronem.

Sustinere] Si consilium intercedendi omitterent. MAN.

Cap. 41. *Si moribus ageret*] Usitatum est, pro *si legibus ageret:* hoc est, si more institutoque civitatis ei resisteret. HOTOM.

Id unquam esse facturum] Unde id pendet? Sine libris melioribus hæc sanari non possunt. Cogitabam Ciceronem forte scripsisse: *Quis unquam tam prompte Reip. causa, nullis inimicitiis, nullis præmiis, nulla hominum postulatione, aut etiam opinione, id unquam esset facturus?* aut, ut Lambinus conjecit, *id unquam eum esse facturum?* scilicet *putasset:* quamvis et ellipsis hæc sit insolens, et *unquam* bis repetitum feriat aures. GRÆ.

Pristini judicii] Turpitudinem Judicum significat, a quibus Clodius, de sacris Bonæ Deæ violatis reus turpiter absolutus est. Dixit autem *hoc accusante*, acerrimum ejus in accusando studium significans. HOTOM. Vide de turpitudine hujus judicii Senecam, ep. 98.

Consul, Prætor, Tribunus pl.] Metellus, Appius, Serranus. MANUTIUS.

Ne reus adsit] Ne Clodius accusatus a Milone judicii diem obeat, ut scilicet Clodius factus Ædilis e judicii tendiculis evolaret. ABRAM.

Ne quæratur] Ne res in judicio cognoscatur. Huc illa pertinent ex oratione post red. in sen. *Primo de vi postulavit: postea quam ab eodem judicia sublata esse vidit; ne ille omnia vi posset efficere, curavit.* MAN.

Cap. 44. *Ædile ipso*] P. Clodio. Hic *accusavit*, infra vero, *accusat*, dicit: quia et jam acta res erat: et in Quirinalia dilata fuerat, indeque in nonas Maias. Est enim accusatus Milo, ante quam Sextius postularetur; et tamen absoluto jam Sextio, reus adhuc fuit, re dilata: ut in lib. II. ad Quintum fratrem ep. 3. et 6. scriptum est. MAN.

Cap. 46. Lamb. *membra otiosæ dignitatis.*

Cap. 47. *Nutu impelluntur*] Vel minima significatione voluntatis eorum, quos auctores, et suorum studiorum, vitiorumque duces nacti fuerint, incitantur ad perturbandam Remp. ABRAM.

Vict. Man. Lamb. *C. Marium*

Insitivum Gracchum] C. Quintium Gracchum: qui se Ti. Gracchi filium simulabat esse. Quo mendacio plebem usque eo decepit, atque induxit, ut Tribunus plebis designatus sit: cum tamen e Firmo Piceno, obscurissima stirpe, atque adeo servili sanguine genitus esset. Vide Or. pro C. Rabirio. MAN.

Cap. 48. *Multæ insidiæ*] Jovis filium, Æacum fortasse, Accius poeta induxit suis liberis hæc præcipientem: quæ Cicero et hic, et in oratione pro

Plancio ad suam sententiam accommodat. Accii vero ut hæc esse existimo, facit illud, quod sequitur, *Oderint, dum metuant:* quod Cicero ejusdem poetæ dicit esse. Porro id ex Accii tragœdia, Atreo, ut opinor, sumptum esse, ostendit Annæus Seneca libro de Clementia II. quod Officiorum libro I. plane cognoscitur. Usurpantur et Philippica I. IDEM.

Præclara] Excusat poetam, qui dixerit, *Oderint, dum metuant:* quod est ad confirmandas improborum civium mentes aptissimum dictum. Scripsit, inquit, hoc, qui scripserat jam illa *Multæ insidiæ sunt bonis*, et quæ sequuntur. Non enim verebatur, ut in eo, quod Atreum dicentem facit, juventuti noceret, quam utilissimis ac saluberrimis illis præceptis, ex Æaci persona prolatis jam imbuerat. IDEM.

Cap. 50. *In qua populi Romani consensus perspici posset*] Lambinus putat deesse hic negationem. Repugnat Gruterus. Lambino assensuros arbitror omnes, qui intellexerint quid agatur. Hoc proposuit Cicero, *in eo statu* esse civitatem, ut, si operæ *conductorum* removeantur, omnes idem de Republica sensuri sint. Id probat experientia, per enumerationem trium locorum, quibus *significari maxime populi Romani judicium ac voluntas potest.* Primus locus est concio. Atqui *per hos*, inquit, *annos* nulla fuit populi Romani *vera* concio, in qua non ejus perspici *consensus posset.* Si quæ fuerunt *turbulentæ*, eæ non populi Romani, sed conductorum ac perditorum hominum coitiones. De conductis vide cap. 49. et 53. Quæ cum ita esse censeam, nihil tamen mutare ausim, ubi consentiunt omnes, ne Lambino quidem excepto, editores. OLIVET.

Cap. 51. *Ornamenta confecit*] Quadringenta millia nummum. Hæc enim ad equestrem dignitatem ornandam necessaria erant. Quod si cui minus esset, eques esse non poterat. Itaque Horatius: *Si quadringentis sex septem millia desunt, Plebs eris.* Vide et *Fam.* X. ep. ad D. Brutum. Quæritur autem hic, nec injuria, qui potest Gellius equestris ordinis nomen retinere, si ornamenta confecit? Jam enim et ex Horatio, et ex ipso Cicerone probatum est; qui equestri censu non esset, hoc est, qui quadringenta millia non haberet, eum in equestri ordine locum non habuisse. Ad hanc dubitationem suppeditat facile, quod respondeam antiquitatis observatio. Primum illud dicimus: equites equestri loco a censore motos esse, vel ob tenuitatem, vel ob culpam. Gellius ob tenuitatem movendus erat: ideo tamen moveri non potuerat, quia detrimentum illud rei familiaris post conditum lustrum fecerat. Ut, etiam si quadringenta millia possidere desiisset, in equestri tamen ordine eo usque permanere posset, donec censores creati cujusque rem æstimarent; equestri censu senatores, equites, judices vel in ordine quemque suo ac loco retinerent, vel ejicerent. MAN.

Populo Romano deditus] Jocari videtur in Gellii cognomen: nam Poplicola vocabatur. Dio lib. XLVII. IDEM.

Idiotarum] Hominum imperitorum, qui vulgarem quandam sine modo vivendi rationem sequuntur. At Philosophi, doctrina instructi et temperati, exquisitum quoddam vitæ genus accurate servant. HOTOM. Vide Victorium lib. XXII. Var. lect. cap. 6.

Attæ] Græculos *Attas* appellat, id est, senes. Festus Pompeius: *Atta pro reverentia seni cuilibet dicimus: quasi eum avi nomine appellemus.* ABRAM.

Anagnostæ] Lectores. Eos enim servos Græco nomine dicebant Anagnostæ, quorum opera in legendis libris uterentur. IDEM.

Cap. 52. *Illo ore*] Catull. LXXVIII.

Cap. 53. *Nuper*] Biennio ante, Cæsare et Bibulo Coss.

Nihil agere] Quia, licet quotidie de cælo servarent, ut Vatinio leges ferenti impedimento essent; illo ta-

men auspiciis neglectis, et multas, et Reipublicæ exitiosas, pro Cæsaris potentia, pertulit. MAN.

Tulerat nihil] Legem quidem promulgavit, sed non tulit. IDEM.

Tribum suam non tulit] *Ferre tribum suam*, id est obtinere suffragia Tribus: non tulit ergo, id est, adversariam illam sibi habuit. HOTOM.

Cap. 54. *Ludius*] Ludios fuisse credo, ut ex oratione de Haruspicum responsis conjicio, qui, dum agerentur ludi, in scena psallerent. Ludium hic appellat credo P. Clodium, quod ludis magnopere delectari solitus esset: qui tamen Scauri ludos noluit adspicere, cum populi clamores et sibila metueret. MAN.

Acroama] Recitator. II. 22. in Verrem. *Ne tamquam*, inquit, *festivum acroama e convivio sine corollario discederet.* Accedit Macrobius: cujus hæc sunt lib. II. Saturn. *Delectatus inter cœnam erat Augustus pueris symphoniacis Turonii Flacci mangonis, atque, eos frumento donaverat, cùm in alia acroamata fuisset liberalis nummis.* Et Suetonius in Vespasiano: *vetera acroamata revocavit.* Ut omittantur aliorum testimonia. Alibi, *acroama* etiam pro ipsa re, quæ recitatur, usurpari videmus: ut in orat. pro Archia: quæ est jucunda narratio, et cantilena, et quidquid eos, qui audiunt, oblectat. IDEM.

Cap. 55. *Cum, audito Senatus-Consulto* auctori ipsi atque.] Divina Memmii approbata conjectura qui conjecit legendum esse, *auctori ipsi*, atque sic reponendum existimavi. Alii legi posse putant, *præconi ipsi.* Alii *consuli ipsi.* Quorum neutrum probo. Vulgata autem lectio, a qua antiqua non discrepat, *ore ipsi*, ferri non potest. LAMB.

Togata] Togatam, nomine Simulantem, agebant histriones: omnis grex sive chorus, quoties aliquid cantandum erat quod in probrum Clodii verti posset, ei imminens et defixis in eum oculis clarissimo concentu resonabat. Hæc præsertim hemistichia, quæ Clodii moribus apprime convenirent: *Huic vitæ tuæ.* Item, *Postprincipia*, &c. ABRAM.

Concentione] Histriones olim, cum fabulas agerent, numeroso cantu recitasse, vel hic locus argumento esse potest. MAN.

Convicio] *Convicium* quasi *convocium* dictum esse Ulpianus quoque testatur. Cicero pro Archia: *Suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessæ conquiescant.* Modo dixit, *concentione.* HOTOM.

Cap. 56. *Revocabatur*] Cogebat populus histriones, quæ semel dicta placuerant, sæpius iterare. MAN.

Adjungebat] De suo, non a poeta scriptum. Nam, *summo ingenio præditum*, non ita conveniebat in hominem militarem, de quo proxima superiora dicta sunt: ut in Ciceronem, qui inter omnes cives ingenii laude, scientiaque eminebat. IDEM.

Cap. 58. *In Bruto*] Accii tragœdia, de qua libro I. de Divinatione, et apud Varronem de lingua Latina lib. IV. mentio fit. IDEM.

Tullius] Cum enim Brutum Æsopus nominare deberet, Tullium nominavit: quod ut Brutus, Tarquinio rege pulso, sic Cicero, conjuratione oppressa, libertatem civibus stabiliverat. IDEM.

Q. Metello] Pio, Numidici filio: cujus memoriæ P. Scipio is, qui postea Pompeii Magni socer fuit, gladiatores dedit. Erat enim, ut scripsit Dio, ab eo adoptatus: ideoque et Metellum, et Scipionem appellari in epistolis Ciceronis, atque etiam in antiquis nummis, licet animadvertere. IDEM.

Columnam Meniam] E qua gladiatorum pugna in foro spectabatur. Quod ex Pediano satis constat. ID.

Cap. 59. *Ut, Mater te appello*] Ut Memnoni Auroræ filio, similis videretur: cujus imago interfecti et insepulti per quietem matri apparens ita fatur:

Mater te appello, quæ curam somno suspensam levas,
Neque te mei miseret, Surge, et sepeli natum.

Quemadmodum igitur Memnonis umbra de terra subito exsistit, et ad matrem illa pronunciat; sic Atilius, cum sub tabulas subrepserat, emergebat subito, ut quasi Memnon, *Mater te appello*, dicturus videretur. IDEM. Vide Tuscul. l. 44.

Appia] Nisi me conjectura fallit, *Atilia*, rectius legetur, quam *Appia*: ut ab Atilii tribuni pl. nomine via illa, qua spectatum veniebat, a ridiculis ac facetis hominibus Atilia diceretur. IDEM.

Tu mihi] Exprobraverat Ciceroni adversarius, voluisse illum per vim redire turpiter in urbem, neque imitatum fuisse M. Regulum. FERRATIUS.

Cap. 61. *Vir is*] Cn. Pompeius.

Diebus quinque] Comitialibus.

Cap. 62. *Ad unum dicto citius Metelli casum*] Optima est non modo interpretandi ratio, verum etiam corrigendi, cum similia similibus conferuntur. Videbam in tribus illis dictionibus, *Unum dicto citius*, latere mendum: nec tamen aut ex scriptis libris, aut ex ingenio sinceram lectionem assequebar. Recurri ad similem locum in oratione post reditum in senatu. Legi: continuo veritas illuxit. Intellexi enim, ubi nunc est in omnibus impressis libris, *Ad unum dicto citius Metelli casum*, reponendum esse, *Ad Numidici illius Metelli casum*. Quod ut aliis quoque ita videatur, verba subscribam; quæ sunt in oratione post reditum: *Ut haberet in consilio et fratrem ab inferis socium rerum mearum, et omnes Metellos, præstantissimos cives, ex Acheronte excitatos, in quibus Numidicum illum Metellum, cujus quondam de patria discessus honestus ipsi, bonis omnibus luctuosus visus est*. Solet autem Cicero, cum de Numidico Metello mentionem facit, eum hoc prænomine *ille*, insignire, utpote Metellorum omnium præstantissimum. Sic in oratione pro Archia: *Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico, et ejus pro filio*. MAN.

Cap. 63. *Ipsius coloniæ*] Coloniæ sic deducebantur. Coloni sub signis a curatoribus agrariis centuriati ducebantur. Deinde cum ad coloniæ locum ventum erat, vexillo statuto, aratrum circumducebatur, ut territorium coloniæ definiretur: quod mox limitibus decumanis, cardinibus actuariis distinguebatur, et in centurias dividebatur: e quibus certus modus viritim sortito assignabatur. Quod si illic oppidum non esset, locus urbis aratro designabatur, ritu Hetrusco. Atque ista fiebant omnia auspicato; coloniaque lustrabatur ab eo, qui deducebat; et eligebantur bonis nominibus, qui hostias ad eam lustrandam ducerent. Quotannis autem coloni coloniæ suæ natalem magna religione colebant. TURNEB.

Salutis] In eundem diem inciderat dedicatio templi Salutis. Vide lib. 4. ad Att. ep. 1. ABRAM.

Indicem Vettium] Indicavit L. Vettius negotium sibi a clarissimis viris esse demandatum, ut Cn. Pompeium occideret. Id a Vatinio tribuno pl. et Cæsare consule fictum, suspicio fuit: cum, indicis falsitas manifestis signis argueretur, Vettius in carcere occulte strangulatus est: de quo in oratione in Vatinium, et Sueton. in Julio. MAN.

De me] An ego Vettio auctor atque impulsor ad necem Pompeii fuissem. IDEM.

Clarissimis viris] M. Bibulo, tum consule; L. Lucullo consulari, et triumphali; C. Curione, consulari, et triumphali; L. Domitio Ahenobarbo, qui tum præturam petebat; L. Lentulo qui consulatum petebat; L. Æmilio Paulo, qui tum quæstor Macedoniam obtinebat; aliis privatis, quos enumerat in epistola ad Atticum penultima libri II. et Orat. in Vatinium. IDEM.

Cap. 64. *Aliquid defecti*] Non agnosco Latinam vocem: et apparet mendum. Tribus modis corrigi potest, *aliquid ficti, aliquid efficti, aliquid de me ficti*. ID. Legendum puto, *detecti*: quasi speculator et explorator esset. LAM.

Tabulam] Vatinius jactabat, se P.

Clodium docuisse, ut esset scribenda lex in Ciceronem: se proinde quippe magistrum illius legis scriptorem dicebat; P. Clodium quasi discipulum, *tabulam*, in qua eam scripserit; Sex. Clodium Publii scribam ministrum, quo usus in scribendo fuerat. FERR.

Rueret] Aliquid furiose faceret. Feruntur enim homines improbi ad facinus eo impetu, ut ruere videantur. MAN.

Legem] Tulliam de ambitu.

Samnites] Plura gladiatorum erant genera; Samnites, Provocatores, Retiarii, Mirmillones. Ex his oppositi in pugnis Samnites, et *Provocatores:* quod hic Ciceronis locus ostendit: Retiarii, et Mirmillones, quod Valerius Maximus lib. I. MAN. Consule Lipsium, lib. II. Saturnalium sermonum, cap. 11. GRUT.

Duas] Vatinius dicebat, se bestiarios dare, non gladiatores: deinde, se unum tantum gladiatorem dare, non plures. FERR.

Præclara ædilitas] Quænam ista quæso ædilitas? Eam enim petens, repulsam tulit Vatinius. Quare sic interpretor. Præclara videlicet futura fuit tua ædilitas, si eam adeptus fuisses; quandoquidem in ludis populo dandis tam belle versatus es, ut unum leonem contra ducentos bestiarios produxeris. Ædilium enim fuit ludos exhibere. ABRAM.

Et aiunt] Commode et loco suo exclamat. Et sunt, inquit, qui conquerantur de C. Memmio et Lucio Domitio Prætoribus, quia Cæsaris acta rescindere voluerunt, cum interim taceant de Pisone socero Cæsaris, et Vatinio ejusdem assecla; qui leges Cæsaris contemnunt, et ipso facto nullas esse putant. IDEM.

Cap. 65. *Tanquam strumam*] Vatinium, qui strumis laborabat, de republica tollendum, quasi pestem aliquam, intelligit. Vide Orat. in Vatinium, et ad Atticum II. 9. *Vatinii strumam*, inquit, ἐσθῆτα *vestiant*. MANUTIUS.

Cap. 69. *Prætextam*] Hunc adolescentem Lentulum populus Augurem creaverat anno superiore: Augures autem prætexta utebantur. Dio, lib. XXXI. FERR.

Ego vero vos] Et orationem, et vultum ad eos, qui sordidati aderant, convertit. Cum vero subjungit, *Nec me ab iis, quos nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet*, a sordidatis ad judices vultum, et actionem refert. MAN.

IN

VATINIUM.

ORATIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Cum in P. Sextium de vi reum P. Vatinius testimonium dixisset; Sextii patronus Cicero invectus est in eum acerbissime: et maxime quidem totum ejus tribunatum, in quo, Cæsare consule, leges reip. exitiosas contra auspicia tulerat, sed quæsturam quoque et legationem exagitavit, non ut accusator, sed ut reprehensor. Qua de re sic in ep. ad Lentulum: Tota interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum. *A*

veteribus etiam interrogationis nomine appellatur hæc oratio. Interrogatione enim utitur ad singula, quæ reprehendit. Et accusatorem quidem Vatinii brevi se futurum minatur: interim autem rogare ait tantum velle. Quæri potest, utrum, Sextio absoluto, an prius quam sententiæ ferrentur, hæc Cicero dixerit. Mihi dubium non est, quin prius quam sententiæ ferrentur. Cur hoc existimem, adducor his verbis, quibus interrogationem orditur: fecissem id, quod his vehementer placebat; *quæ videntur ad judices potius, quam ad senatores, pertinere. Jam illa, quæ sunt in extremo, certe de reo non dicuntur absoluto;* Hoc quæro, num P. Sextium, qua lege accusandum fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? *Nam si latæ sententiæ fuissent; abiissent statim judices, re confecta, suo munere perfuncti; nec Ciceroni, absoluto jam reo Vatinium interroganti, aures dedissent. Quorsum enim id temporis extra commissum lege judicium consumerent? Et in epist. ad Q. fratrem, cum Sextium absolutum significasset, hæc subjunxit:* Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus. Quin etiam Paulus noster, cum testis productus esset in Sextium, confirmavit, se nomen Vatinii delaturum, si Macer Lucinius cunctaretur: et Macer a Sextii subselliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit. *Hæc, opinor, sufficiunt ad interrogationis tempus judicandum.* MAN.

Cap. 1. *His*] Judicibus.

Etiam si falso venisses in suspicionem P. Sextio] Ut infirmaretur Vatinii testimonium, scire se dixerat Sextius, Vatinium inivisse cum Albinovano consilia de se accusando. Qui autem alicui se esse inimicum ostendit, ejus testimonio fides derogatur. Sensus igitur hic est. Debuisti, Vatini, vel si falsa illa Sextii suspicio fuisset, mihi tamen ignoscere, si eum, de me optime meritum defendendum susciperem: multo magis, cum illa suspicio falsa non fuerit: quod tu ipse imprudens indicasti. MAN.

Hesterno pro testimonio] Tuo in Sextium. *Pro*, valet, *in:* ut alibi. ID.

T. Claudium] Qui Sextii nomen deferre cogitaret: quod consilium videtur abjecisse, aut accusanti Albinovano subscripsisse. IDEM.

Libros] Conciones P. Sextii. ID.

Cap. 2. *Ille tuus in te ** veterem amicum*, &c.] Turnebus hic in MS. vacantem vidit totam paginam; ideoque merito insignitur locus asterisco. GRUT.

Cornelium] De C. Cornelio, vide in Fragm.

Cap. 4. *Et, ut ne me*] Dubium non est quin mendum in scripturam obrepserit. Vox enim *non solum* nihil habet quod ad colligandam orationem sibi respondeat. Legere videtur Manutius: *non solum impudentissimo, verum etiam infimo conferam*, quo modo stabit sententia. Lambinus minus apte legendum existimat: *Sed tamen ne me cum his principibus qui adsunt Publio Sextio, sed tecum homine uno*, quæ addita esse dicit e duobus codicibus, altero Memmiano, altero Clericano: sed omnium optime mea sententia Goveanus pro *non solum*, legit, *omnium*, et, *ut ne me cum homine uno omnium impudentissimo.* ABRAM. Hunc locum alii aliter exprimunt: minus sanum fatentur omnes.

Cap. 5. *Extremum*] Extremo loco, post cæteros omnes, ultimum e quæstoribus designatum. Erant autem lege Syllæ quæstores viginti: cum octo antea fuissent. Tacitus, Lib. XI. MAN.

Magno] Magno clamore in provinciarum sortitione dicit Vatinio provinciam aquariam obtigisse, ad cujus procurationem et munus pertinebat, quicquid mari evehebatur, aut importabatur. Ea provincia quod ob negotiationem et mercaturam quæstuosissima esset, quod negotii et occupationis et molestiæ plenissima, nec sane splendida, cum obveniebat cuipiam; populus, qui aderat, succlamabat, ob negotia, furta, rapinas, et capturas; quod tum, ut opinor, vehementius fecit, quod obvenisset homini avido, et furaci, et improbo. Eandem arbitror Ostiensem quæ-

sturam fuisse, de qua Cicero pro Murena. TURN.

Certa sit ratio navigandi] Per loca certa, recto cursu. MAN.

In regno Hiempsalis] In Mauritania, ubi Hiempsal pater Jubæ regnabat. De Mastanesesio autem regno, quod sciam, nullus Historicus fecit mentionem. ABRAM.

Ad fretum] Herculeum. HOT.

Cum Clarissimorum virorum splendore] C. Cæsarem significat: quo consule tribunus pl. Vatinius fuit. MAN.

Cap. 6. *Sacra*] Intelligit hoc loco sacra privata, quæ quisque sibi privatim facere poterat. GOV.

Mactare] Placare. Quo tamen sensu nusquam præterea memini me legisse. MAN. Nonnius Marcellus interpretatur, *honorare*. Plautus in Amphitr. sc. 4. act. 2. ubi Mercurium et Amphitruonem ita loquentes inducit: M. *Sacrifico ego tibi*. A. *Qui?* M. *Quia enim te macto*. ABRAM.

Quod facit Cæsar] Suetonius in D. Julio: Functus, inquit, Cæsar consulatu, referentibus C. Memmio, L. Domitio Prætoribus, de actis superioris anni cognitionem senatui detulit.

Cap. 7. *Vendidisse*] Cum ædilitatem adipisci non potueris, qui tamen infra præturam honor est. Sabaudiri videtur, *scis*. Nam nec ad, *vides*, referri potest, vendidisse, nec ad, *scis*, quod sequitur omnino disjunctum a superioribus. MAN.

Consularem auctoritatem] Passeratius exposuit *auctoritatem consularem*, jus sententiæ loco consulari dicendæ. Verum, cum taceant de hoc extraordinario honore veteres, quod in aliis, quibus tam inusitata dignitas fuit decreta, diligenter annotarunt, censeo simpliciter esse sic intelligendum: Fannium, propter tribunatum tam constanter et præclare bono reip. gestum, tantam sibi apud optimates auctoritatem peperisse, ac si fuisset consul. GRÆV.

Ut, cum tui] Legendum censeo, *ut, quod tui novem collegæ*, &c. Aliter si legas, illud *id* quod sequitur, quo referri possit, non habebit. Quod autem collegas Vatinii deterrebat a ferendis legibus, erat quod sciebant quotidie de cælo servari. Id quod Vatinius contemnebat. GOV.

Cap. 9. *Nusquam progredientem*] Facete. Nam cum laudare videatur Bibuli modestiam, notat illud tempus, cum per vim foro pulsus, armorum metu domi se tenuit. Infra. MAN.

A tabula Valeria collegæ tui mitti juberent] Tabulæ Valeriæ, qui locus erat in foro, meminit Cicero *Fam.* XIV. *ep.* 2. ad Terentiam uxorem, *Quemadmodum a Vesta ad tabulam Valeriam ducta esses*. Quem ego locum sic intelligo, ut cum in carcerem duceretur Terentia, ad tabulam usque Valeriam tantum deducta sit, et inde missa. Quos igitur non vinculis coercere, sed ignominia tantum carceris afficere magistratus volebat, ad tabulam usque Valeriam duci jubebat. GOV.

Tua rogatione] Ut quæreretur in eos, quos Vettius nominasset. Quam rogationem promulgavit, non tulit, omnium mortalium convicio repudiatam. MAN.

Cap. 10. *Auctoritatis exquirendæ causa*] Ante quam lex ferretur, clari viri, a tribuno pl. qui rogationem laturus erat, in Rostra producti, rogatique ut dicerent, quid sentirent, suadebant, dissuadebantve legem. Cum igitur auctores populo essent, ut rogationem acciperet, vel antiquaret: recte Cicero dixit, *auctoritatis exquirendæ causa*. MAN.

Qui si tum illam labem] Si Gabinio rejecto, consul designatus esset. ID.

L. Paulum] Consul cum C. Marcello. Quos autem accusando exterminaverit, incertum est. Vide epist. 24. lib. II. ad Atticum.

Cap. 11. *Indicium Vettio præmia amplissima*] Male hodie editi, *indici*. Alterum se tuetur olim cusis ac Pall. item libro S. Victoris. GRUT. Vulgatæ lectionis aperta et commoda est sententia. Quid autem sibi velit

Gruterus, fateor me non capere. Tamen, cum Grævius Grutero assentiat, id Criticis ponderandum relinquo. OLIVET.

De alternis consiliis] Tulit hanc legem Vatinius, ut reus, et accusator omnes judices, et Quæsitorem ipsum semel possent rejicere, neque tamen suæ legis beneficio uti possent ii, quorum nomen delatum fuisset ante legem latam. FERRAT.

Expectaris-ne] Non statim elapso trinundino legem illam tulit Vatinius, sed expectavit, donec reus fieret C. Antonius, Ciceronis collega in consulatu, statimque tulit. Id autem se fecisse dicebat in gratiam Q. Fabii, qui consul deinde fuit cum C. Trebonio. IDEM.

Apud Cn. Lentulum Claudianum] Vict. et Man. *apud Cn. Lentulum, et Q. Claudium.* Quod sic interpretatur Ferratius: idcirco duorum Prætorum fieri mentionem, quia damnatus est Antonius, tum de majestate, accusante Cælio; tum de repetundis, accusante Q. Fabio Maximo. Videtur Manutius idem velle.

Fratrisque filiam] Sororem, ut opinor, M. Antonii, postea triumviri, Vatinio nuptam significat. MAN.

In carcere] Carcerem appellat Vatinii domum, in quam Antoniorum imagines, ducta Antonia, Vatinius transtulit, ademptas fortasse C. Antonio post damnationem. IDEM.

Cap. 12. *Partes*] Manutius intelligit, *Munus, curationem, dispensationem, ærarii, quæ ad Cæsarem Consulem, qui de dividendo agro Campano legem tulerat, pertinebat.* Malim ego cum Goveano sic explicare, ut a Cæsare magnam pecuniæ vim eripuerit Vatinius, ut ejus actiones juvaret: a Publicanis vero pecuniam emunxerit, ut remissionem petentes juvaret. ABRAM. Vide Turneb. Adv. XXI. 11.

Acerrima] Legem Juliam omnium acerrimam fuisse, patet etiam ex Oration. pro Postumo, et lib. III. de Offic. HOT. Vide *Indiculum Legum.*

Amicissimi] C. Cæsaris, quem tu tibi amicissimum soles dicere. IDEM.

In epulo Q. Arrii] Epulum populo dedit, ad honorem patris mortui, in templo Castoris: ut infra. MAN.

Cum toga pulla] Cum cæteri accumberent albati. IDEM.

Supplicationes te illas non probasse] Quia decretæ essent a senatu, referente, ut opinor, Bibulo consule. Epulum enim publicum sine sacrificio non dabatur, nec sine supplicatione sacrificium erat. Festus autem et supplicationis, et epuli dies. ID.

Anni] Quo Cæsar consul.

Cap. 13] *In templum Castoris*] Opinor magistratus, et senatores, aut etiam equites Romanos in templo, reliquam plebem in foro cœnasse. IDEM.

Inter coquos] Quidam *inter coævos:* quod merito deleverunt viri docti. Nam hæc vox non reperitur apud Ciceronem, et hujus ætatis ullum scriptorem. GRÆV. Antepono *inter coquos*, quod veterem illam famem, de qua paulo post, magis exprimat. ABRAM.

Dominum] Aut subaudiendum, aut addendum, *videras:* ut si ordo: Viderasne dominum epuli, et ejus amicos cum toga pulla ante convivium, id est, qui cum toga pulla accumberet ante oculos epulantis populi Romani? MAN.

Cap. 14. *Ex legatione*] Legatus cum Cæsare in Galliam ivit: deinde, accusatus lege Licinia et Junia, ne judicium jure legationis defugisse videretur, in urbem rediit. MAN.

Liceret] Jure legationis. Nam qui reipublicæ causæ abesset, eum ne vocare in judicium liceret, Memmia lege sancitum erat. Val. Max. III. 7. IDEM.

Cap. 15. Lamb. *nunquam antea summi consilii gubernationem.*

In duobus prodigiis reip.] In Pisone et Gabinio Coss. quibus et provincias, et legatos lege sua Clodius dedit. IDEM.

Lamb. *voluisti. Ob hasce omnes res, sciusne te severissimorum homi-*

num, Sabinorum fortissimorum virorum Marsorum et Pelignorum, tribulium tuorum judicio notatum; nec post Romam conditam; præter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse? Atque illud etiam audire ex te cupio: quare, cum ego legem de ambitu tulerim ex S. C. tulerim sine vi, tulerim salvis auspiciis, tulerim salva lege Ælia et Fufia: tu eam esse legem non putes: præsertim cum ego legibus tuis, quoquomodo latæ sint, parvam. Cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat, petiturusve sit, Gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die: *quæ tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare? Num quem putas illius tui certissimi gladiatoris similem tribunum plebis posse reperiri, qui se interponat, quo minus reus meæ lege fias? At si*

Biennio, quo quis petat, petiturusve sit] Id Cicero fecit eo consilio, quia gladiatores dabantur, ut eo munere populus delinitus faveret iis, qui dedissent in petitione magistratuum. MANUT.

Nisi ex testamento] Nisi mortiens aliquis testamento mandasset, uti certo quodam tempore gladiatores darentur. Qua ratione hærere in eo culpa non poterat, qui petens, aut brevi petiturus magistratum, eos ex testamento daret.

Illius tui] Clodii tribuni pl. qui, Vatinio apud Memmium prætorem accusato, judicium per vim sustulit. IDEM.

Cap. 17. *Alter*] Milo: a P. Clodio. IDEM.

Alter] Sextius. Tu enim Albinovanum ad accusandum impulisti.

Illo] Clodio. IDEM.

Eos] Milonem, et Sextium.

Ne quid tibi auctoritatis] Nemo consulitur, nisi cui aliquid tribuatur: ei vero, qui testimonium dicat, cur quidquam tribuat defensor ejus, in quem dicitur? Jocatur igitur Cicero cum ait: *Si te in testimonio consuli nolis:* cum ipse sit is, qui nolit eum consulere, ne quid auctoritatis ei tribuisse videatur. Aliquid omnino, quo concludatur interrogatio, videtur desiderari. MAN.

PRO

MARCO CÆLIO.

ORATIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

M. Cælius Rufus Eques Romanus, cujus extat epistolarum liber ad Ciceronem, adolescens pulcher aspectu, et summo ingenio præditus, post damnatum C. Antonium consularem, quem ipse de majestate accusaverat, factus est familiaris Clodiæ, uxoris quondam Metelli Celeris, impudicæ matronæ, a qua etiam pecuniam mutuam accepit. Cum deinde accusaret Sempronium Atratinum de ambitu, et absolutum rursus in judicium retraheret, Clodia vero suspicaretur a Cælio sibi venenum paratum fuisse; hæc L. Atratino Sempronii filio persuasit, ut nomen Cælii deferret lege Lutatia de vi, cum subscriptoribus Herennio, Clodio, et Balbo. Defensum a M. Crasso Cælium, Cicero ipse hac oratione defendit apud Cn. Domitium Prætorem, Marcellini et Philippo Coss. FERRATIUS.

Ipse quoque Cælius egit causam suam, auctore Quintiliano, lib. II. cap. 1. et Suetonio de claris Rhetoribus. MANUT.

Absolutum hoc judicio Cælium fuisse constat, Prætoremque postea fuisse, interfectumque civili bello inter Cæsarem et Pompeium. Scribit enim Cæsar, lib. Cv. III. eum senatus decreto a Rep. remotum, a Conside senatu prohibitum, et de Rostris, cum concionari vellet, deductum, Turios sese contulisse, ubi ab equitibus Gallis et Hispanis, qui eo missi fuerant, interfectus est. De legibus ab illo latis, Cæsar eodem libro, et Cicero, Fam. VIII. 17. *De iracundia singulari, Seneca* de Ira, *lib. III. De eloquentia, et variis ipsius actionibus Cicero in Bruto, cap.* 79. HOTOMAN.

Cap. 1. *Utrum vellet*] Atratinus enim jussus fuerat a patre Cælium accusare: neque poterat non parere patri. FERRAT.

Cap. 2. *In amplissimum ordinem*] In Decuriones, qui vicem Senatus agebant in municipiis. Senatores enim simul esse poterant Romæ, et in suo quilibet municipio. IDEM.

Cap. 3. *Jactatur*] Legendum est, *jaciatur*. MURET. Var. Lect. lib. VIII. cap. 19.

Tueri] Cum patrem defenderim accusatum a Cælio, contumeliose agere cum filio non debeo. FERRAT.

Cap. 4. *Infestum est*] Passive, pro, infestatur: ut pro Amerino, *filii vita infesta*. Et de Prov. *Excursionibus barbarorum infesta via*. MAN. Vide Gellium, Noct. Att. IX. 12.

Cap. 5. *Ad cohibendum*] Modestiæ causa manum intra togam continebant, et cum se in campo Romæ, vel in castris exercebant, utebantur tunica, ne corporis nuditas appareret. FERRAT.

Campestri] Non, ludo campestri, sed, campestri tunicati uteremur: et hoc modestiæ causa. Erat autem campestre vestitus hiemalis*, supra tunicam. Unde Horatius de re absurda: *Penula solstitio, campestre nivalibus auris*. Et Asconius pro Scauro: *Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus*. MAN. Hunc locum non aliter intellexit H. Valesius, non probante Grævio, cui *ludus campestris* est, quæ crebro dicitur *meditatio campestris* apud Suetonium et alios.

Cap. 7. *Conjurationis accusatione*] Accusato C. Antonio, collega Ciceronis. Infra. MAN.

Iterum arcesseret] Jam supra dictum est Cælium ambitus crimine L. Atratinum semel accusasse, eundemque absolutum iterum accusasse. Hæ sunt tres Cælii accusationes, quas Cicero in Brut. significat, cap. 79. HOTOM.

Insulam esse venalem] Nam si ædicularum Clodii locatio tanti æstimatur; in quo mendacium est; quia Cælius in iis habitat non triginta millibus, sed decem millibus: quanti æstimabitur insula ejusdem Clodii? Mendacium igitur hoc accommodatum est Clodio, insulam suam vendere cupienti. Insula duplex est, major, et minor. Major, ædes aliquot junctæ, viis undique terminatæ. Minor, una domus est, viarum ambitu finita. Eam domum, quod ex Plin. XXXVI. 15. licet intelligere, Clodius emit H-S. centies quadragies septies millibus. MAN.

Cap. 8. *Cum de adventu regis Ptolemæi quereretur*] Pulsus a suis civibus Ptolemæus, rex Alexandrinus, Romam se contulit, ut a senatu, populoque Romano restitueretur. Eodem tempore legati Alexandrini contra eum venerunt: quorum Ptolemæus magnam partem per insidias sustulit, in iis principem legationis Dionem Academicum. Objecerat autem accusator, pulsatos esse a Cælio Puteolis Alexandrinos legatos. Quam partem Crassus cum refelleret, questus est de adventu Ptolemæi. Nisi

* In hac Manutii adnotatione nendum esse videtur, dum ait: *Erat autem Campestre vestitus hiemalis*. Contrarium indicant Horatii et Asconii verba.

enim venisset Romam, legati non venissent: ita pulsatio Puteolana non nominaretur. In quo usurpavit illud Ennii: *Utinam ne in nemore Pelio:* ita repetens longinquam causam, unde argumentum sumpserunt accusatores de pulsatione Puteolana, ut repetierat poeta causam ejus amoris, qui Medeam perdidit. Hos versus ex Medea, Ennii tragœdia, recitat scriptor Rhet. ad Herenn. lib. III. Cic. de Nat. D. III. 30. MAN.

Palatinam Medeam] Clodiam, in Palatio habitantem: quam festive Cicero Palatinam Medeam vocat: quia Cœlium Atratinus accusator, ut in Fortunatiano legitur, pulchellum Jasonem appellaverat. IDEM.

Migrationemque] Quod in Palatium migraverit conducta domo. ID.

Nihil egerit] Contra Cœlium, cur de injuria non accusaverit. IDEM.

Congressu et constituto] Moris fuit antequam in jus iretur, ut domi apud amicos communes experirentur, si forte sedari ab iis controversia posset. Cic. pro Quintio, et pro Cæcin. HOTOMAN.

Cap. 10. *De Dione*] Objecerant Cœlio adversarii seditiones Neapoli excitatas, Puteolis pulsatos Alexandrinorum legatos, qui contra regem Ptolemæum Romam venerant, erepta Pallæ bona, interfectum Dionem illius legationis principem, de quo infrà. FERRAT.

Cap. 11. *Bestiæ*] Qui de ambitu damnatus erat. Id ex iis verbis colligo, *studuisse præturæ*. Defensum a Cicerone, cognoscitur ex lib. II. ad Q. fratr. ep. 3. MAN.

Eos una] Dixerat alios quosdam cœnasse cum Bestia et Cœlio: ex iis quidam aberant; quidam erant Clodiæ amici, coacti proinde quidlibet affirmare in gratiam illius. FERRAT.

Germanorum] Verorum: nam cum sint ab Evandro instituti multo ante Romam conditam, id est, ante humanitatem, atque leges, veri et germani sunt Luperci plane humanitatis expertes, cum nomina sodales inter se deferunt. Sodalitates autem ad honorem alicujus dei institutæ sunt, ut Lupercorum ad honorem Panos. MAN. Vide de Senect. 13. Salmasii testimonium Tomo nostro III.

P. Clodius, amicus meus] Non is, qui Clodiæ frater erat, Ciceronis inimicissimus. Hic tertius erat accusator, de numero subscriptorum, alter L. Herennius: Attratinus nomen detulerat, et primas partes agebat. MANUTIUS.

Cap. 14. *Cæcus ille*] Ap. Claudius Cæcus, qui Pyrrhi pacem dissuasit. MAN. Vide Cic. in Brut. 14.

Qui simulac pedem limine extulerat] Statim atque domo ad Forum, Curiam, vel provincias exiverat, omnes propemodum cives virtute, gloria quæ merces virtutis est, et dignitate honoribusque, qui a populo propter gloriam opinionemque virtutis concedi solent, superabat. ABRAM. De hoc Metello, *Fam.* V. 2.

Q. illa Claudia] De cujus castitate in oratione de Harusp. resp. MAN.

Aquam adduxi] Ideone fluvium Anienem in urbem adduxi, ex quo aqua Appia nominatur, ut ea *tu* in meretriciis tuis et incestis amoribus uterere? ABRAM. Vide ad Att. I. 16.

Cap. 15. *Quæ in sororem tuam moliris*] Supplevi clausulam istam ex veteribus edd. et Pall. item S. Vict. et Grut. omiserant enim posteriores, *in sororem tuam*. GRUT. Quo pertineat additamentum illud, equidem non video. Receptum tamen est a Grævio: et idcirco hic propositum volui, quod criticorum obrussa indigere videatur. OLIVET.

Testimonio tuo] Quia scilicet infamibus et meretricibus testimonium dicentibus nulla fides debet adhiberi. ABRAM.

Perpulerunt] Legi vult Lambinus, *perculerunt*. Grævius vero, *pepulerunt*, auctore Gronovio ad Livii III. 30.

Cap. 16. *Cæcilianumque*] Vehementem et durum, qualis a Cæcilio, qui cæteros Comicos gravitate vincebat, frequenter inducitur. ABRAM.

Nequidquam] Frustra, nullo fructu. MANUTIUS.

Mihi sat est, qui] *Qui* pro *quo*, antique. Ennius in Hecuba: *Date ferrum, qui me anima privem.* MAN.

Ille est] Mitio, apud Terent. Adelph. I. 2. 40. IDEM.

Decretum] Quæ sibi in singulos dies aliquem semper seligeret, ac decerneret ad explendam libidinem. FERRAT.

Cap. 19. *Pro se diceret*] Nam et ipse egit causam suam. FERRAT.

Inopia] Quod sæpe Juvenalis dicit, sed præcipue Sat. VII. a 104. ad 150.

Ipso inspectante populo] Nam publica judicia in foro fiebant. MAN.

Cap. 21. *Alexandrinus Dio*] De quo supra, cap. 10. MAN.

Vel in servis....domi necandum] Alii legunt, *vel in servis ad hospitem domini necandum sollicitandis.* Utramque probo lectionem: elegantior tamen videtur illa *Domini.* Sic enim servi ad Dominum belle referentur. ABRAM.

Venerem illam tuam] Simulacrum Veneris, auro exornatum, habere Clodia in sacrario suo dicebatur. MAN.

Spoliatricem] Ad quam aurum, amatoribus ademptum tuis, deferre soleres. Ut mirari jure liceat, ab eadem Venere, cæterorum spoliatrice, abstulisse te aurum quod Cœlio dares. IDEM.

Cap. 23. *Num petivit*] Num Clodia petivit aurum a Cœlio? Nam si petivit, quo teste? Si non petivit, hæc certe non videtur esse causa, cur ei venenum Cœlius dare voluerit. MANUTIUS.

Ne crimen hæreret] In Cœlio. Quod crimen? Auri a Clodia sumpti. ID.

Num quis objecit] Ei de auro. Quod si nemo objecit; quid erat, cur timeret ne crimen hæreret? IDEM.

Nemini nomen detulisset] Neminem in judicium vocasset. IDEM. *Neminis*, Pantagathus: et paulo post, *sui familiaris absoluti.* URSINUS.

Iterum eadem de re] Bis enim Cœlius in judicium de ambitu vocavit Atratini accusatoris patrem. Supra: *Accusari ab ejus filio, quem ipse in judicium et vocet, et vocarit.* Infra: *Nomen amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur, revocat.* MAN.

Cap. 24. *Q. Metellus*] Clodiæ vir, supra nominatus. MAN.

Abstraheretur] Significat hunc a Clodia uxore veneno sublatum; qua de causa *Clytemnestra* dicta est, allegorice, et ænigmatice, *quod ut illa ferro virum Agamemnonem, sic hæc Metellum interfecerit.* Quintilian. VIII. 6. HOTOM.

Quanta impenderet procella urbi] Ex consulatu C. Cæsaris, propter leges, quæ ferebantur. Obiit Metellus Celer Cæsare et Bibulo Coss. MAN.

Furenti] P. Clodio tribuno pl. cum me patria expulit. IDEM.

Fratri suo patrueli] Non quod nati essent duobus fratribus, sed quod mater Clodii soror esset patris Metelli Celeris. IDEM.

Vict. *consulari*

Idem. *consulem*

Incipientem furere] Ad plebem transire conantem, cum Herennius tribunus pl. legem de eo ad plebem traducendo promulgabat: in quo obstitit Celer Consul. Vide Attic. I. ep. 13. IDEM.

Eliciat] Suspicor, *ejiciat*, legi debere. MURET. *Var. Lect.* II. 17.

Cap. 25. *Ad Balneas Xenias*] Baiarum partem, sumpto nomine ab hospitibus accipiendis. MAN.

Hinc illæ lacrymæ] Hinc odium Clodiæ, quod se contemni doleret, quod discidium ferre non posset. Verba Sosiæ sunt apud Terentium in And. act. I. sc. 1. 99. IDEM.

Cap. 26. *Quadrantaria illa permutatione*] Dicit, *illa*, tamquam de re nota: fama enim pervulgata erat, quod ex Plutarcho liquet, adolescentem quendam in Clodiæ loculos pro nummis argenteis quadrantes æreos immisisse. Cum hoc joco alterum conjungit, balneatori Clodiam, facta sui copia, familiarem esse potuisse: ut stuprum quasi loco quadrantis esset, quem balneator ab iis, qui lavarent, mercedem suam accipere soleret. Et in hoc quoque quadrantaria permutatio est, quadrante in stuprum

permutato. Horatius Sat. 3. lib. I. *Quadrante lavato.* Seneca rem quadrantariam balneum vocat, ep. 86. Juvenalis Sat. 6. *Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.* MAN.

Nisi a viris honestissimis] Mea sententia delendum est, *nisi.* Negatur enim, Clodiam id impetrare potuisse, quamquam potens admodum esset, a viris honestissimis. Ad negandum autem sufficit, *numquam:* si addatur, *nisi*, ex negatione fiet affirmatio. ID. Si dicitur ἐμφατικῶς, cur *nisi* deleatur? OLIVETUS.

Cap. 27. *Maximi facinoris crimen*] Duplex esse potest sensus. 1. Se non solum testes, sed etiam accusatores et actores in causa periculosa et maximi facinoris profiterentur. 2. Periculum adirent, ne veneno in ipsorum manibus deprehenso, et calumniæ in Licinium, et veneficii auctores dicerentur, et ita crimen in se revocarent. ABRAM.

Mimi, non fabulæ] *Mimus*, actio histrionica turpissimorum facinorum imitatrix. Ovid. Trist. II. 115.

Scribere si fas est imitantes turpia mimos] Horum clausula nulla erat ut in comœdiis, sed abrumpi strepitu et tumultu aliquo solebant. HOTOM.

Cap. 29. *Manumissi*] Ut optime de domina meriti, ad quam tantum facinus detulissent. MAN.

Crimen Cælio quæsitum] Ut ideo manumissi viderentur, quia fideles in dominam fuissent, eique de veneno significassent. IDEM.

Quæstio sublevata] Quis non videt, *sublata* esse rectius? Quæri enim de servis manumissis non licebat. ID.

Cum causa] Causa videbatur hæc, quia Cœlianum facinus ad dominam detulissent: sed alia causa erat, nempe, ut multarum rerum conscii præmium persolveretur. Animadvertendum loquendi genus, *cum causa*, pro, per speciem, per similitudinem. ID.

Obscœnissima fabula] Refert vulgi rumorem, existimantis quæsitam illam pyxidem fuisse ad rem turpem: neque tamen explicat quid illud sit. FERR.

Si est factum] Turpe illud: quod de pyxide vulgatum fuerat, dubitat, verumne sit, an fictum. Si verum est, inquit, id non fecit Cælius, sed aliquis alius adolescens. Si fictum, libido Clodiæ fecit illud credibile. IDEM.

Cap. 30. *Camurti et C. Esernu*] Incertum est, quodnam illi crimen commiserint in gratiam Clodiæ, et quodnam stuprum illud Vettianum fuerit. IDEM.

Afrania fabula] Et hoc obscurum, quid Vettiano stupro simile haberet in suis fabulis Afranius. IDEM.

Cap. 31. *Præclari in remp. beneficii*] Cæso cum omnibus copiis Catilina. MAN.

Nocuit opinio] Accusatus de majestate, quod in Macedonia provincia male remp. administrasset, eo maxime nomine damnatus est, quod crederetur conjurasse cum Catilina. FERR.

In hanc ætatem] Erat annos natus 31. Nam sexennio post Ædilis fuit; ad quem magistratum exigebatur annus 37. IDEM.

Purpuræ genus] In tunica. Nam etsi nondum erat senator, tunica tamen purpureis distincta clavis utebatur: quod equitibus Romanis licebat. Hac igitur purpura delectabatur Cælius elegantiore, et splendidiore, quam fere adolescentes reliqui solerent. MAN.

DE

PROVINCIIS CONSULARIBUS.

ORATIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Provinciæ hoc loco dicuntur regiones extra Italiam, in Romanorum ditionem ita redactæ, ut non suis, sed Romanis legibus uterentur; et magistratus accipèrent ab urbe missos cum imperio, qui jus dicerent, resque omnes administrarent. Mittebantur vel consules, vel prætores, ut placebat senatui. Quæ dabantur consulibus provinciæ, appellabantur consulares; quæ prætoribus, prætoriæ; neque ullu erat, quæ non posset fieri, ex prætoria, consularis; et, ex consulari, prætoria. Consules in provincias non proficiscebantur, nisi cum essent perfuncti consulatu; easque obtinebant, quoad sibi succederetur. Ante latam legem Sempronium designatis consulibus decernebantur provinciæ. Ex lege Sempronia, antequam designarentur in sequentem annum consules, necesse fuit decerni, quæ futuræ essent provinciæ consulares. Quod idcirco videtur constituisse C. Gracchus, legis auctor, ne id fieret deinceps, quod olim factum fuerat, ut, si consulatum adepti essent homines, magis apud plebem gratiosi, quam apud optimates, daret illis senatus non nisi viles provincias.

Anno V. C. 697. quo anno hæc habita oratio est, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, et L. Marcius Philippus consules ad senatum retulerant, ut futuris consulibus provinciæ decernerentur. Tenebat tunc Macedoniam, Achaiam, et Thessaliam L. Calpurnius Piso, Cæsoninus: A. Gabinius Babyloniam, Persidem, et Syriam: C. J. Cæsar Gallias cis et trans Alpes uno imperio conjunctas. Erant plerique senatores male in Cæsarem animati, ut quem nimium esse popularem arbitrarentur; eique omnes, qui ante Ciceronem sententias dixerant, uno duntaxat excepto P. Servilio, aut imperium omnino abrogandum censuerant, aut certe, detracta alterutra Gallia, minuendum.

Cicero futuris consulibus eas decernit provincias, quibus Piso et Gabinius præerant: hos esse revocandos; quod neque dignum laude quidquam gererent; et omnia avare, crudeliter, superbe administrarent: Cæsarem in provincia utriusque Galliæ relinquendum, ut fortissimas nationes illas domare pergat, et bellum jam affectum, tandem conficiat.

Status igitur hujus orationis juridicialis est: quæritur enim, sitne utile reipublicæ, illos revocari e provinciis; hunc in provincia retineri. Genus causæ est deliberativum: nam et in curia sententia dicitur, et ad communem utilitatem, tamquam ad scopum, collimat orator. Ab utili itaque, et ab honesto sæpius argumentatur; sed ei adjunguntur multæ ex genere demonstrativo amplificationes, dum aut Piso Gabiniusque vituperantur, aut Cæsar laudatur.

Itum est in Ciceronis et P. Servilii sententiam; revocati Piso et Gabinius rediere in urbem, ille anno 698. hic 699. FRONTO DUCÆUS.

Cap. 1. *Si quis vestrum*] Quoniam probe noverant senatores omnes, Pisonem et Gabinium Ciceronis esse inimicos, facile poterant suspicari, eum odio impulsum potius, quam studio in rempublicam suo, sententiam esse dicturum; hanc statim ex eorum animis evellere nititur opinionem. Atque hæc exordii est communis sententia, in quo etiam conatur adducere in odium adversarios; eorumque nomen traducit apud senatum, tamquam hominum de republica male meritorum. Prudenter igi-

tur amovet impedimenta omnia, quæ sibi officere poterant, ne sua sententia comprobaretur. Nam si aliqua perturbatione commotus, videatur quis sententiam dicere, non tam reipublicæ commodo, quam libidini propriæ videbitur satisfacere velle. MAN.

Quid mihi sentire necesse sit] Non quidem omnino necessarium erat, ut ita sentiret orator, revocandosque existimaret e provinciis duos illos consulares; sed ex hypothesi, ut aiunt, si nimirum more suo vellet, id quod esset e republica suadere. Hoc enim innuit, ea conditione, iisque moribus esse homines illos, ut, velit, nolit, ita sentire cogatur, neque possit illos in provinciis relinquere, quin de republica male mereatur. IDEM.

Ac, si princeps] Si auctorem hujus sententiæ haberem neminem, eamque princeps ac primus dicerem, laudaretis profecto quod sententiam dixissem reipublicæ utilem. *Si solus* ita sentirem, ex ea ipsa solitudine videri quidem posset hæc sententia minus reipublicæ utilis, quam nemo comprobasset: sed si minus laudaretis sententiam, *ignosceretis* certe, &c. ID.

Cap. 2. *Quatuor sunt provinciæ*] Hæc propositio est orationis, cui partitio ipsa conjuncta est. Neque enim narratione est opus in deliberationibus. Satis itaque oratori fuit, significare verbo, quasi ad transitionem, quis esset rei ac deliberationis status. MANUT.

Hunc ordinem condemnarint] Nam qui Ciceronem condemnarunt, qui nihil nisi auctore senatu gesserat, senatum ipsum condemnasse intelliguntur. HOTOM.

Fidem publicam] P. Manutius recte *fidem publicam* dixit esse fidem Ciceroni datam a senatu, cum ejus jussu in carcere necavit Catilinæ socios. GRÆVIUS.

Perpetuam populi Romani salutem] Huc facit quod scripsit Cicero, de Legib. l. III. c. 12. *Ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici concilii, quodque is creverit, defendant omnes, et, si ordines reliqui, principis ordinis consilio rempublicam gubernari velint, possit, ex temperatione juris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri moderatus et concors civitatis status.* Si juris illa temperatio concordem civitatis statum continet, in quo ejus est posita salus: hanc ergo vexavere improbi consules, qui senatus auctoritate exterminata, populo inconsultam potestatem dedere. FRONTO DUCÆUS.

Via illa nostra...militaris] De hac militari via *per Macedoniam usque ad Hellespontum*, agit Nic. Bergerius, in *Militarium viarum Historia*, lib. III. cap. 44. quo lectorem remitto.

Superbissimo delectu] Non qui ab homine superbo sit habitus, sed, ut admonet Manutius, eodem modo, quo *superbissimum judicium* aurium dixit, Orat. cap. 44. quod nimirum nihil, nisi quod perfectum sit, admittit. DUCÆUS.

Durissima conquisitione] Conquisiti diligentissime, et sacramento adacti, nulla cuiquam data missione. IDEM.

Cap. 3. *Vastitate*] Sterilitate et solitudine locorum, et inopia rerum omnium. GRÆV.

Vict. Man. Lamb. *Is imperator... expetitus.*

Ut, quod est indignissimum, scelus imperatoris in pœnam exercitus expetitum esse videatur] In loco difficili atque obscuro, alias aliorum conjecturas vide apud Grævium. Nunc, si jus est mihi dicendæ sententiæ, Ciceronem opinor scripsisse: *ut, quod est indignissimum, scelus id in pœnam exercitus expetitum esse videatur.* Cum enim in substantivis nominibus vis demonstrandi major sit, quam in adjectivis, *scelus* vocat ipsum, de quo agit, Pisonem. Quærit Gulielmius: *A quibus* Piso *expetitus imperator?* Respondere sibi poterat ipse: Fuit expetitus a Clodio et Clodianis, a quibus provinciam et copias acceperat. Eandem continet sententiam id quod edidit Lambinus: *Ut, quod est indignissimum scelus, is imperator in pœnam exercitus expetitus esse videatur.* Nam *id scelus*, est *is imperator.*

Sed in illo, *id scelus*, plus est caloris oratorii. Quocirca Lambinianam lectionem opinor meram esse alterius explicationem. Ait Gruterus hoc esse satis frigidum, si Piso dicatur *expetitus esse imperator in pœnam exercitus*. Credo fore multos, qui aliter sentiant, et hic sensum videant apprime accommodatum ad id quod volebat Cicero. Volebat autem concitare odium in Pisonem, atque in ejus fautores. OLIVETUS.

Achæos] Achaia, proprie appellata, de qua Plinius, I. 5. et Sigonius *de Ant. Jure Prov.* I. 9. uno imperio conjuncta fuit cum Macedonia; et continebat ipsa Græciam et Epirum. DUCÆUS.

Portorium Dyrrhachinorum] Vectigal, quod apud Dyrrhachium pendebatur pro mercibus, quæ vel exportabantur ex ea regione, vel in eam importabantur. Plura Sigonius, *de Ant. Jure Civ. Rom.* lib. I. cap. 16. IDEM.

Jurisdictionem in libera civitate] Insignis locus, unde intelligitur, ex civitatibus, quas populus Romanus in suam potestatem redegerat, alias fuisse in provinciæ formam redactas, in quibus magistratus populi Romani jurisdictionem exercebat; alias liberas, quæ suis legibus et magistratibus utebantur. HOTOM.

Cap. 4. *Cæsonine Calventi*] Vide Orat. in Pison. cap. 14.

Generi] J. Cæsaris.

Vict. Man. Lamb. *nunc dicam, P. C. hominem ipsum relinquo: de provincia*

Poiterior] Hoc est, improbior, nequior. Ut enim in censendis æstimandisque hominibus, ponuntur in prima classe boni ac probi, ita improbi et nequam in postrema. DUCÆUS.

Semiraris] Gabinius: ob mores effœminatos, qui describuntur in Orat. pro Sextio, cap. 8. et quod Assyriæ regno potita sit ea mulier, de qua Justinus lib. I. cap. 2. IDEM.

Cap. 5. *Custodias sustulit*] Publicani servos habebant in regionum finibus, ad portas urbium, ut nunc quoque fit, qui vel obambulantes, vel sedentes explorabant, quid importaretur, exportaretur've. Hæ sunt *custodiæ*, quas sustulit Gabinius. F. DUC.

Publicani servum] Servi Publicanorum ii dicebantur, quorum opera utebantur publicani ad exigendas pecunias. Corrupta latinitas eos appellavit *servientes:* quæ vox, ex trita littera *v*, et sequente mutata de vocali in consonantem, mansit in populari Gallorum sermone. IDEM.

Lege censoria] Qua publicanis, si quando accidat ut propter hostes minime possint vectigalia exigere, datur remissio. Æquum etiam videtur, ut eadem conditione sint publicani Syriæ, quandoquidem ab hoste Gabinio fuerunt prohibiti, ne vectigalibus fruerentur. IDEM.

Retinete] Ironia. IDEM.

Anno superiore] Senatus ut superioris anni vulneribus mederetur, primum omnium Ciceronem ab exilio revocavit, deinde deliberavit de universa republica. Censebant multi omnes leges Clodii per vim et contra auspicia latas esse abrogandas, atque inter cæteras eam, qua Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam decreverat: sed cum inter eas una esset maxime popularis, qua remissis semissibus et trientibus frumentum de publico plebi dabatur, Senatui liberum non fuit, quod cupiebat, decernere, cum præsertim eo tempore propter famem seditio timeretur, nec hujus legis abrogatione plebs exacerbanda videretur. ABRAM.

Præmiis] Provincias præmia vocat scelerum, quia Clodius eas decrevit Coss. quod Ciceronem et patriam prodidissent. IDEM.

Cap. 6. *Exostra... siparium*] Voces theatricæ. *Exostra*, machina spectatoribus res intus gestas patefaciens: *siparium*, eas tegens. FRONTO DUCÆUS.

Cap. 7. *Mastrucatis*] Mastruca vestis erat Sardorum e pellibus. TURN. quem vide Advers. XX. 9.

Græcum hominem] Non quod natus in Græcia esset Albucius, sed

quoniam *doctus Græcis* litteris, *vel potius pene Græcus*, ut ait Cicero, *Brut.* 35. Item *De Finib.* I. 3. Duc.

Ejus exitum expectet] Reversus e Sardinia T. Albucius, de pecuniis repetundis postulatus fuit; et Athenas exul abiit. Id. Vide Commentar. in Brut. 35.

Ignominia Senatus] Id est, quam senatus imposuit. Quemadmodum Æneid. II. 436. *vulnus Ulyssis* est, quod Ulysses inflixerat, ut Servius interpretatur. Videri potest Gellius IX. 12. Idem.

Atqui duas Gallias qui decernit consulibus duobus, &c.] Transit ad alteram confirmationis partem, quæ est de Cæsare in provincia retinendo, quæ duas Gallias, citeriorem et ulteriorem conjungebat. Sed antequam suam confirmet sententiam, alienas quasdam refellit; eorum nimirum, qui suadebant, ut Cæsar potius revocaretur, et duæ Galliæ, diviso imperio, designandis consulibus decernerentur: vel, alterutra Gallia Cæsari adempta, alteruter, vel Piso, vel Gabinius revocaretur. Posteriorem hanc partem eo refellit, quod cum pares sint scelere, debet esse par utriusque conditio. Idem.

Faciam, inquit, illas prætorias] Exponit, ac refellit alteram sententiam, quæ duas Gallias, Cæsari ademptas, duobus futuris consulibus decernebat. Per quamdam prosopopœiam, loquentem facit auctorem ejus sententiæ. Si revoco, *inquit*, Cæsarem, non idcirco Pisonem et Gabinium retineo in provinciis, quas obtinent. Immo vero id ago, *ut* illis *succedatur statim*. Nam quas obtinent provincias, *illas faciam prætorias*; hoc est, ut diximus, dabo administrandas prætoribus. Idem.

Si hic sinat] Responsio est Ciceronis: *Modo* hic *sinat*. Cum diceret *hic*, gestu designabat Tribunum. Id.

Decernam easdem prætorias] Hoc dicit: Quia non potuerunt in suas provincias ire consules, nisi post annum; *decernam*, Syriam et Macedoniam fore interim *prætorias*; ut eas *Prætores annuas habeant*, administrentque per eum annum, quo anno magistratum in urbe gerent consules, quibus fuerint decretæ. Revera facta est Macedonia prætoria in annum, et Q. Anchario data. Idem.

Cap. 8. *Familiarissimi*] Quis hic fuerit interpellator, incertum est. Id.

Annon Tib. Gracchus] Vide Gellium, lib. VII. cap. 19. Gratularer amatoribus Ciceronis, si omnes, quas attigit, historias indicare possem sic explicatas. Olivet.

Provinciam extra ordinem decernebant] Cum tribus modis extraordinariam provinciam obtinere diceretur quispiam; (1. si privatus esset, 2. si prorogaretur illi imperium, 3. si magistratus ipse nominatim in provinciam mitteretur) quæritur, quomodo Marius extra ordinem gesserit bellum adversus Gallos. An quod erat privatus? Nequaquam; nam in singulos annos consul reficiebatur. An prorogato imperio seu per populum, seu per senatum? Multo minus; iis enim, qui jam magistratu abiissent, prorogabatur imperium: At Mario, jure consulatus, quotannis provincia debebatur. Quid igitur dicendum est? Decretum a Senatu factum fuisse, idemque renovatum quotannis, ut Marius Consul, sine sorte, et nominatim provinciam illam administraret. Hi ergo senatores, qui Mario *provinciam extra ordinem decernebant*, ita singulis annis decernebant, ut sublata provinciarum consularium sortitione, eam nominatim Marius haberet, in qua bellum cum Gallis gerebatur. Ferrat.

Cap. 9. *Lepidus*] Videatur Aulus Gellius, XX. 8.

Summi poetæ] Ennii.

Olim] Tempore conjurationis Catilinariæ. Ducæus.

Rursum] Tempus innuit, quo urbe pulsus est a Clodio. Nam, ut sæpe dicit, quærebat causam cædis Clodius, ut initium faceret ab ipso Cicerone, si voluisset hic, ut multis millibus adolescentium stipatus erat, in urbe digladiari. Ita ut dicat Cicero,

se iterum videri servasse cives suos, quod noluerit pati, ut pro se decertarent. IDEM.

Cap. 10. *Partim*] Hoc est, alii. Exempla collegit J. F. Gronovius, Observat. III. 2. Rationem explicavit G. J. Vossius, *lib. de Construct. c.* 64. Sensus ergo est: cum alios *illorum* haberem *familiares*; alios in capitalibus causis defendissem. OLIV.

Uno scelere] Cum in templum Bonæ Deæ, muliebri vestitu libidinis causa penetravit. MAN.

Cap. 11. *In quo ego*] Locus hic omnino probat, usque ad Ciceronem consulem, dies non plures quinis fuisse tributos supplicationibus. Duplicavit numerum Cicero consul in gratiam Pompeii; triplicavit in gratiam Cæsaris; qui post paulo quadruplicatam dierum viginti supplicationem habuit, ut ipse narrat *de Bell. Gall. lib.* IV. DUCÆUS.

Supplicationem dierum duodecim] Assentior iis, qui censent legendum *decem dierum*, quod ex præcedentibus verbis clare patet, *duplicata est supplicatio*. GRÆV. Ita olim Manutius, cui plane assentitur Fronto Ducæus.

Relatum est ... de stipendio] Propterea quod cum auxisset suas legiones Cæsar, opus illis fuit novo stipendio, quod a senatu petendum fuit. DUCÆUS.

Actum est de decem legatis] Qui confecto tantum bello mittebantur ad res provinciæ componendas: hinc subjicit, *Alii exempla quærebant*, nondum scilicet confecto in Gallia bello. FERRAT.

Cap. 12. *At ego idem nunc*] Cum ego illa, ad Cæsaris dignitatem magis, quam ad reipublicæ utilitatem facientia, supplicationem quindecim dierum, amplificationem stipendii, missionem decem legatorum decreverim interpellante nullo, quid est quod nunc interpeller, neque permittar quæ sentio dicere, ubi id decerno, quod non ad Cæsaris aliquod, sed ad maximum reipublicæ commodum attinet? F. DUCÆUS.

Nam ipse Cæsar] A Cæsaris ipsius persona, et ab adjunctis argumenta ducit, quibus probet, nihil esse cur ii, qui favent Cæsari, eum velint manere in Gallia; quoniam nihil sit, cur id velit ipse; et multa sint cur Romæ malit esse. Si ergo vult illic manere diutius, hoc vult idcirco, quoniam utile est reipublicæ: quæ una etiam ratio Ciceronem impellit, ut Cæsarem in provincia retinendum esse censeat. DUCÆUS.

Quid porro tot victoriis] Non est, inquit, quod dicatur velle Cæsarem manere in Gallia, ut clarioribus victoriis, et propagatis longius imperii finibus, suam ipse famam amplificet. Quid enim illustrius in re militari potest esse, quam illæ sunt victoriæ, quas hactenus retulit? Quid est ultra Oceanum, qui orbem terrarum terminat, et quo imperium populi Romani Cæsar terminavit? IDEM.

An dies auget ejus desiderium] Quasi dicat, inquit Manutius: Oblivionem potius, quam desiderium tempus auget. Quem enim aliquamdiu non vident homines, assuescunt tandem non videre, non desiderant, penitus obliviscuntur; atque ut *longo* temporis *intervallo viriditatem amittit laurea illa*, quam accepit Cæsar, cum est ob victoriam ab exercitu salutatus imperator, ita ipsæ ejus victoriæ gratiam perdunt, quam habebant in publicum, tunc cum essent recentes. Hanc orator comparationem ingeniose contraxit in metaphoram. ID.

Ut Asia, &c.] Asiam hoc loco appellat eam Asiæ minoris partem, quæ fuit in ditione regum Pergamenorum, Eumenis, et Attali ejus, qui heredem populum Romanum testamento reliquit. Ea continet Ioniam, Cariam, et magnam partem Phocidis. Hanc autem Asiam tribus ait cingi provinciis, Ponto nimirum, ubi regnavit Mithridates; Armenia, ubi Tigranes; et Syria, quam Judæorum regibus, aliisque Pompeius eripuit. Refert Plinius, *H. N. lib.* VII. *cap.* 26. dixisse Pompeium *in concione, cum de rebus suis dissereret: Summa summarum in illa gloria fuit, Asiam ultimam*

provinciarum accepisse, eamdemque mediam patriæ reddidisse. Duc.

Cap. 13. *Bellum Gallicum*] Satis imperatoribus Romanis fuit, si Gallorum compescerent impetus: cæterum eos nunquam provocarunt; ne ipse quidem Marius, ad quem populus Romanus confugit, strage trium exercituum, quos Ambrones Galli, cum Tigurinis conjuncti deleverant, et horum in Italiam venientium metu consternatus. Ambronas quidem vicit Marius ad Aquas Sextias, eamque gentem funditus abolevit; post etiam Cimbros ac Teutonas, qui cum Ambronibus conspiraverant, ingenti clade fudit; at in Galliam arma non intulit. Idem.

Refutandas] *Refutare* nativa et propria significatione, quam ex Festi, et aliorum fragmentis expressit Jos. Scaliger, est ollam, cum fervens paulo plus exuberat, injecta aqua compescere. Hæc metaphora quam sit ad rem idonea, intelligit, qui non ignorat, quæ ingenia forent gentis Gallicæ. An sint nunc eadem, nihil ad Tullium. Idem.

Pontinius] Vide Catil. III. 2.

Allobrogum] Quidam recentiores Geographi aiunt Allobrogum olim fuisse, quantumcumque terrarum diœcesibus Viennensi, Genevensi, Gratianopolitana, ac Mauriennensi continetur. Huic sententiæ facile accesserim. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*

Compulit] Compellere, inquit Servius *in Eclog.* II. 2. proprie est in unum locum diversa animalia cogere. Quæ metaphora apprime facit ad scopum oratoris. Significat enim id esse Gallis Cæsarem, quod est homo pecudibus, quas in unum vel gregem, vel armentum cogit. F. Duc.

Semitam tantum Galliæ] Galliam Narbonensem intelligit, quæ jampridem Domitii Ænobarbi, Fabii Maximi Allobrogici, et aliorum armis in populi Romani ditionem concesserat. *Semitam Galliæ* vocat, quod ea provincia esset velut aditus quidam patefactus ad cæteras Galliæ regiones. Abram.

Restitimus semper lacessiti] An ergo, quotiescumque decertarunt cum Gallis Romani, ab illis lacessiti, sic eorum excepere impetum, ut nihil cladis acceperint? Atqui sæpe a Gallis cæsi, fugatique sunt; ut ab illis aliquando Galli. Hoc vult: Quoties cum illis dimicatum fuit, id fecimus provocati; defensores fuimus semper, nunquam oppugnatores. F. Duc.

Cap. 14. *Quæ jam licet considat*] Juverit eloquentiæ studiosos conferre quæ in eamdem sententiam habentur, *Orat. in Pison. cap.* 33. Idem.

Impolitæ vero res, et acerbæ] Si prius devocetur e provincia Cæsar, quam opus absolverit, et Gallos jugo assuefecerit; si res, quas inchoavit, imperfectas relinquat, eveniet, ut Galli, quamvis nunc prostrati, posthac resurgant, et resumptis viribus, atque animis, bellum instaurent. Gallicæ *res* dicuntur *impolitæ*, ut opera, quibus artifex supremam manum non addidit; *acerbæ*, ut fructus, ante maturitatem lecti; *accisæ*, ut surculi non stirpitus excisi, qui repullulant. Id.

Quare sit in ejus tutela] Concludit, non esse devocandum e Gallia Cæsarem, etiam si velit; sed relinquendum ad tutelam ejus nondum confirmatæ, et quasi adolescentis provinciæ. Idem.

Cap. 15. *Sciscere legem*] Vatiniam, quam esse legem negabant, quippe latam contra auspicia. Eam autem servabat, qui citeriorem Galliam illa lege Cæsari datam adimere non audebat. Ferrat. Vide *Indiculum Legum.*

Defensorem] Nam populi donum tueri poterat Tribunus pl. intercedendo, nisi elapsum foret quinquennium a lege præfinitum. Fer.

Boni senatoris] Bellum enim Gallicum vult a Cæsare confici, cum ulteriorem Galliam non adimat. Idem.

Lamb. *Atqui mihi nihil videtur magis... quam qui consul*

Kal. Jan.] Sensus est: Consul Kal. Jan. debet habere provinciam. At, qui sortietur Galliam citeriorem, in toto consulatu erit sine provincia.

Quin etiam Januario et Februario anni subsequentis non habebit provinciam, quæ illi Kal. Mart. repente nascetur, elapso quinquennio lege Vatinia præscripto. IDEM.

Paludatus] Magistratus provinciales ab Urbe proficiscebantur paludati. IDEM. Vide *Fam.* XV. 17.

Cap. 16. *Gratis*] Quid sit *decernere alicui honores gratis, quod ita meritus est*, ego sane non intelligo. Qui sunt illi honores, qui gratis dantur? Num qui dantur iis, qui illos non sunt meriti? Nugæ. Legendum sine hæsitatione cum Grutero, *grati*. Si Cæsari tribuitis honores, quos meritus est bene gesta republica, grati estis erga illum, qui ejus merita in rempublicam agnoscitis: sin etiam propter hanc causam ei honores eximios decrevistis, ut tantum virum adjungeretis ordini senatorio, a quo fuerat aversus, sapientes fuistis ac divini. Hoc est, nihil potuistis facere sapientius et divinius, quia hoc consilium maxime faciebat Ciceronis sententia ad stabiliendam et firmandam rempublicam contra machinationes improborum. GRÆV. Optime: sed Gruterus tamen, *grati*, non admisit in contextum.

Diffisi] Posse per senatum assequi, quæ suæ dignitati debita esse putaverint. FERRAT.

Perpetuoque] Divinus hic fuit Marcellinus. Nam reipsa anno sequenti per alterum quinquennium a populo Galliam Cæsar obtinuit: post Cæsarem, nec multo post, M. Antonius: unde bellum civile. IDEM.

Tradat] Innuit, neminem fore, qui Galliam a populo obtinere possit, invito Cæsare. IDEM.

Cap. 17. *Ut quinque viratum*] Vide Fabricium, in Historia Cic. ad annum 694.

Me in tribus sibi conjunctissimis consularibus esse voluit:] Præter Ciceronem, qui, sine controversia, tertius est, quinam duo reliqui? *Pompeius gener*, inquit Manutius, *et Piso socer*. Manutio assentitur Hotomanus, utrique Grævius. Siccine Piso consularis dicitur, qui tantum anno sequenti consul fuit? Velleius Paterculus *lib.* II. *cap.* 44. *Cæsare igitur Consule, inter eum, et Cn. Pompeium, et M. Crassum, inita potentiæ societas.* En duo Cæsari conjunctissimi consulares, Pompeius, et Crassus. Cum Ciceronem tertium esse cuperet, ut hic desciscceret ab optimatibus, obtinere non potuit. FER.

Legationem] Vide ad Attic. lib. II. epist. 19.

Cap. 18. *Traduxit ad plebem*] P. Clodium, qui, nisi plebeius e patricio factus fuisset, neque Tribunus plebis esse potuisset, neque Ciceroni nocere. IDEM.

Non quo alienum mea dignitate arbitrarer] Notat hanc sententiam Hotomanus, ut illi alteri repugnantem: *Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam.* Hotomano responderet Cicero: Nihil in iis pugnæ est. Ego consularis poteram legatus esse Cæsaris, neque id *alienum* mea dignitate arbitrabar: sed neque illa legatio, neque *ornamenta* duo alia, quibus ornare me volebat, quinqueviratus, et consiliorum societas, me decebant, aut conveniebant iis rebus, quas gesseram. Me enim, qui semper in optimatium partibus fuissem, non decebat transire ad populares. OLIVET.

Ecce illa tempestas] Hac metaphorarum congerie notat annum, quem Gabinius et Piso consules, Tribunus plebis P. Clodius, adeo turbulentum, et Ciceroni memorabilem reddiderant. FRONTO DUCÆUS.

De ejus actis] Vide Orat. pro Sextio, cap. 7.

Ultimi temporis] Hoc loco *ultimum* tempus, est primum; illud nimirum relegenti vestigia, et, ut sit Horatius, lib. I. Sat. VI. 94 *certis annis ævum remeare peractum* satagenti, ultimum occurreret. Sic Virgilius, *Æneid.* VII. 49. *Tu sanguinis ultimus auctor*, id est, *primus*, inquit Servius Catullus, IV. 15. *Ultima ex origine.* Quod Virgilio est, *Prima ab origine.* Porro

designat Cicero tempus adolescentiæ, *familiaritatique, et consuetudinis* suæ cum Cæsare. Ducæus.

Cap. 19. *Præsertim cum mihi iidem illi concesserint*] Id est, cum fecerint ipsi, *ut jure meo possim nunc Cæsaris acta defendere.* Cur enim, quod in Clodio faciunt, ego in Cæsare non faciam? Catonem hæc petunt. Is pro prætore missus in Cyprum fuerat ad res componendas: miserat populus, rogationem tulerat P. Clodius Tribunus plebis. Reversus Cato cœpit Clodiani tribunatus acta defendere, quæ Cicero contendebat esse rescindenda: non enim fieri id poterat, quod Cicero volebat, quin irrita fierent ea omnia, quæ in Cypro gesserat Cato. Nam si irrita erat lex, quæ Catoni dederat potestatem prætoriam, irrita erant quæcumque fecerat potestate prætoria, quam habebat nullam. De Catonis conjunctione cum Clodio, vide quid scripserit Tullius ad Lentulum, *Fam.* lib. I. epist. 7. et 9. Idem.

Funus justum et indictum] Eadem est sententia *in Orat. pro domo, cap.* 16. Porro *funus indictum*, sive *indictivum*, ut scribit Festus, erat id, ad quod per præconem populus evocabatur. Quis autem hic vir fuerit, auctoritate et eloquentia commendabilis, qui hanc protulit sententiam, quærunt interpretes; an Cato, Bibulus, Domitius, Marcellus? At quis hoc mortalium scire potest? Catonem excludunt, quoniam tum aberat, nondum e Cypro revectus, cum ageretur de reditu Ciceronis. Cur autem id Cato non dixerit in senatu, cum Cicerone altercans de tribunatu et actis Clodii? Certe quisquis hoc dixit, id, credo, voluit intelligi. Quemadmodum in funeribus justis et indictis servantur præscripti ritus, sic in ea rogatione nihil factum esse contra auspicia. Idem. Facit huc quoque quod observavit Henricus Norisius, *Cenotaph. Pisan. Dissert. III. cap.* 1. in funere indictivo nullam fieri vestium publicam mutationem. Vetuerant autem Consules in Ciceronis calamitate vestes mutari. Vide Orationem *pro Sextio*, cap. 14.

Si illud jure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de cœlo servarat] Locum hunc obscurat aliquantisper trajectio vocum, quæ sic ordinandæ sunt: *Si ausi sunt dicere, illud, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, jure rogatum esse,* (cum rogaretur) *nemo de cœlo servarat.* Hoc dicebat Cato de rogatione Clodii adversus Ciceronem. Ducæus.

Oblitine erant] Vide Orationem pro Domo, cap. 15. In his argumentatur Cicero ad hominem, ut aiunt, et ex concessis. Idem.

Eventus. Piso quidem et Gabinius revocati, retentus Cæsar in sua provincia. Submissus in locum Gabinii M. Crassus, qui proximis comitiis designatus est Consul cum Cn. Pompeio: in locum Pisonis, Q. Ancharius. Et Prætoria quidem Macedonia, Syria vero facta Consularis. Atque ita Pisoni primo quoque tempore successum est, Gabinio non nisi post annum, id est, post Crassi et Pompeii consulatum. Abram.

PRO

L. CORNELIO BALBO.

ORATIO XXXVI.

Cap. 1. *Nihil de memoria*] Id est de antiquitate, rebusque propagatis ad memoriam posterorum. ABRAM.

Qui omnes animo virtutes] Paradoxum Stoicorum: Virtutes ita inter se esse connexas, ut altera non posset ab altera separari; ac proinde eum qui unam virtutem habeat, nihil vitii habere admixtum. IDEM.

Cap. 2. *Cæterum accusator fatetur*] Pal. nonus *cætera*, ut et alias exemplar S. Victoris. GRUT. In Erfurt. est quoque *cætera*. Cur id rejecerunt? GRÆV.

Non sunt in ejus facto] Non sunt consideranda tanquam factum Balbi, sed tanquam Pompeii qui dedit. MAN.

Cap. 3. *Causa*] Meritum. IDEM.

Pœna] Ut ei civitas adimatur. ID.

Causa lædatur] Improbetur causa. Quasi enim facere non debuerit id quod fecit, ita factum illius damnatur; non ut in eum tamen pœna recidat, sed ut in Balbum. IDEM.

Cap. 4. Vict. *plus homini, quam decet* Man. *plus, quam possit; minus quam decet* Lamb. *plus homini, quam possit; minus quam debet*

Non postulanti: imperia vero etiam recusanti] Ego sic, vel contra veteres omnes libros, sententiam secutus emendavi. Antea vero, *Non postulanti imperia, verum etiam recusanti.* De quo tamen liberum cuique judicium relinquo. IDEM.

Cap. 5. *Quin removeret oculos*] Scribit ad Attic. lib. I. eandem rem his verbis: *Tabulas Metelli Numidici, cum eæ, ut mos est, circumferrentur, nostri judices adspicere noluerunt.* Et Valerius Max. lib. II. cap. 10. MAN.

Vict. Man. Lamb. *cum fœderibus, quarum acerbissima* (Lamb. *acerrima*) *diligentia est,*

Cum quidam apud eos] Quem hic non nominat, Xenocratem philosophum fuisse et ipse dicit lib. I. ad Attic. et Valerius Max. II. 2. et Laertius. MAN.

Cap. 8. *Nisi is populus fundus factus esset*] Vide quid de hac locutione et re, memoriæ prodiderint viri doctissimi: Sigonius lib. I. de jure Italiæ cap. 4. et dissertationes de populis fundis Nicolai Rigaltii, Ismaelis Bullialdi, et Henrici Valesii, quæ sunt in nostro Antiquitatum Romanarum Thesauro, tom. II. Recte vero Valesius ὁ πάνυ observavit, fundum, cum de populis dicatur, non significare statum quendam aut conditionem populorum, eo modo, quo, cum populus liber aut fœderatus, ac socius appellatur, status et conditio illius declarari solet. Fundum enim populum nihil aliud esse, quam auctorem, subscriptoremque. Itaque populum non dici fundum esse, sed fundum fieri. Quæ sunt certissima et verissima. Nam *fundum alicui rei* esse, nihil aliud est, quam auctorem alicui rei esse, rem aliquam approbare, et auctoritate sua efficere, ut illa res rata sit, ut patet ex Plauti, Festi, Gellii locis, quæ viri docti attulerunt, et magis patebit ex sequentibus, cum singula hujus orationis argumenta expendemus. GRÆVIUS. Videantur ejusdem Henrici Valesii Posthuma, edita Amstelædami, anno

proxime elapso 1740. Scripserat J. F. Gronovius luculentam diatribam, ex qua profecisse aiunt Grævium. Tanto melior. *Verum hæc ipse equidem, spatiis exclusus iniquis, prætereo, et* Jurisperitis *commemoranda relinquo.* OLIVET.

Julia] Hæc et ipsa pertinebat ad jus seu privatum populi Rom. ut Furia, et Voconia. Nam lex Julia erat de civitate (cum) sociis et Latinis communicanda. Civitas autem est juris privati, ut me monuit Carolus Annibal Fabrottus, doctissimus antecessor. H. VALES.

In quo magna concentio Heracliensium et Neapolitanorum] Cum lex Julia Romæ sata esset, qua civitas sociis in Italia et Latinis dabatur, Neapolitani et Heraclienses concionem populi advocarunt, ut in commune consulerent, quidnam facto opus esset: utrum beneficium sibi oblatum amplecterentur, an repudiarent. Multi in iis civitatibus reperti sunt, qui eum honorem civitatis Romanæ aspernarentur, mallentque fœderati esse quam cives Romani. IDEM.

Fœderis sui libertatem] Fœderati enim liberi erant, ut docet Proculus in leg. 7. ff. de capt. et postl. revers. Hæc autem libertas fœderis adimebatur civitate Romana: populus enim qui in civitatem Romanam transierat, fœderatus populi Romani amplius esse non poterat. Consensum autem ipsorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem Romanam adipiscerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc est quod Livius dicit, Prænestinos ob virtutem civitate donatos non mutavisse: quod idem est ac si diceret, fundos factos non fuisse. IDEM.

Ut fundi populi beneficio nostro, non suo jure fiant] Non enim jus habent populi liberi ac fœderati adsciscendi leges populi Romani, easque sua sententia ac suffragio comprobandi, sed ut id faciant permittit populus Romanus: nec leve illud erat beneficium populi Romani, ut partem juris sui cum sociis et Latinis communicaret. VAL.

Id si est ejusmodi] Non igitur omnia jussa et scita populi Romani permittebantur adsciscere socii ac fœderati, uti ex hoc loco liquet manifestissime. Quænam autem essent illa, quæ non permittebantur fœderatis, docet mox Tullius, quæ scilicet ad remp. ad imperium, et ad statum rei Romanæ pertinebant. IDEM.

Ut quibusdam populis, sive fœderatis, sive liberis permittendum esse videatur] Sic fœderatos et liberos jungit Proculus in leg VII. citata. Fœderati quidem populi sunt liberi, ut jam dixi, sed non omnes liberi populi sunt fœderati. *Liber populus*, ait Proculus, *est is, qui nullius alterius populi potestati est subjectus: sive is fœderatus est*, &c. Liber ergo generis vicem obtinet. Populi enim alii sunt liberi, alii stipendiarii; ex liberis alii fœderati, alii sine fœdere. Per liberos autem populos intelligere videtur Cicero, socios atque amicos populi Romani, quibuscum fœdus nullum scriptum intercedebat, ut patet ex illis, *Sed cum est illud imperitissime dictum de populis fundis*, &c. IDEM.

Permittendum esse videatur] Hæc permissio dupliciter intelligi potest, primo, ut Romani petentibus sociis ac fœderatis id permiserint, ut leges suas adsciscerent, quemadmodum doctissimus Bullialdus censuit. Secundo, ut id fieri passi fuerint Romani, et dissimulaverint, quæ tacita permissio dici potest. Certe Cicero id postulatum fuisse non dicit. ID.

Ut statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus] Hoc est, quod Cicero paulo post dicit: *Videbat enim populos de suo jure, non de nostro fundos fieri solere.* Ex quo patet, fundum fieri nihil aliud esse, quam statuere et velle, seu auctorem esse, et sententia atque auctoritate sua aliquid comprobare. Notandum porro; discrimen est inter hæc duo, *suo jure*, et *de suo jure*. Populi non fiebant fundi suo jure, sed beneficio populi Romani; fiebant autem fundi de suo

jure, ut de suis rebus statuerent. VALER.

De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt] Id est, majores nostri noluerunt, ut populi liberi ac fœderati de republica nostra, de bellis ac victoriis quidquam statuerent, nempe ut eas leges, quæ ad statum rei Romanæ pertinerent, sibi adsciscerent. Fere enim in eas leges, quæ de jure civili latæ essent, fundi populi fiebant, non vero in eas leges, quæ ad jus publicum populi Romani spectabant. Hinc est, quod superius dixit Cicero: *Innumerabiles aliæ leges de jure civili latæ sunt*, &c. Et longe post loquens de lege Gellia, qua sancitum erat, ut cives Romani essent ii, quos Pompeius ex consilii sententia, id est, causa cognita, civitate donasset, *Huic*, inquit, *generi legum fundos populos fieri non solere*. IDEM. Vide *Indiculum Legum*.

Cap. 9. *Atqui si imperatoribus nostris, &c.*] Ut hæc cum superioribus cohæreant, sic interpretari oportet. Atqui si imperatoribus nostris, et senatui, et populo non licebit fortissimum quemque ex fœderatis et sociis civitate donare, nisi fundi, id est auctores facti fuerint fœderati, statuentur de nostro imperio, de nostra republica, de nostro jure, de nostris bellis ac victoriis, atque ita in eorum potestate situm erit, an fortissimos viros in nostram civitatem adsciscamus, privabuntque nos, si voluerint, opera atque auxilio fortissimorum virorum. IDEM.

Cap. 14. *Iapidum*] Iapidia incipiebat, ubi Carnorum desinebant una cum Ocra monte fines, id est, ad fontes Formionis fluvii. Inde a tergo Histriæ in sinum portendebatur Hadriaticum, ad Liburniam usque, CLUV. Ital. antiqua, lib. I. cap. 19. Vide Plin. III. 18.

Exceptum est, inquit] In fœdere Gaditano: si quidem sacrosancta sunt fœdera. Argumentum accusatoris. Quod sacrosanctum est, violari non licet. Fœdera sacrosancta sunt: ergo nullam fœderati populi partem, nisi populus ipse consentiat, licet attingere. Non consentit populus Gadiatanus in Balbo: civitatem igitur Balbus mutare non potuit. Quanquam in ipso fœdere disertis verbis non sit exceptum, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat civitate. Argumentum Cicero refellit earum rerum definitione, quæ sacrosanctæ sunt. MANUT. Vide Brisson. de Form. lib. II. p. 153.

Reliqueras] Aliquo crimine. Nam in verbo, *reliqueras*, hoc tacite significatur. MAN.

Judicio] Quo damnatus es. Damnatio legum cognitione privat: quia damnati, præsertim judicio publico, non præficiuntur publicis muneribus. Ita leges inspicere, et cognoscere non possunt. IDEM.

Genere] Verbis ipsis, quibus obtestatur lex, ne quis contra faciat. ID.

Aut obtestatione et consecratione legis] Perspicue mendosus locus, quem ex iis, quæ sequuntur, ita restituo: *ut obtestatione legis:* hæc enim interpretatio est ad illud, *genere ipso*. Quod vero delemus, *et consecratione;* id ea ratione facimus, quia de consecratione subjungitur, *aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur:* ut idem bis dici non oporteat. Duobus enim modis sanctiones sacrosanctæ sunt, aut obtestatione legis, aut pœna. Atque hæc distinctio perspicue cognoscitur infra, cum ait: *Utrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas?* Totum igitur locum, sublatis mendis sententiam obscurantibus, ita legendum existimo: *Sanctiones sacrosanctæ sunt aut genere ipso, ut obtestatione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur.* MAN. Alii interpretes paulo aliter, sed eodem tamen sensu.

Neque legem, neque pœnam] Glossema hoc puto. Nam, ut ostendatur, sacrosanctum fœdus esse non posse, satis est dicere, nihil de eo neque ad populum, neque ad plebem latum

esse: quod referetur ad illud supra dictum: *Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsve sanxisset.* Nam si populus, plebsve non sancit: lex non fertur. Et cum lex non feratur, quid sacrosanctum esse potest? Absunt enim et consecratio capitis, et obtestatio legis. IDEM.

Cap. 15. *Auctoritatem senatus*] Superiora, *contra opinionem vetustatis*, referuntur ad foedus L. Marcii: hæc ad Catuli, qui ex S. C. foedus illud fecerat. FERR.

Primi pili] Livius, lib. VII. *Alternis prope annis* et *tribunus militum, et* primus centurio *erat, quem nunc* primipilum *appellant.* IDEM.

Cap. 16. *Qui erranti*] Versus Ennii. Vide *de Offic.* I. 16.

Cap. 20. *Aqua nostra Tusculana*] Vide III. Agrar. cap. 2.

Iguvinatium] In Umbria. Vide Cluverium, Italiæ antiquæ lib. II. cap. 7.

Cap. 21. *Spoletinus dixit*] Examinata sententia mendum ostendit. Nam pro, Spoletinus, omnino, quæ neget, vox aliqua requiritur. Non, inquit, hoc dixit, Antistius contra Matrinium, quod tu dicis in causa Balbi, fundum populum, Spoletinum non esse factum. MAN. Legendum censeo ex emendatione Pantagathi: *Quem cum disertus homo L. Antistius accusaret, istud ei non dixit fundum Spoletinum populum non esse factum.* Vel, *cum...L. Antistius accusaret item Spoletinus, non dixit fundum,* &c. ABRAM.

Cap. 22. *Mamertinos obvios*] Vox, *obvios*, hic procul dubio locum non habet. Buchananus emendat, *Ovios.* Oviorum enim familia in primis clara erat apud Campanos, ut ex T. Livii lib. IX. et ex historia belli Punici secundi facile intelligi potest. LAMB.

Carthaginiensis] Vide Commentarium in lib. I. de Invent. cap. 12.

Cujatis] Pro cujas, ut primatis, optimatis, Arpinatis. Priscianus, lib. IV. MAN.

Etsi] Manut. et Lamb. *siet.* Deinde, pro *hoc* habent *omnes.* Itaque sic legunt; *Cujatis siet, id habent omnes leve.* Commodus hinc sensus eruitur: omnes leve esse putant, ex ignobili loco ortum duxisse, modo sit virtus in eo qui ex ignobili loco ortum duxit. Sed in lectione, quam ex Victorio arripuerunt Gruterus et Grævius, quamque imprudentes sumus amplexi, nihil sani est. Retineas tamen si velis, *etsi*: sed *hoc* pro *omnes* in erratorum numero collocabimus. OLIV.

Cap. 23. *De nobis*] De Senatoribus Romanis. Si quempiam eorum Latinus homo condemnasset, civitatem assequebatur lege Servilia. FER.

Cap. 24. *Sacra Cereris*] Festus Pompeius, *Græca sacra, festa Cereris ex Græcia translata, quæ ob inventionem Proserpinæ matronæ colebant.* De Legibus: *Neve quem initianto, nisi, ut assolet, Cereri Græco sacro.* Horum sacrorum originem ad Evandrum refert Halicarnasseus lib. I. *Constituerunt et Cereris templum, et sacrificia ipsi more Græco jejuniaque celebrarunt, in quibus nihil præsens tempus mutavit.* His festis duo videntur fuisse celebrata, Orci nuptiæ, et inventio Proserpinæ. In Orci nuptiis vino abstinebant, in sacrificio Cereris ob inventionem Proserpinæ favos lacte et vino diluebant, ut notat Servius ad librum I. Georg. vers. 343. ABRAM.

Cap. 25. *Non tenebat*] Dicit quidem fuisse illam villam Crassi et Metelli principum virorum; non autem meminit, possessam illam fuisse ante Crassum a libertino homine, &c. FER.

Crustuminam] Aliæ tribus aliis honoratiores fuerunt, et ex una in aliam honoris et præmii, aut etiam pœnæ dedecorisque causa transibant. ABR.

Prætoriam sententiam] Ut prætorio loco sententiam diceret in senatu, si prætorium senatorem, accusatum et damnatum eo loco dejecisset. MAN.

Prætextam togam] Magistratum eum, quem suffragiis populi adeptus esset is, qui postea damnatus esset. IDEM.

Adoptio Theophanis agitata est] Ut ex opibus invidia concitaretur. Hic

Theophanes Mytilenæus fuit libertus Pompeii Magni, apud quem gratia plurimum valuit. Adoptavit Balbum, heredemque fecit. Ideo Cornelius Balbus Theophanes appellatus est, auctore Capitolino in Balbino. IDEM. Vide de hoc pro Archia cap 10. Tacitum 6. annalium 18. et ipsum Ciceronem qui scribit Balbum. Gaditanum a Theophane Mitylenæo fuisse adoptatum primo Julii Cæsaris consulatu, lib. VII. ad Atticum ep. 6. ABRAM.

Propinquorum suorum] Subobscura sententia: sed hoc dici puto, Balbum, quæ ex ea adoptione ad eum pervenerant, ea, cum ipse non egeret, propinquis suis distribuisse: ut non suam, sed propinquorum suorum hereditates assecutus esse videretur. MAN.

Cap. 26. *Hominis potentissimi*] C. Cæsaris. IDEM.

In ruinis vestris, nostrisque discordiis.] Lego, *in ruinis nostris, vestrisque discordiis.* LAMB.

Cap. 27. *Voluimus quædam*] Tacite significat optimatum, et popularium civium dissensionem. Popularium autem principem Cæsarem designat. MAN.

Nos] Ego, qui ex illa dissensione solus exilii calamitatem pertuli. ID.

Cap. 28. *Adolescens*] Cæsar. ID.

Placuit] Balbus. IDEM.

Præfectum fabrûm detulit] Malim omnino, *præfecturam fabrûm*, etsi scio deferri solitos in beneficiis ad ærarium eos, qui bene de rep. in provincia meriti essent, ut præfectos, tribunos militum, et contubernales, ut in Ep. ad Fam. lib. V. Ep. 20. IDEM. *Deferri ad ærarium*, quid beneficii sit, quæ commendatio, vide pro Archia, cap. 5. et Gronov. *Sestert.* III. 17.

IN

L. CALPURNIUM PISONEM.

ORATIO XXXVII.

ARGUMENTUM *hujus Orationis breve admodum est. Nam cum revocati essent ex provinciis Piso et Gabinius sententia Ciceronis, quam dixerat de Provinciis consularibus, Lentulo et Philippo Coss. reversus in civitatem Piso de insectatione Ciceronis in senatu conquestus est, et in eum invectus, fiducia maxime Cæsaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Pisoni Cicero respondit hac oratione.*

Hæc oratio dicta est Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso II. Coss. ante paucos dies quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicavit. Hoc intelligi ex ipsius Ciceronis verbis potest, quæ in hac oratione posuit. Dixit enim sic: Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi. *Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio, Appio Claudio Coss. ultimam. Sed ut ego ab eo dissentiam, facit primum, quod Piso reversus est ex provincia Pompeio et Crasso Coss. Gabinius Domitio et Appio; hanc autem orationem dictam ante Gabinii reditum, ex ipsa manifestum est: deinde, quod magis naturale est, ut in ipso recenti reditu invectus sit in Ciceronem, responderitque insectationi ejus, qua revocatus erat ex provincia, prius quam post anni intervallum. Apparet autem Ciceronem respondisse Pisoni in senatu. Cum dicat in ipsa oratione Cicero, instare magnificentissimos apparatissimosque ludos, non video quo modo hoc magis Domitio*

et Appio Coss. dictum sit, quibus consulibus nulli notabiliores ludi fuerunt, quam Pompeio et Crasso: quo anno Pompeius exquisitissimis magnificentissimisque omnis generis ludis theatrum dedicavit. ASCON.

Tametsi hæc oratio sic inscribitur, In L. Pisonem: *tamen non puto vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quæ Frugi appellata sit: et ideo dicit aspernari eum moribus nomen.* IDEM.

Cap. 1. *Syrum*] Hoc est, servum. Eodem sensu dixit in Orat. post reditum in senatu: *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.*

Novitiorum] Novitius venalitius dicitur, qui recens alicunde advenerit. Qualis a Juvenalis Sat. 1. describitur, vers. 96. *Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.* ABRAM.

Fumosarum imaginum] Ob antiquitatem generis. MAN.

Cap. 2. *Melioribus auctoribus*] Quam quos Rullus Trib. plebis, lege sua decem viros creabat. Utitur autem hac distinctione: si dividi non oportet, si oportet: ne Cæsarem offendat, qui Consul partem agri Campani, sua lege diviserat. IDEM.

Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. *annis ante me Consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam, atque defendi*] Possit aliquis credere, lapsum memoria Ciceronem, qui dicat, XL. annis ante se consulem factum esse S. C. adversus L. Apuleium Saturninum tribunum plebis; cum XXXVI. anni a C. Mario et L. Valerio Flacco consulibus numerentur. Sed hic non subtilis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est: et perinde accipiendum, ac si dixerit, *prope* XL. *annis.* Hæc enim consuetudo est ipsius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum S. C. ut viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet, dixit: *Vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim S. C. verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum.* ASCON.

Adolescentes bonos] Significat proscriptorum liberos. L. Sylla eos lege lata petendorum honorum potestate privarat. Cum nihilominus petere vellent, Cicero contra eos orationem habuit, cujus extat fragmentum. HOTOM. Vide in hoc tomo, Fragm. Orat. *de Proscriptorum liberis.*

Ego Provinciam Galliam] Consules solebant provincias sortiri, vel inter se comparare, id est, extra sortem convenire inter se, quam quisque provinciam in annum sequentem obtineret. Cicero cum Antonium Macedoniæ cupidum videret, eam ultro ipsi sine sorte concessit, ut Collegam hoc obsequio mitigatum ad reipublicæ partes adduceret. Ac ne Galliam quidem, quam in illa provinciarum comparatione obtinuerat, retinuit, sed eam deinde in concione deposuit, quod id putaret reipublicæ rationibus expedire. ABRAM.

Ego, cum in concione abiens magistratu a tribuno pl. dicere prohiberer ea, quæ constitueram, cum is miki tantummodo jurare permitteret, sine ulla dubitatione juravi, rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam] Diximus jam antea, a Q. Metello Nepote tribuno pl. Ciceronem consulatu abeuntem prohibitum esse concionari de rebus, quas in eo magistratu gessit. ASCON.

Ut jurarem] Plutarchus in vita Ciceronis innuens jusjurandum, ab iis qui magistratum deponerent, conceptum fuisse more majorum: *Cæsarem Prætorem, Metellum, et Bestiam Tribunos, qui magistratum ineuntes paucis diebus ante quam Cicero abiret consulatu, non permiserunt ei habere concionem, sed in Rostris tribunalis ponentes non sinebant loqui, sed tantummodo jubebant ut de magistratu juraret, et mox descenderet, et ille his conditionibus, tanquam juraturus ascendit, factoque silentio juravit, non patrium, sed proprium quoddam et novum jusjurandum, sua opera patriam et imperi-*

um esse servatum, quod jurejurando excepit populus universus.' Quæ ideo placuit verbatim exscribere, quod viderentur quasdam circumstantias ad cognitionem historiæ necessarias continere. Vide epist. 2. lib. V. ad Fam. ABRAM.

Cap. 4. *Cujus fuit initium ludi Compitalitii*] Dicit de ludis Compitalitiis, quos Q. Metellus fieri vetuit. ASCON.

Quos Q. Metellus (facio injuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit, cum hac importuna bellua conferam) sed ille designatus Consul, cum quidam tribunus pl. suo auxilio magnos ludos contra S. C. facere jussisset, privatus fieri vetuit: atque id, quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cum Kalendis Jan. Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, et prætextatum volitare passus es] L. Cæcilio, Q. Marcio Coss. quos et ipse Cicero supra memoravit, S. C. collegia sublata sunt, quæ adversus rempubl. videbantur esse. Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant Compitalitios prætextati, qui ludi sublatis collegiis discussi sunt. Post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius tribunus pl. lege lata restituit collegia. Invidiam ergo et crimen restitutorum confert in Pisonem, quod, cum consul esset, passus sit antequam lex ferretur, facere prætextatum ludos Sex. Clodium. Is fuit familiarissimus Clodii, et operarum Clodianarum dux: quo auctore postea illato ab iis corpore Clodii, curia cum eo incensa est. Quos ludos tunc quoque fieri prohibere tentavit L. Mummius trib. pl. Ante biennium autem, quam restituerentur collegia, Q. Metellus Celer consul designatus magistros ludorum ludos Compitalitios facere prohibuerat, ut Cicero tradit, quamvis auctore tribuno pl. fierent, cujus tribuni nomen adhuc non inveni. IDEM.

Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante et tacente, a P. Clodio fatali portento prodigioque reip. lex Ælia et Fusia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii: collegia, non ea solum quæ senatus sustulerat, restituta, sed innumerabilia quædam ex omni fæce urbis ac servitiorum constituta. Ab eodem homine in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris et modestiæ censoria severitas sublata est] Diximus, L. Pisone, et A. Gabinio Coss. P. Clodium tribunum pl. quatuor leges perniciosas tulisse. Annonariam, de qua Cicero hoc loco mentionem non facit, (fuit enim summe popularis) aut frumentum populo quod antea semis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret; propter quam rogationem ait legem Fusiam et Æliam, propugnacula et muros tranquillitatis atque otii, eversam esse: obnunciatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat sublata. Tertiam de collegiis restituendis, novisque instituendis, quæ ait ex servitiorum fæce constituta. Quartam, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset. Hac ergo ejus lege censuram, quæ magistra pudoris et modestiæ est, sublatam ait. ASCON.

Cap. 5. *Persequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne conniventé quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis, quam solitus eras, intuente, delectus servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit*] Profecto intelligitur, P. Clodium significari. IDEM.

Primam] Ut ego primus comitiis tuis consularibus in prima centuria primæ classis suffragium ferrem. In quo multum benevolentiæ erga te meæ, multum fidei tribuere visus es. MAN.

Rogabas] Consul. IDEM.

Nunquam adspirasti] Nunquam accedere conatus, ut amico iniquissime vexato opem ferres. IDEM.

Cap. 6. *Cui sic æquatum præbebas consulatum tuum*] Utrum *æquatum* dixit, quod consulare imperium tribuniciæ potestati æquaret, id est, majus et gravius esse non sineret, qua in re imminuti magistratus tenebatur: an potius quod suum magistratum ei tanquam viam planam et æquatam ad omnia sua consilia perficienda præbeat? Quod magis puto. HOTOM. Hic ego possum multa suspicari: quid probem tamen, plane nihil habeo. MANUT.

Cæsoninus] Nisi me fallunt Asconii verba, Calventius patris Pisonis socer fuit, id est L. Pisonis, contra quem hæc oratio est, maternus avus. Cæsoninus autem cognomen est patris Pisonis, quod testimonio quoque lapidum Capitolinorum, qui anno V. C. DCV. Calpurniæ genti cognomen hoc addunt, intelligitur.

Semiplacentinus] Propter maternum avum, qui trans Alpes in Italiam profectus, Placentiæ consedit. Calpurnius autem paterni generis est, Calventius materni. IDEM.

Crudelitatem tibi non placere] Crudelitatis notam inurebat Ciceroni: cujus consulis jussu, auctore tamen senatu, quinque cives Romani, conjurationis principes, in carcere essent interfecti. IDEM.

Cap. 7. *Interire patriam*] Legendum putant quidam, *interimere patriam*. Quibus propemodum assentior. LAMB.

Cap. 8. *Cum illa saltatrice*] Cum Gabinio collega, qui et saltandi artem præ se fert, et post meum discessum domo et cantu et cymbalis personante nudus in convivio saltavit. Saltatricem vocat genere fœminino, ut ejus effœminatos mores et impudicitiam carpat, quemadmodum de provinciis Consularibus eum Semiramidem nominavit. Sic Torquatus Hortensium ignominiæ causa gesticulariam nominavit. Vid. Gellium, lib. I. cap. 5. Macrob. Saturn. III. 14. ABRAM.

Tonsa] Quia breviore coma, quam cæteri uteretur, lasciviæ causa. IDEM.

Cap. 9. *Advocato*] Neque orando tueri aliquem Piso potest, neque juvare præsentia, aut testimonio suo, in judicio. FERRAT.

Consularis, et senatoria] Mihi enim crimini dabatur, quod consul feceram, ex auctoritate senatus. IDEM.

Quorum alterum] Consulatum vestrum in perniciem meam convertistis; senatus auctoritatem, ne mihi auxilio esset, sustulistis. IDEM.

Bustuario gladiatore] P. Clodio. *Bustum*, locus dicebatur, ubi mortuorum corpora comburerentur. Hinc *bustuarius gladiator*, qui solitus esset homines interimere; quasi per quem multi cremarentur. MAN.

Barbaro Epicureo] Ita Faernus. Ego, *Epicuro*, malo, præsertim cum ita habeant Memm. codices: et ratione quoque hæc lectio confirmetur. Nam barbarum Epicurum dixit, propter Epicurum Atheniensem, Gargettium. *Barbarum* autem, id est, Romanum, seu Latinum. Sic enim sæpe Plautus. Vel dic *barbarum*, id est, Semiplacentinum, et braccatæ cognationis. Postremo infra eodem nomine appellat, ibi: *confer nunc Epicure noster*. Appellat scilicet Epicurum Pisonem: tanquam voluptatis laudatorem: barbarum, ut pote semiplacentinum, ut distinguat ab illo Gargettio, et Attico Epicuro. LAMB. Alii *barbato* legunt, et sic interpretatur Ferratius: Quamvis Epicuream vitam duceret, barbam tamen alebat, ut populum deciperet simulatione gravitatis.

Catilinæ laternario] Gabinio, comite nocturno Catilinæ ad stupra eunti. HOT. Sic etiam Lambinus.

Cymbala, ac crotala] Quorum ad concentum saltarent. Cymbala vulgo nota: de crotalis, obsceni carminis poeta, *Crispum sub crotalo docta movere latus*. MANUT. Vide Scaliger. ad Copam.

Eodem in templo] Ubi Clodius de me rogationem ferebat. MANUT.

Arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti] Præmia mei funeris, provinciam scilicet Macedoniam: quam, prodito Cicerone, accepit, lege Clodia, tanquam præmium. IDEM.

Cap. 10. *Cum illum suum saltatorium versaret orbem*, &c.] Choream Homerus, Iliad. XVIII. 599. cum rota comparat, quam experitur figulus, an sit bene ad motum expedita. Id facit autem versando nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum. Ita qui choreis indulgent, *simul implicitis manibus*, in orbem compositi, *alios, alioque reflexus inter se repetunt*, ut describit Actius Sannazarius, *Eclog.* VI. 60. Illam saltantium coronam vocat *saltatorium orbem* Cicero. Ut enim pugna gladiatoria ea est, quam gladiatores committunt: sic *orbis saltatorius*, quem conficiunt saltatores. Versabat *orbem saltatorium* Gabinius; quoniam ducebat choream; uti princeps et choragus. Jam rota, globus, sphæra, saxum rotundum, pila, ejus generis alia, Fortunæ simulacro adjuncta, illius designant instabilitatem. At hanc non melius adumbrat curulis rota, quam figularis. Si rotæ curuli Fortuna insidet, per vices assurgit, et deprimitur: si figulari, nunc vultum obvertit, nunc tergum. Satis hæc esse arbitror explicandæ hujus loci sententiæ. Velim tam facile mihi sit, frigidum, quem continet, jocum excusare. Vide Dialogum *de Oratoribus*, sive *de causis corruptæ eloquentiæ*, cap. 18. et 23. OLIVET.

Lapitharum, aut Centaurorum] Quod cum cæde, et contentione factum, fabulæ narrant. MAN.

In Sex. Clodio] Cum eum magistrum ludorum Compitalibus esse voluisti. IDEM. Vide supra, cap. 4.

Sine eo consilio] Sine senatu: quod summum consilium vocabatur. IDEM.

Id autem templum, sublato aditu, revulsis gradibus, a conjuratorum reliquiis, atque a Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur] Dicit de Castoris templo. Catilinam lege repetundarum absolutum esse accusante P. Clodio, jam dictum est. ASCON.

Cum equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus e foro pellerentur] L. Lamiam a Gabinio consule edicto relegatum esse, jam diximus. ID.

Cap. 11. *Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit. Campanum consulem repudiavit*] Dictum est in dissuasione legis agrariæ ad populum, plateam esse Capuæ, quæ *Seplasia* appellatur, in qua unguentarii negotiari sint soliti. Ergo eos quoque, qui in ea platea negotiarentur, dicit invitos Pisonem vidisse, cum Capuam consul venit, quod eos, a quibus ille expulsus erat, adjuvisset. ASCON.

Decios, &c.] De Decio Jubellio mentio fit in Epitome lib. XII. De Magio, Livius lib. XXII. et Cic. Agr. II. cap. 34. De Taurea Jubellio, Livius lib. XXIII. et XXXVI. MAN.

Principe Cn. Pompeio referente] Vide post Redit. in sen. cap. 11.

Ecquod in hac urbe majus unquam incendium fuit, cui non Consul subvenerit? At tu illo ipso tempore apud socrum tuam prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas] Post profectionem ex urbe Ciceronis, bona ejus P. Clodius publicavit. Postea direpta sunt omnia, quæ aut in domo, aut in villis fuerunt, et ex eis ad ipsos consules lata complura. Domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta est. Socrus Pisonis quæ fuerit invenire non potui, videlicet quod auctores rerum non perinde in domibus ac familiis fœminarum, nisi illustrium, ac virorum nomina tradiderunt. ASCON.

Cap. 12. *At ne tum quidem emersisti, lutulente Cæsonine, e miserrimis naturæ tuæ sordibus, cum experrecta tandem virtus celeriter et verum amicum, et optime meritum civem, et suum pristinum morem requisivit*] Profecto

Cn. Pompeium significari intelligitur. IDEM.

Sororius adulter] Clodius, qui cum sororibus rem habuisse dicebatur. MAN.

In illo tumultu] In pugna quam cum Gabinio Clodiani commiserant: ictus est enim ipse consul, fractique ejus fasces. FER.

Deprehensus] Clodii libertus Damio. Asconius pro Milone. MAN.

Cap. 13. *Et quis audivit non modo actionem aliquam, aut relationem*] Ecquis vidit te resistentem non dicam potestate consulari, sed vel privato consilio? Actio enim et relatio videtur esse consularis, vox et querela privati officii, ut relatio sit consultatio Senatus, actio ipsius senatus-consulti conclusio. ABRAM.

Senatus auctoritatem servarat] Hoc ad Ciceronem pertinet: cætera, ad Pompeium. Puto non minus uno versu intercidisse. HOTO.

Idemque in Italia] Locus sine dubio corruptus est, quamvis omnia pene exemplaria consentiant. Lambinus legendum putat, *itemque in Italia*. Magis placet Manutii correctio, *is neque in Italia*, ut sensus sit: *Cujus* Pisonis *in Imperio*, sive Consulatu, *qui rempublicam Senatus auctoritate servarat* (ipse Cicero, qui ex senatus-consulto Cethego, Lentulo, et aliis conjuratis in carcere jugulatis, rempublicam ab interitu vindicarat) *Is neque in Italia*, (idem ipse Cicero ne in Italia quidem statuit tuto se posse consistere, ideoque putavit exeundum esse et cedendum furoribus Clodianis.) *Qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat*. Et Pompeius Magnus, qui Domitio in Africa, Sertorio in Europa, Mithridate in Asia superatis, de tribus terrarum partibus triumpharat, easque sub unam populi Romani redactas ditionem inter se devinxerat et colligarat, *is se in publico statuit esse non posse*. Idem ipse Pompeius metu Clodii, qui ipsius vitæ insidiabatur, caruit publico, nec prodivit in forum, privatis se parietibus defendens. Legit Janus Gulielmius adstipulante Grutero: *Qui remp. Senatus auctoritate servarat, fidemque in Italia: qui omnes*, &c. quasi publicam mensariorum fidem in Italia Cicero servarit oppressa conjuratione: quæ fides labefactabatur a conjuratis, qui spe novarum tabularum patriæ bellum inferebant. ABRAM.

Fœdere obstricti] Fœderis quod meo sanguine in pactione provinciarum iceratis, religione devincti. ID.

Cap. 15. *De me, cum omnes magistratus promulgassent, præter unum prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos tribunos pl. legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus Cos.*] P. Clodii App. Claudius, sicut jam sæpe significavimus, fuit frater. Duos tribunos, de quibus ipsis sæpe jam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex. Attilium Serranum, et Q. Numerium significat. ASCON.

De lapide emptos] Pecunia corruptos a Clodio. Morem notavit emendi servos de lapide. MAN. Vide Turneb. Advers. X. 3.

Cap. 16. *Statim... Nondum*] Orationem abrumpit sensu nondum absoluto. Elegans plane figura, qua fit, ut ex tempore effusa, non domo allata fuisse videatur oratio. ABRAM. Plura Grævius collegit exempla. Vide in Verrem III. 26. Agrar. I. 4. Pro Murena, 14. Vult autem Hieronymus Lagomarsinus hic lacunam esse, ac prope mathematica ratione demonstare aggreditur. Vide illius *ad Jacobum Facciolatum* epistolam, *quæ quid in M. T. Ciceronis contra L. Pisonem oratione intercideri, demonstratur*. Prodiit Venetiis, anno 1734. OLIVET.

Incolumis] Qui rem prospere gesserit, inquit Manutius. Non arridet. Hæc enim dicit, ut Macedoniam segetem esse triumphorum ostendat, adeo ut qui eam administrarit provinciam, ei sit aut triumphandum, aut judicium subeundum, ut his verbis C. Antonium excipere videatur,

qui non triumphavit ille quidem, sed judicum sententia damnatus est. *Incolumis* igitur idem est atque indemnatus. ABRAM. Incolumis nihil aliud hic est, quam dignitate illæsa imperator. Omnes, inquit, Proconsules qui ex Macedonia salva et integra existimatione redierunt, triumpharunt. Pro Plancio: *Qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate judicii retinere potuit.* Si quis non incolumis rediret, poterat quidem accusari, et damnari, sed non poterat dici indemnatus. GRÆ.

Si Diis placet] His verbis antiqui, rei de qua loquebantur, indignitatem exprimebant. Livius libro 38. in oratione Manlii: *Ex decem legatis, si Diis placet, quod concilium dispensandæ, cohonestandæque victoriæ, Imperatoribus majores dederunt nostri, adversarios habeo.* Libro IV. in oratione Canulei: *Quin etiam, si Diis placet, nefas esse aiunt consulem plebeium fieri. Lucius Furius, L. Æmilius currum triumphalem me conscendere prohibent, coronam insignem capiti detrahunt.* Florus libro IV: *Post Macedonas, si diis placet, Thraces rebellabant, ipsi quondam tributarii Macedonum.* ABRAM.

Appellatus est hic vulturius illius prævinciæ, si Diis placet, Imperator. Ne tum quidem, Paule noster, tabellas eum laurea Romam mittere audebas?] Confido vos intelligere, L. Paulum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quique de Macedonia, atque ultimo ejus de rege triumphavit. Macedoniam autem Piso, in quem hæc oratio est, obtinuit: propter quod Paulum eum appellat: irridens eum, quod ibi se non prospere gessit. ASCON.

Cap. 17. *Tabulas cum laurea*] Litteras lauro mittebant involutas ad indicium victoriæ, ut ex sexcentis locis compertum est. Hanc porro lauream in gremio Jovis Capitolini collocabant. Vide Plinium lib. XV. Historiæ naturalis cap. 30. et Plinium in Panegyrico cap. 8. IDEM.

Et amicos tuos plus habuisse] Qui hunc locum attente legit, ne esse legendum, vel invitis libris omnibus, quemadmodum edidimus, judicabit: non, ut est in libris vulg. et aliis, *an amicos tuos*, &c. LAMB. Ego *vè an* delendum censeo, quod natum est ex principio voculæ sequentis *amicos*. GRÆV.

Pudentiorem] In litteris non mittendis. Duas partes habet hæc sententia, priorem de missis a Pisone litteris ad senatum, sed abditis consilio amicorum; posteriorem, de non missis, nec abditis. Prior habet Pisonis impudentiam, amicorum silentio condemnatam: posterior Pisonis conscientiam notat: qui cum sciret a se consule senatus auctoritatem prorsus esse contemptam, scribere ad eum de re gesta, et supplicationis honorem postulare merito non auderet: quod ejus factum amici non condemnarunt, nullis ab eo ad senatum litteris acceptis. *Utrum*, inquit, *malim nescio.* Si litteras misisti, impudentiam ostendisti: si non misisti, male te de senatu meritum esse confiteris. MAN.

An munitio Thessalonicæ? An obsessio militaris viæ?] De utraque re vide Orat. de Prov. Cons.

Cap. 18. *In Phalaridis tauro*] Vide Tusc. II. cap. 7.

Thyestea] Thyestis contra Atreum fratrem. MAN.

Ut ait ille] Ennius qui Thyestem tragœdiam scripsit. IDEM.

M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem, gloria et laude vivit] Fortasse quæratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, et quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paulo ante cœptum bellum Punicum tertium. Idem, cum statuas sibi ac patri, itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris et Virtutis ædem, subscripsit, *III. Marcelli novies Coss.* Fuerat autem avus quin-

quies, pater semel, ipse ter. Itaque neque mentitus, et apud imperitiores patris sui splendorem auxit. ASCON.

Absens] Merito quæritur Manutius, cur *absens* sit imperator appellatus? Non sane hæc referri possunt ad confirmationem senatus, qui, acceptis laureatis litteris Imperatoris nomen et dignitatem Torquato ab exercitu victore impositum confirmarit. Sed quis Imperator unquam fuit, qui non hoc modo absens fuit appellatus Imperator? Igitur, quamvis reclamantibus libris, censeo cum Manutio legendum *ab senatu*. Nimirum senatus cognita cæde et strage hostium ex Torquati litteris, in responsione ipsum salutarit imperatorem, quamvis hoc nomen ei a suo exercitu non fuerit datum. GRÆ.

Cap. 20. *Oreste*] Clytemnestra Agamemnonem e Trojæ excidio redeuntem adulterii cum Ægistho perpetrati conscia occiderat. Eam patris ulciscendi causa filius Orestes interemit; matris interemptæ umbram identidem ob ora se filii obtrusisse; et parricidam serpentibus et tædis ardentibus vexasse fabulantur. Æneid. IV. 471. ABRAM.

Athamante] Æoli filio, Thebarum rege, in eum furorem Junonis ira compulso, ut filios occideret. Exstat apud Ovidium fabula, Met. lib. IV. MAN.

Cruentare] Putas furere, esse cruentare suum corpus? Major est furor, in suam famam et salutem, quam in suum corpus sævire. HOTOM.

Cap. 21. *Tusculanum montem*] Villam in agro Tusculano, monti similiorem, quam villæ: de qua in ea pro Sextio: *Villam ædificare in oculis omnium tantam, tugurium ut jam videatur esse illa villa, quam ipse tribunus pl. pictam olim in concionibus explicabat.* Non est contemnendus omnium fere librorum veterum consensus. Habent enim, *Ad hunc Tusculanum in monte montem exstruendum.* Quo major in Gabinium quæritur invidia, qui in editiore colle, quem vocat montem, suam villam quasi alterum montem exstruxisset. MAN.

Ædificatio constitisset] Id est hæsisset, nec propter nimios sumptus potuisset absolvi. ABRAM.

Se ipsum] Historia narrat, Ptolomæum, Ægypti regem, pulsum a suis civibus propter scelera, restitutum a Gabinio Syriæ proconsule, auctoribus Cæsare et Pompeio, mercede decem millium talentorum: ut in orat. pro Postumo, et apud Suetonium. MAN.

Numen interdictumque Deorum immortalium] Quia Sibyllæ versus Ægypti regem cum exercitu restitui vetabant. Lucanus, Dio. IDEM.

Interposita religione] Vide ep. ad Lentulum, *Fam.* I. 1.

Cap. 22. *Sibi ipse præcidit*] Effecit ipse suis sceleribus, ne redire possit. MAN. Veritus pœnas legum majestatis et de pecuniis repetundis. HOT.

Os ut videam hominis] Impudentiam ejus, qui redire audeat. MAN.

Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas; pontifices, consules, prætores collocarunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt] Hæc Cicero oratorio more, non historico, videtur posuisse. Nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigisse verum est. Nemini vero unquam antea, videamus, ne parum caute dicamus. Antiquis enim temporibus, pluribus idem contigit. Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice ædificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio, quia sæpius vicerat, ædes in Palatio tributas, L. Higinius dicit in libro priore de viris claris: P. Valerio Volesi filio Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse. Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in annalibus, quæ postea dicitur Lu-

cilii poetæ fuisse. Varro quoque in lib. III. de vita populi Romani, quo loco refert, quam gratus fuerit ergà bene meritos, dicit, Mutini, quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, civitatem Romæ datam, ædesque, et pecuniam ex ærario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat sibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus sit, aut domus quæ non fuerat eorum, neque propter illos publico sumptu ædificata. Ciceroni domus, quæ fuerat ipsius, et diruta atque incensa erat et consecrata, publico sumptu ædificata sit: quod novum et huic primo, et adhuc etiam soli contigit. ASCON.

Cap. 23. *Braccatæ*] Sic dicta est Gallia, quod braccis uteretur, quas nos *Brayes* appellamus, Germani *Brach*, vel *Broch*. Gallorum autem nomine Germanos plerumque veteres comprehendebant. HOTOM.

Quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras] In Vaticano codice scriptum est, *Quorum tu legatorum opera in prælio Imperator appellatus eras*. FULV. URSIN.

Cum non longe abfuisses] Immisi negativam fide Pall. editionumque vett. neotoricæ abjecerant. GRUT. *Abfuisses* a loco nimirum prælii. GRÆV.

Triumphali] Jocatur in ambiguo. Nam triumphalis porta Romæ erat, qua proconsules Macedonici triumphantes introibant, unde nomen: et eam, qua introivit Piso, ideo negat esse triumphalem, quia consulari præditus imperio ex Macedonia non triumphavit. MAN.

Cap. 24. *Ut omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari*] P. Manut. et Lamb. editio: *et omnes umbras etiam falsæ gloriæ:* sed invitis omnibus Mss. quamvis sententia omnino hanc particulam exigat. GRÆV.

Pontino] Qui prætor Cicerone Cos. *Catilin.* III. 2.

O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paidum, rusticum Marium! Nullius consilii patres horum consulum, qui triumpharunt!] Diximus, hanc orationem esse dictam Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso II. Coss. Pompeii pater bello Italico de Picentibus, M. Crassi pater P. Crassus ante bellum Italicum de Hispanis triumphavit. ASCON.

Cap. 25. *Genero suo*] C. Cæsari, qui tunc in Gallia bellum gerebat. MAN.

Ut es homo facetus, ad persuadendum] *Factus* legit Ant. Augustinus; pro *facetus*. Et recte, ut mihi quidem videtur: nam facetiæ non obtinent primas partes in persuadendo, ut eas ante omnia præponere debuerit. URSINUS.

Videbis] Lambiniana editio, *videbit*. Sensu optimo: Non persuadebis Cæsari, Deos non irasci; quos tibi et esse, et fuisse videbit iratos. OLIVET.

Ratio quidem, &c.] Hic Plauti versus est, e Trinummo, II. 4. 17. Ciceronem aliter scripsisse, quam hæc habet editio, putabat P. Victorius, *Var. Lect.* XXIV. 5. Contra Victorium disserit M. A. Muretus, *Var. Lect.* IV. 19. IDEM.

Οἴχεται] Periit, abiit, evanuit. Dictum, inquit Scipio Gentilis, ea forma, qua Paulus Jurisconsultus dixit, *Pecuniam proficisci*, vel Ulpianus, *Pecunias ire, redire*. Cicero, in Act. I. Verr. cap. 23. *Pecuniam, qua via iverat, eadem semita revertisse*. ANONYMUS.

Cap. 26. *Mediolanensi*] Ejus avus Placentiæ quidem civis, at Mediolani præco fuerat. FERR.

Eadem cupiditate vir summo ingenio præditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit. Eorum neuter triumphavit, quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit] Credo vos quærere, et quis hic Cotta, et quis ille collega Crassi fuerit. Fuit autem C. Cotta orator ille compar P. Sulpitii, qui est in dialogis Ciceronis de Oratore scriptis, qui, cum decretus illi esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, cum cicatrix vulneris ejus,

quod ante plures annos in prælio acceperat, rescissa esset repente. Crasso autem collega fuit Q. Scævola pontifex: qui cum animadverteret, Crasso, propter summam ejus in rep. potentiam ac dignitatem, senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit reip. magis quam collegæ habere rationem: ac, ne fieret S. C. intercessit. Sed idem provinciam, cujus cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, deposuerat, ne sumptui esset ærario. Ascon.

Irrisa est a te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi: a qua te longe dixisti adhorrere: qui etiam si minus magnum bellum gesserat, ut abe te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior, quam Piso?] Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare. Fuit autem, ut puto jam nos dixisse, Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto ætate major, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo et antiquæ vitæ similitudo, et multæ erant litteræ. Orator quoque melior, quam frequentior, habitus est. Biennio tamen serius, quam Cicero, consul fuit. Triumphavit pro consule de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico Coss. ante Ciceronis consulatum. Id.

Themista] Themista mulier fuit, Epicuri ætate, philosophiæ Epicureæ dedita, Leontis, seu Leontei cujusdam uxor, ad quam scripsit non semel Epicurus: ut refert Laertius. Hæc igitur hujus loci sententia est: Quamvis tu Piso, Themista, muliere Epicureis præceptis erudita, et perpolita, sapientior sis, hoc est, quamvis egregius sis philosophus, et mulierem Epicuream doctissimam, ac sapientissimam Themistam, sapientia superes: non tamen triumphum contempsisti, sed senatus convicium timuisti, si triumphum postulares. Est autem jocus Ciceronis in Pisonem amarus, cum eum muliere Epicurea comparantis, et ejus sapientiam, sapientiæ muliebri anteponentis. Lamb.

Cap. 27. *Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi: quales non modo numquam fuerunt, sed ne quo modo quidem fieri posthac possint, potest ullo pacto suspicari*] Cn. Pompeii ludos significat, quibus theatrum a se factum dedicavit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo. Ascon.

Convivium publicum non dignitatis gratia inibit] Quod Cn. Pompeius ad dedicationem sui theatri publice exhibebit, non inibit, ad honorandum Cn. Pompeium exhibitorem convivii. Dignitatis autem causa dicitur inire convivium, quia Senatores epulabantur ab aliis ordinibus separati. Abr.

Hanc] Ut vulgo homines luxuriosi esse solent, cum lautitia quadam, atque elegantia. Ferr.

Placentini] Ex vili nimirum materia. Fuerat autem avus ejus Placentinus. Vide supra. Idem.

Quini in lectis] Cum tres, aut summum quatuor solerent esse.

Avum suum] Qui Gallus fuerat. Jocatur in ambigua vocabuli significatione. Man.

Cap. 28. *Est quidam Græcus, qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam, sic enim cognovi, humanus, sed tamdiu, quamdiu cum aliis est, aut ipse secum*] Philodemum significat, qui fuit Epicureus illa ætate nobilissimus, cujus et poëmata sunt lasciva. Ascon.

Humanus] Politiore litteratura, et liberalibus studiis eruditus. Paulo post: *In hominum eruditissimorum et humanissimorum cœtu loquor*. Vide Gellium, lib. XIII. Noct. Attic. cap. 16. Abram.

Quamdiu cum aliis] Quam cum Pisone: in ejus enim consuetudine ita se gerere cogitur, ut sui ipsius eruditionisque suæ oblitus esse videatur. Idem.

Jam tum] Vel in adolescentia fronte et supercilio ita severus erat Piso, non modo ut hominibus, sed ut Diis ipsis iratus esse videretur. Man.

Lubricum] Lubricum sua sponte,

quia voluptas duplex: animi, ex virtute; corporis, ex vitio; sed adolescenti, propter ætatem incauto, non modo lubricum, verum etiam sæpe præceps: quia neutram voluptatem Epicurei philosophi nominabant. IDEM.

Admissarius] Tanquam equus, qui rationis expers, unam corporis voluptatem novit. Ideo, tanquam de equo, sequitur, *adhinnit*. IDEM.

Distinguere] Cum aliam esse corporis, aliam animi voluptatem ostenderet. Qua de re lib. I. de Finib.

Epicurum disertum decernere] Eodem modo dixit, ut Prætores dicuntur decernere ingenuum, servum, aut filium. HOTOMAN. Antiqua scriptura, hoc loco mendosa est. Vident omnes, opinor, divinatore aliquo ad hunc locum emendandum et explicandum opus esse. LAMB. Carere locus vitio mihi non videtur. Idem fortasse alii sentient: sed legatur, *Et tandem dictum opinor:* lapsu facili et usitato, propter similitudinem litterarum, eluetur, puto, si qua labes, maculave insedit. Libri quidam veteres, *Est tamen dicit, ut opinor*, quod non satis placet. MANUT. Vestigiis Faerni libri insistens lego: *Epicurum disertim dicere, et tamen dicit, ut opinor*. Verba Ciceronis verbis Pisonis interjecta locum obscuraverunt. Ait Piso, Epicurum diserte dicere, extra voluptates corporis se nihil beatum reperire, et ei assentiens Cicero, et *tamen*, inquit, *hoc dicit Epicurus*, ut opinor. *Disertim* corruptum in *disertum*. GULIELMIUS. Sed cur rejicitur, quod non modo Faernus in suo, sed et Manutius in quatuor, *est tamen dicit, ut opinor*. Sic autem distinguendum: *est tamen. Dicit, ut opinor*. Est tamen, inquit Cicero, scilicet ita. Dicit Epicurus, *ut opinor*, voluptatem esse summum bonum. GRÆV. Parenthesi hoc includo (*et tamen dicit, ut opinor*) atque in hunc modum intelligi posse arbitror. Etiamsi affirmet Piso, et quovis pignore contendat, *Epicurum disertim decernere, se nullum bonum intelligere posse demptis corporis voluptatibus*, tamen opinor ita dixisse Epicurum. Salse, ni fallor, et argute. Significat enim, Pisonem non eum esse, cui possit fides haberi. ANONY.

Cap. 29. Lamb. *Non ignarum*

Non ulla tibi] Dialogismo festivo et eleganti orationem illustrat. Piso, *Non ulla tibi invidia nocuit, sed versus tui*. Cicero: *Nimis magna pœna te Consule constituta est sive malo poetæ, sive libero*. Piso: *Scripsisti enim versus, Cedant arma togæ*. Cicero: *Quid tum?* Piso: *Hæc res tibi fluctus illos excitavit*. Cicero: *At hoc nusquam*, &c. ABRAM.

In illo elogio] In lege Clodia, quæ ipsa fuit sepulcram Reip.

Quod vindicarit] Hoc verbo usum esse Clodium in lege, mihi non fit verisimile, sed eum potius dixisse crediderim, *Quod cives Romanos indicta causa condemnavit*. Cicero, ad suam laudem, verbo mitiore usus est. MAN.

Cap. 30. Lamb. Grut. *linguæ*.

Cap. 31. *Insidiarum mearum*] Cum insidiari me Pompeio diceretis. MAN. Vide *pro Domo*, cap. II.

Excluderer] Sermone ejus atque aditu prohiberer. IDEM.

Generum] C. Cæsarem.

Cap. 33. *Implacabilem inexpiabilemque*] Unde in P. Manutii et Gruteri, et cæteras, qui Gruterianam sunt secuti, editiones, irrepsit *inexplicabilem*, quod revera in hoc loco explicari non potest, cum rectissime et Mss. et edd. Victor. Lambini, aliorumque, *inexpiabilem?* GRÆV. Joan. Aug. Ernesti, *inexpiabilem* repudiantis, malentisque *inexplicabilem*, hæc animadversio est: *Hoc de hominibus dici, qui se placari non sinunt, non memini, nec credo*. Sed tamen in hac ipsa oratione cap. 7. dicit Cicero: A me quidem etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum *expiaretis*. Quid est istud *expiaretis?* Certe *placaretis*. Si se manes expiari non sinant, erunt ergo, dicenturque *inexpiabiles:* neque adeo est incredibile hoc posse de iis dici,

qui se placari non sinunt. OLIVETUS.

Lamb. *imperium, non Alpium vallum, ascensui transgressionique*

Eludebas] Non serio me provocabas ad te accusandum; sciebas enim id me non facturum propter Cæsarem. FERRAT.

Quanquam, quod ad me attinet, Nunquam istam inminuam curam inficiando tibi] Prope notius est, quam ut indicandum sit, hunc versum esse L. Accii poetæ, et dici a Thyeste in Atreo. ASCON.

Ejus] P. Clodii.

Cap. 34. *Non vestigiis*] Allegoria: non per conjecturas tua scelera novimus, sed ubi cubaveris, et volutatus fueris, scimus. FERR.

Platoris] De Harusp. Resp. 16.

Cotto] Bessorum regi. HOTOM.

Denseletis] Thraciæ populis.

Cap. 36. *Reorum pactiones*] Quas videlicet cum reis inierat Piso, et ab iis se mercede corrumpi permiserat, et *redemptiones*, quibus illi a Pisone incolumitatem suam redemerant. ABRAM.

Libidinosissimas liberationes] Quæ non fiunt secundum fas et æquum, sed pro partium studio, quia judex illi favet, et contra leges reum absolvit. Sic aliis in locis apud nostrum, *libidinosi judices, testes, libidinosæ sententiæ*. GRÆV.

Pellium nomine] Prætextu pellium, ad loricas, clypeos, papiliones faciendos. Qua ratione tantum lucratus est, quantum pater fuerat ante lucratus. ABRAM.

Per tuum servulum ordines assignatos] Ordines assignare fuit Tribuni militum. Polybius, libro 6. Vide Lipsium cap. 1. lib. 2. de Militia. ID.

Quid? stipendium, &c. mensis palam propositis] Stipendium pendebatur ex ærario: Piso ut illam pecuniam quam ex ærario stipendii nomine capiebat, in suum usum converteret, jubebat a civitatibus stipendium numerari. Factum amplificat a duobus. 1. Quod non semel, sed per omnes annos id fecerit. 2. Quod palam, et mensis propositis in oculis totius provinciæ. ABRAM.

Quid illa in Pontum profectio] Res obscura est, et nullis antiquitatis impressa vestigiis. Videtur Piso pecuniis Barbarorum inhians, in Pontum incursionem fecisse, et inde fuisse expulsum: unde et *conatus* potius quam bellum illatum, nominatur. IDEM.

Macedonia prætoria nuntiata] Cum tibi nuntiatum est, Macedoniam, quam proconsulari imperio tenebas, prætoriam esse factam: ut statim prætores anni illius in eam proficiscerentur. Eo pertinebat superior oratio de Provinciis Consularibus, patetque hoc ex loco de solo Pisone eam sententiam obtinuisse. HOTOM.

Quid quæstor ædilitius rejectus? Propositus legatorum tuorum optimus a te quisque violatus?] Sic dedere, antiquos secuti codices Gruterus, Grævius. Omnino facilioris est explicatus id, quod Lambinus proposuit, atque utinam in aliqua vetere membrana invenisset: *Quid quæstor ædilitius rejectus, propositus homo turpissimus, legatorum tuorum optimus ab te quisque violatus?* Ediderant alii: *Quid prætor ædilitius rejectus, propositus legatorum tuorum turpissimus, optimus ab te quisque violatus?* At accidit perincommode, quod *turpissimus* in nullo est veteri libro. Abesse debuerat quoque *propositus;* libere flueret oratio, quæ ad hanc vocem adhærescit. ANONYMUS.

Tribuni militum non recepti] Non admissi a te, qui a populo fuerant Tribuni militum constituti. Vide Lipsium, Dial. 9. lib. 2. ABRAM.

Quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosque stipendiariosque misisti] Manifestum est, P. Clodium significari. ASCONIUS. Vocem *stipendiariosque* alii non agnoscunt.

Ad bestias] Hoc est: Pro servis miserat socios, et amicos bestiis objiciendos in spectaculis. FERRAT.

Quæ fuit uxor Exegisti] Turnebus Adversar. XXI. 15. emendat *in illa*

Leucadia, quæ fuit uxoris Ægisthi. GRUTERUS.

Scelerate] Ut edimus, ita ediderunt Gruterus et Grævius: alii *scelerate*, adverbium.

Cap. 37. *Coronarium*] Vide Agrar. I. 4.

Lex] Julia de repetundis.

Vocabula mutabas] Non dicebas, auri coronarii nomine accepta, sed aliis quibusdam nominibus, tua furta obtegentibus. MAN.

Diplomata] Litteras patentes publico sigillo munitas. Nondum tamen liquet, quid hoc loco Tullius reprehendat, nisi si forte Pisonis avaritiam obiter notat, qui ea diplomata vendiderit, quæ gratis dare debuisset. ABRAM.

Navium] Quas fœderatis civitatibus sine necessitate publica imperasti. IDEM.

Agrinarum] Turnebus, *Agrianum*. Vide Stephanum in Ἀγρίαι.

Dimisisti] Solutis sacramento militibus: quod non licebat sine senatus auctoritate, vel populi jussu.

Cap. 38. *Albucius*] De Prov. Consul. cap. 7.

Præposterus Imperator] Alii vocantur Imperatores, cum hostes ceciderint: hic ordine præpostero dictus est Imperator, cæso ab hostibus ejus exercitu: adeoque statuam, quam sibi Dyrrhachii poni voluit, non habuit suæ bellicæ virtutis monumentum, sed suorum flagitiorum indicium. FERRAT.

Quod me hortere] Ut tibi nomen deferam. MAN.

Cap. 39. *Ecquid vides, ecquid sentis, lege judiciaria lata quos posthac judices simus habituri?*] Legem judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres a Cicerone, tulit Aurelius Cotta prætor: quia communicata sunt judicia senatui, et equitibus Romanis, et tribunis ærariis. Rursus deinde Pompeius in consulatu secundo, quo hæc oratio dicta est, promulgavit, ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter quam antea, lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res judicarent. ASCONIUS.

Quod nolim] Propter Cæsarem socerum tuum, mihi amicissimum. IDEM.

Dehortabitur] Fortasse reipublicæ tempora dissuadebunt. HOTOM.

L. Opimius ejectus patria es, is, qui et prætor, et consul maximis periculis rempublicam liberarat, non in eo, cui facta injuria est, sed in eis, qui fecerunt, sceleris et concientiæ pœnæ permansit] Notum est, Opimium in prætura Fregellas cepisse: quo pacto visus est cæteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse: eundemque in consulatu Fulvium Flaccum consularem, et C. Gracchum tribunitium oppressisse, ob quam invidiam postea judicio circumventus est, et in exilium actus. ASCON.

Cap. 40. *Nulla ex trinis æstivis gratulatio*] Supplicatio Diis decreta in gratiarum actionem: æstivorum autem meminit quod æstas sit accommodatior rebus gerendis. ABRAM.

Fecisse videri] Judicum formula, cum reum damnabant.

Cap. 41. *Nec minus lætabor, cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderem*] *Sordidum* dixit, vilem et abjectum, et sine ullo vitæ nitore ac lautitia vitam agentem. *Sordidatum* autem intellexit, accusatum et reum. BUDÆUS. Reos accedere ad judicium sordidatos nemo non novit. FERRAT.

PRO

T. ANNIO MILONE.

ORATIO XXXVIII.

Hanc dixit Cn. Pompeio III. consule, a. d. VI. Idus April. Quod judicium eum ageretur, exercitum in foro et omnibus in templis, quæ circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex oratione, et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur De optimo genere oratorum. ASCONIUS.

ARGUMENTUM.

Annius Milo, et P. Plautius Hypsæus, et Q. Metellus Scipio consulatum petierunt, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni, et Clodio summæ erant inimicitiæ, quod et Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoque eo enixe operam reip. dederat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque summe studebat Hypsæo, et Scipioni contra Milonem. Ac sæpe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romæ depugnaverant: et erat uterque audacia par: sed Milo pro melioribus partibus stabat. Præterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius præturam petebat: quam debilem futuram consule Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent comitia consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense Januario nulli dum neque consules, neque prætores essent; traheretur que dies eodem quo antea modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat: competitores vero ejus trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis, et T. Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi, eum Interregem prodere moris esset. A. d. XIII. Kal. Feb. (acta etenim magis sequenda, et ipsam orationem, quæ actis congruit, puto, quam Fenestellam, qui a. d. XIV. Kal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum dictator, profectus est ab flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia; prope eum locum, in quo Bonæ Deæ sacellum est. Erat autem allocutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Servi XXX. fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio præterea tres comites ejus, ex quibus eques Romanus unus C. Cassinius Schola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur, cum uxore Fausta filia L. Syllæ dictatoris, et M. Fusio familiari suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, et Birria. Hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. Ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus Birria romphæa trajecit. Inde cum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset pœna, exturbari tabernam jussit. Fuit antesignanus servorum ejus M. Fustenus. Atque ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver ejus in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant. Sex. Tedius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit, et lectica sua

*Romam ferri jussit. Ipse rursus eodem, unde venerat, gressum recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimæque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quæ cum effusa lamentatione vulnera ejus ostendebat. Major postera die, luce prima, multitudo ejusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus senator. Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio. Eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus Syllæ dictatoris ex filia nepos, tribuni p. accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, et in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est. Domum quoque M. Lepidi interregis, (is enim magistratus curulis erat creatus) et absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit. Deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis et Hypsæi; deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem, modo dictatorem. Incendium curiæ majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius consulatum, aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat. Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Celius tribunus pl. et Manilius Canianus ejus collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant. Dicebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui comitia consularia, propter eorum candidatorum tumultus et easdem manus armatas, habere non poterant: itaque primo factum erat S. C. ut Interrex et tribuni pl. et Cn. Pompeius, qui pro Consule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet: delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate præsidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustæ uxoris ejus, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustæ et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, et comitium ejus postulavit eodem tempore Celius: familiam Hypsæi, et Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega. Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. Verba pauca Q. Hortensius dixit, quæ sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem cædem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Hæc agebantur mense intercalari: post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus, Q. Metellus Scipio in senatu contra * M. Cæpionem conquestus est, ac de cæde P. Clodii falsum esse dixit quod Milo sic se defenderet, et Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac XX. servis: Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius CCC. armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum: ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone: semianimem Clodium extractum, in via Appia occisum esse, annulumque ejus ei morienti extractum: deinde Milonem cum sciret in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam, et cum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quæstionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret: villicum et duos præterea servos jugulasse: ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos: Miloni duos solos saucios factos esse: ob quæ Milonem postero die XII. servos, qui ei maxime operam navas-*

* *M. Cæpionem*] Aut accipe de M. Bruto, qui Cæpio cognominatus est, ut ep. ad Att. lib. II. qui Milonem et ipse scripta oratione defendit: aut lege *M. Ciceronem*. MANUT.

sent, manumisisse, populoque tributim singula millia æris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsæo summe studebat, quod fuerat ejus quæstor, desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur: Pompeium respondisse, nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret. Inter hæc cum crebresceret rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse: visum est optimatibus, tutius esse, eum consulem sine collega creari: et cum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S.C. Pompeius ab interrege Ser. Sulpitio, V. Kal. Mart. mense intercalario, consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, et incendium curiæ, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu: pœnam graviorem, et formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Celius tribunus pl. studiosissimus Milonis conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri, et judicia præcipitari: et cum pertinacius legem Celius vituperaret, eo processit iræ Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se remp. defensurum: timebat autem Pompeius Milonem, seu timere se simulabat. Plerumque non suæ, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat: senatum quoque semel in porticu sua habuerat Pompeius, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret: et ille sine mora tunicam levaverat. Tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse quæ in Milonem dicerentur alia. Deinde Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, et, ob id cum proclamassent, abreptos, et perductos in villam Milonis, ibique per duos menses præclusos fuisse: eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Idemque Munatius et Pompeius tribuni pl. in Rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum cædes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, et ad se perductum esse responderat: denunciaverant tamen triumviro, ne servum remitteret. Sed postera die Celius tribunus pl. et Manilius Canianus collega ejus ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt. Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero: tamen, quia ita compereram, putavi exponenda. Inter primos et Q. Pompeius, et C. Sallustius, et T. Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant; invidiosas etiam de Ciceronę, qui Milonem tanto studio defenderet. Eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni. Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam redisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem inflagavit: Pompeio autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompeiusque ob ea sæpius querebatur, fieri sibi quoque insidias, et id palam: ac majore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat: postea autem Q. Pompeius idem minitatus erat. Tanta tamen constantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione ejus, cum posset omne periculum suum et offensionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, si paulum ex studio defensionis remisisset. Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quæsitor suffragio populi ex iis, qui consules fuerant, crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius

Ænobarbus quæsitor. Aliorum quoque judicum, qui de ea re judicarent, Pompeius tales proposuit, ut nunquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret. Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis: et præterea de vi a Q. Petulcio, et L. Cornificio: de sodalitiis a P. Fulvio Nerato: postulatus autem erat et de sodalitiis, et de ambitu ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est, quæsitore A. Torquato: atque ambo quæsitores, Torquatus et Domitius, pridie Nonas Apr. reum adesse jusserunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit. Ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi judicium esset perfectum. Apud Domitium autem quæsitorem major Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IIII. et L., et cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronunciavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes, secundum legem, quæ, ut supra diximus, jubebat, ut prius, quam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent, quarta die adesse omnes in diem postremum juberentur, ac coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio judicum fieret unius et LXXX. qui numerus cum sorte obligisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus. *Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus est, dixit: atrocitatemque rei factæ, quam maxime potuit, auxit. Quem cum interrogare M. Marcellus cœpisset, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob causam M. Marcellus, et ipse Milo a Domitio præsidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit, se postero die cum præsidio descensurum, idque fecit: quare territi Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M. Cicero, M. Marcellus, et Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quæ ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt mulierem ignotam venisse ad se, quæ Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Ultimæ testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu suo magnopere eos, qui adstabant, commoverunt. Dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, judiciumque et dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die judicibus, qui fuit judicii primus a. d. III. Idus Aprilis, clausæ fuerunt tota urbe tabernæ: præsidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius disposuit: ipse pro ærario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde judicum, ut primo die facta est. Post, tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores cœperunt dicere, Appius major, et M. Antonius, et P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus. Respondit his unus M. Cicero. Et cum quibusdam placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium, pro republica fuisse, quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, et edidit, quamvis non egisset; Ciceroni id non placuit, quod, non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit: eoque tota oratio ejus spectavit: sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum forte occurrisse: ex ea rixa servorum ad eam cædem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri sæpe*

minatum esse: et sicut suspectum Milonem major, quam Clodii, familia faciebat, ita expeditior et paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt: itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta ejus oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut jure prima haberi possit. ASCON.

Cap. 1. *Novi judicii nova forma*] Novum judicium dicebatur, quia erat extraordinarium, cum ordinario in judicio secundum leges et morem judiciorum Romanorum de hoc crimine esset quærendum a Prætore, qui quæstionem illo anno de vi sortitus erat. Nam extraordinaria judicia habebantur aut de crimine, de quo nulla lex erat, aut de crimine, quod atrocius existimabatur, quam quod secundum leges puniendum putabant, quale hoc fuit. Ideo Cicero queritur se novo judicio, hoc est, extraordinario fuisse perturbatum, et præterea nova illius forma propter præsidium militare. GRÆV.

Sunt, non afferunt tamen oratori aliquid;] Lamb. *sunt, afferunt tamen oratori horroris aliquid;*

Cap. 2. *Unum genus est adversum infestumque nobis, &c.*] Ita, ut in expositione argumenti diximus, Manutius Plancus pridie pro concione populum adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem. ASCON.

Cap. 3. *Omni terrore*] Vict. Man. Lamb. *omni errore*

Eum] Orestem. MAN.

Patris] Agamemnonis, ab uxore Clytemnestra, et ejus adultero Ægistho interfecti. IDEM.

Variatis hominum sententiis] Ariopagitarum, cum alii factum ejus probarent, alii vituperarent: quod Minerva discrimen sustulit. IDEM.

Divina] Vict. *humana*

Cap. 4. *Quæ non modo*] Dictio *modo* sententiæ nubeculam offundit. Itaque rescribit Gulielmius, *quæ non omnimodo*. Lambinus eam vocem delet. Et vero abest exemplari Basilicæ Coloniensis. Perstat tamen in Palatinis novem et Gruteriano. GRUT. *Non modo*, est *non modo non*, ut sæpe Cicero. Exempla colligit Muretus in Variis, et aliis. Cicero hinc argumentatur, esse cædem quandam licitam, quia cum telo esse concedat se defendendi causa, non autem alium insidiis occidendi. GRÆVIUS. Hic *non-modo*, esse *non modo non*, nullus persuadebit mihi. Sane in exemplis quæ collegit Muretus, *Var. Lect. X. 7.* post *non modo* sequitur vel *ne quidem*, vel *sed etiam:* quorum neutrum, aut quidpiam simile hic esse potest. Ego totum hunc locum sic opinor posse intelligi. *Dat ipsa lex tacite potestatem occidendi. Non* enim in ea est tantum *modo* caput id, quod *hominem occidit vetat, sed* est alterum quoque, quod vetat *esse cum telo hominis occidendi causa.* Cum ergo quæritur, an quispiam contra legem fecerit; in quæstionem non venit, telumne habuerit, sed qua causa habuerit. Si hominis occidendi causa, fecit contra legem. Si telum habuit, si telo hominem occidit, *sui defendendi causa*, non fecit contra legem: non enim telum habuit *occidendi hominis causa*, sed *sui defendendi*. OLIVET.

Cap. 5. *Declarant hujus ambusti tribuni pl. illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur*] T. Munatius Plancus, et Q. Pompeius Rufus tribuni pl. de quibus in argumento hujus orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni et Hypsæo studerent, concionati sunt eo ipso tempore, plebemque in Milonem accenderunt, quo, propter Clodii corpus, curia incensa est: nec prius destiterunt, quam flamma ejus incendii fugati sunt e concione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope juncta curiæ. Ob hoc T. Munatium ambustum Tribunum appellat. Fuit autem paratus ad dicendum. ASCONIUS.

Quæstionem] Novam, de qua Pompeius legem tulerat. MAN.

Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam, contra rempubl. senatus factam esse decrevit] Post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Æmilius Lepidus. Non fuit autem moris, ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed Scipionis et Hypsæi factiones, quia recens invidia Milonis erat, cum contra jus postularent, ut Interrex ad comitia consulum creandorum descenderet, idque ipse non faceret, domum ejus per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt, deinde, omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Postque supervenit Milonis manus et ipsa postulans comitia: cujus adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsæ conversæ sunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. IDEM.

Cap. 6. *Quod si per furiosum illum tribunum pl. senatui, quod sentiebat, perficere licuisset: novam quæstionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. Divisa sententia est postulante nescio quo. Nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus, empta intercessione, sublata est*] Quid sit *dividere sententiam*, ut enarrandum sit, vestra ætas, filii, facit. Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur: eæ si non omnes probantur, postulatur ut dividat, id est, ut de rebus singulis referatur. (Forsitan nunc hoc quoque velitis scire, qui fuerit, qui postulaverit, quod non ferat auditor.) Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronunciant, *divide*: quod cum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. Sed ego, ut curiosius ætati vestræ satisfaciam, acta etiam totius illius temporis persecutus sum; in quibus cognovi, pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P. Clodii cædem, et incendium curiæ, et oppugnationem ædium M. Lepidi contra remp. factam: ultra relatum in acta illo die nihil: postero die, id est, Kal. Mart. Munatium in concione exposuisse populo, quæ pridie acta erant in senatu: in qua concione hæc dixit ad verbum. Q. HORTENSIUM dixisse *ut extra ordinem quæreretur: apud quæsitorem æstimare futurum, ut, cum pusillum edisset dulcedinis, largiter acerbitatis devoraret. Adversus hominem ingeniosum ingenio usi sumus: invenimus Fusium, qui diceret, divideret sententiam. Reliquæ parti ego et Sallustius intercessimus.* Hæc concio, ut puto, explicat, et quid senatus decernere voluerit, et quis divisionem postulaverit, et quis intercesserit, et cur. Illud vos meminisse non dubito, per Q. Fusium illo quoque tempore, quo de incestu P. Clodii actum est, factum, ne a senatu asperius decernceretur. IDEM.

At enim C. Pompeius] Adversariorum objectio. Esto: Senatus de re tantummodo judicarit, censueritque Clodii cædem, cujuscunque tandem scelere contigisset, esse contra rempublicam. At Cn. Pompeius, non solum de re, sed etiam de causa judicavit. ABRAM.

Patet] *Paret* proprium est in hac re verbum, pro liquet, patet. Vide Brissonii formularum lib. V. GRÆV.

Salutarem] A, quæ absolvit. *Tristem*, C. quæ condemnat. MAN.

Cap. 8. *Ut consularem necesse esset*] Creari suffragiis populi, qui quæstioni præesset. MAN.

Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima] Constantiam L. Domitii, quam in prætura præstitit, significat. Nam eo tempore, cum Cn. Manlius tribunus pl. subnixus libertinorum et servorum manu, per-

ditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, et clivum Capitolinum obsideret, discusserat, perruperatque cœtum Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur. Quo facto et plebem infimam offenderat, et senatus magnam gratiam inierat. Ascon.

Cap. 9. *Ita tracta esse comitia*] De die in diem dilata, adeo ut Consules Domitius Calvinus, et Valerius Messala septimo mense vix tandem inierint Consulatum: quod etiam in comitiis Prætoriis videtur contigisse: ut quinque menses ad summum gesserint præturam. Vide Dionem lib. XL. Abram.

Occurrebat] Erfurtensis optime hic addit *ei*, quod vix sine sensu detrimento potest abesse. Græv.

Collinam] Vict. Man. Lamb. *coloniam*

Collinam novam] Horum verborum sententia aperta est: hoc enim significant, Clodium delectu civium perditissimorum habito, eos in certum numerum redegisse, ut nova tribus *Collina* (quam unam ex quatuor urbanis fuisse nemo est qui nesciat) efficeretur. Itaque nihil necesse est comminisci Coloniam, quam Clodius, si prætor factus esset, deducturus fuerit. Fabritius.

Delectu] Vict. Man. *delectum*

Cap. 10. *Ad flaminem*] Junonis Sospitæ. *Prodendum:* Renunciandum, vel creandum. Abram.

Nullis Græcis comitibus] Romani proceres in familia sua studiorum causa Græcos fovebant, Rhetores, Grammaticos, Medicos, Philosophos, Poetas, ut Lucullus Archiam poetam suæ cohorti adscripserat. Vide orat. pro Archia, c. 3. Sic ille Græcus in Pisonis amicitiam receptus, quem describit elegantissime in Orat. in Pisonem, cap. 28. Vide de Græcis comitibus Augusti Sueton. in ejus vita cap. 89. et Tiberii in ejus vita cap. 56. Vide quoque Juvenalem Græculos hos lepide describentem, qui Romam veniebant, et omnes artes jactabant, Sat. III. v. 69. et seqq. Grævius.

Sine uxore] Fulvia, quæ deinde nupsit Antonio: et, ut refert Dio lib. 47. allatum Ciceronis demortui caput consputavit, linguam extraxit, acu crinali perforavit, antequam in Rostris poneretur. Abram.

Cap. 12. *Itaque illud Cassianum*, Cui bono fuerit, *in his personis valeat*] L. Cassius fuit, sicut jam sæpe diximus, summæ vir severitatis. Quoties quæsitor judicii alicujus esset, in quo quæreretur de homine occiso, suadebat, atque etiam præibat judicibus, (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quæreretur, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quæreretur. Ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus tribunus pl. criminatus est, L. Metellum pont. max. totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque et utrasque eas, et præterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. Ascon.

Cui bono fuerit] Non, ut vulgo in ore est omnibus, id significat, *ad quem usum?* Sed, cui homini res fuerit bono, seu emolumento? J. J. Gronov. Observ. lib. IV. cap. 9.

Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tunc solebat, cum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiæ] Hic est Sex. Clodius, quem in argumento hujus orationis diximus corpus Clodii in curiam attulisse, et ibi cremasse, eoque incenso curiam conflagrasse. Ideo lumen curiæ dicit. Ascon. Fingit se arripere digressionis occasionem ex tempore, et ex Clodii oculorum conjectu: ne domo præmeditata proferre videatur. Abram.

Movet me quippe lumen Curiæ] Jocus in ambiguo. Innuit enim Curiæ incendium, cum Sext. Clodium clarissimum Senatorem vocare videatur. Idem.

Cap. 13. *Punitus es*] Pro, punivisti, figurate: *fabricatus est gladium*, pro, *fabricavit*. Quod utrumque Quintilianus, lib. IX. cap. 3. ad verborum figuras refert. MAN.

Quam rem] Alii legunt, *quare etsi nefarie fecisti*. Et sane vix apparet quæ necessitas incubuerit id faciendi, nisi si forte dicamus Sextum populi tumultuantis insania compulsum fuisse, ut et cadaver ejiceret, et Curiam incenderet. Vel sensus erit, *quam rem etsi P. Clodio, qui tibi erat necessarius, fecisti*. ABRAM.

At nunc, P. Clodio] Vict. Man. Grut. *At non, P. Clodio*

Remoto] Vict. Man. Lamb. *mortuo*

Cap. 14. *Vim? Quæ, &c.*] Vict. Man. Lamb. *vim intentavit?* et omittunt, *judiciumne timui?*

Aut vestra mala, aut mea nec præclarissima] Alii aliter legunt. Ferratius delet *nec*, et sic interpretatur: "Causa de Conjuratis *interfectis* videbatur mala, sed erat causa senatus, qui eos puniri voluerat. De Conjuratis *deprehensis*, præclarissima erat, et mea, qui deprehenderam. Neutra in causa erat, quod timerem. Potest tamen, ni fallor, servari *nec*." Hoc enim totum ironice dictum. OLIVET.

Quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit, hæc intentata nobis est: huic ego objici vos pro me passus nm sum: hæc insidiata Pompeio est] Manifestum est pertinere ad id tempus, quo, post rogationem a P. Clodio in eum promulgatam, urbe cessit. Quare dicat, *Insidiata Pompeio est*, fortassis quæratis: Pisone et Gabinio Coss. pulso Cicerone in exilium, cum III. Idus Sext. Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit: ex eo * domi tenus obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus temporis cognovi: in quibus XV. Kal. Sept. L. Novius tribunus pl. collega Clodii, cum Damio adversum Flavium prætorem appellaret tribunos, et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: Et hoc apparitore Publii Clodii vulneratus sum: et hominibus armatis præsidiis dispositis a republica remotus sum. Cneus Pompeius obsessus est. Cum appeller, non utar ejus exemplo quem vitupero: et judicium tollam, et reliqua de intercessione. ASCON.

Hæc istam Appiam viam, monumentum nominis sui, nece Papirii cruentavit] Pompeius post triumphum Mithridaticum, Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium senatorem: qui postea cum esset prætor eodem anno, quo tribunus pl. Clodius, petit ab eo Clodius super cœnam, ut Tigranem adduci juberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, dein Flavio non reddidit: Tigranem dimisit, et habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit: postea in navem deposuit: et cum profugeret, ille tempestate delatus est Antium. Illico, ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium, de quo supra dixi, misit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. Ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est: in qua multi ex utraque parte ceciderunt; plures tamen ex Flavii, inter quos et M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flavius sine comite Romam vix perfugit. ASCON.

Hæc eadem longo intervallo conversa rursus est in me. Nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam pene confecit] Quo die periculum hoc adierit, ut

---

* *Domi tenus*] Fortasse, *domitenus*. Quid enim hoc est sic disjunctum? At *domitenus* est is, qui se domi vel domo tenet, qui domum tenet et servat. Vox composita, ut *domiducus*, *domipota*, *domiseda*, &c. Vide Basilii Fabri Thesaurum, verbo *Domus*. OLIVETUS.

Clodius eum ad Regiam pene confecerit, nusquam plane inveni. Non tamen adducor, ut putem Ciceronem mentitum, præsertim cum adjiciat, *ut scitis*. Sed videtur mihi loqui de eo die, quo consulibus Domitio, et Messala, qui præcesserant eum annum, cum hæc oratio dicta est, inter candidatorum Hypsæi et Milonis manus in via Sacra pugnatum est, multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. De cujus diei cæde et periculo suo ut putem loqui eum, facit et locus pugnæ; nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia; et quod affuerunt cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsæi Clodius. IDEM.

Potuitne L. Cæcilii, justissimi fortissimique prætoris, oppugnata domo] L. Cæcilius Rufus, de quo dicitur, prætor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello nepote Coss. quo anno Cicero restitutus est. Is cum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur. De oppugnata domo nusquam adhuc legi. Pompeius tamen, cum defenderet Milonem apud populum, de vi accusante Clodio, obstitit. Et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita ejus, oppressum a Clodio L. Cæcilium prætorem. IDEM.

Cap. 15. *Pompeium pro Milone dicentem*] Vide Epist. ad Q. Fratrem, II. 3. et Fam. I. 3.

Cum M. Antonius] Difficile est expedire quam M. Antonius reipublicæ partem susceperit: nisi si fortasse Clodio, *cum Coloniam*, vel, ut alii malunt, *Collinam novam, delectum perditissimorum scriberet civium*, ut dictum est initio narrationis, ei se opposuit M. Antonius, cumque jure et legibus huic delectum impedire non posset, ferro conatus est occidere. Vide Philipp. II. 9. ABRAM.

Septa] In comitiis repagula quædam erant tum in campo, tum in foro, quibus multitudo arcebatur. Suffragium autem laturi intromittebantur. HOTOM.

Cap. 17. *At quo die? Quo, ut ante dixi, insanissima concio, ab ipsius mercenario tribuno pl. concitata*] Hoc significat, eo die, quo Clodius occisus est, concionatum esse mercenarium ejus Tribunum pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Salustius, et Q. Pompeius, utrique et inimici Milonis, et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompeium significari. Nam ejus seditiosior fuit concio. ASCON.

Dixit C. Cassinius Interamnas, familiarissimus, et idem comes Clodii, P. Clodium illo die Albæ mansurum] Fuit hic Cassinius, apud quem Clodius mansisse Interamnæ videri volebat, qua nocte deprehensus est in Cæsaris domo, cum ibi in operto virgines pro populo Romano sacra facerent. IDEM.

Cap. 18. *Scitis, Judices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu cædem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Me videlicet latronem et sicarium abjecti homines et perditi describebant*] Q. Pompeius Rufus, et Sallustius tribuni fuerunt, quos significat. Hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati sunt, et dixerunt, manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero majoris alicujus. IDEM.

Cap. 19. *Quid afferebat causa festinationis*] Si subscriberent libri, amplecterer lectionem, quam non Victorius solum est amplexus, sed quam præ se fert Ascensiana, Cratandri, et Hervagiana, *Quid adferebat festinatio?* Quid adferebat emolumenti, aut utilitatis festinatio? *Causa* sæpissime est prætextus. Hæc igitur erit sententia vulgatæ lectionis, *causa festinationis quid adferebat?* Prætextus iste Romam properanti quid tibi proderat? quem fructum ex illa festinatione capiebam? Sed vulgatam sanam esse non credo. GRÆV. Sic opinor posse emendari: *Quid afferebat* causam *festinationis?* ANON.

Atque ut illi nocturnus adventus vi-

tandus fuit, sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accesturum sciebat, subsistendum, &c.] Via Appia est prope urbem monumentum Basili, qui locus latrociniis fuit perquam infamis: quod ex aliis quoque multis intelligi potest. ASCON.

Quod nisi sciret Milo] Legunt alii, *Quod ut sciret.* Libenter legerim, *Quidni, si sciret.* Ut vocem *diversurum* interrogationis nota subsequatur. Vel, quod magis arridet, *Quod, si sciret*, &c. ABRAM. Erfurtensis sane et Lambini vetus codex, *Quod ut sciret Milo;* quæ scriptura non est repudianda. *Ut* accipitur, ut sæpius *ut ut*, pro quamvis, licet. Quamvis id sciret Milo, &c. GRÆV.

Ariciæ fuisse] Sensus est: Milo vel ignoravit discessisse Clodium Aricia, sicque non est profectus eo consilio, ut Aricia redeuntem interficeret: vel scivit, adeoque potuit suspicari, Clodium diversurum ad Albanum villam suam, quæ erat prope viam. Cur igitur non occurrit Clodio inter Ariciam et Albanum? FERRAT.

Cap. 20. *Mille hominum versabatur*] Vide Gronovium, lib. I. de Sestertiis, cap. 10. ubi erudite ostendit, *mille* non esse χιλιάδα, ut statuebant Gellius et Macrobius, nec *mille hominum* dictum esse conjunctione substantivi cum substantivo, sed adjectivi cum substantivo, nec nominativi cum genitivo, sed duorum genitivorum; intelligi autem nominativum, *multitudo*, vel *numerus*, vel *manus*, ut integre apud Maronem: *Sub quo mille manus juvenum.* GRÆV.

In Alsiensi] Alsium oppidum fuit in Etruria, ut auctor est Plinius, libro III. cap. 5. in cujus territorio villam habuisse videtur Pompeius. ABRAM.

Cap. 21. *Comitis Græculi, quocunque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat*] Sæpe objicit Clodio Cicero, socium eum conjurationis Catilinæ fuisse. Quam rem nunc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlii centurionis, qui tum in Etruria ad Fæsulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum voluisse, et cœpisse, tum dein mutato consilio in urbem redisse. ASCON.

Cap. 22. *Proxime ad deos accessit Clodius*] Cujus de servis ita quæritur, ut si cæremoniæ deorum violatæ essent. MANUT.

Cum ad ipsos penetrarat] Festive tempus illud describit, cum ingressus est Clodius muliebri vestitu, stupri causa, ad sacra Bonæ Deæ. IDEM.

Cap. 24. *Sparorum*] Nonnius de genere armorum: *Sparus telum agreste.* ABRAM.

Tam celebri loco] Habitabat enim Cæsar, a quo tempore pontifex max. creatus est, in sacra via, in domo publica: cum ante pontificatum in Suburra modicis ædibus habitasset. SUETONIUS.

Nisi eo tacente] Miror Lambinum hic non recepisse verissimam scripturam veteris codicis, in quo est, *ut eo tacente res*, quam didicit ex Fabritio, ut ejus editionis marginis ostendunt. *Nisi*, hic ferri non potest. GRÆ.

Cap. 25. *Non jam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei (te enim jam appello, et ea voce, ut me exaudire possis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus*] Diximus in argumento orationis hujus, Cn. Pompeium simulasse se timere, seu plane timuisse Milonem, et ideo ne domi quidem suæ, sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque præsidio militum circumdaret. Q. POMPEIUS tribunus pl. qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio, et sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in concione paucis post diebus, quam Clodius erat occisus: *Milo dedit, quem in curia cremaretis: dabo, quem in Capitolio sepeliatis.* In eadem concione idem dixerat (habuit enim eam a. d. VIII. Kal. Febr. cum Milo pridie, id est, VII. Kal. Febr. venire ad Pompeium in hortos ejus voluisset) Pompeium ei per hominem propinquum misisse, ne ad se veniret. Prius etiam

quam Pompeius tertium consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, et ab eo quæsierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suæ vitæ insidiari Milonem. Responderat Pompeius, Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos comparatos esse ad cædem suam: nomina quoque servorum edidisse: ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet: a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse. Dein, cum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum judicem venisse: qua re cognita, in vincula eum publica a se conjectum. Decreverat enim senatus, ut cum interrege et tribunis pl. Pompeius daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. delectu per Italiam habito cum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item, cum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum tum excuti prius, quam in senatum intraret, jusserat. Hæ sunt suspiciones, quas dicit se Cicero pertimescere. ASCON.

Conquisitores] Qui delectui habendo, conscribendoque exercitui præerant. FERRAT.

Antestaretur] *Antestari* dicebantur ii, qui cum in jus quempiam vocarant, præsentes apprehensa auricula monebant, uti meminissent eum in jus vocatum, et, cum opus esset, id testarentur. Vide Turnebum lib. decimo tertio Adversar. cap. vigesimo septimo. ABRAM.

Cap. 26. *Contra hesternam concionem illam*] Idem T. Munacius Plancus, ut sæpe diximus, post audita et obsignata testium verba, dimissosque interim judices, vocata concione cohortatus erat populum, ut clausis tabernis postero die ad judicium adesset, nec pateretur elabi Milonem. Asc.

Cap. 27. *Sacramentis*] Sacramento contendere, est, deposita apud pontificem pecunia litigare. Varro, lib. V. Ling. Lat. et Asconius in Div. MAN.

Cap. 28. *Ferre imperium .... enim feceratis*] Grut. *ferre? Imperium si ille nactus esset, omitto .... faceretis.*

Esset vero timendum] Ironice dictum. Particula *vero* servit ironiæ, ut monet Servius, Æneid. lib. IV. vers. 93. ABRAM.

Cap. 29. *Interfector .... pœnam*] Vict. Man. *interfector non esset, etiam confitendo, ab iis impetraturus, ne pœnam*

Ad immortalitatis et religionem et memoriam] Lamb. *immortalitatem religione et memoria*

Cap. 31. *Vos enim jam Albani tumuli*] Quintilianus, XII. 10. *Hic orator*, inquit, *et defunctos excitabit, ut Appium Cæcum: apud meæ et patria ipsa exclamabit, aliquemque* (ut apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in senatu) *alloquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi superlationum quoque eriget.* Quæ Charybdis tam vorax? &c. Oceanus medius fidius ipse. *Nota sunt enim jam studiosis hæc lumina. Hic Deos ipsos in congressum prope suum, sermonemque deducet: Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ et æquales.* Idem lib. VII. cap. 2. *Aversus quoque a judice sermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire movet: sive adversarios invadimus:* Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalica gladius agebat? *Sive ad invocationem aliquam convertimus:* Vos enim jam ego, Albani tumuli, atque luci. P. MANUT.

Latiaris] Vide Plin. XXXIV. 7.

Cap. 32. *Incidebantur jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent*]

Significasse jam puto nos, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum sunt, ferre. ASCON.

Novo] Vict. Man. Lamb. *Cn. Pompeium novo.*

Cap. 33. *Senatus, credo, prætorem eum circumscripsisset, ne, cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat*] Significat id tempus, quo P. Clodius, cum adhuc quæstor designatus esset, intravit eo, ubi sacrificium pro populo Romano fiebat. Quod factum notatum erat a senatu, decretumque ut extra ordinem judicium fieret. IDEM.

Consularem] Ciceronem.

Cap. 35. VERS. A NOVISS. CLX. Quo loco inducit loquentem Milonem cum bonarum partium hominibus, de meritis suis. *Plebem, et infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vestra vita, se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret*] Puto jam supra esse dictum, Milonem ex familia fuisse Papia, deinde adoptatum fuisse a C. Annio avo suo materno. Tertium patrimonium videtur significare matris. Aliud enim quod fuerit, non invenio. Peracta utrinque causa, singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites, et tribunos ærarios rejeceruut. Ita ut unus et quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII. absolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII. absolverunt IV. Tribuni ærarii condemnaverunt XIII. absolverunt III. Videbantur non ignorasse judices, inscio Milone initio vulneratum esse Clodium: sed compererant, postquam vulneratus esset, jussu Milonis occisum. Fuerunt, qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum. Nam et bene cum republica actum esse morte P. Clodii non dissimulaverat, et studebat in petitione consulatus Miloni, et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero præsentem, et testatus erat, audisse eum a M. Favonio ante diem tertium, quam cædes facta erat, Clodium dixisse periturum esse eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile visum est: unde sciri unquam potuit utram sententiam tulisset? Damnatum autem opera maxime Appii Claudii, pronunciatum est. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit ejus Appius Claudius, et cum ei præmium lege daretur, negavit ei. Subscripserunt, et in ambitus judicio P. Valerius Leo, et Cn. Domitius, Cn. F. Post paucos dies quoque Milo apud Favonium quæstorem de sodalitiis damnatus est, accusante P. Fulvio Nerato, cui lege præmium datum est. Deinde apud L. Fabium quæstorem iterum absens damnatus est vi. Accusavit L. Cornificius, et Q. Patulcius. Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. Bona ejus propter alieni æris magnitudinem semuncia venierunt. Post Milonem, eadem lege Pompeia primus est accusatus M. Saufejus M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodios occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius C. filius, C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Celius: obtinueruntque, ut una sententia absolveretur. Condemnaverunt senatores X. absolverunt VIII. Condemnaverunt equites Romani IX. absolverunt VIII. sed ex tribunis ærariis decem absolverunt, VI. condemnaverunt; manifestumque odium Clodii saluti Saufejo fuit, cum ejus vel pejor causa quam Milonis fuisset, qui aperte dux fuerat expugnandæ tabernæ repertus. Deinde post paucos dies apud Considium quæstorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Accusave-

runt C. Fidius, Cn. Aponius, Cn. filius, M. Seius, Sex. F. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. Absolutus est sententiis plenius, quam prius. Graves habuit XIX. absolutorias II. et XXX. Sed e contrario hoc, ac priore judicio, accidit. Equites enim, ac senatores eum absolverunt, tribuni ærarii damnaverunt. Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuit, accusantibus C. Cosennio Philone, M. Ausidio, L. Aponio, magno consensu damnatus est, sententiis VI. et XI. absolutarias V. omnino habuit, duas senatorum, tres equitum. Multi præterea, et præsentes, et cum citati non respondissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum. ASCONIUS.

Meis] Vict. Man. *suis* Lamb. *tuis*

PRO

C. RABIRIO POSTUMO.

ORATIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Legis Juliæ de repetundis caput quoddam erat, Quo ea pecunia pervenisset: *ut, si de repetundis damnatus non cavisset populo prædibus ante judicium datis, neque bonorum suorum venditione post damnationem satisfecisset, ii postularentur, ad quos ea pecunia pervenisset. A. Gabinius Syriæ proconsul, cum Romam revertisset App. Claudio et L. Domitio Coss. accusatus est de majestate apud C. Alfium, et absolutus: accusatus iterum de repetundis apud M. Catonem damnatus est, quod accepta pecunia Ptolemæum in regnum restituisset. Gabinio damnato lis, ut mos erat, æstimata est decem millibus talentum: cumque ex illius bonis tantum pecuniæ non posset redigi, neque antea prædes populo dedisset; accusatus est ab eodem Gabinii accusatore C. Mimnio Tribuno pl. C. Rabirius apud eosdem judices, quasi ad eum ea pecunia pervenisset. Cicero defendit.* FERRATIUS.

Cap. 1. *Suæ fortunæ . . . . opes*] Vide Mureti Var. Lect. XVII. 5.

Potestati regiæ] Ptolemæo, quod ex narratione perspicuum erit. HOT.

Quod sermone hominum ad memoriam patrum virtus celebretur] Cum sæpe homines patrum virtutem commemorent in filiis ornandis. FERRAT.

Parva magnis] Publicanus Imperatoribus. IDEM.

Cap. 2. *Nunquam viderat*] Unde Postumi cognomen accepit. MAN.

Magnas partes] Præcipuas curationes: ut infra: *Dare partes.* IDEM.

Publicorum] Sic Pall. ambo, neque aliter citat Turnebus, lib. X. Adversar. cap. 23. legique sic voluit Cujacius, lib. X. Observ. cap. 25. Muretus, XVII. Vulgata *publicanorum.* GRUT.

Dedit se Regibus] *Dare se alicui* est offerre alicui sua officia, et operam, et facere, quod quis vult. Cic. II. epist. ad Fam. 8. *Da te homini, complectetur, mihi crede.* GREV. Videatur item Turnebus, Advers. lib. X. cap. 23.

Mittere in negotium] Ad obeunda societatum negotia: ad deportandas pecunias, quæ a societate credebantur; aut eas exigendas. HOTOM.

Dixit Sibylla] Cum a Senatu de-

eretum esset, ut Lentulus qui tum proconsul Ciliciam obtinebat, Regem reduceret. Rex autem legatos Alexandrinorum, qui Romam causam expulsionis dicturi veniebant, partim interficiendos, partim corrumpendos curasset; Jovis statua in Albano posita de cælo tacta est: ob eam causam Sibyllini libri consulti sunt, in quibus ita scriptum fuit: *Si Ægypti rex venerit, opis indigens, amicitiam quidem ne recusetis, exercitu autem ne illum adjuvetis, alioquin in labores et discrimina curretis. Quæ verba Senatus cum iis quæ acciderant conferens, ea quæ prius decreverat religionis causa (ut dicebant) abrogavit.* Hæc Dio. Sed tamen Cicero ad Lentulum scribens lib. epist. famil. I. ficta et simulata hæc fuisse omnia confirmat. HOTOM.

Quod male] Ant. Augustinus legebat: *Quod male cecidit: id si bene, bene consultum putares.*

Cap. 3. *Hinc primum exoritur crimen illud: Senatum corruptum esse dicunt*] Vel *hic* legatur pro *hinc*, et tunc sententia erit clarior: vel omnia illa deleantur, *primum exoritur crimen illud.* Et tunc exponam, *hinc*, ex hac pecunia scilicet, corruptum esse senatum dicunt. Delenda quidem esse videntur, tum quod ex loco inferiore desumpta esse appareant, *at ex hoc ipso crimen exoritur:* tum etiam, quod si non deleantur, nullam fere accusatio illa sequens adversus Rabirium vim haberet, quod senatus corruptus esse diceretur. Nunc deletis illis, et iis quæ restant, conjunctis inter se, sic, *hinc Senatum corruptum esse dicunt:* vim accusatio majorem habet, cum objicitur Rabirio, quod ex ea pecunia, quam ille Regi credidisset, corruptus esse Senatus dicatur. Quod tamen verba illa attinet, *primum exoritur crimen illud*, sic etiam loquitur in ea pro Ligario cap. 7: *Hinc in Ligarium crimen exoritur.* PATRICIUS.

Causam dicunt] Rei sunt, accusantur. MAN.

Non dicimus] Nam si, qui corrupit, accusatur: cur non simul is, qui corruptus est? IDEM.

Cap. 4. *Quo ea pecunia pervenerit*] Verba legis Juliæ adversus omnes, qui partem aliquam pecuniæ contra leges accepissent. Qui non accusabantur primo loco, sed post eum, in quem totum illud acceptæ pecuniæ crimen conjiceretur. Qui si erat absolutus, nemo præterea accusabatur. Sin damnatus, accusabantur ii, ad quos ejus pecuniæ pars pervenisse putaretur. Ideo subjungit: *quasi quædam appendicula causæ judicatæ atque damnatæ.* IDEM.

Sunt lites æstimatæ A. Gabinio] Damnato reo, æstimatio fiebat acceptæ ab eo pecuniæ. Eam pecuniam aut prædes dati se soluturos pollicebantur: aut ex rei bonis, auctione venditis, exigi oportebat. Neutrum dicit esse factum. IDEM.

Nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recipi, &c.] Lectio corruptissima. Quomodo legatur in scriptis suis, prodidit Turnebus, Advers. X. 23. Nam ut veteris editionis, et Pall. variantes adscribam, otium non est. Muretus ait erutam a se veram lectionem e Ciofani libro; *litium fuit, servari potest.* Cujacius Paratitlis ad D. Lege Julia repetundarum, legendum esse asserit, *litium fuisset, pecuniæ servatæ.* GRUT. Legit autem Lambinus, *Nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset recepta. Lex ecqua est? Jubet lex, &c.* Bene quidem, si ex Mss. Confer, quæ infra, leguntur, cap. 13. OLIVET.

Si est hoc novum] Mihi vero simillima videtur emendatio Mureti, qui legit e duobus manuscriptis: *Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, et sanctius;* inducatur *sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova.* Pro *judicata* scribitur sane in Francii etiam *indicatur.* Ex vulgata nullam sententiam commodam extorqueas, nec quid sibi hic velit *judicata*, facile dicas. Nam valde friget oratio, si sic explices: quæ et sanctius esse scripta ab ho-

minibus judicata sunt. Nunquam sic scripsit Cicero. Vera est manuscriptorum Mureti et Francii lectio. Sequentia clamant, hanc esse solam probandam. *Sin hoc totidem verbis, &c. quid agimus, Judices? aut quem hunc morem novorum judiciorum inducimus?* Si hoc novum est, et ex lege Julia proficiscitur, inducantur nova judicia. Sin vero hoc antiquum est, et ex vetustioribus legitur in Juliam translatum, cur novum judiciorum morem inducimus? Nihil certius. GRÆ.

Quod] Man. Lamb. *quot*

Dicendi] Lamb. *discendi*

Dicendi] Malo, *discendi*, quod alii ante nos viderunt. Non enim hic de eloquentia sermo est, sed de notitia consuetudinis judiciorum, quam sibi dixit, si usus magister est optimus, debere esse notissimam. MAN.

Rationibus civitatum] Quæ recitari solebant in judicio: ut ex iis constaret, quam quisque pecuniam contra leges cepisset. MAN.

Cap. 5. *Illo, inquit*] Mureti, *Var. Lect.* XVII. 5, emendatio, quamvis videatur esse ingeniosa, si tamen attentius eam consideres, aliena non modo est a veteribus libris, sed etiam ab hujus loci sententia. Nam ista verba, ut Muretus ea concepit, *cum in Gabinium judex esses, nihil de Rabirio auditum, nihil cum ei lites æstimarentur*, sunt necessario Ciceronis, quæ reponuntur hic Judicis verbis: *Illo, inquit, capite, quod erat in Postumum.* Sed Ciceronis esse non possunt, quia sequentibus respondet demum Cicero his, quæ ex judicis persona sibi ipse objicit. *At nunc audio* scilicet, quo capite legis, judex teneri Postumum credat. In præcedentibus hanc ἀντιφωνὴν, ut vides, Cicero compellat judicem. *Datur tibi tabella judicii*, &c. illumque monet, ut cogitet lege Julia repetundarum non teneri Postumum, quia sit eques, utque caveat ne tabella libidinose abutatur. Ciceroni respondet judex: *Illo capite tenetur quod erat in Postumum, quod in Gabinio judex esses*, &c. Nunc quid mihi de hoc inquinato loco videatur, audi. Existimo scribarum culpa excidisse verba capitis legis Juliæ, quod judex laudabat, nimirum, QUO PECUNIA PERVENERIT, idque somnolentia scribarum, quia, hæc verba omissa a *quo* incipiunt, ut statim sequentia a *quod, quod erat in Postumum.* Sic igitur hunc locum censeo constituendum esse. *Illo, inquit*, (scilicet judex,) *capite*, QUO PECUNIA PERVENERIT, *quod erat in Postumum. Cum in Gabinium judex essem, nihil Gabinio datum, cum lites æstimarem.* Nam in veteribus est *æstimaret.* Si malis *æstimarentur*, cum aliis, non renitor. Nihil accepit Gabinius a Postumo, cum de Gabinio pronunciarunt, cum tamen pars regiæ pecuniæ pervenerit ad Postumum. Ergo hoc capite tenetur. Ad hæc regerit Cicero, *At nunc audio. Reus igitur*, et quæ sequuntur. *In eum* adscripsit imperitus aliquis margini, cum vellet explicare, cui lites sint æstimatæ. Cicero non dixisset, Latinum enim non est, *cum lites in eum æstimarentur*, sed *cum ei lites æstimarentur:* quod et Muretus intellexit; aut *cum ejus lites æstimarentur.* GRÆ.

Cap. 6. *Quorum jus judicio tentatur*] Vestrum jus est: ne quis vos lege de repetundis accusare possit. Hoc jus tentatur, uno equite Rom. in judicium vocato; qui si damnatur; erit, cur eandem sibi quisque vestrum calamitatem perlimescat. MAN.

Glaucia] De quo in Bruto.

Cap. 7. *Est simul etiam sollicitudo aliqua*] Sensus est, Istis honoribus et ornamentis aliqua etiam sollicitudo atque molestia, nimirum ob majorum judiciorum pericula, immixta est: *majorum* enim lego, non *major*. HOT.

Tam es tu judex, quam ego senator] Objectio senatorum. Cur ea lege, qua nos teneremur, vos equites liberi, ac soluti esse vultis? quandoquidem, si senatores nos sumus, vos judices estis. Tu eques tam es judex, quam ego sum senator. Quod si ego senator judicia non recuso; quid est, cur tu judex ea recuses? MAN.

Ex tantis inimicitiis] Consul Gabi-

nius tribunum pl. in ejiciendo Cicerone Clodium adjuverat. IDEM.

Defenderim] Vide Orationum Fragmenta, pro *A. Gabinio.*

Cap. 8. *Huic videlicet perblandus reperiundus fuit*] Emendo ex codice Ms. *persuasor blandus*, quo verbo magnopere hic locus illustratur. HOT. Muretus corrigit ex Ms. *Hui! videlicet puer blandus*, &c. GRUT. *Huic*, id est, Gabinio. Est enim, hujus gratia. Ptolemæo homo blandus reperiendus fuit, hoc est, ad hunc exorandum Gabinium, ne tantam pecuniam sperneret. Aut, si quis malit, legatur, *Homo videlicet perblandus:* nam alioquin *perblandus* tibicinem desiderat. Quod quidam scribunt *hui!* nimis videtur Comicum. BEHOTIUS.

P. Lentuli] Ciliciæ proconsulis, cui negotium illud senatus mandaverat, ut scriptæ ad eum Ciceronis epistolæ docent. MAN.

Diæcetes] Procurator, et quasi dispensator regius, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν. Infra: *Ut ventum est Alexandriam ad Auleten, hæc una ratio a rege proposita Postumo est servandæ pecuniæ, si curationem, et quasi dispensationem regiam suscepisset; id autem facere non poterat, nisi diæcetes.* Hoc enim nomine utitur, qui a rege esset constitutus. Ex hoc loco satis apparet Ægyptum Græca lingua usam esse. Atque etiam infra, cum de legatis Alexandrinis Cicero loquatur, Græcos appellat. *Nostis*, inquit, *insulsitatem Græcorum.* MAN.

Vita ejus oblata pœnæ est] Legendum, *vita ei ablata pene est*, censuerunt, Hotomanus, Patricius, Muretus, et Rubenius. Quod Grævius recepit.

Cap. 9. *Superior stultitia*] Quod regi grandem pecuniam credidit, non modo postquam regno pulsus est, sed antea quoque, cum regnaret. Eam pecuniam, rege restituto, ut recuperaret, in regnum venit stulte: quid enim stultius quam venire in eum locum, ubi parendum alteri, et serviendum sit? Sed hæc stultitia necessaria, superior illa voluntaria fuit. Itaque hanc ab illa, unde orta est defendi, atque excusari, quis non videt? MAN.

Non tam, &c.] Vict. Man. Grut. omittunt, *non*

Palliatum] Pallio potius, ut Alexandrinum hominem, quam toga, ut Romanum, usum esse. MAN.

Cap. 10. *Cum mitella*] Bene deliciis et voluptatibus mitellam adjungit. Fuit enim mitra, tegumentum capitis virorum mollium, aut etiam fœminarum. Quare viris probrorum fuit gestare mitram. IV. Æneid. 216. *At nunc ille Paris cum semiviro comitatu Mæonia mentum mitra, &c.* Vide et IX. 616. ABRAM.

Chlamydatum] Plerumque enim togatæ dicari statuæ solebant, quemadmodum scribit Plinius, lib. XXXII. cap. 5. Atque horum quidem mentionem facit Valerius Max. libro III. cap. 8. sed cum hunc Ciceronis locum inserere in suam ille historiam cogitaret, verborum oblivione Neapoli Syllam cum chlamyde ambulasse scribit. HOTOM.

Auletem] Latine, tibicinem. Cognomen Ptolomæi regis, quia fidibus præcipue delectaretur. MAN.

Si sine maximo dedecore] Retorquet argumentum. More debuit, quo dedecus effugeret. Immo vero mori, tam impeditis rebus suis, sine dedecore, et quidem maximo, non potuit: ad priorem enim culpam rei familiaris temere projectæ, desperationis, animique debilitati, et fracti, et fortunæ cedentis infamiam addidisset. IDEM.

Cap. 11. *Præter rogitatum si querare*] Legendum, *si loquare*, non ut in libris manuscr. et vulgatis, *querare.* Sunt enim hæc ex Euripidis Medea, μὴ λόγους λέγε. Quin, si ex Euripide expressa sunt, ut sunt, legendum in imperativo, *præter rogitatum ne loquere.* LAMB. *Præter rogitatum*, est præter id, quod rogaris. *Si querare*, si murmures. H. COLUMNA.

Ex decumis imperatorum] Turnebus hoc loco, *decumas imperatorum* interpretatur, decumas pecuniæ imperatæ a Rege Ptolomæo ad usum Gabinii. Quod si est, legerem fere, vel *ex de-*

cumis imperatis, vel *ex decumis imperati æris*. PATRIC.

Utrum accessionem decumæ, ut nostri coactores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit] Gabinio, regis jussu, cogebatur illa pecunia, nempe decem millia talentum. Postumus unde sibi sumpsit? Nam si, ex decumis fiunt decem millia talentum, quæ Gabinii sunt: pro Postumo quid superest? Exegit, inquies centesimam, nostrorum coactorum more, præter illa decem millia talentum Gabinio, coacta: ex quibus, cum ei pro reductione regis promissa essent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum est, respondet Cicero, tota coacta pecunia undecim millia talentum fuisset, non decem millia: quæ ab accusatore objecta, judices, damnato Gabinio, æstimarunt. Id autem quis verum putabit? Nam tantum novi oneris, id est mille talentum, imponi populis, rex non videtur passurus fuisse. Sin autem Postumum in cogenda sibi pecunia non accessionem fecisse ad decem millia talentum, sed ex ipsis decem millibus, Gabinio promissis, centesimam sibi sumpsisse dices: oui verisimile videbitur Gabinium, hominem, ut tu vis, avarissimum, tantum pecuniæ de promissa sibi summa detrahi passum esse? MAN.

Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit] Cum a coactoribus imperatorum nomine pecunia redigeretur, solebat imperatoris nomen in tabulas expensi et accepti, id est, Alexandrinorum et coactorum referri. Qua de causa si postea quærendum civibus videretur, primum in eum, cujus nomine redacta erat pecunia, accusatio intendebatur, ut si furtum factum appareret, tum is quoque qui coegerat et accessionem receperat, in crimen similiter vocaretur, ut, ejus causa tanquam appendicula quædam causæ judicatæ et damnatæ fuisse videatur. Pendet enim ejus causæ veritas a prioris causæ bonitate: nam si furtum decuma factum est, reddi quoque furti accessionem oportet. Neque prius intelligi potest furtumne fecerit coactor, et injuria corollarium acceperit, quam judicatum sit, furtum in sorte ac principali factum esse. HOTOM.

Etiamne is solet, qui laudavit] Si is, qui non dixit in eum, cui redigitur pecunia, nunquam solet dicere in eum, qui pecuniam redegit, num hoc faciet, cum laudaverit eum, cujus nomine redacta est pecunia? Iidem testes, etsi ipsi non producantur, sed tantum eorum dicta legantur, cum laudarunt eum, cui redacta pecunia esse dicitur, creduntur etiam laudasse, qui pecuniam redegit, eaque habetur in judiciis tanquam causa præjudicata. GRÆV.

Cap. 12. *Eandem causam*] Amicitiam Pompeii, cujus opera Ptolemæus redierat in regnum, Cicero autem ab exilio. MAN.

Quid? postea] Necesse est credi vel negantibus, vel affirmantibus. Negantibus in Gabinii judicio creditum non est: itaque judices eum damnarunt: affirmantibus igitur contra Postumum creditur. Hic Cicero ducit argumentum a testium inconstantia. Quid ergo? inquit: iisdem testibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non sit? Disputationis autem hic est ordo. *Accusator* dicit: Non est tum Alexandrinis testibus creditum. *Defensor:* Quid postea? *Accusator:* creditur nunc. *Defensor:* Quamobrem? *Accusator:* Quia nunc aiunt: quod tum negabant. *Defensor:* Quid ergo? ista conditio, &c. MAN.

Postea credetur? Credetur. Quamobrem?] Vict. Grut. *Quid? postea creditum? Non. Quamobrem?*

Quid vultis? sileant] Lamb. *Quid multa? aut sileant, aut verum dicant.*

Minorum] Hanc lectionem ut optimam probo. Notum, quam multis fallaciis, præstigiisque utantur mimi, præcipue apud Græcos. FERRAT.

Cap. 13. *Nobiscum*] Cum ego Gabinium de repetundis defenderem. Vide supra, cap. 8. MAN.

Quibus superciliis] Quo verius eorum testimonium videretur, admira-

tionem superciliis ostendebant, negantes omnino verum esse crimen decem millium talentorum. IDEM.

Nunc scilicet tempus nullum est] Ironia. Æque nunc mentientur odio in Postumum, ut antea mentiti sunt benevolentia in Gabinium. FERRAT.

Quanta summa litium fuisset, populus recepisset] Cujacius in Paratitlis ad D. leg. Julia de repetundis legendum ducit *fuisset, pecuniæ redegisset*. Et mox ubi habemus, *pecunia ad quem eorum qui damnatus est pervenisse*, &c. rescribit ejus loco, *pecuniam quam ceperit is qui damnatus*, &c. sed Mss. nostri nihil recedunt de scriptura vulgata. GRUT.

Ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia] Hunc locum male affectum esse non tantum ostendit sententia, et hæsitatio doctorum virorum, sed et antiquorum librorum varietas. Franc. Ms. et editio Mediolanensis: *Quod ex ea pecunia, quæ ad quem eorum, qui damnatus est, pervenisse ad aliquem in illo primo judicio planum factum sit*. Editio prima: *Quod ex ea pecunia, quæ ad aliquem eorum, qui damnatus est, pervenisset ad aliquem nullo præmio judicio planum factum sit*. Legendum censeo secutus vestigia veterum librorum: *Quod ex ea pecunia, quæ ad aliquem comitum ejus, qui damnatus est, pervenisset, in illo primo judicio planum factum sit*. Quis ignorat comites Proconsulum et Prætorum dici, qui erant in cohorte prætoria, qui et eorum contubernales appellabantur? Ex *comitum*, quod vocabulum scriptoribus posteriorum seculorum in hac notione erat minus tritum et notum, facile potuit *eorum* nasci. Aut hanc vocem, aut similem esse pro *eorum* substituendam ipsa clamat sententia. Nam damnabantur repetundarum ipsi magistratus provinciales: si vero quid ex illa pecunia pervenisset ad aliquem eorum, qui in illorum comitatu erat, et in illo judicio, in quo damnabatur Proconsul, id probatum esset, redigebatur ex illius comitis bonis ea, quæ ad illum pervenerat, pecunia. GRÆV.

Sicut Gabinius judicatus est] Gabinium ipse defenderat, eique Pompeii causa amicus erat: propterea non fatetur abstulisse Gabinium a rege pecuniam, sed ait, *judicatus est*. MAN.

Cap. 14. *Fallaces quidem et fucosæ*] Id est, quæ longe aliud erant, ac præ se ferebant. Obductæ namque et opertæ fuerant charta, vitro et linteis, quæ tria sunt mercium genera, quæ Alexandria Romam vehebantur: quemadmodum scribit Plin. lib. XIII. cap. XI, et lib. XXXVI. c. XXVI. Latebant autem sub iis mercibus aliæ preciosæ, in quibus erat et pars aliqua pecuniæ. HOTOM.

Cataplus] Καταπλοῦς proprie dicitur: cum ex alto redit navis, et in portum, unde exierat, remeat. Unde *cataplus* etiam Latinis, classis quæ Alexandriam ibat, ac redibat Romam. SALM.

Cap. 15. *In foro non haberemus*] Amisso enim equestri censu, quem ad CD millia pervenire oportebat, equestrem simul ordinem, equitumque propria ornamenta, ut clavatam tunicam, amisisset. Ita publico carere cogeretur. MAN.

Descripta] Intelligo, distributa: ut opponatur ei quod sequitur, *universa*. PATRICIUS.

Occupatione] Viet. Man. Grut. *oppugnatione*

Cap. 16. *Jacturis*] Est sumptibus, ut sæpius apud Cæsarem et Tullium. GRÆV.

Animi aciem præstinguit *splendor sui nominis*] Sic esse legendum, in commentariis et Lucretianis, et Horatianis γεωμετρικῶς demonstravi. Quod si qui adhuc negant, cum rationes, et exempla a me collecta legerint, suadeo eis, ut porcos sacros, et sinceros emant, eosque Laribus Grundalibus immolent. Sin nesciunt, discant. LAMBIN. Obtemperare tamen Gruterus et Grævius noluerunt: quos equidem sequor, ut Lambinianæ huic elegantiæ sit locus in nostro Commentariorum delectu. OLIVET.

Ad labefactandum illius dignitatem] Non constat quid adversarii tum tem-

poris moliti sint contra Cæsaris dignitatem: nisi forte illud est, quod tradit Appianus II. bellorum civilium: *Pompeius ... tulit legem ut ex eo tempore, quo ipse primum consul fuerat, usque in præsentem consulatum, liceret ab iis qui magistratus gesserant, rationem actorum expeti. Erat autem id tempus annorum pene viginti, quod et Cæsaris consulatum complectebatur. Id factum Cæsariani interpretabantur in patroni sui sugillationem ac contumeliam, dum tam longe repetuntur elapsa tempora.* ABRAM.

Cap. 17. *Curii*] Dixi jam, duos Postumo patres fuisse, a quibus etiam duo ei lauta, et copiosa patrimonia relicta sunt, Curium naturalem, adoptivum Rabirium, matris fratrem: a quo prænomen, et nomen accepit: ut in adoptionibus mos erat. MANUTIUS.

At hoc etiam optat miser, tu condemnetur a vobis] Suspicor mendosum ac mutilatum esse locum. Neque etiam adduci possum ut credam dicere oratorem C. Rabirium optare ut peculatus damnetur: a quo eum quam alienissimum esse docere conatus est. Præterea non cohæret quod de creditoribus præstanda sequitur: nam si reliqua Gabinianæ pecuniæ serventur, ex ejus bonis (id quod ex condemnatione sequitur) tam exigua sunt ejus bona, ut nihil superfuturum sit, quo ejus creditores absolvantur. Locum igitur ad hunc modum emendandum esse arbitror: *At hoc tamen optat miser, ut si condemnetur a vobis, ita bona veneant*, &c. Et sane continuo subjungit, *nihil aliud nisi fidem curat:* quod et cum ea lectione convenientissimum videtur, et ad nostram tuendam sententiam vehementissimum. HOTOM.

Ut solidum suum cuique solvatur] Creditoribus nempe, a quibus pecuniam sumpserat mutuo, quam Alexandrino Regi crederet. Sed hoc tamen loco quæri illud potest, cum supra nummum sestertium in bonis Postumi fuisse neget, quomodo ex iisdem bonis absolvi creditores poterunt. Nec me latet hanc multis impeditam videri posse quæstionem, quo lubentius quid de ea sentiam explicabo. Arbitror equidem intelligendum hoc loco ac subaudiendum esse regulam, quæ in libris Juris civilis usurpatur, et sermone Jurisconsultorum trita est; ea duntaxat in bonis esse cujusque videri, quæ deducto ære alieno supersunt. Tanta autem fuisse Rabirii debita, ut iis exsolutis ac deductis, ne unus quidem sestertius in ejus bonis superesset. IDEM.

Excitare testes] Idem est quod producere testes, et jubere surgere ad testimonium dicendum; sedebant enim testes in subselliis. Sed qui sint *reducti testes*, fateor, me non intelligere. GRÆV.

Rectis oculis hanc urbem] Hoc est, sine pudore ac dolore, quo exules solent, et foro ejecti. IDEM.

PRO

M. MARCELLO.

ORATIO XL.

ARGUMENTUM.

M. Claudius Marcellus, plebeii generis, (nam et Claudii, Pulchrorum, Nerunumque cognomine, patricii fuere) nobilis tamen ex majoribus, et sua virtute clarus, gesto consulatu cum Ser. Sulpicio Rufo, jurisconsulto celeberrimo, civili

bello Pompeium seculus est: victusque Pharsalica pugna, neque cum iis, qui bellum in Africa renovandum putarunt, sua consilia conjunxit, neque ad Cæsarem victorem, impetrandæ veniæ causa, supplex ire voluit: Mitylenas, urbem a bello, et a belli suspicione remotam, se contulit: ibi satis diu, nullo revertendi in patriam studio, commoratus, cum in publica calamitate conscientia se mentis optimæ consolaretur, et in litteris viveret, reditum ei senatus a Cæsare impetravit, quo beneficio gratiæ sunt a multis actæ: Cicero autem, Marcelli amantissimus, luculenta, quæ exstat, oratione, et gratias egit, et ita Cæsarem laudavit, ut accedere nihil posset. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quæ ad Sulpicium scripsit his verbis: Fecerat hoc senatus, ut, cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, et ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam videre viderer, quasi reviviscentis Reip. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Cæsaris magnitudo animi, et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias. *Hic de Marcelli summa eloquentia, quia non pertinet ad orationis argumentum, nihil addam. Illud omittendum non videtur, cum in patriam rediret, a P. Magio Chilone, familiari suo, interfectum esse. De quo Sulpicii ad Ciceronem exstat epistola. Et quanquam propter Marcellum habita oratio sit, ad conciliandam tamen, et colligendam Cæsaris benevolentiam digreditur Cicero in eam partem, ut de querela ejus, et de suspicione, qui se insidias metuere dixerat, accurate disputet: ac primum, non esse timendum, ostendat; cum nemo tam ingratus, tamque injustus esse possit, qui, cujus in anima resp. consistit, et a cujus vita omnium vita pendet, eum extinctum velit: deinde et suo, et reipublicæ nomine hortetur atque obsecret, ut suæ vitæ consulat: postremo non excubias modo custodiasque bonorum civium pro salute illius, verum etiam laterum et corporum oppositus contra vim polliceatur. Habita est, Cæsare III. et M. Lepido Coss. victis jam iterum in Africa cum* Juba *rege Pompeianis.* MANUTIUS.

Cap. 1. *His temporibus*] Hoc anno qui a pugna Pharsalica jam effluxit. Ait *his temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certe periculum indicant. ABR.

Non timore aliquo] Captat a Cæsare benevolentiam, cum se non timuisse ostendit, ne liberius de repub. loquens, eum offenderet. IDEM.

Dolore] Vel luctu meorum qui bello civili perierunt, vel dolore et pœnitentia, quod contra Cæsarem tam benignum et humanum virum, adhæserim Cn. Pompeio. ABRAM.

Verecundia] Contra quem enim armis pugnassem, eo præsente verba facere verecundia prohibebat. MÀN.

Studiorum ac laborum] Ponendum comma, post, *studiorum*. PATRICIUS. Vide Cic. in Bruto, 71.

Paulo ante omnibus] Vide Petri Victorii, Var. Lect. XVIII. 6.

Cap. 4. *C. Marcelli*] Qui se ad Cæsaris pedes abjecerat. Is est, qui cum L. Lentulo consul fuit anno primo civilis belli. Alter autem C. Marcellus M. Marcelli frater patruelis, non germanus, ut Suetonius docet, consulatum gesserat anno proximo superiore cum L. Paulo. MANUT.

Tuis] Vict. Man. *tuis nulla unquam* Lamb. *tuis nonnulla unquam*

Vereor ut hoc quod dicam] Quod alibi docuimus, tota sententia differunt, *vereor ut*, et, *vereor ne*. Vereor ut, de re dicitur, quam cupimus contingere, sed veremur, ne non contingat: ut ad Terentiam; *sin homo amens diripiendam urbem daturus est; vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit.* Vereor ne, de re dicitur, quæ si eveniat, doleamus; sed veremur, ne eveniat: ut ad Cæcinam: *Vereor, ne desideres officium meum.* Lego igitur hic cum uno Cardinalis Borromæi, et altero Maffeiorum libro, *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse intelligens sentio.* Nec aliter legit, hunc locum recitans, in Divinat.

Pedianus. Fulvii Ursini liber dissentit in verbis, non tamen in sententia: habet enim: *Vereor, ne hoc quod dicam, non perinde.* Quod idem valet. Nam, *ne non*, sunt pro *ut*. MANUT.

Ipsam victoriam vicisse videris] Durum hoc videri possit, nisi antecedentibus leniatur. Quo de genere quid senserit Asconius, ostendam. Nam cum illud in Divin. interpretaretur, *Etiam si tacent, satis dicunt:* subjunxit: *Tale illud est: cum tacent, clamant:* et, *Victoriam ipsam vicisse videris:* et, *Philosophandum est, etiam si non est philosophandum.* Hæc in loco nec ἐξύμωρα, nec κακόζηλα judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur: ut est illud: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio.* MAN.

Cap. 5. *Civile bellum esse susceptum*] Expunxi *civile* volentibus Erfurtensi, Pithœano, Dresdensi, Francii utroque, ut et editione prima, aliisque vetustioribus. Parum etiam considerate, et non sine culpa reprehensionis et offensæ hic Tullius civilis belli meminisset. GRÆVIUS. Infra tamen, *arma civilia.* Quapropter non recta omnibus et certa doctissimi Grævii censura videbitur. OLIVET.

Privato officio, non publico] Quia Pompeio debebam: non quia Cæsaris causam condemnarem. MAN.

Cap. 7. *Nunc vero venio*] Jam ante monuimus orationem qua Cæsar Marcellum restituit, in partes fuisse distributam duas. Altera fuit accusatio Marcelli, et veniæ concessio: cum accusata ejus acerbitate, præter spem dixit se Senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Altera fuit querela, cum aiens se toto decursu bellorum civilium eam unam vincendi rationem habuisse, ut se misericordia et liberalitate muniret, sibi tamen in pace insidias comparari. Orator jam priori parti respondit laudans Cæsaris clementiam: nunc ad posteriorem delabitur. ABR.

Cap. 8. *Revocanda fides*] Cicero secundo Officiorum: *Quamobrem ne fit as alienum quod reipublicæ nocet, providendum est. Si hoc non fuerit ut locupletes suum perdant, debitores lucentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides, quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.* Quomodo autem Cæsar fidem revocarit, tradit Suetonius, cap. 42. ID.

Propaganda soboles] Diu multumque non Cæsari solum, sed etiam Augusto cum profligatis hominum moribus luctandum fuit, ut cives suos ad veras legitimasque nuptias, et propagationem sobolis educationemque liberorum inducerent. Vide Tranquillum in Julio, cap. 42. nec non in Octavio, cap. 34. IDEM.

Hic tu modum tuæ vitæ ... æquitate animi definies?] Id est, putasne te propterea satis vixisse, quod æquo animo, et citra indignationem mori potes, et annos præteritos non requiris? Æquitatem animi dicimus, rectam animi constitutionem, tranquillamque affectionem omni indignatione vacantem. BUDÆUS.

Cap. 9. *Hic restat actus*] Tanquam fabulæ; qui debet esse ultimo loco perfectissimus. Qua sententia scripsit ad Q. fratrem: *Illud te ad extremum et oro, et hortor, ut, tanquam poetæ boni, et auctores industrii solent, sic tu in extrema parte, et conclusione muneris, ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.* MAN.

Rhenum] Germanos a te victos. *Oceanum*, Britannos. *Nilum*, Alexandrinos, *Monumenta*, a te extructa. *Munera*, a te publice data. IDEM.

Falso putant] Mori cum corpore animum credentes. IDEM.

Cap. 11. *Stantibus omnibus*] E more veteri Senatorum, qui aut sententiam suam ipsi, et si quid vellent præterea, dicebant, idque stantes: aut quibus videbatur, assentiebantur sedentes. Epistola ad Q. Metellum. GULIEL.

Ad tua innumerabilia in me unum merita] Vis est in singulis verbis. Primum, *merita*, vocat; quæ majora

sunt, quam studia, officia, beneficia: deinde addit, *innumerabilia*: postremo, *in me unum*. Hæc augeri non videntur posse: augentur tamen subjectis verbis, *maximus cumulus accesserit*. Non enim aliquid ait accessisse, sed cumulum; nec simpliciter cumulum, sed maximum. Eodem id pertinet, *quod fieri jam posse non arbitrabar*. Nec illud sine judicio prolatum, *hoc tuo facto*. Nam, *hoc tuo merito* languidius esse videbatur, præsertim cum dixisset, *Ad tua innumerabilia in me unum merita*; quæ Marcelli salute vehementer aucta significat. MANUT.

PRO

Q. LIGARIO.

AD C. CÆSAREM.

ORATIO XLI.

ARGUMENTUM.

Hanc orationem M. Tullius in Foro apud Cæsarem dixit extremo anno Urbis DCCVII. Julio Cæsare III. M. Æmilio Lepido Coss. pridie Kal. interkalares priores, qui fuit ultimus dies prioris mensis illorum duorum, quos Cæsar hoc anno Fastos corrigens, inter Novembrem ac Decembrem interjecit: de quibus Suetonius in Julio.

Fratres, et propinqui Ligarii prostrati ad pedes Cæsaris domi ejus jacuerunt, ut est ep. XV. lib. VI. Famil. et in hac oratione. Postea vero in Foro hæc Cicero dixit.

Pompeianis hoc anno devictis a Cæsare in Africa (in quam Ligarius ante bellum civile profectus, tempore belli remanserat) Ligario vita concessa fuit, ut est in Comment. de bello Africo. Sed dum Cæsare Romam reverso, Ligarius extra Italiam in exilio manet, ac fratres, propinqui, itemque C. Pansa et M. Cicero de ejus reditu laborant, Q. Ælius Tubero, qui cum patre suo Africæ ora, triennio ante a Ligario prohibitus fuerat, eum apud Cæsarem accusavit, et orationem in Ligarium edidit: cujus Quintilianus, lib. X. cap. I. meminit. Cicero eum concessione defendit. Cum autem concessionis duæ partes a Rhetoribus proponantur, Purgatio et Deprecatio, M. Cicero illis primum utitur, atque ἀντεγκλήματα aliquot locis miscet: ad extremam vero Deprecationem adhibet. Hanc orationem pulcherrimam, ut a Pomponio Juris-consul. nominatur in L. II. D. de orig. juris, Cicero bello Hispaniensi scriptam edidit: quæ quantopere Attico, Balbo, Oppio, aliisque placuerit, cognosces ep. XII. et XVIII. lib. XIII. ad Attic. FABRITIUS.

Cap. 1. *Novum crimen*] Totum hoc procemium ironia constare ex Quintiliano et Aquila notum est. Orditur a propositione criminis, addita confessione Pansæ: cujus personam adjunctis ornat. FABRIT. Vide de hac oratione in primis Quintilianum IV. I. et IX. 2. nec non XI. 3. ubi doceat quo gestu corporis totum hoc exordium sit exponendum.

Propinquus meus] Affinis, non cognatus: ut infra paret. Propinquitatem appellat, ne cum inimico homine disputare videatur; et ut eo major orationi fides accedat; quod Ligarii innocentiam, et causæ bonitatem pro-

pinquitati Tuberonis anteponat. MANUTIUS.

C. Pansa] C. Vibius Pansa, qui biennio post consul fuit. FERRAT.

Cupiditate] Patricius, quod faverent Pompeio. Manutius, *cupiditate belli gerendi*. Sed istius ellipseos exemplum non reperies. Uterque nescivit, quid sit *cupiditas*, nimirum studium partium, sive, ut barbari loquuntur, partialitas. Sic *cupidus judex*, *testis*, ut alibi vidimus. Pro *cupiditate*, in sequentibus verbis statim dicit *studium*. GRÆV.

Cæco quodam timore] Timebant Cæsarem, sed, cur timerent, causæ nihil videbant. MAN.

Salutis] Hæc sententia est: Primo salutis ducem quærebant; deinde etiam studii sui. LAMB.

P. Attius Varus] Varus hic cum Sex. Pompeio, et Labieno ex Africana pugna, devictis Scipione, Pompeii socero, et Juba Mauritaniæ rege, in Hispaniam profugit: ubi renovato simul cum Pompeii liberis bello, Mundensi prælio a Cæsare victus interiit. MAN.

Conquievit] Ideo festinabat decedere provincia, ne dux eligeretur contra Cæsarem: ubi timor ille evanuit adventu Vari, non erat, cur adeo festinaret illinc discedere: itaque parumper conquievit. FERRAT.

Cap. 2. *Expediret*] Ii cupere bellum solent, qui male gesta provincia judicium timent. IDEM.

Necessitatis] Coactus enim parere P. Varro, novo Proconsuli. IDEM.

Cap. 3. *Esse me alterum passus est*] M. Tullius Ser. Sulpicio et M. Marcello Coss. in Ciciliam pro consule profectus, Amano pacato, perpetuoque hoste inde sublato, rem satis prospere gessit, Imperatorque salutatus fuit. Lib. V. ad Attic. ep. X. Lib. 2. et 3. et Lib. 15. famil. Unde Plutarchus exponens res a Cicerone in Cicilia gestas, *Gessit etiam*, inquit, *bellum, latronibus, qui Amanum tenebant, devictis: justaque victoria Imperator a militibus appellatus est.* Anno sequente, L. Paulo et C. Marcello Coss. e provincia in Italiam reversus, ad urbem accessit pridie Non. Januarii, cum jam Lentulo et Marcello Coss. bellum civile conflatum esset. *Ep.* X. lib. XVI. *Famil.* Verum quia urbem ingressus non fuit, imperium retinuit, et pro consule mansit. Nam, ut ait Appianus, lib. I. Proconsulibus imperii retinendi tamdiu potestas est, quoad Romam reversi fuerint. *Proconsul* autem *portam Romæ ingressus, deponit imperium*, inquit Ulpianus id L. ult. de officio procos. FABRIC.

Quoad tenendos] Tenuisse lictores laureatos M. Tullius videtur usque ad mensem Octobrem, Cæsare Dictatore iterum, anno urbis DCCVII. quo demum tempore in urbem venisse, imperiumque deposuisse videtur ex ep. ult. lib. XI. ad Attic. et ep. XX. lib. XIV. Fam. ita. ut cum imperio fuerit annis quatuor. IDEM.

Ut, qui de meo facto, &c.] Conjungo: *ut non audeam confiteri de Ligarii facto, qui de meo non dubitem dicere. Ut*, positum pro *quam*. PATRIC.

Commoveri videtur adolescens] Tubero scilicet. Atque etiam Cæsar ipse, ut est apud Quintilianum, magnopere verbis iisdem illis commotus fuisse fertur. Cum diceret Cicero: *Quid enim, Tubero*, inquit, *tuus ille in acie Pharsalica destrictus gladius agebat*, &c. Et Plutarchus in vita Ciceronis scribit, ad hanc solam Pharsalicæ aciei mentionem, tam commotum fuisse Cæsarem, ut cum prius dicis tantum causa audire Ciceronem pro eo dicentem voluerit, ipsum Ligarium pro condemnato jam habuerit, hoc loco perturbatum corripuisse se, et schedas, quas tum forte gerebat, abjecisse, et denique contra quam statuerat, reum absolvisse. PATRIC.

Cap. 4. *Usque ad sanguinem*] Hoc est, leves Græci, aut immanes barbari, more istiusmodi suo, nobis externo et peregrino, solent incitare odium usque ad sanguinem, fervere odio usque ad cædem. J. F. GRONOV.

Præmiis etiam invitabat] Præmium a Sylla propositum iis, qui proscrip-

tum interfecissent, duo talenta fuerunt. Plutarchus in Sylla. FABRIT.

Aliquot annis] Annis XVII. nam Sylla Dictator fuit anno ab U. C. DCLXXII. Cæsar quæstionem inter sicarios exercuit anno DCXC. L. Julio Cæsare, et C. Fugilo Coss. Vide Dionem. IDEM.

Cap. 5. *Saluti civi calamitoso esse vellemus*] Nihil videbatur lectione vulgata integrius, quæ talis est, *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus.* Sed cum antiqua comparata clamat se esse corruptam. Reperitur autem hæc antiqua, quam secuti sumus, in duobus codicibus Memm. et in Cleric. et aliis. LAMB. Miror non auditum fuisse Lambinum, cum codicum, quos ille inspexit, scripturam stabiliant optimi quique, et editiones vetustiores. *Calamitoso civi saluti esse*, est calamitosum civem servare. GRÆV.

Cap. 6. *Quanquam hoc victore*] Lamb. *quanquam victore te.*

Cn. Pompeio] Non dubitat Pompeium, præsente Cæsare, nominare, cum ipse Cæsar nunquam eum, nisi honorificentissime appellaret. De quo ad Cæcinam: *Admirari soleo gravitatem, et justitiam, et sapientiam Cæsaris: nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. At in ejus persona multa fecit asperius: armorum ista, et victoriæ sunt facta, non Cæsaris.* MANUT.

Propulsare] Lamb. *propulsari*

Nisi a te contumeliam propulsare] Quod eripi diceres inimicorum injuria beneficium a populo Romano datum, id est: quod tibi non liceret absenti alterum consulatum petere, quemadmodum jusserat. Cæsar ipse, lib. I. Bell. civ. *Doluisse se* ait, *quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur.* ID.

Ut suum jus tueretur] Jus populi Romani. Multi enim ex iis, qui cum Cæsare militabant, suffragium tulerant in illa lege, quæ absenti Cæsari consulatus petendi potestatem dabat. MANUT.

Non par fortasse eorum, qui sequebantur] Hic certe Pompeianos, Cæsarianis dignitate præfert. Consularis enim cum Cæsare, ut arbitror, nemo fuit; cum Pompeio multi, præter ipsos consules, et magistratus. ID.

Cap. 7. *Amplissimi viri*] Pompeii, non Catonis, ut quidam putarunt. FABRIT.

Cum iis] Eodem tempore quo reliqui Prætores ad obtinendas reliquas imperii Romani provincias jussu Pompeii et Senatus exibant paludati, votis prius in Capitolio nuncupatis, ipse etiam Tubero Roma profectus est. ABRAM.

Occupatam] A P. Varo.

Si crimen est ullum, voluisse] Vict. Man. Lamb. *si crimen est prohibere illum voluisse*

Nam si crimen] Si crimini, inquit, datis Ligario, quod vos Africa prohibere voluerit, nihilominus eodem vos atque etiam pari condemnabo crimine, quod vos eam obtinere voluistis. Ergo, *non minus magnum est*, crimen subandio. Atque hic jam ferire adversarium incipit, cum hactenus parcere ei videretur. Dum autem hunc incipit ferire, ante omnia reum ipsum tuetur ac defendit, et in tuto quasi collocat, cum dicit, Ligarium in culpa non fuisse, cum Tuberonis pater Africa prohiberetur. PATRIC.

Aliquam se maluisse.] Iidem. *aliquem se imperatorem esse maluisse.*

Quoquo modo] Sive imperium Ligarius, sive Varus habuerit. MAN.

Cap. 8. *Rex*] Juba. IDEM.

Inimicus huic causæ] Cn. Pompeii beneficio, qui patrem ejus Hiempsalem, Mauritaniæ regem constituerat. IDEM.

Aliena voluntas] Cujus? Africæ videlicet ipsius. Hoc autem est, omnium qui Africam scilicet incolebant. Sed auget rem, cum absolute et præcise loquitur, non homines ibi fuisse aliena voluntate, non terram ipsam alienæ voluntatis, sed ipsam alienam voluntatem. Quanquam ego quidem propemodum legerem sic: *Aliena voluntate conventus firmi.* Ut significet, non tam in privatis hominibus indicia extitisse alienæ voluntatis a

Cæsare, quam in conventibus ipsis hominum. At in qualibus conventibus? num in solitariis aut in imbecillis? respondet, conventus illos fuisse et *firmos*, ne quis putet animis et voluntatibus fluctuabundos, et *magnos*, ut significet fuisse frequentissimos. PATRIC.

Cum videam, quid feceritis] Video enim vos, Africa prohibitos in Græciam ad Pompeium ivisse. IDEM.

Ad eum] Ad Pompeium.

Cujus auctoritatem secuti] Neque hoc artificio vacat. Latenter enim id significat: Auctoritas amplissimi viri, non causa, vos ad belli societatem adduxit. IDEM.

Quæ est ergo apud Cæsarem querela] Queri vobis apud Cæsarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit. Id est, quià fecerit, ne bellum in Africa contra Cæsarem gerere possetis. IDEM.

Etiam si a Varo] Suspicor hoc loco esse mendum. Legerem, *Si a Varo, et quibusdam aliis prohibiti non essetis.* Patet enim concedi ironice, quod infra falsum esse ostenditur. FERRAT.

Cap. 9. *Probarem*] Grut. *probarim*

Partibus] Idem. *partibus* delet.

Cum crudelitate] Ex Pomponio D. de origine juris: *Infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire.* Ex Cæsare, *Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere patitur.* ABRAM.

Tantummodo] Tantummodo videlicet in castris Pompeii, corpore versabamini: causam autem ejus animis vestris non probabatis. PATRIC.

In eum locum] In ipsa Pompeii castra. Nam Cicero, cum in Pharsalia dimicatum est, abfuit, Dyrrhachii cum M. Varrone, et M. Catone commoratus, ut narrat de Div. lib. 1. MAN.

Cap. 10. *Si reip.*] Ejus, quæ nunc est, et Cæsaris consilio, ac sapientia gubernatur. IDEM.

Et quidem tecum] Cæsar etiam inter Oratores in foro versatus est. Fabius lib. X: *C. vero Cæsar si tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat.* Sed Atticum Ciceronianum libro de claris Oratoribus loquentem audiamus: *Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo.* Vide Tranquillum in Julio, cap. LV. LVI. Plutarchum in Cæsare. ABRAM.

Si unquam posthac] Ex Plauto, Casina, actu V. scen. IV. vers. 22.

Cap. 11. *Gratiosiores*] Vict. Man. Lamb. *gratiores*

Gratiosiores] Non intellecta est vis hujus vocis ab iis, qui in *gratiores* eam mutarunt. *Gratiosi homines* sunt, qui multum possunt apud illos, a quibus amantur. Sic et *gratiosæ preces*, quæ plurimum valent, et blanda vi expugnant illum, cui fiunt, ut *gratiosa suffragatio* in II. ad Famil. 6: *Habemus hæc omnia: bonorum studium, &c. nostram suffragationem, si minus potentem,* (sic modeste de se loquitur) *at probatam tamen, et justam, et debitam, et propterea fortasse etiam gratiosam.* GRÆV.

Vultus] Vict. Man. Lamb. *preces*

Quam illius] Repete ἀπὸ κοινοῦ *sit necessarius.* Horum causas maxime spectat, quas *justas* vocat et *officio* incensas in Fam. lib. VI. ep. 6. et ep. 12. ejusdem libri, *necessarias*, quas propter necessitudinis conjunctionem non possumus negligere, nisi impii velimus in nostros esse, aut ingrati: causas vero deprecandi, quæ tantum ad captandum alicujus favorem et gratiam sunt comparatæ, Cicero ibidem vocat, *ambitiosas rogationes*, et *inanes ac ambitiosas voluntates.* GRÆV.

Qui tecum fuerunt] Ex antecedentibus et sequentibus intelligitur, *qui tecum fuerunt*, hic dici non de iis, qui eum secuti sunt ad bellum, sed de Q. Ligarii fratribus, deque ejus avunculo T. Broccho, et aliis, supra nominatis, qui, suscepto civili bello, domi remanere, quam alterutram

partem sequi, maluerunt. Nam eos æque suos Cæsar appellabat, atque illos, qui cum eo in bello fuerant. Dixit enim supra: *Te enim dicere audiebamus, pos omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos.* Eos autem significari, qui domi remanserant, sequentibus quoque verbis ita constat, ut dubitare prorsus nemo possit. MANUT.

Cap. 12. *Quæstor urbanus*] *Quæstores urbani ærarium curabant, ejusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant.* Asconius in Verriuam primam. FABRITIUS.

Utrisque his dederis] Duobus fratribus, qui adsunt, et pro tertio deprecantur. IDEM.

EVENTUS.

Plutarchus, in vita Ciceronis: " Cum Q. Ligarius reus factus esset, " quod in numero hostium Cæsaris " fuisset, ejusque patrocinium Cicero " suscepisset: tum Cæsarem dixisse " ferunt, Quid est causæ, cur Cice- " ronem orantem aliquandiu non au- " diamus? Nam reum quidem homi- " nem improbum et hostem esse, " jampridem certum est. Ubi vero " Cicero ingressus dicere, mirificos " motus concitavit, et oratio progressa " cum affectibus varia, tum venustate " admirabilis fuit, perspicue cogni- " tum aiunt, varios colores Cæsaris " vultum subire, ejusque animum " omnibus modis commutari: ac " tandem, cum Pharsalici prælii men- " tionem facere Orator cœpisset, im- " modicis perturbationibus incita- " tum, corpore contremuisse, et libel- " los quosdam e manu ejecisse. Vic- " tus igitur orationis vi, Ligarium " crimine liberavit." Hactenus Plutarchus. Unde perspicitur, quantus ardor Ciceronis in agendo fuerit: qui Cæsaris animum Ligario infensissimum ita commoverit, ut absolveret eum, quem jampridem hominem improbum et hostem judicaverat. Tuberoni vero Ligarii accusatori hac oratione forensis gloriæ spes omnis ita præcisa fuit, ut in hac causa victus, cum eloquentiæ laudem desperasset, e foro se ad jus civile transtulerit. Qua de re Pomponius, de Origine Juris. FABRIT.

In eum tamen ingratus fuit a quo salutem acceperat. De quo Plutarchus in Bruto: *Erat quidem Q. Ligarius Pompeii amicus, quem eo nomine accusatum exemerat Cæsar noxæ. Hic non quod ab judicio liberatus fuisset, gratiam Cæsari tribuens, sed propter quam vocatus in periculum fuerat, dominationem prorsus ei infensus erat, Bruto autem imprimis familiaris. Hunc Brutus invisens ægrotum, cum socios conjurationis in Cæsarem quæreret,* Quali, *inquit,* tempore, Ligari, ægrotas? *Ille statim cubito innixus, arrepta dextera ejus,* At ego, *inquit,* si quid te, Brute, dignum cogitas, valeo. ABRAM.

PRO

REGE DEJOTARO.

AD C. CÆSAREM.

ORATIO XLII.

ARGUMENTUM.

Ut eas regiones in quibus versamur, et eos homines quibuscum vivimus: ita ea loca, eosque homines, de quibus quotidie audimus, nosse jucundum est: principio quædam de Gallogræcia, in qua regnavit Dejotarus: tum de ipso Dejotaro nonnulla dicam, quæ neque ipsa per se cognitu indigna sint, et quasi facem præferant nobis ad hanc orationem facilius intelligendam. Galatia igitur, quæ alio nomine Gallogræcia vocatur, Asiæ regio est, Phrygiæ, Bithyniæ, et Armeniæ minori contermina: dicta ex eo, quod illam antiquissimis temporibus, Tectosages, et alii quidam Galliæ populi, pulsis indigenis occuparunt. Ita enim apud Suidam legimus. Cum tanta hominum multitudo excrevisset in Gallia, ut regio ipsa, quamvis ferax, vix eis alendis suffectura videretur, trecenta Gallorum millia in Asiam venisse, et sedes posuisse ea in parte, quæ ex ipsis Galatia, aut Gallogræcia vocata est. Qua de re verba hæc sunt Lactantii libro tertio ad Probum: Galli antiquitus a candore corporis Galatæ nuncupabantur: et Sibylla siccos appellat. *Quod significare voluit Poeta, cum ait:*

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, et dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. *Æn. VIII. 657.*

Cum posset dicere, candida. *Hinc utique Gallia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt. Unde primum ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata est. S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis:* Galatia provincia Asiæ, a Gallis vocabulum trahens, qui in auxilium a rege Bithyniæ evocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt. Sicque deinde Græcis admixti, primo Gallogræci, post Galatæ sunt appellati. Eorum metropolis est Ancyra. *Temporibus sancti Hieronymi non Græce, sed Trevirorum lingua adhuc loquebantur, post tantum temporis intervallum, adhuc ipso vocis sono testantes originem suam. Eum, quo duce profecti sunt, alii Leonem, Strabo Leonorium vocat. Qui et ipse lib. XII. iisdem narratis, ait eam olim divisam fuisse in 4. tetrarchias: inde in tres: in duas totam tandem cessisse Dejotaro: ac postremo in provinciæ formam redactam esse. Sed Hirtius, eam occupatam fuisse a Dejotaro, aliis tetrarchis id injuria fieri querentibus. De quo ipso Dejotaro tempus est pauca dicendi.*

Adjuverat imperatores Romanos toto vitæ suæ tempore in iis bellis, quæ Rom. in Asia gesserant. Et ipse vicissim a Rom. rex ex tetrarcha factus, et magna parte regni auctus fuerat. Donaverat etiam ei sive Pompeius, sive Senatus, Armeniam minorem. Et multa decreta honorificentissima in eum facta erant. Auctor tum idem Strabo, lib. XII. tum Cicero, cujus hæc sunt ad finem hujus orationis: Quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit injuria omnium imperatorum de Dejotaro decreta delere? Ab omnibus enim est ornatus, qui postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cicilia, Syria bella gesserunt, *&c. Eundem in orat. de Harusp. resp. sæpe a senatu, regali nomine dignum existimatum, clarissimo-*

rum imperatorum testimoniis ornatum esse dicit. In hac ipsa: Habebatur autem non solum tetrarches nobilis, sed etiam optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola, et pecuarius, *De eo, de Harusp. responsis:* quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio, atque amantissimum nostri nominis regem. *Et Philip. II:* Dejotari regis, et patris, et filii, et magnus, et nostro more instructus exercitus. Summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam, cujus benevolentia in populum Romanum est ipsius æqualis ætati. Qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum? quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, quæ Servilius, quæ Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in senatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompeio loquar, qui unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit? *Inter cætera autem Pompeium in Mithridatico bello egregie adjuverat: et ob id ab eo Armeniæ minoris regno donatus erat.* Eutrop. *lib. VI. Fuit peritissimus auspiciorum. Nihil nisi auspicato gerebat. Vide lib. I.* de Divin. *cap.* 15. *Adjuvit Pompeium in bello civili, et ipse in pugna Pharsalica præsens fuit. Cumque ob id a Cæsare et pecunia et parte regni multatus esset, negabat tamen se auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti facta essent, pœnitere.* Ibidem. *Ignovit tamen ei Cæsar, cum Pharnaci ignoscere noluerit,* Hirtius, *et ei partem dedit eorum, quæ Pharnaci abstulerat. Dejotarus mortuo Cæsare sua recuperavit:* Philippica II. 37. *Adjuvit Brutum cum Cassium novisset extreme senex.* Dio *libro quadragesimo septimo. Dictum ipsius in Crassum adversus Parthos proficiscentem, refert Plutarchus in Crasso. Crudelitas in filios: Plutarchus* de Stoicis contrariet. *Ego cap. pen. lib. VIII.* Variarum lect. *Item in Castorem Saocondarium generum, et in filiam suam, Strabo lib. XII. Accusatus est a nepote, quod Cæsarem domi suæ interficere voluisset. Defenderunt Cicero et Brutus.* MURETUS.

Cap. 1. *Pro capite fortunisque*] Etiam alibi notavimus in hujusmodi locutionibus non degenerare orationem: plusque esse de fortunis, quam de capite dimicare. Quod verum est tantum in minima capitis minutione, aut etiam in media. Paulus D. de Capite minutis: *Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, mediá, minima. Tria enim sunt quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia hæc amittimus, hoc est libertatem et civitatem et familiam, maximam esse capitis deminutionem: cum vero amittimus civitatem, liberatem retinemus, mediam esse capitis deminutionem. cum et libertas et civitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam tantum capitis deminutionem constat.* De capite igitur fortunisque Dejotarus dimicabat, quia si fuisset convictus, statum fortasse mutasset, et e rege factus fuisset privatus: quæ videtur esse quædam capitis minutio: vel etiam civitatem perdidisset, in exilium actus: quod minus est quam fortunas omnes amittere: multi enim exules secum fortunas suas auferebant. Cum igitur dicit Orator, *pro capite fortunisque,* auget vim orationis: quia non omnis qui capite minuitur, etiam fortunas suas amittit. ABRAM.

In tuo duntaxat periculo] Nam si quis est, qui contra tuam salutem aliquid moliatur, aut cogitet, eum, quicumque est, in judicium vocari oportere, nunquam negaverim. MANUTIUS.

Cap. 3. *Quibusdam incommodis*] Adepta Galatiæ parte, et Armenia minore, quam ei senatus antea largitus erat. MANUT.

Propter offensionem animi tui] Vitat mentionem belli civilis, quo Cæsarem Dejotarus, pro Pompeio pugnans, offenderat. IDEM.

Tum sibi amicum cognoverant] *Sibi,* te scilicet tibi ipsi. Ostendunt id ea quæ statim sequuntur. Hæc dico, quod aliquis forte existimet, τὸ *sibi,* ad ipsos qui cognoverant, non ad ipsum quem cognoverant, referri oportere. Est enim reciprocorum istorum usus lubricus admodum et anceps. Hactenus olim. Nunc, quod tanto ante

prædixi, ecce evenit. Manutius enim noster, τὸ *sibi*, id est Castori, et tantum non Phidippo interpretatur. Videndum. PATRIC.

Cui tamen ipsi Regi] Optimi codices Erfurtensis, Coloniensis, et Pithœi; *cui tamen ipsi rei;* quod propensior scilicet fuisset in Pompeii amicitiam, quam in tuam, *te veniam daturum fuisse dicebas, &c.* Omnia nunc sunt liquida, nusquam ullæ salebræ, ullæ moræ. Miror Lambinum veram scripturam cum reperisset, eam in suis codicibus non probasse. GRÆV.

Cap. 4. *Novis imperatoribus*] Legendum *nobis imperatoribus.* Cicero enim cum Ciliciam provinciam obtineret, ob res præclare gestas appellatus est imperator, et e provincia decedens incidit in ipsam flammam belli civilis, eique ut reliquis Proconsulibus qui ad urbem aderant, a Senatu mandatum, ut videret ne quid respublica detrimenti pateretur. ABRAM. Omnino sic legendum esse nos docet Ciceronis epistola ad Tironem, Fam. XVI. 11. *Postea quam senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis,* et nobis, *qui proconsules sumus,* &c. Quo modo unus e quatuor nostris edidit Manutius. Alia lectio, quam incautus admiseram in editione Parisiensi, in erratorum numero habeatur velim. OLIVET.

Certorum hominum] L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis; quorum alios ad bellum spes rapinarum, alios Cæsaris odium, et privatæ inimicitiæ impellebant. MANUT.

Cap. 5. *A Pompeio discessit*] Pompeio acie Pharsalica superato, reversus est ad suam Tetrarchiam, nec voluit spem instaurandi belli persequi, quæ infinita erat, id est finem et exitum non habebat. Vide II. de Divin. cap. 37. ABRAM.

Utilitatibus tuis paruit] Fecit quidquid utilitates tuæ postulabant. Eodem verbo usus est ad Plancium lib. XIII. *Res familiaris C. Capitonis præsto fuit, et paruit et temporibus, et fortunæ meæ. Utilitates,* pro commodis accipiuntur. Ad Tironem: *Utilitatibus tuis posnum carere: te valere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro.* MANUT.

Cn. Domitii] Calvini, qui consul fuerat cum M. Messalla. Is cum Cæsare, Domitius autem Abenobarbus cum Pompeio fuit. IDEM.

Contra Pharnacem] Regem Ponti, filium Mithridatis, qui occasione belli civilis Armeniam occuparat. IDEM.

Distractus] Divulsus ab aliorum Regum societate et amicitia. ABRAM. Imo *distractus* est discerptus. GRÆV.

Cap. 6. *Quis tectior?*] Non est laus hominem esse tectum, κρυπτόν, sive occultum, qui simulat amicitiam, et eam fronte præ se fert, cum corde premat odium capitale. Tecto opponitur apertus, simplex. Si fuisset homo tectus Dejotarus, facile potuisset hoc scelus contra Cæsarem suscipere de nece ei inferenda, si sibi persuasisset, id tuto se posse et secreto facere: sed Cicero nititur omni ope id ostendere, cogitationem hujus sceleris abesse tam ab ejus prudentia, quam probitate. *Tectus* igitur hic locum habere non potest, ut recte vidit Patricius. In Erfurt. Dresd. Colon. Pith. est *rectior. Recta* dicuntur omnia, quæ sunt sine *vitio, labe, macula.* Igitur *quis rectior* est hic, quis est in consiliis rectis capiendis promtior, quis est rectioris ingenii, ut in illud non possit cadere tantum facinus? Non ausim quidem præstare Tullium scripsisse *rectior:* aptior tamen est hæc vox huic loco, quam *tectior,* quia tectum esse semper vitio vertitur. Est enim hominis callidi, versuti, malitiosi, non prudentis et considerati. GRÆV.

Inspicere] Illa, quibus te Dejotarus munerare constituerat. MANUT.

Cap. 7. *Continuo dimisit exercitum*] Ex Eunucho Terentii actu 4, scen. 7. ubi Thraso qui suos servulos instar aciei gloriosius instruxerat, re non succedente, neque perfecta,

Jam dimitto exercitum,

inquit. De quo eruditus Victorius, lib. XV. Variarum lect. cap. 6. Mul-

tam autem, ut opinor, hoc valuit ad falsum illud crimen explodendum: et, ni fallor, risum movit: quæ ratio in judicio quoque adhibetur, ac fructum fert: tanquam enim Dejotarus nullius consilii homo esset, ac similis Thrasoni, qui postquam statim insidiæ non successerint, non potuerit retentis in armis insidiatoribus, efficere quod destinasset, Cæsare post cœnam ad eas balneas veniente. ABRAM.

Qualis rex Attalus in P. Africanum fuit] Vel *Antiochus* scribendum est pro *Attalus*, cui sunt hæc a Livio, aliisque scriptoribus tributa; vel erit ipsius Ciceronis ἁμάρτημα μνημονικὸν. URSINUS.

Sed tamen acta res criminose est] Ita est acta, ut sit criminationi obnoxia. PATRICIUS.

In cubiculum transferri non possent] Acute simul et lepide. De signis, ut de hominibus, de inanimatis ut de animatis ipsis. Quid ita? Verbo enim ad signa illa ænea respicit, quorum modo fecit mentionem: cogitatione autem respicit ad homines illos armatos, qui dicuntur fuisse in insidiis collocati. IDEM.

Indicare] Alii, *vindicare*: sed vide Victorii Var. Lect. XXVIII. 12.

Cap. 8. *Regem semper in speculis fuisse*] Id est, tuas omnes actiones observasse, et speculatores tenuisse, qui, ut infra loquitur, *rumores de te exciperent, et ad se referrent.* PATRIC.

Misit ad Cælium nescio quem] An, *misit nescio quem*, an, *ad nescio quem Cælium?* utrumque ex iis quæ sequuntur defendi potest. Posterius tamen præfero. Sic enim statim de eodem, quasi de non magno, imo de contempto homine: ut et lib. XII. Famil. ep. 43. Nisi quod alibi *Cælium*, alibi *Cæcilium* vocat. PATRIC.

Sed misit ex iis] Respondet misisse, quales haberet: imo quales ex iis quos haberet, elegisset. IDEM.

Servum judicatum] Cum servis militare præsertim equestri loco, non liceret. MANUT.

Cap. 9. *Exercitum*] Domitii Calvini. IDEM.

Tibi victori] Cæsar victor e bello Alexandrino per Gallogræciam transivit, et contra Pharnacem arma convertens, *legionem* (verba sunt Hirtii) *quam ex genere civium suorum Dejotarus natura disciplinaque nostra constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit.* ABRAM.

Secutum est bellum Africanum] Quod tu parta de Pharnace victoria, paucos dies in Italia moratus, Jubæ Nimidiæ Regi, Scipioni et Catoni, qui magnis exercitibus Africam occupaverant, intulisti. IDEM.

Pereant amici] Quia amicus Domitio esset: ut paulo post. Græcus versus, mihi quidem nondum compertus: Latinus quoque cujus poetæ sit, ignorare me fateor. Opto feliciores esse alios. MANUT.

Qui autem Domitio] A repugnantibus: quia cum eadem causa esset Cæsaris et Dejotari, qui amicus erat Domitii, non poterat esse Cæsaris inimicus, et contra. ABRAM.

Diligentissimus agricola] Nemo jure mirabitur laudari Regem, quod fuerit bonus agricola, qui antiquorum mores animo perspexerit. Nam, ut ait Plinius: *De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem et Reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus: et duces Xenophon, et Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut cum Regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset.* Eadem testantur Columella, et Varro, uterque cap. 1. de re rustica. Et ut omittam Laertem illum Ithacæ regulum, quem Homerus lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, et eum stercorantem facit; notum est Diocletianum imperio se abdicasse, ut agriculturæ se reique hortensi liberius applicaret. ABRAM.

Pecuarius] Varro libro 2. de re rustica, cap. 1: *De antiquis, illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendunt veteres Poetæ qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya Hesperidas, unde aurea mala*, &c. Et certe Regum pueros ut plurimum pastores olim fuisse, testatur Paris et Ganymedes. ABR.

Cap. 10. *Hunc ad meam auctoritatem non potui adducere*] Castori persuadere non potui, ut meam auctoritatem et tum consilium, tum exemplum secutus, a persequendis belli reliquiis desisteret, tum quod ille magno studio et animi ardore statuerat ad extremum belli aleam experiri, tum quod patri se satis esse facturum non putaret, si a bello discederet. IDEM.

Cap. 11. *Adducere domum*] Alii, *abducere domo*, nimirum legatorum. FERRAT.

Productus] Testis.

Refugit ad legatos] Dejotari, a quorum pedibus abstractus per te erat. PATRIC.

Cap. 12. *Blesamius*] Homo Gallogræcus, qui Dejotari legatus aderat. MANUT.

Statua inter Reges posita] In Capitolio septem Regum statuæ fuerunt, et inter eas statua L. Bruti strictum gladium tenentis. Inter eas etiam Cæsaris statua fuit excitata: quod animos hominum vehementer offendit, ratos illius ambitionem jam in apertam tyrannidem erumpere. Quod aiebat accusator a Blesamio scriptum fuisse ad Dejotarum. ABR.

Plaudi tibi non solere] De plausu et acclamationibus theatralibus, vide Sextianam et Pisonianam. IDEM.

Nam si locus affert invidiam, nullus est ad statuam] Id est, si invidiosum locum quæris. In foro multas habet; nam regum statuæ in abstruso sunt loco collocatæ. SCHOLIASTES.

Cap. 14. *Duos reges*] Dejotaros patrem et filium. Videtur solus pater accusatus fuisse. Filium tamen appellat, ut magis duorum quam unius misericordia moveatur: vel quia Cæsari filius erat acceptior, ideo causam utriusque conjunxit. ABRAM.

Cap. 15. *Illorum*] Adversariorum. Videtur certe quidem hac oratione nihil Dejotaro impetravisse. Philipp. II. 37. *Quis enim cuiquam inimicitior quam Dejotaro Cæsar?* &c. PATRIC.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA I.

ARGUMENTUM.

Interfecto idibus Mart. C. Cæsare, M. Antonius collega ejus in consulatu, sibi metuens, non solum eo die latuit, verum etiam texit aliquandiu consilia sua, simulatione ad tempus accommodata. Postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. Post diem tertium, qui fuit XVI. Kal. Apr. in ædem Telluris convocato senatu, Cicero, quantum in ipso fuit, jecit fun-

dementia pacis, discordiarumque memoriam omnem, vetere Atheniensium exemplo, oblivione sempiterna delendam censuit. Quo die præclare de rep. locutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suæ voluntatis argumenta dare visus est. Misso parvulo filio, pacis obside, in Capitolium, C. Cassium ipse, M. Brutum Lepidus, pontifex max. alii alios ex tyrannoctonis, qui post Cæsaris necem, populi et Antonii maxime consulis metu, in Capitolium se contulerant, cœnæ adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Cum Cæsarem, quanquam in libera civitate, singulari potestate usum, funere tamen efferri placuisset: qui fons malorum omnium fuit: (sic enim tyrannum non fuisse judicabatur: nam tyrannorum corpora projiciuntur inhumata) laudavit eum de more Antonius in foro: commemoratisque rebus ab eo gestis, maximisque erga remp. meritis, explicata demum cruenta veste, in qua cæsus fuerat, multis pugionum ictibus perfossa, convertit orationem ad miserationem commovendam, populumque jam dolore incensum in eam iracundiam furoremque impulit, ut statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus accurrerit: unde ægre repulsus est. Brutus et Cassius, vitato præsenti periculo, concitatæ multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam jam satis experti, Antium, et Lanuvium aufugerunt, eo consilio, ut inde in provincias a senatu decretas proficiscerentur. Decreverat autem senatus, postridie quam e Capitolio Cæsaris interfectores descenderunt, Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam; D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Cæsare antea, confirmavit. Idem tamen, quasi ad sanitatem revocatus, reliquis diebus in Capitolio præclara S. C. fecit: primum illud e Ser. Sulpicii sententia, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur: deinde, ut dictaturæ nomen in perpetuum e rep. tolleretur. Lux quædam oblata videbatur: erecti erant spe libertatis et otii bonorum animi: constituta resp. putabatur. Sed cito ille simulationem sustulit, suique similis visus est. Habito enim Kalendis Jan. senatu, non eum, quem antea, de rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem voluntatem ostendit. Nihil deinde ad senatum referebat: per populum, id est per infimam corruptamque plebem, contempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia contra S. C. quod ipse fieri voluerat, tabulas figebat, civitatem immunitatesque dabat, exules reducebat; eaque se facere omnia dicebat ex legibus Cæsaris, aut ex ejus commentariis. Tum Cicero, desperata prorsus Antonio consule libertate urbem reliquit, in Græciam iturus, eo mente, ut Kalendis Jan. quo die Pansa et Hirtius consulatum inituri erant, adesset. Nec tamen iter illud absolvit. Nam Leucopetræ adversa tempestate detentus, ab iis, qui ab urbe venerant, et concionem accepit Antonii, quam valde probavit; et ea cognovit, unde revertendi consilium cepit. Post reversionem, de via languens, in senatum, qui Kalendis Sept. ut Phil. V. legitur, in æde Concordiæ habebatur, non venit. Quo graviter commotus Antonius, fabros se missurum, et domum ejus disturbaturum, audiente senatu, dixit. Postridie, id est, IV. Nonas Sept. in senatum venit, absente Antonio: et hac oratione prima exposuit consilium profectionis et reversionis suæ: deinde questus est graviter de Antonii hesterna injuria: tum leges illius reprehendit: postremo utrumque consulem, absentem Antonium, præsentem Dolabellam, quem sibi, profecturus ad bellum Parthicum, Cæsar suffecerat, hortatur, ut veram, solidamque gloriam sequantur; diligi a suis civibus malint, quam metui; rempublicam omni ratione complectantur. MANUT.

Cap. 1. *Græcum etiam verbum*] Quidam hoc loco inferserant Græcam vocem ἀμνηστίας. Ego summa fide optimi ac veterrimi libri scripturam expressi: quid autem de hoc loco sentirem, indicavi jampridem, cap. 15. libri II. Variarum lectionum. MURET.

Per liberos ejus] Imo per unum filium, ut omnes historici tradiderunt: sed liberos numero multitudinis pro unico filio, aut etiam filia Latini scriptores libenter usurpant, ut alias ex Gellio et Juris-consultis notavimus. ABRAM.

Unum giebat] Videtur intelligere Sextum Clodium, de quo ipse Antonius epistola quadam ad Ciceronem, quæ habetur lib. 14. ad Atticum: *A Cæsare petii ut Sext.*

Clodium restitueret, impetravi, &c. IDEM.

Servio Sulpicio] De hoc S. C. item de dictatura sublata, dicetur 2. Philipp. IDEM.

Cap. 2. *Cædis*] Quæ impendebat ab homine audacissimo, infimæ plebis duce, qui se C. Marii, septies consulis, filium simulabat. MAN.

Uncus impactus est] Unco tractus in Gemonias scalas, et in Tiberim dejectus est. MANUT.

Fugitivo illi] Humillimæ enim sortis cum esset, in Mariam gentem, atque adeo in ipsius C. Marii nomen invaserat. Verum autem ejus nomen, dissentientibus Valerio, Appiano, Epitome, certum non est. ID.

Iidemque] Et scelerati homines de plebe infima, et servi. IDEM.

Bustum in foro facerent] Cæsari, uti crematus erat in foro constituerent. IDEM. Vide Sueton.

Insepultam sepulturam effecerant] Cremaverant enim Cæsaris corpus in foro, ut ait Suetonius, aridis virgultis, subselliis, ac tribunalibus: cum in campo Martio rogus exstructus esset. *Insepultam sepulturam* vocat vel quia servata cremandi, et sepeliendi consuetudo non est: vel quia ut infra dicitur, *sepulcrum Cæsaris nusquam exstaret*. IDEM.

Execratæque columnæ] Suetonius. Plebs solidam columnam, prope viginti pedum lapidis Numidici, in foro statuit, scripsitque *Parenti patriæ*. MANUT.

Liberatores] Brutus, et Cassius. De quibus infra.

Veterani qui appellabantur] Cæsariani milites, quibus post emerita stipendia caverat Senatus, ut in agros sibi assignatos emolumenta, sive commoda militiæ percepturi primo quoque tempore mitterentur. ABRAM. Ait veteranos appellatos fuisse ab Antonio, sive compellatos in concione ad ulciscendam Cæsaris necem ut coirent, quod patet ex historicis et epistolis ad Atticum, et verbis sequentibus. GRÆV.

Cap. 3. *Non sine causa vitavissem*] Vitavit meta quatuor legionum Antonii, quæ erant Brundusii. Epist. 2. et 4. lib. XVI. ad Attic. MANUT.

Venti detulissent] Vide epist. 25. lib. XII. ad Cornificium, et epist. 4. lib. XVI. ad Atticum. IDEM.

Rem conventuram] Hæc tota res in eadem ad Attic. epist. explicatur.

Remissis provinciis Galliis] Auget oratorie. Nam unam Galliam citeriorem quam postea invasit, pro Macedonia a senatu jam decreta optabat Antonius. IDEM.

Cap. 4. *Veliam*] Vide lib. XVI. ad Atticum, epist. 17.

Brutum vidi] Cum incensis ob Cæsaris necem veteranorum animis, Bruto et Cassio vitæ periculum immineret, Senatus, ut eos præsenti præsenti periculo subduceret, his duobus annonæ curam mandavit, et quod Prætores erant, decrevit ut legibus solverentur, si ab urbe plus quam decem dies abfuissent. Brutum Veliæ vidit Cicero magno suo cum dolore, quod vir unice amans rempublicam non auderet in urbe subsistere. ABRAM.

Pisonis oratio] Quænam hæc fuerit Lucii Pisonis oratio habita Kalendis Sextilibus in Senatu, non satis constat: id constat unum, eam fuisse liberrimam. Vide infra: et Philipp. V. cap. 7. Ex quibus merito dubites de fide Appiani, qui, libro 3. de bellis civilibus, L. Pisonem Antonio patrocinantem, et Ciceroni repugnantem inducit. ABRAM.

Præter naturam etiam, præterque fatum] An utrumque idem valere voluerit, fatum atque naturam, et duas res καθ' ἑαυτὰς ἐνεστώσας, an vero diviserit separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus posse, præter fatum: quando sic ratio, et ordo, et inseparabilis quædam fati necessitas constituitur, ut omnia intra fatum claudenda sint. Nisi illud sane Homeri secutus est:

Μὴ καὶ ἐνὶς μοῖραν θέμεν Ἀΐδος ἐκφυγέσκεν.

Ne præter fatum accedas Plutonis ad ædes. Nihil autem dubium est, quin violentam, et inopinatam mortem significaverit: quæ quidem potest recte videri accidere præter naturam. Sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit, neque operis hujus est explorare, neque temporis. A. GELLIUS, lib. XIII. cap. 1.

Utriusque consilii] Tam profectionis, quam reversionis meæ. ABRAM.

Nonnullo ejus officio] Quod eum Antonius, post pugnam Pharsalicam, nondum impetrata a Cæsare venia, Brundusii commorantem, cum interimere jure posset, noluit. Phil. 2. MANUT.

Cap. 5. *De supplicationibus*] Cæsari mortuo decernendis. Phil. 6. IDEM.

Non pignoribus] Quæ auferri solebant senatoribus, qui in senatum vocati non venissent. Infra: *quid est ultra pignus, aut multam.* IDEM.

Cap. 6. *Parentalia*] Quæ tulissem: ut vero supplicationes mortuo simul decernerentur, id vero nunquam tulissem. IDEM.

Nusquam] Nam re vera nullum Julii Cæsaris extabat tum temporis sepulchrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. GRÆV.

Cap. 7. *Sine advocatis*] Sine militibus; quibus, a quo primum die senatum habuit, post Cæsaris interitum, vel præsidii sui causa, vel ut motum senatoribus injiceret, eoque facilius, quæ vellet, obtineret, curiam circumdare solitus est. Philipp. 2. MANUT.

Non facere potuit] Vict. Man. Grut. *facere non potuit*

Quod idem non facere potuit] Antea legebatur: *Quod idem facere non potuit:* neque sane aliter est in optimo illo libro, quam in pervulgatis. Si quis tamen sententiam accurate consideret, spero ei conjecturam nostram probatum iri. Jam quantum intersit inter hæc duo, *potuit non facere*, et *non potuit facere*, qui per se non videt, legat Aristotelem περὶ ἑρμηνείας. MURET.

Pecunia utinam ad Opis maneret] In Opis æde septies millies H-S, quæ sunt nummo nostro ducenties decies centena scutatorum millia, Cæsar deposuerat; eam omnem pecuniam Antonius abstulit partim sibi, ut æs alienum grande dissolveret: partim Dolabellæ, collegæ suo, ipsi quoque gravi ære alieno obstricto: partim aliis, quos a tuendæ reip. cura ad suas partes traduxit. IDEM.

Cap. 8. *De tertia decuria*] Lex Cæsaris, ut duæ tantum decuriæ judicarent, Senatorum et Equitum, omissis Tribunis serariis: Antonius tertiam addiderat ex Centurionibus. FERR.

Quicunque ordinem duxit] Etiam si legitimo censu careat. MAN.

Quicunque equo meruisset] De equo publico et privato non attinet plura dicere, quod Justus Lipsius libro primo de Militia Romana, dialogo 5. totam hanc difficultatem exhauserit. Tantum adverte hunc locum intelligendum videri de iis qui equo publico meruissent, neque enim videtur laudatius equo privato merere, quam ordines ducere. ABRAM.

Manipulares] Subsignanos milites intelligit, qui erant in manipulis, ad distinctionem velitum qui proprios manipulos non habebant. Vide Lipsium lib. 2. de Militia Romana, dialogo 2. IDEM.

Ex legione Alaudarum] Hujus legionis meminit Cicero, ad Attic. lib. XVI. epist. 8. Plinius H. N. libr. XI. cap. 37. Parva avis *galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* Narrat Suetonius in Julio, cap. 24. *Et Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) disciplina cultuque Romano institutam et ornatam, postea universam civitate donatam fuisse a Cæsare.* Quod *Alauda* vocabulum sit Celticæ originis, confirmat Marcelli Empirici, et Gregorii Turonensis auctoritate Isaacus Casaubonus, in eum Suetonii locum. Vossius in

Etymol. v. Galerita scribit impositum esse legioni ex dicterio nomen, quod *alaudæ* avis instar, insignis esset galearum cristis. ANONYMUS.

Aliter enim nostri negant posse se salvos esse] Nisi judices habeant manipulares. *Nostri:* amici, et familiares, omnium scelerum affines. Loquitur ex persona Antonii. MAN.

Legis index] Titulus, et quasi rubrica, sive inscriptio. ABRAM.

In turpes] *Turpem*, legendum, et ex antiquo libro, et ex sensu: cum de una tantum, id est de tertia decuria loquatur, quæ sola erat turpis. FAERN.

Cap. 9. *Popularis*] Quia provocatio, populi potestatem auget. MAN.

Cap. 10. *A mortuo*] Jocosa, et eadem tamen acerba narratio. Mortuorum enim actio nulla est: at Cæsar mortuus exules reduxit: civitatem, immunitates dedit. Nam Antonius iis de rebus leges protulit, et in Capitolio fixit, ut Cæsaris leges. Phil. 2. IDEM.

Quas tu mihi] Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire. ABRAM.

Videbitis] Vict. Man. Lamb. *jubebitis*

Isne qui exclusus est] Isne populus eam legem scivit, et suffragio suo comprobavit, qui septis et militum præsidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere. IDEM.

Augurum] Grut. *amicorum*

Cap. 11. *Sed iidem illi ita mecum*] Familiares Antonii ita mecum loquuntur: Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompeium contra Cæsarem) idem licebit quod Pisoni, qui Cæsaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque admonent ut caveam, ne si liberius locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, et, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. ABRAM.

Cap. 12. *Expiato foro*] Eversa columna, de qua dictum est cap. 2.

Cap. 13. *Illum diem*] Biduo post Cæsaris mortem. FERRAT.

Oblitus auspiciorum] Cum tu ipse, creato comitiis centuriatis consule Dolabella, obnuntiasti, et, quod ad te attinet, vitiosum consulem fecisti. Philipp. II. MAN.

Unius M. Manlii scelus] Qui cum reipublicæ dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpeio dejectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci prænomen in posterum obtineret. ABRAM.

Quanquam solent] Vict. Grut. *Quanquam nihil est tam sanctum, quod non soleant*

Domestici] Latenter avaritiam carpit Fulviæ, Antonii uxoris, quæ C. Curionis, et P. Clodii uxor quoque fuerat. MAN.

Cap. 14. *Et metui a civibus tuis*] In aliis hoc amplius, *quam diligi malis.* Quæ verba cum abessent optimo libro, putavi adjecta esse ab aliquo, qui non animadverteret, hanc quoque particulam pendere ex illo quod antecessit, *gloriosum putes.* MURET. Hanc retinent Vict. Man. Lamb. Grut. cum quibus errare, si tamen erramus, liceat.

Oderint] Vide lib. I. de Officiis, cap. 28.

Nec clarus, quisquam esse omnino potest] Lamb. *nec auctus* (Grut. *auctus*) *quisquam esse omni potestate potest.*

Cap. 15. *Gladiatoribus*] Ipsos gladiatorios ludos intelligit. ABRAM.

Pompeii statuæ] Adeo populus Romanus amore pristinæ libertatis exarserat, ut videns Pompeii statuam applauderet, et ipsi Pompeio gratularetur. IDEM.

Accio] Tereus Accii tragœdia Apollinaribus acta est. Cicero libro XVI. ad Attic. epist. 2: *Delectari*

mihi Tereo videbatur, et habere majorem Accio, quam Antonio, gratiam. Mihi autem quo lætiora sunt, eo plus stomachi et molestiæ est, populum Rom. manus suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere. Ep. 5. *Tuas jam litteras Brutus expectabat, cui quidem ego non novum attuleram de Tereo Accii: ille Brutum putabat. Sed tamen rumoris nescio quid afflaverat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse.* IDEM.

Nisi forte Accio tum plaudi, et sexagesimo post anno] Nisi forte cum illis ludis planderetur, Accio poetæ, cujus tragœdia nomine Tereus exhibebatur, plaudi, eique sexagesimo anno postquam scripta est ea tragœdia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. ABRAM.

A. Hirtii] Hirtio consule designato, graviter ægrotante, populus Romanus, quia sperarat eum in consulatu rempublicam defensurum, pro ejus incolumitate vota suscepit. Phil. 7. et 10. MANUT.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA II.

Cap. 1. *His annis viginti*] Qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Cæsaris cædem. ABRAM.

Mihi pœnarum illi plus] Commode initio, humanitatis et clementiæ specimen exhibet. Quas autem reipublicæ et Ciceroni pœnas exsolverint, palam est ex eorum temporum historiis. Catilina contra patriam signa inferens a Petronio C. Antonii legato victus, multis telis confossus, et inter corporum acervos inventus est. P. Clodius in Appia via a servis Milonis occisus est. IDEM.

Cap. 2. *Venisse*] In judicium, ut familiarem meum defenderem. Judiciale verbum. MANUT. Res est obscurior, nec ullis veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis, hominis libertini, sed admodum opulenti filia. De qua, Philippica III. 6. *Tuæ conjugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ, stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, ut erat ditissimus, aliis dabat partes, alios mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio cum suæ causæ, si ex formula et edicto Prætoris ageretur, deffideret, a quodam Tribuno plebis per M. Antonium generum suum impetravit, ut is illi judicio intercederet, juberetque diem proferri, quoad alii judices in Bambalionem propensiores constituerentur, vel totius judicii mutari rationem. Actor obtinendæ causæ spe dejectus, nisi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem suum defendit, contra hanc iniquæ intercessionis injuriam, ejusque causam egit, etiam illa formula qua Tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato judicio, et iniquis conditionibus, ille jus suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone

fuisse violatam. Negat Orator, et illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes. 1. Quod ille familiaris esset, alienus Bambalio. 2. Quod ille obrueretur gratia M. Antonii. 3. Quod contra omnem juris formam, intercessione Tribuni plebis, prohiberetur consuetis formulis jus suum experiri. ABRAM.

Non virtutis spe] Ita melius, quam, ut in aliis, *specie*. Virtutis enim spes in illa ætate commendatur. Cicero de Rep. *O Fanni, difficilis causa, laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.* MURET. Quidem *virtutis specie* splendorem virtutis, et pulchritudinem intelligunt: libentius interpreter prætextum simulationemque virtutis, quasi eam gratiam non solum sine virtute, sed etiam sine virtutis simulatione collegerit, ætatis flore quem prostituebat libidini improborum. ABRAM.

Intercessoris] Intercessione Tribuni, non judicio Prætoris. FERRATIUS.

Infimo ordini] Varii fuerunt ordines, in quos civitas Romana describeretur. Prima divisio fuit, in Senatum populumque Romanum: quibus postmodum equester ordo accessit: ut ait Plinius libro 33. cap. 2. Alia descriptio fuit in patritios et plebem. Plebem rursus in tribunos ærarios, scribas, mercatores, et negotiatores, argentarios et fœneratores, artifices et opifices, turbam forensem, libertinos et magistratuum apparitores dividebant (de quibus fuse Sigonius lib. 2. de antiquo jure civium Romanorum a cap. 7. ad 15.) aut etiam in assiduos et capite censos. Infimus autem vocatur ordo libertinorum, quod suffragiorum jure carerent, saltem in quatuor tantum tribubus urbanis ferrent suffragium, quod in militiam ordinarie non adsciscerentur nisi difficillimis reipublicæ temporibus, quod ad magistratus et curiam aditum non haberent: ut eruditeprobat Sigonius ejusdem libri cap. 14. Libertini autem ii dicebantur, qui in libertatem asserti fuerant e servitute: quamvis antiquitus ii non libertini, sed liberti dicerentur, cum libertini nomen in eorum filiis hæreret. Tranquillus in Claudio 24: *Etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* ABRAM.

Q. Fadii] Bambalionis: de quo jam dictum, et rursus Philipp. III.

Domum meam ventitaras] De more. Auctor de Oratoribus, et causis corruptæ eloquentiæ: *Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat.* Plinius junior, lib. 8. ep. 14. *Erat autem antiquitus institutum, ut a majoribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda nos ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, &c. Inde honores petituri assistebant curiæ foribus, et consilii publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro: aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente.* Adeo ut ne forensia quidem auspicari stipendia, et ad dicendum prodire liceret sine auctore. Idem libro 2. ep. 14: *At Hercule ante memoriam meam (majores natu ita dicere solebant) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris et reverentiæ claustris omnia patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt.* Neque solum ut foro se aut militiæ pararent, sed etiam ut mores componerent, ad majores natu vestitabant. Persius Sat. 5:

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit, &c.
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

E quibus intelligas hujusmodi vitæ magistros sumpta virili toga primum adscitos fuisse, ut in Cæliana: *Ut huic virilem togam dedit, &c. hoc dicam hunc a patre continuo ad me esse deductum.* Vide initium lib. de Amicitia. IDEM.

C. Curionem] Qui turpiter amavit Antonium. Plutarchus in Antonio.

Auguratus petitionem] Dixisti te auguratus petitionem omisisse in mei gratiam, ne videlicet si tu meus fuisses competitor, ego repulsam ferrem. In hujusmodi sacerdotiorum petitione, cum plures essent candidati, magnum beneficium fuisse, si gratiosus competitor petitionem alteri concederet. Sic Catulus summum pontificatum cum Cæsare et Isaurico petens, *misit qui magna pecuniæ vi Cæsari persuaderent, ut is a petitione desisteret*, ut narrat Plutarchus in Cæsare. Ex quo etiam liquet quo tempore. Noster adeptus fuerit auguratum: *Etiam in eorum sacerdotum collegium adoptatus est, quos augures appellant Romani, loco Crassi Junioris, cum is apud Parthos mortem obiisset.* ABRAM.

Quo enim tempore] Anno, ut videtur, urbis septingentesimo, Cn. Domitio Calvino, et M. Valerio Messala Consulibus, quo tempore Tullius P. Crasso M. filio a Parthis deleto, augur in ejus locum suffectus est. IDEM.

Unam tribum ferre] Nota locutio. Sed quid tribus ad auguratum, cum is e duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diversitate temporum sacerdotia collata sunt. Siquidem tertio Marii consulatu, ut ait Velleius lib. 2. *Cn. Domitius Tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet.* Id ille fecit, ut advertit Tranquillus in Nerone c. 2: *Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent.* De hac lege noster epist. IV. ad Brutum: *Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C. enim Marius cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit.* Hanc legem L. Sylla Dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus Consulibus Cicerone et Antonio. Dio 77: *Cum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Cæsar autem plebem demereretur, iterum plebs contra Syllæ legem, Domitii legem renovavit, atque introduxit.* Quod ita reor populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset eum qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, a duobus vel pontificibus vel auguribus nominari. Neque enim Cæsar adhuc adolescens, et plebeculæ quam optimatibus jucundior, nominationem hanc contra Catulum et Servilium Isauricum competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum. Orat. 2. in Rullum, cap. 7. *Ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares, ut, quia per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius, Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Secuta est lex Julia de sacerdotiis a Julio Cæsare lata, ut videtur, in primo consulatu. De qua noster ad Brutum epist. IV. *Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proximo, his verbis:* QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. *Aperte judicat posse rationem haberi etiam non præsentis.* Cujus, opinor, ea vis fuit ut sacerdotes nominandi quidem, et cooptandi sibi collegas jus haberent,

sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium et consensus accederet. Philipp. III: *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimum, persequetur. Imprimis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis Optimi Maximi, cujus interpretes, interrumpique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompeium an Antonium?* Atque adeo sibi repugnat, cum in adeptione auguratus, et nominationis et suffragii, sive tribuum facit mentionem. IDEM.

Cap. 3. *Quod me Brundusii non occideris*] Julius Cæsar, ut narrat Plutarchus in Antonio, *post victoriam Dictator creatus, ipse quidem persecutus est Pompeium. Antonium vero Magistrum equitum nominans Romam ire jussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat, quia contra leges ei Cæsar hunc honorem concesserat. Quid autem Ciceroni et Antonio, e diversis partibus a pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercesserit negótii, constat ex ipso Cicerone. Epistola 6. lib. XI. ad Atticum: *In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesseret. Minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundusii jacere in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? Qui mihi incolumi adimi non possunt: quos ego modo pauliper cum bacillis in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et epistola sequenti: *Ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se litterarum, in quibus erat se audivisse Catonem et Luc. Metellum in Italiam venisse, Romæ ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent: prohiberique omnes Italia, nisi quarum ipse causam cognovisset, deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per litteras ut sibi ignoscerem: facere eo non posse quia his litteris peteret. Tum ad eum misi Luc. Lamiam, qui demonstraret illum Dollabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem: ejus me litteris venisse. Tum ille edixit ita ut me exciperet, et Lælium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim, sine nomine, re ipsa excipi.* Pro Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reip. reddidit? Qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut eaem idem qui fecissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo hoc ipso C. Pansa mihi nuntiam perferente concessos fasces, laureatos temui, quoad tenendos putavi, &c.* E quibus patet, et quomodo de Cæsaris voluntate in Italiam venerit, et cur eum Antonius non potuerit occidere. ABRAM.

Potuisse] Jure belli.

Cum leges eas] Post mortem Cæsaris multas leges, quæ ne scriptæ quidem ante fuerant, nedum promulgatæ, vel tulit, vel per tribunos plebis ferri curavit Antonius. Quarum aliquæ ad ipsum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam et Æbutiam. Quibus ferendis auspicia neglexit, et Tribunos plebis ad intercedendum prohibuit accedere. A persona facinoris atrocitatem exaggerat: longe enim est indignius ab augure, quam a cæteris auspicia contemni. Cumque ad officium Consulis spectet prævidere ne tribunitiarum legum multitudine respublica turbetur, eaque legum multitudo sola reliquorum Tribunorum plebis intercessione tollatur, indignissimum est Consulem Tribunis plebis intercedendi facultatem adimere. IDEM.

Pudica in domo] Pompeii.

Cum M. Crasso] Multas contentiones fuisse Ciceroni cum M. Licinio Crasso constat ex ejus in Crassum dicteriis, quæ a Plutarcho referuntur. IDEM.

Cap. 4. *Quæstuosum*] Quia chirographa fingis, quasi a Cæsare scripta. Infra. MANUT.

Preferam] Infra, cap. 17.

At ego] Concludit mentione litterarum, quas de Sexti Clodii restitutione ad Ciceronem scripserat Antonius. Eæ libro 14. ad Atticum, loco item decimo quarto, referuntur hoc initio: *Occupationibus est factum meis.* Ubi his verbis petit Antonius: *A Cæsare petii, ut S. Clodium restitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio ejus, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat.* Et ita concludit: *Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas.* Respondet Cicero epistola sequenti: *Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te, cum his verbis scripseris, liberalissime et honorificentissime tractatum existimem.* · IDEM.

Lege lata] Nam si lege Cæsaris reditum in patriam impetraverat, Antonii beneficium in eo restituendo nullum erat. IDEM.

Cap. 5. *Cujus quidem* te *fatum, sicuti* C. Curionem *manet*] Non habeo dubium, quin legi debeat ita, ut in optimo libro scriptum est: *Cujus quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni manet.* Sed nescio quomodo fit, ut quicquid paulo longius ab usitata loquendi consuetudine discedit, id quorundam aures protinus repudient. MURET. Facnum et Muretum secutus est Lambinus. In meo quoque codice est *tibi.* Laudat etiam sic hunc locum Sanctius in Minerva, lib. II. cap. 4. et constructionem pluribus exemplis confirmat, ut illo Virgilii:

Hæc eadem matriquæ tuæ, generique manebunt.

Sed præstat ut alia ibi legas. GRÆV.

Quod fuit utrique fatale] Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: *Nuptiis animum adjecit, ducens Fulviam, quæ olim Clodio populari concionatori nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domestica deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti præesse, et imperanti volentem imperare.* Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio, et Appianus, et tum ipsa, tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, ut auctor est D o, lib. 48. *Eas ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quod Senatores calceamentis militaribus uterentur.* Et ipsa post victos Brutum et Cassium absente Antonio, bellum contra Cæsarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitarit. Quo bello, ut ibidem narrat Dio, Fulvia, *et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat.* Hæc illa est Fulvia, quæ tam fœde insultavit abscisso capiti Ciceronis. Idem Dio, lib. 47; *Fulvia autem id caput arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis et conspuens genibus suis imposuit: orique ejus aperto linguam extractam, acubus (quales secum comendi capitis causa mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis.* Ut mirum non sit turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatræ extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulviæ refert acceptum: *Ut mercedem Fulviæ, quod ancillari Antonium docuisset fœminis, debuerit Cleopatra, quæ plane cicurem et velut a tirocinio institutum ad obtemperandum fœminis accepit.* Hæc Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. III. Noct. Attic. cap. 9. ABRAM.

Cap. 6. *Vitricum tuum*] Virum matris tuæ, nam mater Antonii fuit Julia Lucii Cæsaris soror: quam post mortem Antonii patris P. Lentulus Sura duxit uxorem: Lentulus autem inter conjuratos jussu Ciceronis est in carcere jugulatus. IDEM.

Phormioni] Parasitis, quales sunt Phormio et Gnatho apud Terentium, et lenonibus similibus illi Ballio-

ni, qui apud Plautum inducitur. IDEM

Qui suam rem nullam habent] Lusit in vocabulo *res*. Cur ad eos, inquit, refers de rep. qui suam ipsi rem nullam habent, tuam perdunt? MANUTIUS.

Cap. 7. *Pudorem cum pudicitia*] Pudor est animi, pudicitia corporis Tu igitur, Antoni, qui pudicitiam perdideras, parum de pudore laborasti: qui enim impudicus fuerit, eum impudentem esse quis miretur? ID.

Quis nomen non dedit] Nomen dare dicuntur, qui in delectu in militum matriculam referuntur. Livius lib. II. *Delectuque decreto nemo nomen dedit:* Paulo post: *Omisso certamine nomina dedere.* Libro IV: *Cognitio vacantium militiæ munere post bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda.* Libro III: *Cognoscendis causis eorum qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus.* Libro VI: *Neque duci addictos tribuni sinebant, neque juniores nomina dabant.* IDEM.

Voce pene litterarum] Certe, ut Bisciolæ nostri verbis utar lib. VI. Subsecivarum, cap. XII: *Mirabantur et nostro seculo Indi papyrum loquentem, ut ipsi putabant, quod a rerum Indicarum scriptoribus narratur.* Quo in genere lepida est narratiuncula de illo puero, qui jussu heri fiscellam ficibus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat ad quem fuerant destinatæ. Et rem per litteras de hero detectam admirans, paulo post cum eandem ferendarum ficuum accepisset provinciam, litteras, ne quid illæ resciscerent, in terram defodit, ficusque, ut rebatur, sine arbitris manducavit. MANUT.

Vitrici] Lentuli.

Cap. 8. *In hac cella Concordiæ*] Deprehensis conjuratorum litteris, ut narrat Plutarchus in Cicerone, *Senatui in cellam Concordiæ convocato, litteras recitavit, et indices audivit.* Unde illud pro Sextio: *Erat eodem tempore Senatus in æde Concordiæ, quod ipsum tempus repræsentabat memoriam consulatus mei.* MANUT.

Ab Ithyreis] Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. IDEM.

Tantam] Vict. Man. Lamb. *tantarum*

Reipublicæ] Vict. *contra rempublicam.*

Ab uxore mima] A Cytheride, amica sua, quam secum vel in castra ducebat. Unde Virg. *Tua, Galle, Lycoris Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.* Cytheridem significat, ut ait Probus: quæ et Volumnia vocabatur, quod eam Volumnius Entrapelus, antequam Antonius, amavit. Vide infra, et epist. ult. lib. IX. Fam. IDEM.

Cap. 9. *Favisse*] Plausu significasse tuum factum, sive potius conatum mihi probari. Cujus autem impudentiæ fuit, objicere alteri consilium patrati facinoris, quod sua manu patrare voluerat Antonius? ABRAM. Monuit Fr. Sanctius, *Minerv.* III. 3. verbum *faveo* non minus activum esse, quam *invideo:* atque ut latine dixit Virgilius, Georg. I. 503. *Nolis cæli te regia invidet,* ita latinum esse *Faveo tibi hanc rem, hoc factum.* Si quis tamen hic ellipsin esse velit prepositionis *ob, propter,* non valde reluctabor.

Quanquam de morte P. Clodii] Occurrit tacitæ objectioni, *Si omnes, ut dicis, Clodii morte lætati sunt, cur igitur Milo damnatus est?* Id acceptum refert non causæ Milonis, quæ fuit optima, sed institutioni novæ quæstionis. De qua multis queritur pro Milone. ABRAM.

Cap. 10. *Ne quinquennii imperium*] Vide Orat. de Prov. Consul.

Ferri] Subauditur legem.

Ratio haberetur] In comitiis Consularibus.

Cap. 11. *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus*] Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, qui conspirationis in Cæsarem factæ principes et auctores fuerunt, eguissent aliis auctoribus, et impulsoribus ad illud facinus

designandum, non opus erat ut eos ipse hortaror, iisque tanti facinoris auctor essem, cum haberent domesticos hortatores et majorum suorum exempla. Et uterque Brutus inter paternas majorum suorum imagines in atrio domus suæ collocatas viderent imaginem Luc. Bruti, qui Tarquinios ejecit, et patriam ab eorum dominatione liberavit. M. Brutus etiam inter maternas majorum imagines videret imaginem Ahalæ Servilii, qui sua manu occidit Spurium Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem venerat regni appetendi. Cassius haberet exempla majorum suorum, e quibus ille fuit Cassius, qui filium suum legibus agrariis populares aufras aucupantem, cum in suspicionem venisset affectati regni, dicitur interemisse, et bona ejus Cereri consecrasse. ABRAM.

Cn. Domitium] Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Cæsari necem, satis excitatus interitu patris sui Luc. Domitii, qui occubuit pugna Pharsalica, et avunculi sui M. Catonis Utricensis, qui Utiæ mortem sibi ipse conscivit, ne in Cæsaris victoris manus deveniret. Hic autem est Cn. ille Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3. ait, *omnibus gentis suæ præferendum*. Subditque: *Is inter conscios Cæsarianæ necis (quanquam insons) damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione conjunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit: auxit etiam, nec, nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte et ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit.* ABRAM.

Cap. 13. *M. Brutus*] Cui, quia prætor erat, ab urbe plus quam decem dies abesse non licebat, nisi legibus solveretur. MAN.

Cur ludi Apollinares] Brutus et alii Cæsaris percussores patrata cæde, veteranorum et plebeculæ metu ex urbe profugerant, et Senatus ut honestum fugæ prætextum daret, Brutum et Cassium annonæ præfecerat. Cum autem Prætoris esset urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius Prætor absentis Bruti nomine magnifice suppeditatis a Bruto sumptibus celebravit. ABRAM.

Cur provincia Bruto et Cassio data] Bruto Macedonia, Cassio Syria. ID.

Retexo] Retracto quæ dixeram, me videlicet conspirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia: non enim ad Brutum et Cassium ea de re scribere decreverat. Retexo, est muto et corrigo. Sic epist. 14. lib. XI. ad Familiares: *Novi timores retexunt superiora.* Manutius ibidem, epist. 28: *An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata, commutem, ac me ipse retexam?* Ubi Manutius: *Qui retexit, mutat, quod jam fecit quasi male factum.* ABRAM.

Cap. 14. *Si meus stylus*] Si fuissem poeta illius fabulæ, quam Brutus et Cassius egerunt, &c. Fabula est liberatio reipublicæ, poeta Cicero, stylus consilium, actus unus cædes Cæsaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse cædes Lepidi et trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit lib. XII. ep. ad Cassium 4. *Vellem Idibus Martiis me ad canam invitasses; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent, et quidem præter cæteros me.* Quod repetit libro X. ad Familiares, epistola ad Trebonium, quæ est 28. IDEM.

Quanquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est] Antonius cum Cæsari ex Hispania redeunti victis Pompeii liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit, et contubernalem C. Trebonium; isque oblique necandi Cæsaris mentionem injecit. Antonius Treboni consilio

non acquievit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit, ne ad aures Cæsaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Cæsaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. IDEM.

Hoc consilium] Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: *Et cum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cumque cæteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Cæsari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem et contubernalem fuisse M. Antonium, cujus animum cum ipse pedetentim, et caute experiri voluisset, Antonium aiebat sensisse quidem quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Cæsarem detulisse.* ABRAM.

Te a Trebonio vidimus sevocari] Plutarchus tamen in Cæsare: *Antonium qui et Cæsari fidelis erat et robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus injiciens sermonem data opera longiorem.* Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius*, inquit in Bruto, *Antonium circa curiæ januam seductum injecto sermone foris detinuit.* Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. 43. et Noster lib. 10. ad Familiares epist. 28. quæ est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor.* Idem Philipp. XIII. IDEM.

Cassianum] Vide Orat. pro Milone, cap. 12, et ibi Asconium.

Per easdem tabulas] Infra: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis quæ sunt ad Opis patebat?* Eam autem pecuniam dicitur per easdem tabulas dissipasse, quia tabulas adulteraverat, ne fortum illud extaret. ABRAM.

E domo Cæsaris] Post Cæsaris necem Calpurnia Cæsaris conjux, verita ne vel Cæsaris percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniæ vim e domo Cæsaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium. Et in his Cæsaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quæ Cæsar facere decreverat. Interim cum Senatus nihil de Cæsaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Cæsaris commentarios adulteravit, et agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit cujus invenit emptorem. IDEM.

Cap. 15. *Exercitus*] Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum, alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus Imperatorem habuit Cn. Pompeium, secundus P. Scipionem, tertius Cneium et Sextum liberos Pompeii. ABRAM. Vide infra, cap. 22.

Providerem futura] Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, vide orat. pro Marcello: *Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens tanquam ad interitum rueren voluntarium.* Adde Epist. IV. lib. X. ad Attic. *Præclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim, aut certe nunquam nisi divine cogitasse: eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.* Libro VII. epist. V: *Pace opus est. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet.* Libro X. epist. V: *Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex, et probior et integrior, et is, qui nisi vincit, nomen Populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Syllano more exemploque vincet.* Jam quid de interitu Pompeii prædixerit, constat e multis, ut lib. VIII. ad Attic. epist. I: *Invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita est unquam: semper flagitiosæ et calamitosæ fugæ.* Lib. XI. epist. VI. *De Pompeii exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim desperatio rerum ejus*

omnium regum et populorum animos occuparat, ut quocunque venisset, hoc putarem futurum. Quid? quod etiam Cæsaris exitum longe ante prospexit. Epist. VI. lib. X: *Nullo enim modo posse video stare istum diutius; quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in ærario.* Item: *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se: qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore: quanquam tempus est nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare: sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim.* Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem: *Videtur si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva.* ABRAM.

At vero] Objectio Antonii. Macrobius libro II. Saturnaliorum cap. 3: *Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cujus hæc de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.* Paulo post: *Et cum donasset Pompeius transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quæ merito videbatur dixisse Pompeius: Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat.* Plura ejus dicta referemus, cum de jocis disseretur. Dictum vero Pompeii elegantius ponitur apud Fabium libro VI. capite 4: *Transi ad Cæsarem, me timebis.* IDEM.

Consularis vir] Minus est *consularis*, quam ut hæc vox possit huic loco convenire. Legunt alii *singularis vir*, quod placet. IDEM.

Et ejus viri] Epiphonema: sector Pompeii fuit Antonius, quia, ut infra dicetur, *Bona Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. Expectantibus omnes, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium.* ABRAM.

Cap. 16. *Ne jocis quidem*] Prætermissio. Quod spectat ad jocos quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De jocis Plutarchus in Cicerone jam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu et mœstus obibat exercitum; aliis autem, cum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat.* Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat? Macrobius: *Cum ad Pompeium venisset: dicentibus sero eum venisse, respondit: Minime sero veni: nam nihil hic paratum video.* In eo jocus fuit, quod tanquam ad epulas invitatus responderit, orationemque a bello ad convivia traduxerit. *Deinde interroganti Pompeio, ubi gener ejus Dolabella esset, respondit: cum socero tuo.* Elegans plane jocus: obscure crimini dabat Pompeius, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero et socero non bene conveniret: ipse quasi aliud agens crimen retorsit, et Pompeio crimini vertit, quod a Cæsare socero suo dissideret. Plutarchus: *Cum Domitius quendam usu militari non satis probatum ad ordines militiæ promovere vellet, diceretque eum et probum esse et frugi, Cur igitur, inquit, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? Quibusdam Theophanem Lesbium præfectum fabrum laudantibus, quod Rhodios omissa classe commode consolatus esset; Quam bonum est, inquit, Græcum habere præfectum? Cum Cæsari plurima ex animi sententia succederent, isque quodammodo jam ipsos obsideret. Lentulo dicenti se comperisse Cæsaris amicos esse tristes, respondit, Dicis eos Cæsarem odisse. Marico autem quodam ex Italia veniente, dicenteque Romæ famam esse Pompeium obsideri: Deinde, inquit, huc navigasti*

ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam, Nonnio dicente bene sperandum esse, quod e Pompeii exercitu septem aquilæ superessent. Bene, inquit, hortaris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente quasi in fatis esset, ut penes Pompeium esset totius belli victoria; Videlicet, inquit, hoc usi stratagemate modo castra amisimus. ABRAM.

Hereditates] Ignominiosum fuit in amicorum testamentis præteriri, quod illud indicio esset præteritos parum amari. IDEM.

Et quidem vide] Ironia, quæ gravius aliquid suspicandum relinquit. Amor enim non fertur in incognitum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitus ignorabat. Quibus innuitur, testamentum illud quod Antonium Rubrii faciebat heredem, adulteratum et subjectum fuisse. ID.

Fufii] An Furius, an Fusius, ut in indice.

Hered. patris non adisses] Quippe nulla erat. MANUT.

Cap. 17. *Rhetorem*] Sextus Clodius, Siculus, de quo Suetonius lib. de Claris Rhet.

Campi Leontini] Sext. Clodius Siculus fuit. Campus Leontinus in Sicilia dictus ab urbe Leontio, cujus meminerunt Plinius et Ptolemæus. Is autem ager fuit Siciliæ totius uberrimus. M. Tullius Frumentaria in Verrem: *Ætnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et quod caput est rei frumentariæ, campus Leontinus, cujus antea species hæc erat, ut cum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere.* Jam si fuit uberrima Siciliæ pars, facile vides quantum Antonius hac largitione reipublicæ vulnus inflixerit. IDEM.

Immunia] Libera ab omni servitute, decumis et aliis ejusmodi vectigalibus non obnoxia. MANUT.

Cap. 18. *Patris, inquies, ista culpa est*] Huic objectioni meæ respondebis: Mea culpa non est, sed patris mei. Non enim ego, sed pater meus vivendo luxuriose patrimonium abligurivit, et tam grande æs alienum contraxit, ut bonis cedere coactus fuerim, cum non possem æs illud alienum dissolvere, fidemque meam a paternis creditoribus liberare. Pater est ille M. Antonius Creticus tam dissolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro I. in Verrem: *Audimus aliquem tabulas nunquam confecisse: quæ opinio hominum de Antonio falsa.* Ubi Asconius: *Hic est Mar. Antonius dissolutissimus curator oræ maritimæ, Cretæ mortuus,* &c. *quem Sallustius ait perdendæ pecuniæ genitum, et vacuum a curis nisi instantibus.* Ut Orator Antonio filio dissolutionem patris his verbis objecerit: PATRIS, INQUIES, ISTA CULPA EST. Antonii pater fuit, *Antonius Creticus, vir,* ut est apud Plutarchum, *non ita quidem splendidus et illustris in republica, vir bonis tamen et commodis moribus, tum potissimum in largiendo liberalis, ut ex uno ejus facto facile cognosci potest. Cum enim magnas divitias haudquaquam possideret, et eam ob rem ab uxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit ut familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecunia, servulo mandavit, ut aquam in vas argenteum infunderet, ad seque deferret. Quo allato quasi barbam rasurus mentum rigavit, et servulum alio prætextu abs se dimisit. Amico vasculum dedit, jubens, ut eo pro suo commodo uteretur. Cum autem quid eo vasculo factum esset diligenter inter domesticos quæretur, uxorem graviter stomachari videns, et de singulis velle habere quæstionem, factum confessus est, rogans, ut illa sibi ignosceret.* Hæc Plutarchus paulo liberalius et benignius quam Orator, vel etiam ipse Antonius. IDEM.

Illud tamen] Lex Roscia theatralis a L. Roscio Othone Tribuno plebis lata, ne quis spectaret in quatuordecim primis graduum ordinibus, qui proxime ad orchestram et podium accedebant, nisi si esset ingenuus ab ingenuo patre, et censum equestrem, id est, quadringenta sestertia possideret. Iis autem ex senatorio vel eques-

tri ordine natis, qui sive suo, sive fortunæ vitio decoxerant, neque jam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam præfracte violarit, et sederit in quatuordecim, cum decoxisset. Atque ut hujus loci numerum paucis attingamus, vides hoc loco membra incisis mira concinnitate misceri, et tandem membrorum quatuor ambitu terminari, sive ut loquitur noster in Oratore: *Omnia tanquam crepidine quadam comprehensione longiore sustineri. Visne igitur te inspiciamus a puero?* Membrum est quod pene ad hexametri longitudinem accedens, duobus choriambis incœptum anapæsto finitur. Sequitur incisum uno dichoræo contentum. *Sic opinor.* Sequuntur tria membra: quorum extrema duo sunt hexametro breviora, medium paulo etiam longius, quam versus heroicus extenditur:

A principio ordiamur.
Tenesne memoria prætextatum te decoxisse.
Patris, inquies, ista culpa est.

Excipit incisum, *concedo*, post membrum inchoatum a duobus anapæstis, ut aures magis feriant, et adversarii mentem percellant, limitatum spondæo et dochimo, *(dochmio)* ut spondæus orationi pondus addat, dochimus aliquid amœnitatis impertiat. Tandem huic multiplici structuræ longior ambitus et circumscriptio verborum quasi fastigium imponitur:

Illud vero audaciæ tuæ
Quod sedisti in quatuordecim ordinibus,
Cum esset lege Roscia certus locus decoctoribus constitutus,
Quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset.

Vides circumscriptionem hanc a duobus heroico versu minoribus membris exorsam duobus grandioribus terminari, singula membra productas initio syllabas plures continuari, ut iis veluti cuidam fundamento insistant, varie finiri, et hunc membrorum finem quasi quibusdam gradibus sensim ad culmen assurgere. *Tuæ* iambus est, qui minimum habet dignitatis: *ordinibus* pæan primus aliquanto sublimior, si numerum syllabarum spectes, si mensuram non adeo grandis: *constitutus*, dichoræus iambo quidem et pæane quidem grandior, nondum tamen sublimis, sed quadam amœnitate temperatus: *decoxisset*, dispondæus, magnificus plane et gravis, totam circumscriptionem sustentans. MAN.

Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam *reddidisti.*] Aliud si nihil in hac oratione emendassem, quam hunc locum, operam tamen præclare a me positam judicarem. Quis est enim eorum, qui has litteras tractant, cui unquam venerit in mentem, eum aliter legendum esse, quam ita uti vulgo ante nos legebatur? *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Quæ tamen scriptura quam prava, quamque vitiosa sit, spero cognituros esse omnes, qui totam rem accurate consideraverint. Hoc enim ait Cicero, Antonium, ubi primum togam puram, seu quod idem est, virilem sumpsit, (quod fieri solitum, cum pueri ad annum XVII. pervenissent, omnes sciunt) primo quidem prostitisse ad libidinem omnium, et quasi diobolarem aliquam meretriculam, omnes omnium impuritates corpore suo excepisse: postea vero, repudiatis cæteris, uni Curioni morigerum atque obsequentem fuisse, uni fecisse copiam sui, cum ab eo prope in uxoris loco haberetur. Primum illud tempus notat, cum ait: *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* Quæ enim muliebres vulgo patebant, venalemque habebant pudicitiam, eæ, ignominiæ causa, ut ab aliis internoscerentur, togam ferebant, non, ut matronæ, stolam. Horatius:

Quid inter
Est in matrona, ancilla peccesne togata?

Idem:

Atque utiam melius persæpe togatæ.

At de matrona loquens, stolam nominat:

Quid vis tibi? nunquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?

Et in eadem Satyra:

Ad talos stola demissa, et circumdata palla.

Sed et adulterii damnatæ impudicitiam profiteri cogebantur, et togam gestare; unde est illud Martialis:

Coccina famosæ donas, et hianthina mæchæ.
Vis, mage quæ meruit, mittere? mitte togam.

Et illud ejusdem:

Thelyn viderat in toga spadonem:
Damnatam Nunæ dixit esse mæcham.

Cum igitur toga meretricum esset, matronarum stola: constat, ad exprimendum illud tempus, quo Antonius meretricum more prostabat, stolæ nomen aptum non esse. At postea ubi tanquam nupsisse Curioni dicitur, et apposite in primis, et salse adhibitum est stolæ vocabulum: *Sed cito*, inquit, *Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit, et tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.* Est autem hic locus in eo libro, qui nobis ad has emendationes dux fuit, ita ut cum ipsi edidimus, plane ac sine ulla vel minima liturae suspicione scriptus. MURET.

Filius se ad pedes] Curio adolescens meis pedibus advolutus mihi supplicabat, lacrymis ubertim manantibus ex amore, ut me interponerem, suamque ipsius causam susciperem, meaque auctoritate a patre Curione sestertium sexagies impetrarem, quibus æs ille alienum dissolveret. Dicebat enim eam sibi summam tuo nomine præstandam esse, quod pro te suam fidem obligasset. IDEM.

Intercessisse] Solutorum promisisse. Sic alibi Cicero locutus. MANUT.

Cap. 19. *Cujus etiam domi quiddam jam tum molitus est*] De stupranda ejus uxore, inquit Manutius. Dici posset etiam jam tum Antonium conspirasse contra rempublicam, ut Pompeium reliquosque principes civitatis occiderent, statumque imperii Romani convellerent. Sed Abramus sum, non Œdipus, et fortasse non est in eo magnopere laborandum. Solent enim Oratores aliquando, etiamsi in re nihil subfit, suspiciose loqui, et cum probare nihil possunt, testari ipsam adversariorum conscientiam. Sic enim et adversarios mire lancinant, nec alligantur mendacii. ABRAM.

Sed habebat ducem Gabinium] Tradit contra Plutarchus Antonium fuisse ducem Gabinio: *Gabinium decem talentorum millibus sollicitante Ptolemæo, ut simul cum ipso in Ægyptum, expeditionem susciperet, et ipse regnum reciperet, legatorum et præfectorum plurimi repugnabant, et Gabinium quamvis tanta mercede constrictum ab eo bello quædam formido revocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occasiones intentus, et Ptolemæo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, et concitavit.* Cæterum postquam a Clodio discessit, antequam se Gabinio conjungeret, in Græcia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel studio brevitatis, vel quia quod in eo reprehenderet non habebat. Hoc enim temporis spatio Antonius intermissa litterarum et eloquentiæ studia renovarat. Missus etiam a Gabinio fuerat in Judæam, hostium arcem primus invaserat, Aristobulum cum filio ceperat, parva militum manu ingentes Judæorum copias conciderat. Id quoque prudens et sciens Tullius omittit; paucisque perstringit profectionem in Ægyptum, dixisse contentus, ea profectione Senatus auctoritatem, rempublicam, religiones fuisse violatas, dissimulatis rebus in Ægypto præclare gestis, quibus Antonius reliquerat suæ fortitudinis, providentiæ, humanitatis impressa vestigia. Nam cum equitatu præmissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, et intervenerat, ne Ptolemæus Ægyptiorum primores occideret, et ingenti prælio, circuiens hostes et a tergo invadens, *victoriam iis qui ex adverso veniebant expediens, præmiis, ut par fuit, militaribus donatus*

est: et Archelai *demortui caput inventum, et ornatum regia magnificentia sepelivit.* Quare Noster quod invidiosum erat, videlicet ipsam profectionem contra religiones et oracula susceptam, insectatur; reliqua tacet, quod Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem et militum benevolentiam profluxerat. Et allegoria suam orationem obscurat, ne vel aperte damnet Gabinium, quem olim majestatis accusatum defenderat, vel inimicum laudare videatur. ABRAM.

Qui tum inde reditus] Jure invehitur in reditum Antonii, quod ex Ægypto rediens, non domum et necessarios suos inviserit, sed profectus fuerit in ultimam Galliam ad Cæsarem. Quod profecto non fecisset, nisi desperatis vitæ suæ rationibus videret se in urbe stare non posse, aut propter flagitia sic invisum esse suis, ut ad matrem non auderet accedere. IDEM.

Ex Ægypto] Vetus liber, *ex Ægupto:* eadem videlicet ratione, qua *Purrhum* et *Bruges*, et *Sullam*, et talia priscos illos dixisse accepimus. MURETUS. Hæc putent sibi dicta veteris illius scripturæ amatores, quibus fortasse displicuerint ea quæ Tomo superiore nobis permisimus, ubi de Sylla, pro Sulla. OLIVET.

Suam enim quisque domum] Acriter reddit rationem cur Antonius domum non haberet. Si enim dixisset, Tu enim decoxeras, et domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille causam reddidisset. Sed longe vehementius, *Suam enim quisque domum tum obtinebat*, quibus verbis et memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulit, refricatur, et invidia quæritur Antonio, qui in tam multorum civium domos invasit. ABRAM.

Tanquam Sisaponem] Manutius: *Cum probro dictum, quasi civitatem vitiis infamen et luxu perditam.* Magis arridet Turneb. lib. X. adversar. cap. 12. id referens *ad miniaria metalla Sisaponensium, quæ societates publicanorum exercebant: dicit enim Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessionis socios habuisse multos.* Sisapo oppidum est in Hispania, olim in conventu Cordubensi, ut auctor est Plinius lib. III. Nat. Hist. cap. 1. Videtur autem fuisse adagium: non enim aliter M. Tullius hunc dicendi modum inde usque ab Hispania petiisset, cum ipse monuerit voraginem patrimonii, potius quam syrtim esse dicendam, ne voces longius arcessitas alio transferamus. IDEM.

Cap. 20. *Ad parentem tuum*] Vulgo, *ad patrem tuum.* Hic locus criticos haud parum exercuit, dum alii *matrem tuam*, alii *parentem tuam*, alii *patruum tuum*, alii denique *amatorem tuum* emendant. Unum Bisciolam audiamus: *Non possunt intelligere, quem hic Antonii patrem vocet. Quidam imperitissime C. Cæsarem, qui postea Dictator fuit, accipiunt: sed is bellum gerebat in Gallia, unde nuper discesserat Antonius. Nec Marc. Antonius Creticus intelligi potest; a quo moriente puerulus fuerat relictus. Non L. Lentulus vitricus: nam eum in carcere Consul Cicero strangularat: et in hac tamen scriptura codices omnes, quos quidem mihi legere contigit, legi autem plurimos, consentiunt. Itaque existimo* parentem tuam *legi debere, ut matrem M. Antonii intelligamus: ea erat Julia lectissima fœmina.* Eadem sentiunt Manutius, Lambinus et Bucananus. Et hi quidem duo negant *patruum* legi posse, quod tum temporis C. Antonius Marci patruus exularet. Sed de damnatione et exilio C. Antonii postea disseremus. *Amatorem tuum*, est a conjectura Mureti Var. Lect. XVIII. c. 6. id est, Curionem qui te efflictim adamabat. Primam illam lectionem *parentem tuam* eo libentius amplector, quod et plures ei suffragentur, et Janus Gruterus asserat *parentem tuum*, in Mss. melioribus inveniri. ABRAM.

Postea custoditus sum a te,] Ita quidem Pal. prim. sed sec. *postea cultus a te.* Quod et in uno Ferrarii, neque mihi admodum displicet: quamvis

pro vulgato pugnet Gulielmius in Asinariam Plautinam cap. 5. Muretus lib. XIX. Var. lect. c. 7. quod invenisset in uno Mss. *beatus*, in altero *ovatus*, conjiciebat, *sublevatus*. GRUT. Si legas, *Postea cultus sum a te*, sensus est, Domum meam ventitasti ut me coleres, et obsequium tuum mihi deferres. Si malis, *Postea custoditus sum a te*, mens fuit Oratoris: Posteaquam Cæsaris litteris commendatus in gratiam meam receptus es, me comitatus es per urbem, meumque latus stipavisti, ut me contra vim et arma P. Clodii defenderes. Respicit tempus illud quo Publius Clodius restituto Cicerone insidias ei comparavit, ad vimque confugit. Vide ep. 3. lib. IV. ad Atticum, ubi narravit domum Qu. Fratris ante diem tertium Non. Novembris a Clodianis inflammatam fuisse. *Ille*, inquit, *vehementer furere. Post hunc vero furorem, nil nisi cædem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere.* Paulo post: *Itaque ante diem tertium Idus Novembres, cum sacra via descenderem, insecutus est me cum suis: clamor, lapides, fustes, gladii: hæc improvisa omnia.* Ciceronem autem secum lateris sui custodes et stipatores (nobiles videlicet adolescentes, equitumque liberos) habuisse, qui ipsum contra Clodii vim defenderent, indicant quæ sequuntur: *Dicessimus in vestibulum N. Terentii Damionis: qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipsi occidi potuit. Sed ego diata curari incipio. Chirurgiæ tædet.* Quæ etsi C. Lentulo et Metello Nepote Consulibus contigerunt: tamen Clodius ad consequentes annos propagavit, donec tandem post annos quatuor a Milone occisus est. Vide ep. 3. lib. II. ad Quintum Fratrem, et Dionem lib. 39. Et sane Ciceronem, cum opus fuit, nobiles adolescentes adhibuisse ad sui corporis custodiam constat ex iis, quæ refert Plutarchus in Cæsare. IDEM.

Tu a me observatus] Quibus hæc lectio non placuit, quod Antonium adolescentem a Cicerone viro Consulari observandum fuisse non putarent, hunc locum misere lacinarunt: et alii quidem *adjutus*, alii *comitatus*, alii *ornatus*, alii denique *sublevatus* legendum esse censuerunt. Nihil muto, quod *observari* dicerentur adolescentes a proceribus, qui in petitione magistratuum honoris et commendationis causa deducebantur. Observari etiam minorem a majore ostendit Cic. lib. VII. ad Familiares, ep. XXVII: *Ego enim te in consulatu observarem.* Scribit autem ad Gallum. Fuit autem Gallus, (ut multis probat Manutius) Publius ille Sextius, qui Quæstor fuit Consule Cicerone, et ab eo post judicio de vi defensus est, pro quo exstat nobilis illa oratio. Igitur observatus est Quæstor a Consule, ut mirari non debeas Antonium quæsturæ candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Est autem observare*, verba sunt Manutii, epist. citata, *cum ad aliquem honoris officiique causa sæpe accedimus.* Id quidem ille probat tum hoc loco, tum ep. I. ad Atticum: *Observat Luc. Domitium maxime.* Sed expressius exemplum est pro Murena: *Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimus, si uno basilicæ spatio honestamur, diligenter observari videmur, et coli.* Qui legunt *sublevatus*, habent exemplum Cæsaris de Lentulo Spinthere, ita loquentis. lib. I. de Bello civili: *In petitione consulatus ab eo erat sublevatus.* IDEM.

Pro tuis in me injuriis] Quas tu mihi intuleras, cum eras intimus Clodio in tribunatu, ejusque omnium incendiorum fax. ABRAM.

Si in eo perseverares] Si constans esses in illo odio improborum. IDEM. In meo codice non male, *si in eo perseverasses*, et sic omnino scripsisse Tullium censeo. Loquitur enim de præteritis. GRÆV.

Deinde continuo] Solebant Patres

quas in provincias Proprætores aut Proconsules annui mitterentur, deinde Quæstores inter se sortiri, ut in eam provinciam mitterentur, quæ cuique sorte obvenisset. Aliquando tamen extra ordinem non Senatus aut sortis beneficio, sed populi suffragiis et lege perlata provinciæ mandabantur Quæstoribus. Antonius ut primum factus est Quæstor, nulla interposita mora, contra jus et morem majorum, sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurrit. ABRAM.

Ad Cæsarem cucurristi] Ut ei quæstor esses in Gallia. MAN.

Viri tui similis] Curionem designat, qui superiore anno Tribunus plebis fuerat, emptusque a Cæsare ab ejus causa pertinaciter steterat. FERRAT. Dicitur vir Antonii, eadem mente qua superius: *dicitur a Curione in matrimonio stabili et certo locatus esse.* Addit *si posses*, quia difficile fuit Antonio Curionis similem evadere, quod neque animo, neque ingenio ut eloquentia ad Curionem aspiraret. ABRAM.

Cap. 21. *Ipsique C. Cæsari*] Quoniam potuit Antonius causari se intercessisse senatus-consulto, quod Cæsari, cui fuerat Quæstor anno superiore, injuriam fieri videret (siquidem factum fuerat S. C. uti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri) idcirco prudenter huic objectioni noster occurrit, aiens Senatum C. Cæsari, si sana mente esset, et Senatui obtemperare vellet, consulere voluisse. IDEM.

Cervicesque suas ei subjecit securi] Suo scelere condemnandum senatui se tradidit. MAN.

In hostem togatum decerni] Senatus nonnunquam decernebat, ut perturbatores reipublicæ in hostium numero haberentur. In Pisonem: *De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore, et ejus sententiæ principe, ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.* Ubi diximus Senatum nonnunquam ita decreta sua muniisse, ut adscriberet, si quis intercesserit, se gravissime laturum, vel intercessorem videri facturum contra rempublicam, vel eum in hostium numero habendum. Quæ eodem pene recidebant. Idem enim fuit videri fecisse contra rempublicam, atque in hostium numero censeri. Vide pro Sextio, cap. 1. ABRAM.

Intercessio] Qua impedivit, ne valeret S. C. quo decretum erat, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret. MAN.

Neque id semel] Aliud adjectum quo Antonii scelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit et obstinatus, ostenderitque se non subito nascentis cupiditatis impetu, sed certa animi inductione senatus-consulto de provinciis intercedere, neque secum agi de Senatus auctoritate, id est, ne voces quidem eorum admiserit, qui rogabant, ne se unus Senatus auctoritati opponeret. ABRAM.

Tum illud] Redit ad notam Senatus, qui in Antonium decrevit, quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum. Id est, decrevit eum contra rempublicam facturum videri, si diutius Senatusconsulto de provinciis Cæsaris obstitisset. Notat tamen id factum fuisse, et multis rebus ante tentatis et necessario, ut ostendat Senatus lenitatem, qui ad hujusmodi pœnam infligendam non descendisset, nisi necessitate compulsus. Notat paucis ante Antonium id vulnus inflictum fuisse, ut eo pœna gravior quo inusitatitior appareat, eorum quibus inflictum est, incolumem fuisse neminem, ad exaggerandam pœnæ gravitatem. ABRAM.

Cap. 22. *Tu, tu, inquam*] Verbi reduplicatione Antonium pungit, et quasi repetitis ictibus stimulat, quod C. Cæsari quasi quidam antesignanus fuerit, ad bellum patriæ inferendum. Legunt aliqui, ut notat Lambinus, *ansam belli*, pro *causam belli*, quæ lectio mihi plurimum arridet. Si enim Cæsar jam ante omnia turbare cupiebat et tantummodo speciosum prætextum suo sceleri quærebat, non reipsa belli causa fuit expulsio, et cir-

cumscriptio M. Antonii, sed tantum prætextus, et occasio, quam Cæsar oblatam arripuit, quasi ansam, ad bellum reipublicæ inferendum. Eam tamen causam videri volebat Cæsar, quasi non ambitione duceretur, sed intercessionem Tribunitiam et jura plebis Romanæ defenderet. IDEM.

Exequi cladem illam] A funeribus et exequiis videtur petita translatio, quasi, Consulibus et Pompeio fugientibus, funere elata fuerit respublica. Lib. IX. ad Atticum ep. XIV. de hac ipsa fuga Pompeii disserens: *Miseros nos! cur non omnes fatum illius executi sumus?* Exequi, vox funerum. IDEM.

Tres exercitus] Primus populi Romani exercitus delectus a Cæsare, et interfectus est ad Philippos et Pharsalum in Thessalia, cui præerat ipse Cn. Pompeius. Secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione socero Pompeii; tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneio et Sexto Pompeiis. Multas et ipse Cæsar clades per suos legatos accepit, *quorum C. Curio*, inquit Tranquillus, cap. 36. *in Africa periit*, (cum duabus legionibus et equitibus quingentis ex Cæsare) *C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt.* Ipse dum circiter millia militum prælio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat. Sed tres tantum clades enumerat Orator, quasi Cæsariani non in civium, sed in hostium numero censeantur. IDEM.

Cujus tamen scelus in scelere cognoscite] Scelus in scelere dicit, quia scelus quidem fuit restituere damnatos, et res judicatas rescindere, sed hoc scelere posito scelus aliud admisit, patruum suum C. Antonium, qui damnatus erat, beneficio suæ legis excludens. Vel enim nullum omnino restituere debuit, vel non debuit patruum suum excludere, cujus tamen nullam fecit mentionem. ID.

Cap. 23. *Patrui*] C. Antonii collegæ Ciceronis in Consulatu, qui accusatus a M. Cæmo fuit, a Cicerone defensus, a judicibus damnatus, quod expilavisset Macedoniam. In exilium ne fuerit ejectus, an tantum æstimata lite ob expilatam provinciam mulctatus, et ab honoribus et reipublicæ administratione submotus, possit non immirito dubitari. Exulasse significant illa verba Vatiniana: *At nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris et fratris sui, fratrisque filium non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.* Contra videri possit non exulasse verbis illis infra: *Frequentissimo Senatu, sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii causam ausus es dicere, quod ab eo sorori et uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses.* IDEM.

Denticulam] Vict. *Lenticulam*

Quasi vero ludere] Legendum est: *Non quasi ludere cum condemnato non liceret; sed*, &c. MURET. Var. Lect. XVIII. 7. Vide Schott. Ned. 12.

Sed ut, quod ille in alea perdiderat] Insinuat Antonium fuisse pecuniis inductum ad ferendam legem de restitutione Denticulæ, ut videlicet *hujus legis beneficio*, id est, pecuniis ob hanc legem ferendam acceptis, æs alienum dissolveret Antonius, quod ipse contraxerat, ut pecuniis mutuatitiis alea luderet, totamque illud mutuum ludendo perdiderat. ABR.

Absentem credo] Ironia, qua omnes causas, quibus res judicata rescindi potuit, complectitur. 1. Si absens in reos referretur, nec daretur ei spatium veniendi, seque defendendi: si temere nec auditis partibus reus damnaretur: si quæstio nulla lege esset constituta: si vi oppressus esset reus: si judicia pecunia corrupti reum damnavissent. Sed causas ejusmodi nullas attulit ad restituendum Denticulam. ABRAM.

Nihil id quidem ad rem] Cur non ad rem, causa redditur Verrina de suppliciis: *Perdita civitates, desperatis omnibus rebus, hoc solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur,*

oculos reducantur, res judicata rescindantur. Quæ cum accidunt, nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam, &c. IDEM.

Pro nihilo vis] Man. Lamb. Grut. *pro nihilo est.*

Quam mihi qui non fuit] Aliquanto tempore substitit in Italia Cicero, postquam Cæsar in Hispaniam profectus est, ut constat ex litteris Cæsaris ad Ciceronem XV. Kal. Maii ex itinere datis, quibus eum rogat, ut ab omni contentione abeat, nec naviget ad Pompeium. Habentur libro X. ad Atticum ep. VIII. Substitit autem in Italia usque ad æquinoctium. Eodem libro XVIII: *Nunc quidem æquinoctium nos maratur: quod valde perturbatum erat, id scilicet cras erit.* Datæ sunt hæ litteræ XVII. Kalendas Junii. Imo epistola sequenti scribit Tulliam suam peperisse XIV. Kalendas Junii, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas eum in Italia fuisse quadraginta pene dies postquam Cæsar Italiam conculcandam Antonio tradidisset. ID.

Cap. 24. *Vehebatur in essedo*] Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiæ, ejusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur* muliebri mollitie. *In essedo*, quod genus est barbarici vehiculi, et a moribus Romanis alieni. *Tribunus plebis*, qui pedibus doberet incedere, ut se magis popularem et conventu facilem exhiberet. *Lictores antecedebant*, quos habere Tribuno plebis jus non fuit: *laureati*, ob expulsos Consules et Cn. Pompeium. *Inter quos* lictores Citheris *mima portabatur*, quod est indignissimum meretriculam ornare his magistratus insignibus, et *aperta lectica portabatur*, ad majorem impudentiam. Cætera etiam suam emphasim habent, ut quod eam salutarent municipales homines honesti, quod non sponte, sed necessario illi obviam procederent. IDEM.

Tribunus plebis] Non temere Tribunum plebis appellat: quantum enim conjectare licet, fas non fuit Tribuno plebis uti vehiculo, quamdiu erat in magistratu. Neque enim poterat longius ab urbe discedere, aut extra pomerium pernoctare; neque decebat ut magistratus plebeius ad infimi ordinis patrocinium institutus, cultu corporis, aut incessu a plebeiis differret, aut vehiculo uteretur, ne difficilis ad eum esset accessus. Quam ob causam, *Prætextam non gestat Tribunus plebis*, ut scribit Plutarchus quæst. Rom. probl. 81. Subdit: *Neque enim aut lictores habent, aut in sella curuli sedentes jus dicunt.* Et aliquanto post, quod magis facit ad præsens institutum: *Cum autem Tribunus plebis e plebe sumpserit originem, in eo vis ejus est omnis, ut sit valde popularis, ejusque omnis amplitudo est, ut non majores spiritus sumat quam cæteri, sed et habitu corporis et veste et vivendi ratione similis cuicunque civium. Nam pompa Consuli convenit, et Prætori: at vero Tribunum plebis, ut aiebat C. Curio, conculcari oportet, neque specie majestatem præferre, aut esse inaccessum, et multitudini difficilem, sed ita super alios omnes eminere, ut tamen possit facile conveniri. Et eam ob rem neque illi domus januas claudere fas est, sed diu noctuque aperit, tanquam portus et perfugium indigentibus. Quo magis autem externa specie corporis abjectus est, eo magis potestate attollitur.* Quare probabilissimum est eos, ut planius a quovis etiam plebeio adiri possent, vehicula ejeravisse, ut se magis populares exhiberent. Confirmari potest ex eo quod etiam Dictatorem equo, aut vehiculo uti nefas fuit, ut quoniam summam rerum omnium potestatem obtineret, hac saltem una re plebeius videretur. Vide Plutarchum in Fabio. Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Severo: *Ex quo factum est ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant.* Flamini etiam Diali, ne facile ab urbe discederet, equi usus interdictus fuit. Plutarchus quæstionibus Romanis, problemate 40: *Apud Romanos id sacerdoti* (loquitur de Flamine Diali) *proprium est, ut neque*

equo utatur, neque ultra dies tres peregrinetur. Festus etiam causam addit: *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.* ABRAM.

Lictores laureati] Cæsar potitus Italia, iis, quos sibi legavit, dedit lictores laureatos, non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat enim Tullius ep. IV. lib. X. ad Atticum, hoc ipso tempore quo Cæsar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: *Quid isti, inquam, tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex S. C. surrepto: nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui, nam licebat.* Sed id magis tolerari potuit in Curione quam in Antonio: quia hic Tribunus plebis erat, qui lictores habere non potuit, ut jam vidimus e Plutarcho. IDEM.

Volumniam] Cytheris liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius in Eclogam decimam, et eadem a Volumnio adamata, ut colligitur ex epistola ultima libri IX. ad Familiares: *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, Ubi? apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, infra Verrius,* &c. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Ad hunc amorem lib. VII. ep. XXXII. alludit scribens ad eundem Volumnium: *Ut nihil sit tam ἀνίδρωτον, quod non alicui venustum esse videatur.* Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos in Attici vita: *Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes quantum potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adjuvit. Pub. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint.* Apud quem etiam latuit Triumvirali proscriptione: *Idem Luc. Julium Calidium,* &c. *in proscriptorum numerum a P. Volumnio præfecto fabrum Antonii absentem relatum expedivit.* E quibus agnoscis et conjunctionem Antonii cum Cytheride, et causam cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quod gens Volumnia nobilissima fuit, et patricia, ex qua P. Volumnius Consul fuit anno post Reges exactos quarto et quinquagesimo, quo tempore solis patriciis patebat aditus ad Consulatum, ut constat e Livio lib. III. et fastis Cassiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia uxor Coriolani, de qua Livius lib. II. et alii passim; ut merito Cytheris ex hoc nomine gloriam quæsierit. ABRAM.

Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi] Sic nonnulli v. l. *Sequebantur rheda cum lenonibus comites nequissimi.* Quos probo: ut pro Comitibus nequissimis, meritorios pueros intelligat. Id quod paulo infra apertius dicet. *Ingenui* (inquit) *pueri cum meritoriis, scorta inter matres-familias versabantur.* Rheda autem sit sexti casus: ut Sallustius dixit, *equo circumiens:* et alter nescio quis, scriptor certe non malus, *equo sequi.* Petrus Victorius, quem honoris causa nomino, corrigendum putat, *Sequebatur rheda cum leonibus: comites nequissimi.* Et me hercule opinionis suæ librum, illum quidem non antiquum, sed tamen scriptum, adstipulatorem habet. Arbitratur enim vir doctissimus, Ciceronem id significare voluisse, quod Plinius lib. VIII. cap. 16, memoriæ prodidit. *Primus,* inquit, *leones Romæ ad currum junxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis: non sine ostento quodam temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significante. Nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit.* Hæc Plinius: quæ Plutarchus, quæ Cicero ipse tradidit. Ego autem præterquam quod pro uno illi possum viginti adstipulatores regerere, in eis tres vetustissimos: præterea, qui ita loqueretur, ut diceret, *rheda cum equis, rheda cum*

mulis, id est, rheda mulis juncta, neminem adhuc inveni. Jam vero ut rem tam inusitatam ac pene portenti similem tam breviter attingeret, nec ullos in ipsam orationis aculeos emitteret, adduci ad credendum nullo modo possum. Tu igitur judicium adhibebis: idque eliges, quod ad locum aptius convenire judicabis. FERRAT. Nondum satis, verum ut fatear, constituere potui, de hujus loci lectione, Victorione potius, an Ferratio assentiendum putem. Magna utriusque eruditio, magna diligentia et accuratio, magna exercitatio in veterum scriptis: sententiæ suæ rationes uterque probabiles affert: et nescio quomodo melius uterque, quantum ego quidem judicare possum, reprehendit aliena, quam confirmat sua. Cum igitur in dubio esset animus, optimum factu esse duxi, veteris libri scripturam, ut erat, proponere. Quanquam si alterius utrius sententiam probare necesse sit, aliquanto equidem libentius Victorio accesserim. MURET.

Sed, quoniam veteranis] Nihil de belli genere dicam, nec invehar in te, quod interfueris bello civili suscepto contra rempublicam. Non, inquam, invehar propter duas rationes: altera est, quoniam veteranis cautum esse volumus, ne priventur iis militiæ commodis, quæ vel jam adepti sunt a Cæsare, vel brevi adipiscentur a Senatu: altera est, quia nolo committere, ut tu me apud illos in invidiam voces, eorumque animos contra me incites, quasi ego eorum commodis detrahendum putem. Quanquam, etiamsi in te inveherer, quod interfueris bello civili, non tamen reprehenderentur a me veterani. Si quidem alia tua est, alia veteranorum causa. Illi enim sequuti sunt Cæsarem ducem, qui ipsis datus fuerat a Senatu populoque Romano: nec examinare debuerunt causam, cur Cæsar Pompeio bellum inferret: tu autem cum et Tribunus plebis esses, ac proinde nullo sacramento militari obligatus, tu sponte ducem quæsiisti. AB.

Cum legionibus] Cæsar victo ad Pharsalum Pompeio magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique præfecit M. Antonium: ipse cum reliquis copiis instituit sequi Pompeium fugientem. Cicero, qui et invitus bellum susceperat, et nullam videbat Pompeianis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valetudinem non interfuit, statuit ab armis discedere, neque Catoni et Cn. Pompeio filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut præesset, bellique extrema persequeretur, acquievit, sed in Italiam navigavit, appulsusque Brundusium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem cum Antonius jure belli occidere posset, incolumem dimisit. IDEM.

Præsertim cum te hæc auditurum videres] Hoc videtur dicere: Miror per tuas contumelias non licuisse mihi beneficium illud sic animo, et memoria colere, ut colebam: præsertim cum fore videres, ut audires a me, quæ meritus es. Tu me novis injuriis veteris beneficii memoriam abjicere coegisti. MAN.

Cap. 25. *Tot dierum viam*] De longitudine viæ Appiæ, quæ Roma Brundusium extendebatur, Lipsius lib. III. cap. 10. de Magnitudine Romana, ubi et testatur inter utramque urbem fuisse milliariorum circiter CCCL intervallum: quare si singulis diebus quinque et viginti milliaria conficias, iter erit dierum quatuordecim: quam viam Cytheris ivit Antonio gratulatum. ABRAM. Horatius lib. I, Sat. V. suum iter describens Roma Brundusium, iunxit se quindecim diebus illud confecisse. MANUTIUS.

Percursatio (sic legendum) *eadem comite*] Vox *eadem*, vel ad percursationem referri potest, *percursatio eadem, comite mima:* vel ad mimam, *percusatio, eadem comite mima.* Malo ad percursationem referre: quasi dicat, Non opus est referre, quid fecerit e Thessalia reversus, ne bis idem

dixisse videamur. Eodem enim modo se gessit in ista secunda percursatione Italiæ, quo se gesserat in priore. Cum enim, ut referunt Plutarchus et Plinius, hac secunda lustratione Italiæ, tum alia insolentissime fecerit, profecto non omisisset Orator, nisi eadem utraque percursatione contigissent. ABRAM. Sed aliter interpretatur Ferratius, nam ita distinguit, *Italiæ rursus percursatio, eadem comite*, &c. Quod ille hac distinctione, nos accentu notavimus.

In oppida militum crudelis et misera deductio] Dicuntur in oppida deduci milites, cum vel ad hiberna mittuntur ad tempus, ut, cum se vis hyemis remiserit, rursus ad militiam educantur; vel cum stipendiis confectis, in oppida mittuntur assignatis agris, accepturi præmia et veteranorum privilegia. Posteriore sensu libentius interpretor. Hæc enim deductio crudelis fuit et misera, cum ejectis veteribus colonis in eorum possessiones novi succederent. ABRAM.

Accessit] Ad superioris percursationis nequitiam accessit huic posteriori magistratus, nimirum, ut magister equitum crearetur Cæsare Dictatore. Posteaquam enim de pugna Pharsalica, et nece Cn. Pompeii Romæ nuntiatum est, multi honores Cæsari decreti fuerunt, isque ad annum integrum Dictator, Antonius autem magister equitum constitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Cæsare, beneficio amicorum ejus, ut etiam indicet Antonium Cæsari contemptui fuisse. Sed rem aliter narrat Plutarchus in Antonio. Videatur Dio, lib. 42. IDEM.

Tum existimavit] Postquam magister equitum constitutus est Antonius, existimavit se jus habere vivendi familiariter cum Hippia: quia videlicet ipse magister equitum erat, sive ἱππαρχος, Hippia autem ab equis, quos Græci ἵππους appellant, nomen obtinebat. ABRAM.

Hippia] Putavi nonnunquam Hippiam mulierculam fuisse famosam. Id enim nomen eo sensu Juvenalis usurpat:

Quot amaverit Hippia mœchos.

Imo hanc Sergio ludio adhæsisse tradit Sat. VI. Ex quibus patet et ludium et gladiatorem fuisse Sergium, et Hippiam matronam fuisse nobilem, sed multorum adulterorum libidini prostitutam, et eandem ab Antonio amari potuisse, et cum Sergio libidinis habuisse commercium, ut non frustra Noster utriusque meminerit. Hæc, inquam, putavi, et etiamnum putarem, nisi me Plutarchi reverentia rem in medio relinquere compelleret, veritum toties a tanto viro dissidere: Qui, ut sequenti sectione referemus, Hippiam non mulierem, sed mimum fuisse testatur, *in Hippiæ mimi nuptiis*. IDEM.

Vestigales] Arguitur dedisse mimo equos sui magistratus, ex quibus ille quæstum faceret. FERRAR.

Tum sibi non hanc, &c.] In eo magistratu non domum Cn. Pompeii, quam invasit quidem, sed male tuetur Sexto Pompeio Cnei Magni filio eam repetente, M. Pisonis domum elegerat, cum ipse propriam domum non haberet in qua habitaret. Pater enim ejus decoxerat. Hic autem M. Piso videtur esse M. Puppius Calpurnianus, qui biennio post Ciceronem cum M. Valerio Messala Consul fuit. ABRAM.

Tu istis faucibus] Hunc locum Fabius frequenter expendit, ut lib. VIII. cap. 4: IX. 4. &c.

Cap. 26. *Se recepit*] Se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes evaserint. Cæsar autem Alexandriæ, ut Tranquilli verbis utar, *cum Ptolemæo Rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed hiemis ausi, et intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus.* Neque refert quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed *ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit:* tum celeriter

enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim *intra quintum, quam adfuerit diem, quatuor, quibus in conspectum venerat, horis una profligavit acie.* Ut nihil aliud ad Senatum de hac victoria rescripserit, quam VENI, VIDI, VICI. ABRAM.

Hasta posita] In auctionibus publicis hastam figebant eo loco, ubi res venales subjiciebantur auctioni, fortasse quia publicatum auctionum origo fuit ex venditione prædæ armis et hasta partæ. IDEM.

Sector] Asconius in primam Verrinam: *Sectorem autem dicit æstimatorem redemptoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam, vel ærario, vel sociis.* Satis obscure. Libenter legerim pro *vendit, emit.* Clarius aliquanto post: *Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea compendio suo singulas quasque res pecuniis populo venditabant.* Vellem Festi verba superessent, nam Paulus ridicule mutilavit: *Sectio, persecutio juris. Sectores, et qui secant dicuntur, et qui empta sua persequuntur.* Nonius Marcellus: *Secare, sequi; unde et sectatores bonorum sectores dicti sunt.* Hinc colligo eum in auctionibus publicis sectorem fuisse, qui bona proscripti vel damnati universa simul et semel suo periculo redimebat, quæ deinde vel sibi retineret, vel per partes venderet ad majus rei familiaris compendium. Dictus *sector*, vel quod commodum suum et lucrum sequeretur, ut volunt illi Grammatici, vel potius quod illa damnati vel proscripti bona in partes secaret, et singulis creditoribus singulas partes exsolveret. ABRAM.

Isto loco natus] Vel quod nobilitatem sui generis dedecoraret illa sectionis infamia, vel quod filius esset M. Antonii Cretici, hominis ad perdendam pecuniam geniti, et ipse prætextatus patris sui culpa decoxisset. Indignissimum est autem eum qui ante decoxerit, ad hastam publicam accedere, et fortunæ prioris oblitum, fieri sectorem. Atque hæc a persona Antonii, deinde a Pompeii persona sectionis indignitatem amplificat. IDEM.

Cap. 27. *Persona de mimo*] Ut mimus personam mutat, modo hunc agens, modo illum: sic tu fortunam mutasti, ex egente repente dives factus. MANUT.

Argenti] Argentum et aurum pro pateris aureis et argenteis. Quo in genere quanta fuerit Antonii insolentia, videre est apud Plinium lib. XXXIII. cap. 3. ABRAM.

Animal unum] Legere videtur Fabius: *Quæ si fuit, fuit animal vivum.* Nihil facile mutaverim. IDEM.

Apothecæ] Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. Cellæ vinariæ sub terra fuerunt, et vinum doliare continebant. Apothecæ autem fuerunt in superiore tabulato, et vinum in amphoras defusum servabant. Jam Noster non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia majoris pretii vetustiora fuerunt vina in amphoris et apothecis, quam in doliis cellisque vinariis. ID. Vide Plin. XIV. 21.

Cap. 28. *An tu illa in vestibulo rostra, spolia cum adspexisti*] Alii: *in vestibulo rostra et hostium spolia.* Alii, quod magis placet, *An tu illa vestibula, rostra, spolia.* Majorem enim vim habet oratio si dissoluta fuerit, ut plura conglobari, et quasi in cumulum coacervari videantur, nec moris est oratori, duas tantum voces continuari, nisi vinculo copulentur. ABRAM. Puto Ciceronem scripsisse, *An tu illa in vestibulo rostra, an spolia cum inspexisti.* GRÆV.

Vestibulo] Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa janua, vel arcus januæ præpositus, quasi πρόπυλαιον, aut etiam porticus ante januam, sed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis lib. XVI. cap. 5: *Vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus,*

neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus, accessusque ad ædes est, cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur: atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita. Vide ibi plura, et Macrob. Saturn. VI. 8. ID.

Stabula] Loca nequitiæ, meritoria. FERRAT.

Suas res] Divortium his plane verbis fiebat: *Tuas res tibi habeto.* Tum clavibus ademptis mulierem foras exigebat. IDEM.

Partium] Cæsaris.

Cap. 29. *Propter libidines*] Quæ te in urbe retinebant. MAN.

L. Domitium] Ænobarbum, qui ante bellum civile jussus fuerat Cæsari, Gallias contra Senatus auctoritatem obtinenti, succedere. Is, ut scribit Cæsar III. de bello civili: *Ex castris in montem refugiens, cum vires eum præ lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.* IDEM.

Itaque] Cum igitur propter timiditatem et libidines Africano bello defuisses, sic apud Cæsarem in contemptum venisti, sic refrixit tua apud illum gratia, ut postquam ex Africa victor rediit, nec ullum locum, dignitatisque aut gratiæ gradum obtineres, nec ullo numero esses, id est, ne numerareris quidem inter ejus amicos. ABRAM.

Testamento] Dicebas te testamento Cæsaris ab eo adoptatum fuisse, ut tu in ejus universa bona succederes. IDEM. Vide Dion. lib. 44.

Appellatus es de pecunia] Intimatum est tibi, ut eam pecuniam solveres, quam debebas pro emptione ab hasta publica, et sectione bonorum Cn. Pompeii. Appellatur debitor de pecunia, cum non solum admonetur ut solvat, sed jam gravioribus verbis ab eo pecuniæ flagitantur et exiguntur. IDEM.

Tabula] Qua proscripsit Antonius res suas; ut auctione facta, solveret Cæsari, quod debebat. MAN.

Heredes L. Rubrii] Repetentes ab Antonio bona Rubrii, quæ per fraudem tanquam heres occupaverat. IDEM.

Decreto Cæsaris] Apud quem de auctione illa questi erant, cum dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro suis, quæ sua non essent, sed ad ipsos tanquam L. Rubrii veros heredes attinerent. IDEM.

Rudem] Indicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius non cogebantur. Ea vero donabantur, qui sæpe jam præclare pugnassent. Mordet igitur Antonium, qui, tanquam bonus gladiator accepta rude, sibi jam non esse pugnandum pro Cæsare constitueret. IDEM.

Cap. 30. *Tuto*] Quod a latronibus, aut a Pompeianis sibi itinere timeret. IDEM. Profectus in Hispaniam post Cæsarem, constitit Narbone. FERR.

Patriam repetebant] Si nihil aliud petiissent, quam ut in patriam redirent, et recuperarent rempublicam, non fuisset potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quam cæteri, qui duce Cæsare Pompeii partes ejecerant: sed repetebant patrimonium, et ipsam domum paternam, quam tu possidebas. ABRAM.

Mensas hospitum convomeres] Vict. Man. *in mensas.... cum vomeres,*

Et tamen quærebat] Antonius, qui tam fœde redierat, reditum meum e Græcia, quo post necem Cæsaris proficisci decreveram, jamque iter susceperam, mihi objecit. IDEM.

Nuper] Quarto Nonas Septembres, ut constat e Philippica V. cap. 7. Exposuit reditum profectionis et reversionis suæ, Philippica prima. IDEM.

Gallicis] Castrense pedum calceamentum. MANUT. Atqui miles erat Antonius, et ex Gallia militari habitu redibat Romam. Non hoc igitur notatur in Antonio, quod in itinere sit usus galliciis et lacerna, sed quod iis usus sit, cum Urbem ingrederetur, et postea quod iis usus sit, cum prensaret candidatus in municipiis et coloniis. GRÆV.

Lacerna] Humiliorum, quibus toga

decesset, vestis. Cicero ad Att. lib. IV. Suetonius in Augusto. MAN.

Non rogabatur] Tu consulatum a Cæsare precibus rogabas: nos incolumi Rep. petebamus a Galliæ quoque coloniis et municipiis: habebant enim jus suffragii. FERRAT.

Cap. 31. *Hora diei decima fere*] Duabus horis ante noctem. Veteres enim diem in partes duodecim dividebant: et non a media nocte, sed a solis ortu horas numerabant. Saxa autem Rubra videntur fuisse viculus uno vel altero distans ab Urbe milliari. ABRAM.

Ad eam] Ad Fulviam, quam Antonius post priorum maritorum necem, duxerat uxorem. IDEM.

Prædes tuos] Bona fidejussorum tuorum, sive prædum, qui tuo nomine bona sua obligarant. IDEM.

Dicacem] Populus ex tua oratione dicteriorum occasionem arripuit, ex amphilogia ambiguoque sensu verborum REI TUÆ CAUSA, quæ tam ad rem familiarem et prædes, quam ad libidines et amorem referri possunt. IDEM.

Cap. 32. *Impulsus*] Cæsar impulerat, et induxerat Dolabellam, ut consulatum peteret: deinde eluserat, sibi honorem illum usurpaverat. FERR.

Intervertit] Intervertere est rem alteri promissam ad se transferre, et ita malis artibus impedire, ne ad eum perveniat cui fuerat destinata. ABRA.

Tu ejus perfidiæ] Tu Cæsari contra fidem datam Dolabellam prodenti assepsus es. IDEM.

Nos enim nuntiationem solum habemus: consules et reliqui magistratus etiam spectionem] Ex Numæ regis instituto jus nuntiandi augures obtinebant, ut si quid vitii advertissent, comitia prohibere, ne fierent, et jam facta turbare nuntiando possent; idemque legibus XII. Tabularum cautum est: *Quæque augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit; irrita, infectaque sunto.* Cuilibet igitur magistratui auspicanti, antequam cum populo egeret, aderat augur, eique in auspicio esse dicebatur; quo auctore, secundumne, an adversum esset augurium, intelligebat magistratus ille, qui comitia populi edixerat. Auguribus autem aliquid nuntiantibus parebatur, etiamsi nihil vidissent, et falsa nuntiarent. Magistratibus data erat per leges facultas servandi de cælo, et obnuntiandi, cautumque ne liceret agere cum populo, quo die de cælo servatum esset. Quamobrem poterant impedire ne haberentur comitia, aut ageretur cum populo, et facere dies nefastos, obnuntiando se illis diebus de cælo esse servaturos. Itaque augures poterant impedire ne haberentur comitia, et jam habita vitiare; quia et ante, et post habita comitia contingebat, ut viderent aliquid, aut audirent. Non tamen ante ipsum diem comitiorum scire poterant, quid aut visuri essent, aut audituri. Solam ergo habebant *nuntiationem*. *Magistratus* habebant *spectionem*, hoc est jus servandi de cælo, et impediendi ne populus ad comitia vocaretur. Quod apud Festum datur *auguribus spectio duntaxat*, sic intelligendum videtur: Si augur sit magistratui in auspicio, spectat, non autem nuntiat; in comitiis populi nuntiat, non spectat. Jam et Cicero et Antonius augures erant: hinc est quod ille dicit, *Nos nuntiationem solum*, &c. FERRAT.

Aut id facturum] Vitiaturum, posteaquam facta essent. Infra, *Confecto negotio, bonus augur*, Alio die, *inquit*. MANUT.

Usque ad Idus Martias] Quibus Cæsar occisus est.

Cap. 33. *Ecce Dolabellæ comitiorum dies*] Cæsar promiserat se prius quam ad bellum Parthicum proficisceretur, effecturum, ut suo ipsius loco Consul fieret Dolabella. Cum itaque comitiorum dies appetisset, populum ad ea comitia convocavit, et ex omnibus centuriis, in quas populus universus describebatur, sortitus est unam centuriam, ut ea omnium prima rogaretur suffragium, cujus nomen e sitella primum sortitione eductum exiisset. Quievit Antonius, nec

se interposuit, quo minus fieret illa sortitio. Rogatis, exceptis, diribitisque centuriæ prærogativæ suffragiis, Dolabella renuntiatur adeptus prærogativæ suffragium. Tacuit interim Antonius, et ne verbo quidem significavit hujusmodi comitia esse vitiosa. Post prærogativam, prima classis vocatur intra septa, ut ferat suffragium, et, ut fieri solet, rogantur suffragia. Hujus quoque classis voluntate renuntiatur consul Dolabella: quod major pars illarum nonaginta et octo centuriarum, quæ prima classe continentur, ei fuerit suffragata. Sed cum refragarentur aliquot centuriæ, nec sólius primæ classis suffragiis legitimus punctorum numerus expleri potuisset, secunda classis vocata est ad ferendum suffragium. Ad cujus rei intelligentiam notandum est, populum omnem in quinque classes, et capite censos fuisse distributum, singulas classes quibusdam centuriis fuisse descriptas, ut centum nonaginta tres essent centuriæ, et prima classis plures, quam cæteræ omnes, sola contineret centurias. (Erant enim in prima classe 98, in secunda 22, in tertia 22, in quarta 20, in quinta 30. Reliqui omnes, qui non classibus, sed capite censebantur, in unicam erant redacti centuriam.) Quare si prima classis conspirasset, omniumque centuriarium suarum calculo Dolabellam Consulem fecisset, necesse non fuisset ad secundam classem procedere. Vide Dionysium Halicarn. lib. IV. IDEM.

Augur, auguri: Consul] Cæsari, qui augur et consul.

Ne acta Dolabella videar convellere] Si enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella Consul fuit vitio creatus; si vitio creatus, non fuit vere Consul; si non consul, nihil jure egit et legitima potestate. ABRAM.

Quæ necesse est] Cum respublica istud, quo nunc opprimitur, tuæ dominationis jugum excusserit, emerseritque fluctibus servitutis, necesse est, ut Dolabellæ Consulis acta ad augurum consilium deferantur, ut nos qui sumus Augures, eane rata esse debeant, an infirma, judicemus. Tunc enim considerabimus quid de tua obnuntiatione statuendum sit, ut si valeat, Dolabella judicetur Consul vitiosus; si non valeat, tu ob ementita auspicia damneris. IDEM.

Si nihil est] Probare studet, aut nunquam vitiosum, aut vitiosum semper esse consulem Dolabellam: cum Antonius, dum ei fuit inimicus, vitiosum esse; reconciliatus, non esse vitiosum dixerit. MAN.

Ad Lupercalia] Ad rem gestam Lupercalibus, id est decimo quinto Kalendas Martii, quo die juvenes Lycæum Pana venerantes nudi per luxum atque lasciviam currebant. Ovidius II. Fastorum: *Tertia post Idus*, &c. ABRAM.

Cap. 34. *Sedebat in Rostris*] Priusquam Antonii factum narrat, insolentiam et fastum Cæsaris describit, ut eo scelus Antonii magis exaggeret, quod regem adeo superbum voluerat Romanis imponere. ABRAM.

Coronatus] Duplex corona Cæsari concessa a Senatu. Decretum enim ut corona laurea perpetuo uti posset, et ut ludis coronam gemmis auroque præsignem gestaret. Hanc posteriorem Lupercalibus videtur habuisse: is enim fuit habitus triumphantium. ABRAM. Non fuit gemmis ornata, sed distincta radiis corona aurea, ut Floro dicitur lib. IV. cap. 2. GREV.

Collegam regni] Dictio *regni* abest ab antiquo libro, quam et sensus respuit. Loquitur enim de collegio consulatus, non regni. FAERNUS. Cum Faerno et Muretus et Lambinus faciunt: quare nolim hic Typographos nostros Parisienses ab exemplari Gruteriano deceptos fuisse. OLIVETUS.

Non solum de die, sed etiam in diem vivere] *De die vivere*, est quotidie genio indulgere et epulari. *De die* enim convivia sunt, quæ ante statam cœnæ horam, quæ erat nona, inibantur, quod erat hominum perditorum: illa convivia dicuntur tempestiva. *In diem vivere* est, ut recte exponitur,

omnia susque deque facere, nihil divini humanique pensi habere, nec de futuro sollicitum esse, nec de hominum de te judicio. Illud est hominum asotorum, hoc hominum ἀνωνομάστων. τοῦ *vivere* hic est duplex notio. In ista locutione *de die vivere*, notat *vivere* voluptatibus indulgere, ut in illo Catulli, *Vivamus mea Lesbia:* sed in hac *in diem vivere*, *vivere* est vitam instituere. GRÆV.

Cap. 35. *De quibus rebus*] Cæsar, ut scribit Appianus, quarto post Idus Martias, profecturus erat ad bellum Parthicum: et antequam urbe excederet, Consulem suo loco substituere decreverat. Ideoque relaturus erat ad Senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis: utrum videlicet obnuntiatio Antonii vim obtineret, et Consul vitiosus esset Dolabella. Quærit igitur Orator ab Antonio quid egisset. Cæsarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare ausus fuisset, an probaturus Consulem Dolabellam, quasi salvis auspiciis creatum. Hic est opinor sensus, quanquam alia etiam de re agendum fuerat Idibus Martiis in Senatu. Nam, ut scribit Tranquillus cap. 79. *Proximo Senatu percrebuit fama L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a Rege non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur.* Quæ suspicio Cæsari necem maturavit, ut Appianus, Dio, Plutarchus litteris prodiderunt. *Quæro tum tu quid egisses?* Eum sine dubio Regem esse creandum censuisses, cui jam imposueras diadema. Sed prior explanatio magis ad rem. AB.

Num etiam] Dolabella statim post necem Cæsaris, non expectato Senatus decreto de auspiciis, Consulatum invasit, et paulo post Antonius reconciliatus Dolabellæ. Obiter igitur objicit inconstantiam, quia quem vivo Cæsare vitiosum esse Consulem dixerat, eum post Cæsaris necem, tanquam salvis auspiciis creatum in consortium Consulatus admisit. IDEM.

Prævertendum est] Sensus: Incidi in id tempus de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus de quibus cœperam loqui. FAERN.

Illis in Capitolio liberatoribus] Bruto, cæterisque qui a Reipublicæ cervicibus jugum servile dejecerant, quique cæde peracta in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi, concesserant, ibique diem illum noctemque exegerunt. Ad quos accesserunt cum alii, tum ipse Cicero, ut cum illis agerent de republica. FAERN.

Cap. 36. *Per obsidem puerum nobilem M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem*] Peracto S. C. de oblivione injuriarum in æde Telluris, invitati sunt Cæsaris percussores, ut e Capitolio descenderent. Illi cum etiam tum sibi a Lepido et Antonio metuerent, non ausi vitam suam illis committere, obsides ab eis petierunt. Dedit Antonius filium suum, quem ex Fadii Bambalionis libertini hominis filia susceperat. ABRAM. Auctor est Faernus non legi in Vaticano *M. Antonii filium*, ideoque illas voces delevi, eumque secuti sunt Lambinus et Manutius; retinuit tamen eas Muretus. Glossam esse, quæ adscripta fuerit margini, qua magister exposuit, quis esset nobilis puer M. Bambalionis nepos, nemini potest obscurum esse, qui attentius ista legit. Nobilem puerum dixit εἰρωνικῶς, cum eum vocat *Bambalionis nepotem*. Nam Antonii erant sane nobiles, itaque hic parum facit ad Ciceronis mentem, si addatur *Antonii filius*. Nullus autem tum erat qui salsum illud dictum, *nobilis puer M. Bambalionis nepos*, non intelligeret, esse *M. Antonii filium:* quod si addatur, hebescit acumen, quo vult ferire Antonium. GRÆV.

Non diuturnus] Alii legunt, *non diuturni magister officii.* Idem sensus est. Quia qui sola pœnæ formidine bene faciunt, sublato metu ad priora studia revolvuntur. ABRAM.

Me quidem dissentiente] Duplex sensus esse potest: vel enim dissentiebat ab aliis Cicero, quod aliis Antonium optimum putantibus, ipse ne bonum quidem putaret, sed eum cre-

deret sublato metu, primo quoque tempore ad suos mores et improbitatem esse rediturum: vel quod aliis Antonium funeri Cæsaris præficientibus, ipse præficiendum non putaret. IDEM.

Tua illa pulchra laudatio] Ironice pulchram appellat laudationem Antonii, quæ revera perniciosa fuit reipublicæ. Ea funebri oratione tria præstitit Antonius. 1. Laudavit Cæsarem, et cum Alexandro Macedone comparavit, ut scribit Appianus. 2. Interitum Cæsaris miserabiliter deflevit. 3. Multitudinem contra percussores Cæsaris excitavit. Plebs ita subjectis iracundiæ facibus exarsit, ut Cæsaris corpus in forum detulerit, deinde structo a septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserit, tandem raptis e rogo torribus, ad percussorum reliquorumque Senatorum sedes accurrerit, ut eas incenderet. Quo in tumultu L. Bellieni domus deflagravit. Laudationem Cæsaris funebrem ab Antonio dictam refert lib. XLIV. et Appianus lib. II. exeunte de bellis civilibus. IDEM.

Propter proximum Dictatorem] Videbatur enim Antonius odio Cæsaris, qui proxime Dictator fuerat, omnem regni metum sustulisse, sanciens ne quis in posterum dictator diceretur. IDEM.

Veniebant] Vendebantur.

Civitas] Siculis. Vide ad Atticum lib. XIV. ep. 12.

Cap. 37. *Tabulis*] Cæsaris. Vide Philipp. I.

Quorum] Eorum, qui pro Pompeio contra Cæsarem pugnarant. MAN.

Massiliensibus] De Cæsaris in eos odio, vide lib. de Offic. II. 8.

Compellarat] Appellarat de pecunia Cæsar Dejotarum, cum in ejus domum hospitio exceptus est. ABRAM.

Computarat] Supputarat, subductisque rationibus omnibus summam fecerat ejus pecuniæ, quæ ex tota Dejotari Tetrarchia corradi potuit, ut eam omnem imperaret. IDEM.

In gynæceo] Id est, cum Fulvia. Nam gynæceum locus erat in ædibus, ubi mulieres habitabant. MANUTIUS.

Ne iste quidem] Suspicatur Manutius insinuari Sextum Clodium scribam, quem Antonius ab exilio revocarat, ut hac ipsa oratione superius cap. 4. diximus: qui fortasse Antonium et Fulviam scribendis illis legibus et immunitatum tabulis adjuvabat, ut olim P. Clodio præsto fuerat legibus scribundis. Ut dicitur pro Domo. ABRAM.

Ille vir fuit] Dejotarus fortiter et generose, ut virum decebat, se gessit: nos vero pusillanimes sumus, qui cum oderimus Cæsarem auctorem, ejusdem acta et leges defendimus, timentes eorum offensionem, quibus Cæsar vivus aliqua beneficia promiserat. IDEM.

Cap. 38. *Quid ego de commentariis*] Senatus pacis et concordiæ causa Cæsaris acta servanda esse decreverat, id est, statuerat ut nihil de actis Cæsaris mutaretur, sed singulis magistratus, beneficia, provinciæ darentur, quos Cæsar vivus singulis contulisset. Necato Cæsare, Calpurnia conjux, quatuor talentorum millia, et mariti libellos sive commentarios diurnos ab ipso memoriæ causa conscriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occasione beneficia, magistratus, provincias, immunitates vendidit, adulteratis Cæsaris commentariis ad libidinem, quasi quæ faceret e Cæsaris memoriali peterentur. Ad hæc nunc Orator delabitur. IDEM.

Quorum etiam imitatores sunt] Tanta subjiciendorum adulterandorumque licentia per te inducta est, ut non tu solum, sed alii quoque exscribant, vel potius imitentur, quæ deinde publice venditent, ut vendi solent ii libelli, quibus futura proximorum gladiatorum pugna, et singulorum parium compositio describitur. IDEM.

Patrui] De quo, supra, cap. 23. annot. 92.

Risus hominum, et querelas] Ridebant eum, qui fuisset infamia notatus, censuram petere, cujus est de moti-

bus civium judicare. Querebantur tantam esse M. Antonii impietatem, ut patruum suum omnibus ridendum exponeret. ABRAM.

Cur autem ea comitia] Antonius, ut videtur, censoria comitia indixerat, sed illucescente die vel non accessit omnino, vel cum accessisset, repente comitia dimisit, quod Tribunus plebis nescio quis fulmen sinistrum nuntiabat. IDEM.

In septemviratu] Cum dividendo militibus agro Campano, et Leontino septemviros, omisso patruo, præfecisti. Phil. VI. et VIII. MAN.

Intervenit] Pecuniam petivit. Vide Turneb. Advers. IV. II.

Ne salvo capite] Videtur reddere rationem cur patruum suum destituerit Antonius. Quia si eum Septemvirum creare voluisset, prius de restituendo patruo legem ferre debuisset: neque enim qui integri capitis et existimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri Septemvir, aut ad ullum vel magistratum, vel sacerdotium promoveri. At metuebat Antonius, ne salvo patrui capite, id est, patruo in integrum restituto, debitam ei pecuniam negare non posset. ABRAM.

Sororem] Patruelem.

Alia conditione] Ante repudium uxoris, circumspecta alia uxore, quam duceret, nimirum Fulvia. GRÆ.

Sedente patruo] C. Antonius forte Romæ aderat, quamvis non esset lege restitutus: legibus inter arma civilia silentibus. FERRAT.

Cap. 39. *Quæ tua fuit cognitio*] Cur tu nova Cæsaris acta profers? Ad te non pertinet ista cognitio. Cum consilio senatorum cognosci oportebat. Id enim placuerat. MAN.

Capuam] Antonius, ut veteranorum animos sibi magis obligaret, Capuanorum agros illis assignare voluerat, et novam coloniam eo transcribere: eoque profectus erat, ut agros divideret: sed illi coloni veteres obstiterunt, necemque pene intulerunt. Eam ob causam Capuanis minitabatur. ABRAM.

Illinc abieris, vel potius pene non abieris] Vict. Man. *illam adieris ... pene non adieris*

Medico....quasi] Auctoritate codicis Vaticani Muretus edidit: *Medico tria millia jugerum: quid, si te sanum fecisset? Rhetori duo: quid, si te disertum facere potuisset?* Quod equidem miror ab erudito Grævio fuisse prætermissum, cum ejus codicis auctoritatem, et Mureti editionem ab illo expressam, ipse agnoverit, et de Grutero, quod eam neglexerit, merito sit conquestus. *Non enim facile crediderit quisquam*, inquit Muretus, *quam multa* in Philippicis *mutila, quam multa temere addita, quam multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quæ hujus ope expleta, refecta, sanata, et integritati suæ restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos exaratum esse. Quod et ipsa litterarum conformatio ostendit plerisque locis gemina ei quæ in Pandectis Florentinis, et in Terentio Petri Bembi visitur: et scribendi ratio, quam ἰφθογραφίαν vocant, eadem plane quæ in iis, quos modo nominavi, libris, et præterea in antiquissimo illo epistolarum Ciceronis, cujus exemplum abhinc triennium divulgavit P. Victorius.* Parisiis prodiit Mureti editio, anno 1562. Titulus: *M. T. Ciceronis Philippicæ, a M. Ant. Mureto ad optimum et vetustissimum exemplar tam multis locis emendata, ut nunc primum editæ videri queant.* OLIVET.

Cap. 40. *Aratrum*] Vide, quæ Turnebus de coloniis deducendis affert Advers. IV. 11.

Et, si ab hasta] Anticipatione Rhetorica eludit responsionem Antonii. Respondebis fortasse fundum Varronis, quod secutus esset partes Pompeianas, subjectum fuisse hastæ, et voci præconis, a Cæsare, qui suorum inimicorum bona proscripsit, te autem emisse, et adeo jure possidere. Quem fundum, si tu ab hasta Cæsaris emisti, concedo te jure possidere, et valere hastam debere confiteor. ABRAM.

Modo Cæsaris] Jocatur in tabularum nomine, et ab auctionariis ad eas transit, in quibus pecunia ad ædem Opis deposita a Cæsare patebat: quæ si valerent, Antonius ejus a se dissipatæ pecuniæ rationem reddere cogeretur. MAN.

Misisse dicis Alexandriam] Alia responsio M. Antonii, quam tribus rationibus confutat. I. Ironice, qua figura summam Antonii cupiditatem exaggerat. Quasi dicat, Adeone cæcus avaritia et cupiditate rapiebaris, adeone bonis civium inhiabas, ut magnum tibi et difficile videretur expectare, dum Cæsar ad urbem accederet, et inimicorum suorum bona subjiceret publicæ auctioni? ABR.

Cap. 41. *Ab hora tertia bibebatur*] Cum hora nona initium esset cœnæ. MANUT.

Quam dispari domino] Vide lib. de Offic. I. 39.

Cap. 42. *Interea*] Post C. Cæsaris necem nescio quis in C. Marii nomen invasit, et rudem plebeculam concitavit in Senatum: plebsque, ut scribit Suetonius in Julio cap. 85, *solidam columnam prope* XX. *pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque* PARENTI PATRIÆ. *Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit.* Antonius uncum impegit illi pseudo-Mario, eumque in vinculis jugulavit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatæ, in hoc rerum rumore discessit ex urbe, veteranorum colonias nuper a Cæsare deductas obiturus, sive ut eorum animos sibi conciliaret, sive ut caput suum præsenti periculo multitudinisque furori subduceret. Sed absente Antonio, et colonias lustrante, *Cum*, ut dicitur Phil. I, *serperet in Urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, et quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis, tectis ac templis Urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellæ cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros ac nefarios liberos*, ut servos nonnullos in crucem egerit, liberos de saxo Tarpeio dejecerit, *talisque eversio illius execratæ columnæ*, ut locum illum sternendum locarit, ne quod extaret columnæ vestigium, de quo ep. 17. et 18. lib. XIV. ad Atticum. ABRAM.

Metum credo valuisse et arma] Frigida excusatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, sed metu et armis a republica bene gerenda deterritum, postquam Antonius ex illa sua peregrinatione stipatus armatis ad Urbem accessit. Non metus valuit, sed avaritia, ut aperte lib. XIV. ad Attic. ep. 22. IDEM.

Numerum annorum provinciis prorogavit] Prætoriis annum, Consularibus biennium Cæsar dederat, ut Phil. I. Antonius lege tribunitia, ut in Phil. V. ostenditur, Prætoriis biennium, Consularibus sexennium dedit. MAN.

Ut tolleret, promulgavit] Vict. Grut. *ut tolleret promulgatas, promulgavit.*

In hortos Pompeii] Suburbanos, quos tunc Antonius tenebat ab hasta emptos. IDEM.

In villam Scipionis] In Tiburte, ipsam quoque ab hasta emptam, in qua septemdecim dies, quæ in Ciceronem in senatu diceret, commentatus est. Philipp. V. IDEM.

Cap. 43. *Quem is majorem honorem consecutus erat*] A senatu. Suetonius: *Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, Ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos.* IDEM.

Fastigium] Tectum fastigiatum, quod solis templis imponebatur, cum aliarum ædium tecta essent plana. Græcis etiam ἀέτωμα dicitur. Itaque cum Cæsaris domui fastigium decerneretur, divini ei honores decernebantur, significabanturque Cæsarem præsens Numen esse habendum, et ejus domum esse templum. GRÆVIUS.

Est ergo flamen] Summa cum in-

dignatione Antonium invadit, qui Cæsari tam abjecte fuerat adulatus, ut etiam sacerdotium ejus honori dicatum ambiverit. Videtur autem Antonius id sacerdotium Cæsare vivo petiisse, atque etiam impetrasse; sed post necem Cæsaris, quæ priusquam Antonius flamen inauguraretur, obtigerat, inaugurari noluisse. IDEM.

Quæro deinceps] Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Cæsaris adderetur, ejusque pulvinar et simulacrum cum cæteris Deorum simulacris in pompa ferretur. Sed post Cæsaris necem Consul Antonius passus non est post quatuor dies ludorum Romanorum quicquam in honorem Cæsaris addi, ejusque simulacrum tanquam numinis alicujus in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam obliterasse videretur, Cæsaris nomine supplicationem instituit: quod Cicero reprehendit, docetque religionem non tantum pulvinaribus et ludis, sed etiam indicta supplicatione violari. ABRAM.

Hodiernus dies] Oratio hæc ita scripta est, quasi habita fuerit duodecimo Kalendas Octobres, postridie quam in ipsum absentem invectus fuerat Antonius: qui dies in Kalendario, quod Manutii descripserunt, quintus ludorum Romanorum in Circo signatus est. IDEM.

Cur non sumus prætextati] Nondum tributus erat ille dies Cæsari; tributum post ea veteres dierum fasti demonstrant. MAN.

Apertiorem] Jocus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, cum perspicuitatem orationis laudare videatur. ABRAM.

Pectus vidimus] Lupercus enim concionatus est. Supra. MAN.

Cap. 44. *Tertiam pensionem*] Mortem tuam: cum duas jam persolverit, interfectis ejus viris, P. Clodio, et C. Curione. IDEM.

Cap. 45. *Gustatum*] Vulgo, *gustum*. Sed *gustatum* ex Vaticano ediderunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus. Quod hic fuit a Græviо annotatum. Nec vero *gustum* alicubi dixit Cicero, nisi fidem habeas editionibus non optimis. Certe *gustatum* dixit lib. de Oratore III. 26. de Natura Deor. II. 56. 63. De Senect. 15. OLIVET.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA III.

ARGUMENTUM.

Post Cæsaris necem decrevit senatus consulares provincias, Antonio Macedoniam, Dolabellæ Syriam. Sed Antonius, occasionem quærens reipublicæ perturbandæ, Galliam citeriorem sibi mandari cupiebat. Quod cum a senatu non impetraret, qui eam provinciam D. Bruto, jam antea ab ipso Cæsare datam, post ejus interitum confirmaverat, tulit ad populum, et obtinuit, ut citeriorem Galliam regeret: unde se cum exercitu ad urbem, Cæsaris exemplo, facile venturum sperabat. Nam Macedonia, terra marique disjuncta, novis consiliis parum opportuna videbatur. Hac mente Brundusium ivit ad VII. Id. Oct. profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus bonorum locare. Redeuntem

a Brundusio Antonium legio Martia reliquit. Ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, urbem est ingressus: vocato in Capitolium senatu, cum de abalienata legione Quarta, et Octaviani copiis adjuncta, nuncius ei esset allatus, propere senatum dimisit, et ad occupandam Galliam citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea cum novi tribuni pl. qui IV. Id. Dec. magistratum inibant, XIII. Kalend. Jan. senatum convocassent, deque præsidio consulum designatorum retulissent, ut senatum tuto Kalendis Januariis habere possent, Cicero, laudata tribunorum mente, totam rempublicam complexus, hæc censuit: Res eas, quas Cæsar adolescens privato consilio gesserat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quæ, relicto Antonio, ad rempublicam defendendam se contulerant, laudandas, eisque spem præmiorum decreto senatus ostendendam; D. Brutum, qui se irruenti in Galliam Antonio objecerat, ipsamque Galliam, quæ resisteret, debita laude ornandam; provincias ab iisdem, qui eas obtinerent, obtinendas esse ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum successum esset; iisque de rebus ad senatum a novis consulibus primo quoque tempore esse referendum. Assensit senatus, et in ejus sententiam senatus-consultum factum est. MANUT.

Habita est hæc oratio XIII. Kal. Jan. profecto in Galliam Antonio, ut cognoscitur ex Philipp. VI. et epist. VI. Lupus, lib. II. Famil. et ep. XXV. Liberalibus, lib. XII.

Cap. 1. *Facturos*] Relaturos esse ad Senatum, ut hostis judicetur Antonius, et illi bellum indicatur. FER.

Privatis consiliis] Cæsaris Octaviani, atque etiam D. Bruti. MAN. Vide Fam. XII. 7.

Cap. 2. *Pene potius puer*] Annos natus XIX, ut scripsit Velleius, ad remp. defendendam, Antoniique conatus reprimendos Octavianus accessit. IDEM.

Cap. 4. *Recens edictum D. Bruti*] Cujus etiam mentio fit ep. 6. lib. XI. Fam. MAN.

Antonio senatum habenti] Nonnullis videbitur, atque haud scio an multis, esse erratum in hac voce *habenti*, et scribendum fuisse, ut Lambinus corrigebat, *habente*, cum sit casus, quem Grammatici vocant absolutum; atque hoc velit orator, in consilio regis non stetisse barbaros armatos, ut in curia stabant, *habente* senatum Antonio. Fateor ita potuisse Ciceronem scribere, sic tamen ut negem, pravum esse quod editum est. Hic enim *Antonio* non est sexti casus, sed tertii. Opportune animadvertit Fr. Sanctius, *Minerv.* II. 4. nullam esse orationem, cui constructæ atque perfectæ, dativus supervenire non possit, designans personam, ad quam id spectet, quod oratione exprimitur. Sic, *Non omnibus dormio, Mihi peccat*, et similia. OLIVET.

Ementitis auspiciis vitiosum] Vide Philipp. II. cap. 33.

Quasilla] Cum ostendere vellet, Antonium usque eo sordidum esse, ut omnium rerum publicarum domesticum mercatum institueret, eique Fulviam uxorem præficeret, ut ejus sordes non modo re, sed etiam verbo exprimeret, *inter quasilla* dixit: quo quid sordidius? *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii: Talassionem enim* quasillum *vocabant: qui alio modo appellatur salathus, vas utique lanificiis aptum.* Hæc Sex. Pompeius: at Priscianus lib. III. *Pauca inveniuntur diminutiva, quæ non servent genera primitivorum: ut hæc rana, hic ranunculus: hic qualus, hoc quasillum.* Quod si cui magis arriserit, *inter quasillos appendebatur*, non pugnabo: præsertim cum et apud Catonem semper hoc vocabulum virile sit. FERR.

Sacrificiis] Consules in provincias profecturi, et sacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant; quæ, cum rediissent, bene gesta republica solvebant. MAN.

Quæ nunquam solveret] Non enim ei quæ cogitat, prospere succedent. IDEM.

Cap. 6. *Cujus natura putet*] Adop-

tatus fuerat ab avo materno C. Cæsare. Pater autem illius Cn. Octavius, decedens ex Macedonia, quam post præturam administraverat, ad petendum Consulatum, mortuus fuerat. Sueton. IDEM.

Aricina] M. Attius Balbus Attiæ pater ex Julia erat Aricinus genere, licet non Ariciæ natus. Aricia porro distabat ab Urbe ad decimum lapidem. M. ANT. FERR.

Trallianam] Trallis, urbs Lydiæ: Ephesus in Ionia. IDEM.

Voconiæ] Voconius et Scatinius Tribuni plebis, legibus quas tulerunt celebres, erant Aricini. IDEM.

Tusculanam] Quam tu dixisti, M. Fadii, libertini hominis, filiam. Vide Philipp. 2. MAN.

Qui propter hæsitantiam linguæ, stuporemque cordis] Bambalio dictus ἀπὸ τοῦ βαμβάλλειν, quod est, τοῖς χείλεσι τρέμειν, et βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant. Quæ legimus apud Hesychium. ID. Nimirum Bambalio est Balbus, homo hæsitantis linguæ, ψελλιστής. GRÆ.

Tuditanus] De quo Valerius Max. VII. 8.

Haberetis] Lamb. Grut. *Habetis*

Evenit] Man. Lamb. *convenit*

Aricina natus] Vulgo *Julia natus*. Ita plane scriptum est in optimo libro, cujus auctoritas apud me quidem longe plurimum valet. Neque tamen rationem ullam dispicere possum, qua hanc scripturam tuear. Octavianus enim, de cujus nobilitate hic agitur, non Juliam, sed Attiam, ut notum est, matrem habuit. Itaque aut *Juliæ nepos*, aut, ut Ferrario visum est, *Julia natus*, aut, quod mihi aliquando in mentem venerat, *Julia prognatus* legendum videretur. Verumenimvero totam rem accuratius consideranti ita optime et facillime purgari videtur locus hic posse, si pro *natus* legamus *nata*. Quo autem argumento movear, ut ita credam, ex his quæ subjiciam intelligetur. Octaviano ignobilitatem objecerat Antonius. Eam Cicero modis omnibus removere conatur: atque ostendere, Octavianum neque paterna, neque materna stirpe ignobilem esse. Ad paternam quod attinet: patres Octavianus habuit duos, natura C. Octavium, adoptione Cæsarem. Ab hoc quidem posteriore ignobilis haberi non poterat. Quid enim Cæsare nobilius? Itaque hoc primo argumento Cicero utitur: idque, quia satis per se notum erat, uno verbo concludit, cum ait: *Ignobilitatem objicit C. Cæsaris filio*. Sed et priorem illum nobilem fuisse confirmat ex eo, quod, si vita suppeditasset, consul erat futurus. Quod et Suetonius testatur his verbis: *Decedens Macedonia, prius quam confligeri se candidatum consulatus posset, morte obiit repentina*. Inde transit Cicero ad matrem Octaviani, eamque nullo modo ignobilem fuisse confirmat. Exagitaverat eam Antonius, primum ut Aricinam. Hoc repellit Cicero, primum ita, ut municipium illud honestissimum esse, semperque fuisse doceat, neque ulla re inferius Tusculo, unde ipse Antonius uxorem habuerit Fadiam. Ad postremum etiam addit, L. Philippum, et C. Marcellum, clarissimos viros, illum Aricinam uxorem, hunc Aricina natam habere. Ac ne quis putaret Attiam in municipio suo ignobilem fuisse, docet, eam quoque utraque stirpe nobilem esse. Natam enim patre quidem, non Bambalione quopiam, aut divisore, sed M. Attio Balbo, homine prætorio: matre vero Julia, C. Julii Cæsaris sorore, id est, ex eadem gente, ex qua matrem suam esse gloriaretur Antonius. Addit et alia, sed quæ necesse non sit persequi: hoc enim tantum docere volui, cum de Attia hic agatur, *nata*, non *natus*, legendum videri. MURET. Non video causam, cur rejiciamus, quod in pluribus libris legimus, *ut is tibi Aricina natus ignobilis videatur*. M. Antonius dixerat *Aricina mater*, ut clare Servius ad V. Æneid. istum versum,

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini,

observat: *Propter Atiam dicit ma-*

trem Augusti, de qua Antonius dicit, Aricina mater, quod hausit ex hoc istius orationis capite Servius. Cicero dicit, Licet sit mater Octaviani Aricina (quamvis vere non fuerit Aricina, sed paternum tantum Atiæ genus sit Aricinum) cur tamen tibi is, qui ex hac Aricina, ut tu ais, natus est, ignobilis videatur, cum tuum maternum genus sit ejusdem originis, quæ est hujus Aricinæ, nimirum Julium. Sequentia lectionem istam afferunt: *L. Philippus qui habet uxorem Aricinam*, quæ est mater Octaviani, *et C. Marcellus, qui Aricinæ filiam*, quæ est Octaviani soror. Ut non videam cur ita hic hæsitarent viri docti. GRÆ. Hic a cæteris omnibus, duce uno Grævio, discessi. OLIVET.

Cap. 7. *Compellat edicto*] Carpit eum, et vituperat. MAN.

Cap. 8. *Per Gallorum cuniculum*] Occulte quasi per Gallorum cuniculum, cum in Capitolium noctu per cuniculum ascendentes proditi sunt ab anseribus. MANUT. Gallorum, ut videtur, *cuniculum* appellat meatum, per quem Galli in Capitolium introierant, cum sunt a Manlio deturbati. Rem narrat Livius lib V. cap. 47. ANONYMOUS.

Cap. 9. *Nulla contumelia est, quam facit dignus*] M. Antonii Triumviri sententia, quam reprehendit Cicero, quid significet, curve illam Cicero reprehenderit, alterum jam seculum agitur, ex quo in quæstione fuit. Vexillum errandi, inquit J. F. Gronovius, omnibus sustulit Quintilianus, lib. IX. Institut. cap. 3. Deinde postquam recensuit Hadriani Cardinalis, Erasmi, Jul. Scaligeri, Camerarii, Turnebi, Rami, Mureti, Barrienti, Strebæi, Gifanii, Scip. Gentilis, Schotti, Scioppii, Salmasii de isto loco sententias, suam subjicit. Quæ omnia, si eo animo es, lege apud ipsum, *Observat.* lib. III. cap. 8.

L. Cassio] Fratri C. Cassii, qui Cæsarem occiderat, epist. 2. lib. XII. Famil. et epist. 2. lib. XIV. ad Attic. MANUT.

De cujus honore extraordinario] Vere dicit: nam postea Lepidum ornatum esse summis honoribus a senatu indicat epistola ad eum, lib. X. Fam. MANUT.

De supplicatione] Lepidi.

Per discessionem] Serius enim res confecta esset, si, ut mos erat, singuli Senatores sensentiam dixissent. IDEM.

Cap. 10. *Vespertina*] S. C. ante ortum, aut post occasum solis facta fata non fuisse docet M. Varro apud Gellium. FERRAT.

Divina vero opportunitas] Jocatur: id est, minime divina, sed vitio et arte facta, ut, quæ cuique apta esset, ea cuique obveniret. MANUT.

Consulum] Designatorum.

Sors divina] Et hic jocatur in sortem vitio factam. MANUT.

Cap. 11. *Quæ tamen ipsa non tulimus*] Jugum servitutis, occiso tyranno, dejecimus. MAN.

Cap. 12. *Posset*] Jure. IDEM.

Ex funere] Cum Cæsarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Cassii, et Bruti. IDEM. Vide Philipp. 2.

Lucium fratrem] Natu minimum ex tribus. Fuerat autem Tribunus pl. eodem anno, quo et Consul Marcus, et prætor Caius. IDEM.

Ex mirmillone] Ex gladiatore. Gladiatorum nomina fuere, Retiarii, Mirmillones, Thraces, Secutores. Pugnaverat Lucius in Asia Mirmillo cum Thrace. Hæc enim duo genera componi solere, ostendit ille versus Ausonii: *Quis Mirmilloni componitur æquimanus? Thrax.* Vide Phil. 5. 6. 7. IDEM.

Cap. 13. *Nomen*] Vict. Lamb. *numen*.

IN

M. ANTONIUM.

AD QUIRITES.

PHILIPPICA IV.

ARGUMENTUM.

Exponit in concione, quæ acta sint in Senatu: Cæsarem et D. Brutum effert laudibus: populum ad libertatem cohortatur. MANUT.

Obscurum in hac oratione nihil est, nihil, quod possit lectorem retardare, modo Latine sciat, neque ignoret qua de re agatur.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA V.

ARGUMENTUM.

Obsidente Mutinam Antonio, non modo sine senatus auctoritate sed invito etiam senatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto, jam antea a Cæsare datam, post ejus necem confirmaverat, novi Consules Pansa, et Hirtius Kalendis Jan. primo consulatus die, convocato de more senatu, non solum de Mutinæ obsidione, sed omnino de tota rep. deque honoribus et præmiis bene de rep. meritorum ac merentium, de quibus XIII. Kal. S. C. factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, censuit is, qui sententiam primus rogatus est, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, ut ab ejus urbis obsidione desisteret. Cicero autem, suo loco rogatus, turpe et indignum dicit esse senatus ac populi Romani majestate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tanquam de hoste, gravissima et severissima judicia idem senatus fecerit. Decreverat enim XIII. Kal. Jan. quo die habitam esse tertiam orationem diximus, ut de honoribus Cæsaris et Bruti, qui remp. privato consilio defendendam susceperant, deque præmiis Martiæ et Quartæ legionum, quæ, Antonio relicto, ad Cæsarem se contulerant, primo quoque tempore novi consules referrent. Deinde vehementer incubuit Cicero, ut hostis judicaretur Antonius, et ea decernerentur de honoribus et præmiis, quæ senatus ex novorum consulum relatione decerni sibi placere ostenderat. Senatus eo die nihil decrevit, sed triduo post mittendos omnino censuit, qui Antonio nunciarent, ne consulem designatum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne provinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in senatus populique Romani potestate. MANUT.

Cap. 1. *Qui primus*] Q. Fufius Calenus, socer Pansæ, et procurator Antonii. FERRAT.

Cap. 2. *Cotylam*] L. Varium Cotylam, ædilicium, qui tum affuit in senatu, postea profectus est Mutinam

ad Antonium, eumque legatum ad senatum Antonius remisit. Infra Phil. 8. MANUT.

Consulares] Consulatum gesserat Calenus cum Vatinio. IDEM.

Pecuniam . . . equitatum] Quibus abundabat Gallia ulterior. FERRAT.

Cap. 3. *Ille paludes*] Suetonius: *Siccare Pontinas paludes, emittere Fucinum lacum, viam munire a mari supero per Appennini dorsum ad Tiberim usque, talia agentem, atque meditantem mors prævenit.* MANUT.

Siccare] Ut augeret patrimonium populi Romani. IDEM.

Sine collegis] Agit, et interpretatur. IDEM.

In forum insinuandi] Omnes enim aditus Antonius clauserat, ne cui obnunciare, aut intercedere liceret. Reprehenditur, ut per vim lata lex de dividendis agris a septemviris! quam postea sustulit senatus, Phil. VI. et XI. IDEM.

Vitiosum] Vitio creatus. Dictum supra.

Cap. 4. *Septis revulsis*] Nam et in foro, dum habebantur comitia, septa quædam erant, quo introvocabantur Tribus suffragium laturæ: ita vero ea septa disposuerat Antonius, ut omnes aditus occuparent. FERR.

Falsis perscriptionibus] In tabulis, quæ erant ad ædem Opis, quantum cuique pecuniæ Cæsar dari voluisset, perscripsit, cum id non esset in commentariis Cæsaris: eaque pecunia collegam suum Dolabellam corrupit; ut ad Attic. lib. XIV. sæpius. Ep. vero I. lib. XII. Fam. MANUT.

Sibi felicior, quam viris] Diximus jam, occisos esse duos Fulviæ viros, Clodium et Curionem. MANUT.

Cap. 5. *Alaudas*] Vide Philipp. I. cap. 8.

Notatio judicum] Quid sit *notatio*, docet auctor ad Herennium: *Notatio est cum alicujus natura certis describitur signis.* Inde facile quoque colligi potest, quid sit in præcedentibus *judicum forma.* GRÆV.

Palliati] Athenis. *Togati*, Romæ. MANUT.

Antiquissimas leges] Quæ vetant, qui Areopagita sit, in alia civitate judicem esse. IDEM.

Periculum fortunæ quotidie faciat] Alludit ad aleatorem, qui in alea singulis momentis periculum fortunæ subit. BERGALD.

Cap. 6. *Socios ad epulas*] Voces illas recidunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus.

Lecticæ] Scutis refertæ. M. ANT. FERRAT.

Cap. 7. *De supplicatione*] Ad mortui Cæsaris honorem. Philipp. I. MANUT.

Hanc consuetudinem] Inductam a L. Pisone Kalendis Sext. ut infra, et Phil. I. et ep. 2. lib. XII. Fam. IDEM.

De me] Vict. Grut. *(ut digestio potius, quam declamatio videretur) de me*

Mylasis depugnarat] Pro, fortiter pugnavit. Laudare videtur Lucium, sed vituperat: occidit enim sine causa comitem, et familiarem suum. Mylasa, neutri generis, ut Artaxata, Tigranocerta, Ecbatana, Comana, Alabanda, Hierosolyma. Urbs Asiæ fuit in Caria. IDEM.

Cap. 9. *Nuntio audito*] De quarta legione. Vide Philipp. III.

Solemnibus] Philipp. III.

Cap. 11. *Alia, quæ magis timeam, et cogitem. Nunquam parebit*] Vict. Grut. *alia, ob quæ nunquam parebit*

Cap. 12. *Præter Galliam*] In Gallia non poterat delectus haberi, quia in illa cum suis copiis erat Antonius et Brutus. GRÆV.

Ad cujusque opinionem distributa] Magni apud me, et esse debet apud omnes, veterum librorum auctoritas: verumtamen sic ab his omnibus, hoc quidem in loco, dissentire cogor, ut conjectura mea vehementer delecter, quippe quæ nec ab antiquis litterarum vestigiis discedat longius, et mentem Ciceronis, nisi fallor, attingat. Quis enim non videt, sententiam effici meliorem, si legatur, *opinionem*, quam si, *opinionem?* cum præsertim sequentium verborum, quæ ex Antonii recitantur epistola, testi-

monio comprobetur: *Quid concupiscas, tu videris: quod concupiveris, certe habebis.* Hæc quidem *optio* est, non *opinio*, ut etiam paulo post: *Libidini cujusque nos ita addixit.* Itaque, suffragante sententia, *optionem* retineo libenter, ut sincerum; *opinionem* opinione mea depravatum, rejiciendum puto. MANUT.

Quod retulistis] Alii, *quoad.* Id est, ad omnia quæ retulistis. MANUT.

Cap. 14. *M. Lepido*] Citerioris Hispaniæ proconsuli, in quam tamen nondum pervenerat, sed in Gallia Narbonensi, cognita reipublicæ perturbatione, morabatur. IDEM.

Cum bellum civile maximum esset] Post interitum Cæsaris, pugnante Sex. Pompeio in Hispania cum Cæsaris prætoribus. MANUT.

Sapientia ejus] Alii, *sapientia etiam.* Lambinus nec *ejus*, nec *etiam* agnoscit. Quod Grævio probatur.

Cap. 18. *Promitto recipio, spondeo*] Expressit hæc ab eo vel odium in Antonium, vel studium erga remp. Promittere autem de altero, præsertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cujus prudentiæ fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit. Scripsit enim ad M. Brutum: *Maxime, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescente, ac pene puero, resp. accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, præstare posse.* MAN.

Cap. 19. *Satis est nominari*] In hoc honor est. Magistratus ei nunc quidem non tribuitur. IDEM.

Cæsaris, Pontificis] Videtur deesse, *Voluntatem secuti sint.* IDEM.

Secunda, XXXV.] Sive, secunda, trigesima quinta. Quin etiam addidit conjunctionem Muretus, *secunda*, et *trigesima quinta.* Hæ scilicet legiones, ut observat Manutius, cum Antonio de quatuor Macedonicis remanserant: ex iis tamen ipsis milites multi ad Pansam Hirtiumque consules venerant. Propterea dixit Cicero Philipp. III. cap. 12. *In Galliam mutilatum ducit exercitum.* OLIV.

IN

M. ANTONIUM.

AD QUIRITES.

PHILIPPICA VI.

ARGUMENTUM.

Kalendis Januariis, quo die habita est superior oratio, nihil senatus decrevit: ne postridie quidem, intercedente Salvio Tribuno. Itaque III. Non. Januar. factum est S. C. de Legatis ad Antonium mittendis Pisone, Philippo, et Sulpicio Consularibus. Eodem die productus ad Populum Cicero ab Apuleio Tribuno, quid actum sit in Senatu exponit, quid sperare liceat, et ad libertatem conservandam hortatur. FERRAT.

Cap. 1. *Discessio*] Postquam consulares, et principes Senatus dixerant sententias, ut res transigi posset, reliqui patres discedentes in dexteram aut sinistram partem, ostendebant cui sententiæ adhærerent. FERRAT.

Nescio qua objecta re] Res ea quæ fuerit, quia senatus dignitatis rationem habet, significandum non putat. Fuit enim, ut ex Appiano cognoscitur, matris Antonii, uxoris, filii, amicorum nocturna deprecatio. MAN.

Cap. 3. *Horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus*] Sic edidit Grævius: et Lambinus ante probaverat. Videri potest hic esse sensus: Ubi agitur de tali cive liberando, non possumus sine scelere nullam eximere horam rebus aliis atque consiliis, quam ad ejus incolumitatem conferamus. Verumtamen erat planum magis ac Latinum: *Horam eximere* ullam *in tali cive liberando sine scelere non possumus;* vel, quemadmodum edidit P. Manutius, ac nuper M. Ant. Ferratius, *Horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere possumus,* omisso *non.* Etenim *eximere tempus, diem, horam,* est perdere, seu in aliis rebus, quam quæ agendæ erant, consumere. Hoc vult Cicero: omni celeritate succurrendum est D. Bruto; huc omnia convertenda sunt consilia; scelus fuerit, si pars ulla temporis eximatur, tollatur, subducatur deliberationi tam necessariæ, atque aliis rebus transmittatur. OLIVET.

Cap. 4. *L. Trebellius*] Qui tribunus pl. ferenti legem de tabulis novis Tribuno pl. Dolabellæ adversatus erat. Plutarchus in Antonio. MAN.

T. Plancus] Bursa, frater L. Planci consulis designati. Eum de vi, ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeia damnatum Cæsar dictator restituerat. IDEM.

O fides] An fidem Trebellius servat, cum tamen a fide cognomen deduxerit? Fidei patronus, et creditorum fuerat Trebellius, cum adversaretur Dolabellæ, de tabulis novis legem ferenti. Phil. XIII. *Fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* Cognomen hoc nusquam nominatur. IDEM.

Ubi plausus?] Trebellio Cæsaris triumphum prosequenti, et sæpe deinde in Theatro plausus dati fuerant, quod tabulis novis restitisset. FERRAT.

Sæpe ludis] Ingredientes in theatrum bonos cives plausu, improbos excipere sibilo solitus est populus. MANUT.

Nequitia est, scelere] Alii pro *scelere;* scripserant *scelus est:* ut huic vulneri quasi cicatricem obducerent. Mihi temper religio fuit talia audere. In veteri libro post vocem *scelere,* parva quædam lacuna est. MURET.

Cap. 5. *Equo publico*] Equestris ordo constabat ex iis, qui equo publico, id est, publice dato, mererent. Dabat autem censor, ut ex Livio lib. XXXIX. perspicuum fit. Hi equites Romani soli vocabantur. Et his census præfinitus erat cccc. millia: quæ nisi possiderent, ordinem et ornamenta equitum Romanorum propria amittebant. Qui vero mererent equo suo, non publico, ii non erant equestris ordinis, nec in centuriis equitum ad comitia centuriata coibant, nec equites Romani, sed equites tantum dicebantur. MANUT.

Statuerunt] Statuam posuerunt: de qua Phil. VII. IDEM.

Semurium] Ager erat, de quo Macrobius, Saturnal. l. 10.

Sustulimus] Legem illam Antonii de divisione agrorum per vim latam judicantes. IDEM.

Jacent beneficia Nuculæ] Irrita sunt divisoris agrorum Nuculæ beneficia. Philipp. I. *Duos collegas Antoniorum, et Dolabellæ, Nuculam, et Lentonem, Italiæ divisores lege ea, quam senatus per vim latam judicavit.* IDEM.

Non habemus] Hoc indicat, egenis et perditis divisos fuisse agros. FERRAT.

Janii medii patrono] Videtur hæc statua a fœneratoribus posita. Ad medium enim. Janum considebant. *Offic.* II. 25. MANUT.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA VII.

ARGUMENTUM.

Amicos Antonii, pacem bello in sermonibus anteponentes, eo consilio, ut in reditu legatorum Antonii responsa mitius acciperentur, et senatorum animi sententia Ciceronis irritati ad clementiam ac mansuetudinem traducerentur, accusat, ut Antonii amantiores, quam reip. De pace autem non esse cogitandum censet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis civibus cum hoste libertatis, Antonio nulla prorsus esse possit. Senatum extremo loco Pansamque consulem hortatur, ut ad studium tuendæ reip. nihil ab Antonio sincerum expectantes, quemadmodum cœperint, incumbant. MANUT.

Cap. 1. *De Appia via*] Instauranda. MANUT.

De Moneta] Vel de templo Junonis Monetæ reficiendo, vel etiam de puriore cudenda moneta, ejusque pretio constituendo. IDEM.

Senatores] Grævio ea vox non probatur: legit *fœneratores*.

Cap. 3. *Nisi vero*] Vict. Man. Grut. *Quasi vero*

Illi quidem] Man. *illos quidem*

Judicavistis] Vict. Man. Grut. *judicaveritis*

Cap. 4. *Collega*] In anguratu. FERRAT.

Meam sententiam] Qua suadebam ut hostis judicaretur Antonius. MAN.

Quid refert?] Nihil refert denuntiationem esse, non legationem, cum homines contrarium opinentur. FER.

Cap. 6. *Sua lege*] Ex hoc loco colligitur, Lucium Antonium in Tribunatu legem tulisse, ut liceret C. Cæsari profecturo ad bellum Parthicum in biennium creare omnes magistratus: qua re suffragium populo ademerat per illud biennium. FERR.

Partitus est] Videtur proinde a Cæsare obtinuisse, ut quidam crearentur ex suis amicis. IDEM.

Quis unquam omnes tribus?] Æque habuit in sua potestate? Hoc enim subaudiri necesse est. Ne fratres quidem Gracchi habuerunt. MAN.

Threcidicis] Threcidica erant arma gladiatoria, quibus Thrax pugnabat cum Myrmillione. FERRAT.

Cum bonorum præsidia cesserint] Man. *Cum boni jam præsidiis cesserint*, Lamb. *discesserint*.

Cap. 9. *Firmani*] In Piceno. Quibusdam, *Formiani*. Male.

Marrucinis] Qui sunt ad oram maris superi. GRÆV.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA VIII.

ARGUMENTUM.

Mortuo in legatione Ser. Sulpicio, L. Piso, et L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad senatum postulatu retulerunt. Tum senatus bellum indixit Antonio, sed in S. C. nonnullorum suasu tumultum appellare maluit, quam bellum. Id Cicero reprehendit, quasi leniore senatu, quam in eum oporteret esse, qui ei non pareret, Mutinamque nihilo segnius post auditam legationem, quam antea, oppugnaret. Deinde cum Caleno, adhuc de pace agente, paciscque commoda commemorante, et Massiliensium commoda oppugnante, acerbe queritur: et simul eos accusat, qui mittendos iterum ad Antonium legatos censuerant. Pisonem et Philippum increpat, qui mandata Antonii, tanquam ejus legati, non tanquam a senatu missi, retulissent. Reprehendit senatores Antonio faventes. Decernendum censet, ut iis, qui cum Antonio sint, potestas detur ad senatum redeundi ante idus Mart. primas: bene merentibus gratiæ referantur: profiscendi ad Antonium, excepto ejus legato Q. Verio Cotyla, nemini facultas concedatur. MANUT.

Cap. 1. *Confusius*] Minus considerate, quam decuit a consule, præsertim eo, quem te ad eam diem præbueras. MANUT.

In discessione] Discessit in eam partem Pansa, cui tumultum potius, quam bellum, vocari placebat: eumque senatus pars major secuta est. IDEM.

Propinquitatem] Nam Antonii mater ei soror erat. IDEM.

In sororis viro] Lentulo, qui, Cicerone consule, cum aliis conjuratis in carcere, senatus jussu, strangulatus est. IDEM. Philipp. II. 6.

Ut major timor oriatur] Janus noster Dusa pater in Plautinis, reponendum putabat *tumor*. GRUT. Omnino *ultus* in *tumultus* vocis solum productio est. Deinde scripsit Cicero *tumor*, non *timor*, planeque dictus *tumultus*, quia *res tumeant*, hoc est, *malum aliquod parturire* videantur. Ita. *tumendi* voce utitur Cicero epist. IV. lib. XIV. ad Attic. *tumentia negotia*. Et ep. proxima: *ne deserere viderer hunc rerum tumorem*. Facit pro hac etymologia locus Maronis I. Georg. (vers. 465.)

Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et operta tumescere bella. J. G. VOSSIUS.

Cap. 2. *Puniretur*] Vict. *ulciscereturr*

Cap. 3. *Modo non*] Vict. Man. Grut. omittunt *non*

Aquas] Baianas.

Hastam semper videre cupiunt] Eadem sententia lib. de Offic. *Nec vero unquam bellorum civilium semen, et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint, et sperabunt*. Lib. II. cap. 8. MANUT.

Cap. 4. *Antea profuit*] Factus fuerat Consul sub Cæsare Calenus cum P. Vatinio. FERRAT.

De illo] De Cæsare. MANUT.

Cap. 5. *Te vidisse plus, quam me*] Perspicua ironia. Defensum a Caleno Clodium, cum de incestu accusatus est, narrat Pedianus pro Milone. MANUT.

Cap. 6. *Tres*] Diximus legatos ad Antonium a senatu missos L. Piso-

nem, L. Philippum, Ser. Sulpicium. IDEM.

Cum suo magno beneficio esset] Cum a se magnum Antonius beneficium accepisset. Notandum loquendi genus, quod perquam rarum est. Usus eo Cicero est in ep. ad Curium, 30. lib. VII. *Fam.* alibi nusquam, quod quidem observaverim. IDEM.

Venisse] In judicium.

Oppugnabis?] Oppugnabat eorum commoda: nam in senatu actum esse ut iis redderentur adempta a Cæsare, facile est intelligere ex iis Antonii verbis, quæ recitantur Phil XIII. 15. Massilienses proficiscenti in Hispanias Cæsari, civitatis suæ portas clauserant. IDEM.

Per quam lata est urbs ea] Captarum urbium simulacra in triumphi pompa ferebantur. Massiliæ casum iisdem deplorat verbis lib. II. Offic. ID.

Generi] Pansæ Coss.

Cap. 7. *Fore, ut omnes*] Ἀναπόλουθον. Quod alii ut fugerent, contra fidem veterum librorum addiderant verbum, *putabam*. Sed quæ stultitia est, ea emendare velle, quæ constat veteres illos, ornandæ orationis causa, interdum de industria consectatos? MUR. Hæc pendent ex verbo, *consolabar*, quod est supra: nam vox *putabam*, quæ est ante *fore*, in libris vulgatis, non reperitur in antiquo Vaticano, neque in Memmiano. Jam vero copulationem *quod*, post verbum *consolabar* delevi, ut alienam et subditam. Quod autem Muretus existimat esse ἀναπόλουθον, mihi non videtur. Est enim apta consecutio, si propius spectes, et ita, ut indicavi, verba explices et conjungas. LAMB. Retinent tamen copulationem *quod* post *consolabar*, cæteri omnes.

Cap. 8. *C. Popillius*] Historiam Livius narrat lib. XXXIV. MAN.

Non ab eo mandata accipienda sunt] Ut ab Antonio Piso et Philippus acceperunt. IDEM.

Utramque provinciam, inquit, remitto] Ant. Augustinus delet *utramque*, quia dicit paulo post, *Galliam, inquit, Togatam remitto, Comatam postulo:* at hujus loci tota sententia videtur retinere *utramque*. Primum verba, quæ statim sequuntur, *Privatus esse non recuso:* deinde infra, *Galliam Togatam remitto, Comatam postulo:* plane non sunt eadem mandata cum superioribus, alioqui bis eadem repetisset. Sed ut fit in ferendis conditionibus, Antonius dabat optionem Senatui populoque R. utra mallet mandata, aut conditiones accipere, quod ea verba clare ostendunt, αἱρετικῶς dicta: *Neque tamen nos urget mandatis pluribus: remittit aliquantum et relaxat.* Cum enim dicit *pluribus*, ostendit, non eadem esse: cum *remittit et relaxat*, ostendit Antonium contra facere. F. URSIN.

Cap. 9. *Chirographorum*] Cæsaris: in quibus fingebat Antonius esse multa, quæ non erant. MAN.

Nucula] Septemvir. De quo Phil. VI. cap. 5. XI. 6. XII. 8.

Tantas clientelas] Quantas sibi agrorum divisione pepererat. IDEM.

Hujus comitiis C. frater: est enim annus, ut repulsam tulit] Antiquus liber et ipse in hac parte mendosus, ita habet: *hujus comitis C. Frater ejus est enim jam annus ut repulsam tulit.* Pro quo Antonius Augustinus opinatur legendum, LUCIUS COMITIIS COS. FIAT. *Jure: est enim jam annus, ut repulsam tulit.* Ut superiora quatuor verba Antonii sint: quæ vero sequuntur, Ciceronis per ironiam adsentientis Antonio. Quæ lectio ita mihi placet, ut tamen eam pro certa indubitataque non habeam. FAERNUS. Locus corruptus, et mutilus, quem alii aliter emendare conati sunt. Ex quorum emendationibus a Grævio recitatis hoc unum intellexi, locum esse corruptum. OLIVET.

Cap. 10. *Hæc tu mandata*] Vide Cic. epist. ad Cassium, *Fam.* XII. 4.

Seducere] Clam alloqui. Ut *Fam.* I. 9, et *Orat.* I. 56.

Sexennio post] Sexto denique anno post ortum civile bellum, a consulatu Marcelli, et Lentuli, quo anno Cæsar urbe Roma potitus est, ad Pansæ, et Hirtii consulatum. MANUT.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA IX.

ARGUMENTUM.

Referente Pansa consule de honore Ser. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Pisone et Philippo missus prope castra quidem pervenerat, sed ante quam senatus mandata exponeret, obierat; P. Servilius sententiam rogatus, decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit: quod statuæ decerni solerent iis, qui in ipsa legatione essent interfecti, non quibus mortem casus attulisset. Post eum Cicero rogatus, honorem sepulcri Sulpicio non ademit, sed eum omnino statua ornandum esse censuit, ea potissimum ratione usus, quod, cum ad Antonium gravi affectus morbo sit profectus, non ei casus, verum ipsa legatio mortem attulisse videatur, atque in hanc sententiam graviter, ornate, copiose disputat. S. C. in ejus sententiam factum esse ex eo perspicitur, quia Pomponius de Origine Juris extare pro rostris Augusti statuam illam auctor est. MANUTIUS.

Cap. 2. *Lar Tolumnius*] Historia apud Livium lib. IV. MAN.

Cn. Octavii] Plinius lib. XXXIV. cap. 3. IDEM.

Laudiceæ] Plerique, Laodiceæ.

Sola restaret] Octaviæ igitur gentis hæc tota familia interierat, sed aliæ manebant: nam et C. Cæsar adolescens erat gentis Octaviæ. FERRATIUS.

Tullo Cluvio] Plinius, lib. XXXIV. cap. 6. non *Cluvium*, sed *Clælium* dicit. Vide ibi Harduinum, (*Tom.* II. pag. 643.) qui, laudato hoc ipso Ciceronis loco, vult infra legi *Nautio*; non *Antio*, quemadmodum omnes, quos viderim, ediderunt. OLIV.

Cap. 6. *Qualis est L. Syllæ prima statua*] Forte scripsit Cicero: *qualis L. Syllæ primum* statuta *est*. Nam non est ut *statua* hic repetatur, quod modo præcessit. GRÆV.

Cap. 7. *Lemonia*] Pro, ex Lemonia tribu. Sic enim Pedianus interpretatur illud, *C. Verrem Romilia*: et addit cives omnes Romanos in aliqua tribu censeri solitos, et ab ea interdum indicari. Cujus exstant consuetudinis exempla permulta. Lemonia igitur Sulpicii tribus fuit. MAN.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA X.

ARGUMENTUM.

Agit gratias Pansæ, quia litteris M. Bruti acceptis, senatum statim vocavit. Queritur cum Caleno, quod utrumque Brutum æque non probare videatur, qui rempublicam defendant; Antonium autem, qui oppugnet, probet idem vel maxime. Commemorat ea, quæ M. Brutus in Græcia gesserat: et ab eo nihil turbulentum, nihil non utile reipublicæ timendum esse confirmat. Suadet, ut, quæ M. Brutus egerit privato consilio, publica auctoritate, ut idem ei tribuatur, quod D. Bruto, et C. Cæsari, comprobentur. Censet etiam, Q. Hortensio, Macedoniæ proconsuli, qui Brutum in comparando exercitu adjuverat, confirmandam esse provinciæ administrationem, quoad ei ex S. C. successum esset. MANUTIUS.

Cap. 3. *Legiones abducis a Bruto?*] Quia sine S. C. eas comparasset. MANUT.

Apollinares ludos] Qui ad curam prætores urbani pertinebant. Philip. II. cap. 13. IDEM.

Cap. 5. *Tria tenet oppida toto in orbe terrarum*] Tenebat Bononiam, Regium Lepidi, Parmam. Id cognoscitur ex ep. ad Cassium, *Fam.* XII. 5. MAN.

Caducæ] Quas occupavit, tanquam ad eum pertinerent. Caducæ autem hereditates dicebantur, cum heres non exstabat. Quod cum accideret, ad fiscum devolvebantur. ID. Vide Victorii Var. Lect. XXIII. 17.

Alios ad negotium] Sensus est: Alii, quos volumus cito ire in provinciam, quas possunt moras interponunt: ille ita festinavit, quasi vi, aut precibus coactus. FERRAT.

Apollonia?] Et Apollonia, et Dyrrhachium erant in Macedonia, quam regebat Q. Hortensius. Illyrico autem Vatinius præerat. MAN.

Cartus, si modo erat ullus] Vide item P. Victorii Var. Lect. XV. 12.

Cap. 6. *Cum septem cohortibus esse Apollonia scribit*] Ita Muretus. Vulgo, *cum septem cohortibus isse Apolloniam, &c.*

Filio meo] Quem Brutus Athenis secum abduxit, eoque legato usus est. Plutarchus in Bruto. MANUTIUS.

Paterni, maternique generis] Paterni, a L. Bruto, qui reges ejecit: materni, a Servilio Ahala, qui regnum appetentem Sp. Melium sua manu interfecit. IDEM.

Cap. 7. *In pace facere*] Cum Antii, Lanuvii, Veliæ moraretur. IDEM.

Quo minus ab illo rem illam dicebant fieri decuisse] Inire Decimum consilia de Cæsaris nece eo minus dicebant debuisse, quia Cæsar in eum summa beneficia contulisset, quem etiam scripsit in secundis heredibus. Suetonius. IDEM.

Hi credo] Minime ii quidem, qui acta Cæsaris everti velint; quæ M. Antonius, quantum in ipso fuit, suis legibus evertit. IDEM.

Causam veteranorum prodi] Spem fallere veteranorum, qui confirmationem agrorum, quos eis Cæsar pater assignaverat, a senatu expectabant. IDEM.

Cap. 8. *Laturus est*] Ex S. C. quod

factum fuerat in æde Telluris biduo post Cæsaris mortem, de illius actis confirmandis. FERRAT.

Cap. 10. *Quod si immortalitas*] Homerica sententia: quam erudite, ut solet, tractavit Victorius cap. II. lib. XV. MURET. Vide Mureti ipsius Var. Lect. XVI. 17. Constat, inquit, Homericam eam esse sententiam: sed finem illius summo artificio ab eloquentissimo viro immutatum, et in contrariam partem inflexum παρὰ προσδοκίαν.

Cur moleste] Vict. Man. Grut. *quid est, cur*

In hoc ordine] Iidem. *huic ordini*

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA XI.

ARGUMENTUM.

Obtinente Asiam provinciam C. Trebonio, decretam a senatu post Cæsaris interitum, Dolabella in Syriam, Antonii sibi lege traditam, proficiscens, cum Trebonio familiarissime collocutus, eumque summæ benevolentiæ simulatione complexus, incautum Smyrnæ oppressit atque interfecit, et Asiam universam occupavit. Hoc nuncio Romam perlato, senatus hostem Dolabellum judicavit, belloque persequendum censuit: sed cum, ejus belli cura non satis constaret, cui mandanda videretur, cum alii aliter sentirent, Cicero deplorata prius Trebonii morte imperatorem omnino C. Cassium, qui Dolabellam terra marique persequeretur, esse deligendum censuit. In quam sententiam ut S. C. esse factum existimem, his Velleii verbis adducor: Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine S. C. occupaverant, decretæ. MANUT.

In alia omnia itum est, idque aperte colligitur ex ep. 7. lib. XII. ad Cassium: Quæ mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset. *Eodem die senatus-consultum in Q. Fusii sententiam factum est, ut consules Asiam sortirentur, et bellum inferrent Dolabellæ. Sic enim scribebat* Fam. XII. 14. *P. Lentulus IV. Kal. Junias*: Quoniam consulibus decreta est Asia, et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium. *Ex hac epistola colligo, Senatum nihil decrevisse de Cassio imperatore diligendo, sed neque de revocando ex Syria, quem in eam provinciam privato consilio profectum fuisse omnes noverant. Victo ad Mutinam M. Antonio, absumptisque eo prælio consulibus, quibus bellum adversus Dolabellam mandatum fuerat, tunc primum res illa delata est ad C. Cassium.* Ep. 5. ad Brutum. FERRAT.

Cap. 1. *Magno in dolore*] Licet aliquando præceperit, deliberativis orationibus principia esse debere sæpe nulla, tamen hac in causa censuit exordium prætexendum, ad animos auditorum inflammandos odio in Antonium et Dolabellam, exaggerato scelere alterius, cum deploratione mortis C. Trebonii. F. DUCÆUS.

Alter effecit, quod optabat] Dolabella Asiam occupavit, quod maxime optabat efficere. *De altero patefactum est, quid cogitaret.* Patefacta sunt Antonii consilia invadendæ contra senatus voluntatem atque auctoritatem Galliæ. IDEM.

Neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est] In contentione facinorum satis est oratori, si id quod exaggerat, in all-

qua parte gravius esse demonstret. Nam ea pars sola ostenditur. Strages in civilibus bellis editæ, ut numero, et aliis pluribus adjunctis hanc superant sane; hac tamen parte superantur, quod ultra mortem progressæ non sunt. Truculentior multo Dolabella. Quod exponitur *cap.* 2. IDEM.

Ecce tibi geminum in scelere par] In hoc vocabulo *par*, quod proprie de gladiatoribus dicitur, vis est quædam præcipua ad horum hominum, Dolabellæ atque Antonii, exprimendam immanitatem, et odium adversus eos concitandum. IDEM.

Par inusitatum, inauditum] Dicat mihi, qui Latine doctus est, quid sit *homo inusitatus*. Nihil certius est quam legendum esse *invisitatus*, cujus vocabuli vim cum non intelligerent librarii, in multis locis id in *inusitatus* converterunt, ut jamdudum viri docti animadverterunt, qui ex antiquissimis codicibus in usum et lucem id revocarunt, et ipse ad Justini lib. XVIII. cap. 1. notavi. GRÆV.

Non inimicos, sed hostes] Distinguit hic inimicum ab hoste; in hoc enim est aliquid longe gravius. Inter cives potest esse inimicitia, hostile odium esse non potest. F. DUCÆUS.

Mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormenta atque cruciatum] Pœna *naturæ* est, quam offert natura, adeoque nihil exquisitum habet, aut inusitatum. Pœna *iracundiæ* ea est, quam excogitat iracundia, et ulciscendi libido. Hujus, inquit, monstri feritas non est contenta morte, quam putat pœnam esse nimium vulgarem, nisi tormenta cruciatusque adjungantur. ID. Arbitramur abundare dictionem *pœnam*. Pulchre enim habet sententia sine ea: *mortem naturæ putat esse, iracundiæ tormenta*, &c. FAERN.

Cap. 2. *Alter in Asiam, &c.*] Fide Vaticani emendatum est, *alter in Asiam irrupit. Cur? Si, ut in Syriam; patebat via.* Hoc amplexi sunt Faernus, Manutius, Lambinus, a quibus non dissentio. Quamvis in meis libris varie hic locus scribatur. Mihi tamen hæc accuratius perpendenti videtur Cicero scripsisse: *Cursus in Asiam patebat, via certa, neque longa*, hoc est, navigatio in Syriam patebat certa et brevis. Nam *cursum* esse navigationem, et *currere* navigare tralatitium est. Per *viam* intelligit viam seu iter maritimum. Jam Procoss. Syriæ et Ciliciæ, imo et Asiæ plerumque navibus in Ciliciam profectos esse quis ignorat? GRÆV. Et ipse M. Ant. Ferratius, qui hæc nuper edidit, Vaticanum sequitur.

Quid opus fuit, cum legione] Hic aliquid putamus deesse. Maxime post verbum *fuit*, aliquid certe mendi subest. FAERNUS. Lambinus præmittit: *sin ut ad Trebonium; quid opus*, &c. Sed tale nihil Manutius, aut scripti nostri. GRUT. Valde audacter Lambinus, cum in nullo codice verba quæ infercit, legantur, sed, quia Faernus aliquid desiderari hic scripserat, illa ipse excogitavit. GRÆV.

Præmisso Marso nescio quo Octavio] Hunc Appianus *Bell. Civil. lib.* IV. præfectum fuisse, ait nocturnarum excubiarum. Dio, *lib.* XLVII. M. Octavium commemorat P. Cornelii Dolabellæ legatum. Veri admodum simile mihi videtur, Marsum Octavium, et Marcum Octavium, unum fuisse eumdemque hominem. FRONTO DUCÆUS. Henricus Noris, *Cenotaph. Pisan. Dissert.* II. §. 4. Usserium refellit scribentem duos fuisse homines, non eumdem. ANON.

Ad præsentem pastum mendicitatis suæ] Ut haberet homo inops ac famelicus quo latrantem stomachum leniret. Hoc est, quod vulgo aiunt, ut haberet panem. F. DUCÆUS.

Cap. 4. *Quid in cive de Dolabella judicandus est*] Victorius, Man. Grut. ediderunt, *Quid in cive Dolabella judicandus est?* Lambinus, *Quid in cive de Dolabella judicandum?* Utrumvis legas, eandem habes sententiam. Malim tamen quod edidit Victorius. Illud *in hoste, in cive*, secutus est Virgilius, Æn. II. 541. *Talis in hoste fuit Priamo.* OLIVET.

Et hic, Dii immortales! aliquando

fuit meus] Dolabella Tulliam in matrimonio habuerat Ciceronis filiam, et cum ipso arctissima fuerat familiaritate conjunctus. Ob hanc conjunctionem atrocior est Cicero in Antonii accusatione, quam Dolabellæ; etsi constet mitiorem altero fuisse Antonium. Hic quidem exarsit, sed Ciceronianis declamationibus et satiris inflammatus. F. Ducæus.

Cap. 5. *Re certe nolui*] Qui enim prætor urbanus esse potest, cum ab urbe discesserit? Man. Hæc irrisio est non sine gratia ac lepore; Censorinus repulsam tulerat. Porro est operæ pretium animadvertere, qua arte Cicero in hac enumeratione, auditorum satienti occurrat; ut aspergat jocos. F. Ducæus.

Damnationem] De ambitu ex petitione prætoræ, defendente Cicerone. Vide ep. 3. lib. II. ad Q. Frat.

Ex ædilitate consulatum petit] In quo gradus honorum non servabat: nam cum primus honoris gradus esset Quæstura, secundus Tribunatus pl., deinde Ædilitas, post Prætura, extremo loco Consulatus: hic omissa Prætura, Consul fieri volebat. Quod erat ita extraordinarium, ut C. Cæsar æqualis ille Sulpicii idem cum tentasset, causa belli civilis fuerit. Declarat Asconius, cujus verba subscripsi, *C. Cæsar Ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio Trib. pleb. fuerit: nam et sperabat, et id agebat Cæsar, ut omissa Prætura Consul fieret: cui cum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit.* De hac re Cicero in Bruto, cap. 48. Ferrat.

Sexta palma urbana, etiam in gladiatore difficilis] Sexta, inquit, vice accusatus, me pariter defendente, non evasit, et damnatus est; neque id mirum esse debet, cum ne ipsi quidem gladiatores, si pugnare perseverent, ad sextam pervenire palmam facile possit. *Palmam urbanam* vocat absolutionem rei, vel oratoris victoriam. Ferrat.

Sed hæc judicum culpa, non mea est. Ego defendi fide optima: illi deburunt clarissimum et præstantissimum senatorem in civitate retinere] Etiam cum sextum accusaretur Vopiscus, officio non defuit Cicero, et bona fide defendit; judices autem nullo modo potuerunt adduci ut absolverent. Ea sententiæ pars, quæ spectat ad judices, apertam habet ironiam; nam æque bona fide Vopiscum sextum accusatum et Cicero defenderat, et judices condemnaverant. Idem.

Qui tamen nunc nihil aliud agere videtur, nisi ut intelligamus, illos judices, quorum res judicatas irritas fecimus, bene, et e republica judicavisse] C. Cæsar dictator cum alios multos, legibus in exilium pulsos, restituit, tum ipsum Vopiscum, adeoque res judicatas illorum judicum irritas fecerat, a quibus illi fuerant damnati. Quid deinde? Interfecto Cæsare, factum est senatus-consultum, ut leges, decreta, omnia denique acta Cæsaris rata essent; hinc senatus etiam, præter alia quamplurima, illud probaverat, ut res antea judicatæ, irritæ forent, cum judicavit eos omnes, ad quos beneficium Cæsaris pertinuerat, jure fuisse restitutos. Vopiscus tamen ita vivebat, æque adeo sceleratum præstabat, ut quilibet intelligere posset, bene, et e republica judices illos judicavisse, qui civem perditissimum ex urbe ejecissent. Idem.

Castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis] Qui sibi videtur ex castrorum metatore factus esse metator ac divisor urbis: qui sperat, se Antonii castra in ipsa urbe Roma locaturum, eamque militibus pro voluntate distributurum. Ducæus.

A qua, cum sit alienus, &c.] Cum ad ipsum, ut pote extraneum, nihil pertineant nec bona urbis nostræ, nec mala, desinat nobis ominari, atque hæc ejus omina in ejus caput convertantur. Idem.

Quasi præter dotem] Hic *dotem* appellat prædam, qui ditati a C. Julio Cæsare, per civilium bellorum licen-

tiam fuerant... *Agrum Campanum est largitus Antonius.* Vide Phil. VIII. cap. 8. *Ut haberent reliquorum nutriculas prædiorum.* Hunc illis agrum dedit, ut haberent in illa ubertate, quo familias, reliquis in prædiis collocatas, alerent. IDEM.

Cap. 6. *Italiæ divisores*] Vide Philipp. VI. cap. 5.

Cujus bona modo proscripta vidi] In tabella publice proposita venalia: in auctione posita, propter æs alienum. *Tanta procuratorum est negligentia:* Sarcasmus, quasi non Domitii culpa hæc sit, sed eorum, qui ipsius absentis curant res domesticas. IDEM.

Sed non potuit non prodige vivere] Sarcasmus et irrisio. Perinde quasi in illa veneni infusione sit prodiga quædam liberalitas. IDEM.

Qui majorum exempla persequens] Trium Deciorum, qui se pro patria devoverunt. Pater bello Latino, an. U. C. 413. Filius, bello Gallico, 457. Nepos denique, bello in Pyrrhum Epiri regem, 474. IDEM.

Pro alieno se ære devovit] Hoc facete dixit, in carmen intuens, quo Decii usi erant in devotione sui, in quo hoc erat in extremo: *Sicut verbis mancupavi, ita pro republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hostium mecum Diis Manibus, Telluriique devoveo.* FERR. Vide Livium, VIII. 9.

Vindicem] Proscripta Trebellii bona vidimus: ea tabula ulcisci videtur tabulas novas, quibus adversatus erat. Tabulam enim posuit, qui tabulas novas oppugnaverat. MAN.

Græco verbo, quoniam omnia jura dissolvit] Vix persuadere mihi possum, hæc esse Ciceronis. In margine (sic quidem videtur) adscripta fuerant, explicandi causa, unde in contextum, per librariorum imperitam diligentiam sunt intrusa. *Lysidicus* est a verbo λύω, solvo, dissolvo, et nomine δίκη, jus, fas. *Lysidicus*, si latine velis dicere, est *legirupa.* In hoc membro, *Lysidici filium, Lysidicum ipsum*, idem nomen priore loco proprium est hominis, posteriore est appellativum. F. DUCÆUS.

Nisi forte jure Germanum Cimber occidit] Correctio ridicula, et jocus mordax. Hic C. Annius Cimber fratrem occiderat. Latina vox *Germanus*, et fratrem significat, et hominem e Germania. Itidem *Cimber*, quod erat istius C. Annii cognomen, hominem designat oriundum e Cimbrica Chersoneso, aut, ut aliqui malunt, Cherroneso. Ex illa ambiguitate jocum Cicero captavit. IDEM.

Cap. 7. *Extraordinarium semper imperium populare atque ventosum est*] Popularis est levitatis, quæ qualibet aura movetur, et novis rebus gaudet; imperium decernere extraordinarium. Contra senatoriæ gravitatis est, antiquis stare institutis ac legibus, ut per ordinarios magistratus ea fiant, ad quæ facienda sunt creati. Rei enim publicæ omnis est exitiosa novitas. IDEM.

Ut eum tamen bellum gerere consulem vellet] Maluit populus Romanus eum solvere legibus, et consulem creare extra ordinem, quam privato curam belli committere. F. DUCÆUS.

Cap. 8. *Cum Aristonico bellum gerendum fuit*] Cum Pergami rex Attalus, Eumenis filius, testamento populum Romanum reliquisset heredem bonorum omnium; Aristonicus, Eumenis ex Ephesia quadam muliercula, filius, Asiam, ut paternum regnum, opibus multorum et favore adjutus invasit. Is cum bello persequendus esset, orta est inter consules de provinciis contentio. Erant tum consules P. Licinius Crassus, et L. Valerius Flaccus; ille pontifex maximus, hic flamen Martialis. Cum uterque Asiam habere vellet; Crassus, ut collegam ab ejus provinciæ ac belli administratione arceret, pro ea, qua pollebat, ut pontifex, in flamines auctoritate, multam Flacco dixit, si ab urbe, et a sacris discessisset. Neque finis certaminum fuit, donec ad populum ferri placuit, quem id bellum gerere juberet. De Crasso dubitabatur, ne pontificem maximum

abire ex Italia contra religiones foret: dictæ erant sententiæ, ut potius pro consule aliquis mitteretur: aderat Africanus, qui posset mitti. Populus remisit multam flamini, eum tamen dicto audientem pontifici esse jussit: privatum ei bello præfici non placuit: duarum tantummodo tribuum puncta tulit Africanus: consuli P. Licinio Crasso provincia decreta est. ID.

Tribuni plebis turbulenti tulerunt] Gabinius et Manilius. Quam aliter de iisdem hic idem loquitur in suasione legis Maniliæ? At tum dicebat ad populum; et eloquentiæ est servire tempori, cum sit prudentiæ civilis quasi administra. DUCÆUS.

Cum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule] Hoc ipsum est in orat. *pro lege Manilia*, nisi quod supprimitur illic recusatio consulum, quæ obfuisset causæ; hic exprimitur, quoniam juvabat. Sic decretum est Pompeio imperium extra ordinem, nihil mirum; nulli enim erant in republica consules, qui suscipere id vellent. ID.

Quæ igitur hæc comitia] Extraordinaria imperia populus in comitiis decernebat. Propterea cum L. Cæsar suaderet, ut senatus imperium mandaret extraordinarium, ait Cicero, ipsum comitia in curiam introducere: consecutura ostendit incommoda; inprimis animorum offensiones, quæ saltem in comitiis nullæ sunt verendæ; quoniam populus tabellis suffragia committit; quo fit, ut ii, qui repulsam ferunt, scire nequeant, a quibusnam sint præteriti et neglecti. At in senatu, voce dicuntur sententiæ. Idcirco ait: Esto, agamus, ut in campo et comitiis, ambiamus, prensemus, suffragemur, imitemur popularem levitatem, dummodo detur nobis, ut populo, tabella, quæ det eam libertatem, ut, quod velimus, faciamus. IDEM.

At enim] Prolepsis. Occupat quod opponi poterat, et ostendit, quid inter L. Cæsaris pro Servilio sententiam, et suam pro Cæsare Octaviano intersit. IDEM.

C. Cæsari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi] Ut adolescens vix annorum viginti exercitum regeret pro consulari potestate. IDEM.

Otioso] P. Servilium otiosum dicit esse, et nihil agentem, hoc est, vere privatum: quia neque habebat exercitum, neque erat armatus, ut Cæsar, in Antonium. FERRAT.

Cap. 9. *Gravitate*] Molestia, difficultate, acerbitate. DUCÆUS.

Ut aut suspicioni crimen] Hic *suspicioni* perinde est ac suspiciosis hominibus. *Crimen* est criminatio, causa criminandi. *Invidia*, odium. Quod explicabitur mox *cap.* 10. DUCÆUS.

At vero ita decernunt] Prolepsis, cum irrisione. At decernunt, non ituros adversus Dolabellam, nisi cum liberatus obsidione Brutus fuerit. Benigne quidem, quod nolunt hunc relinqui, deseri, prodi. IDEM.

Cap. 10. *Qui instructam, ornatamque a Senatu provinciam deposui*] Confer orat. in Pison. cap. 2.

Ut id signum, quod de cœlo delapsum, Vestæ custodiis continetur] Palladium, quod inter septem imperii Romani pignora recenset Servius, *in Æneid.* VII. 188, et in Vestæ penetralibus custodiebatur. IDEM.

Ipse] Servilius: qui munus illud recusaverat, dixeratque nemini dandum, ne a senatu quidem. Supra: *Quis potest refragari, non modo non petenti, verum etiam recusanti?* MAN.

Expedito] Nullis aliis negotiis impedito. F. DUCÆUS.

Cap. 11. *Is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterque. Decernerem plane, sicut multa, consulem alterum*] Lamb. *is est? Aut M. Brutum, aut C. Cassium, aut utrumque plane decernerem, sicut multi consulem alterum, &c.*

Decernerem plane, sicut multa] Hunc locum perspicue mendosum, Faernus, et Muretus, a libro Vaticano, qui ab hoc loco mutilus est, destituti, intactum reliquerunt. Ego autem servata scriptura recepta, quoad ejus fieri potuit, sic restitui:

aut M. Brutus, et C. Cassius, aut, uterque. Utrumque decernerem plane, sicut multi, &c. Quis non videt ortum esse mendum ex vocibus, *uterque, utrumque*, ita junctis, nulla alia interposita, cum librarius, vel prudens, et sciens, vel imprudens, et errans, alteram præteriisset? LAMB.

Brutum colligassemus in Græcia] Hoc dixit, propter senatus-consultum, quo senatus ei provinciam Macedoniam, Illyricum, cunctamque Græciam decreverat, mandaveratque, ut cum suis copiis proximo Italiam esset. FERRAT.

Non ut ex ea acie] Explicat hunc locum egregie contra Gabr. Faernum Schottus noster, libro I. Nodor. Cic. cap. 15. GRUT. Locum hunc comploratum esse judico, nec sine meliore libro restitui, nec, ut nunc habet, explicari posse. Nam optimi Schotti interpretatio quam parum his, de quibus Cicero disputat, convenit. Hunc locum itaque comploratum, cui manus admovere vetat Hippocrates, mitto. Hanc quidem Ciceronis sententiam fuisse puto, quod et alii viderunt: Non ideo M. Brutum in Græcia retineri, ut ex ejus copiis haberent, quod in alias terras mitterent; sed ut respublica in illius exercitu haberet, ubi res exigeret, subsidium. Quæ Ciceronis verba fuerint, ignoro. Nam *acies* simpliciter pro exercitu accipi, et quidem apud Tullium, nemo, qui Tullium legit, sibi persuaserit. GRÆ.

Solet enim accipere ipse manicas] Quas capiebant, credo, iter facturi, quibus brachia munebant nuda contra injurias cæli, ut pileis capita. Id igitur Cicero innuit: Solet non diu morari in illis locis, ad quæ appropinquare audit sibi adversantes copias, sed celeriter adornare fugam, tanquam homo mollis et effœminatus. Horum enim erant manicæ, quæ viris apud Romanos vitio vertebantur. Mallem in sequentibus pro *diutius* scribere *diu*, nisi illud hac notione positum hic sit. IDEM.

Nam et Brutus] Multa susceperant et confecerant privato consilio, nullaque publica auctoritate Brutus et Cassius. Quamobrem nunc eorum acta conatur hac sententia defendere. Quod cum aliqua perturbatio est orta reipublicæ, et extraordinarius tumultus concitatus, inusitata sunt etiam adhibenda remedia, et præsentissima; neque semper necesse est imperium expectare magistratuum, si, quod agendum est, videtur e republica futurum. DUCÆUS.

Cap. 13. *Tanti Tyrii Cassium faciunt, tanti ejus in Syria nomen*] Quoniam erant mari propinquæ regiones, in quibus gerendum Cassius bellum habebat, opus ei erat navalibus copiis; quas dicit Cicero non defuturas; suppeditantibus, propter insignem viri famam atque existimationem, Tyriis, Syris, Phœnicibus: qui omnes rei nauticæ peritia, et navium multitudine commendati. Hieronymus Ferrarius reponendum censebat, *tantum ejus...nomen*, ut esset illi simile, *quantum nomen ejus fuerit*, in Orat. pro Dejot. cap. 4. DUCÆUS.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA XII.

ARGUMENTUM.

Retulerat Pansa consul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti erant P. Servilius, et ipse Cicero. Legationem non modo supervacaneam esse, cum ab Antonio pacem sperare non liceat, sed inutilem etiam, ac turpem, multis argumentis Cicero docet: quod si rursus agendum de pace cum Antonio sit, minime tamen omnium se legatum deligi oportere; nec tamen in ea re vitæ suæ majorem quam reipublicæ, quam semper defenderit, ratione habere velle. MAN.

Cap. 1. *Erravi*] Cum Pisoni, et Caleno, legatis, spem pacis afferentibus, credidi. MAN.

Alterum] Calenum. IDEM.

Alter] Piso. IDEM.

Deditionis, quam amici pacem appellarent] Grut. *(deditionem quam amici, pacem appellarent alieni)*

Cap. 3. *E manibus est ereptus*] Philip. II. *Quemadmodum illinc abieris, vel potius pene non abieris, scimus.* MAN. Vide Philipp. II. 39.

Ex duobus] Exercitum Hirtii significat, cum Cæsaris exercitu conjunctum. IDEM.

Lustratus] Lustrari, id est, expiari exercitus mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur. IDEM.

Cap. 7. *Si postulandam, quid timemus?*] In antiquo libro et omnibus scriptis, hæc quæ jam posuimus verba sequuntur infra scripta: *Si accipiendam, cur non rogamur?* ubi in impressis hæc duo membra præpostero ordine collocata sunt. Nos collocationem antiquam admittimus hoc sensu. Si legati hi, quos ad pacem mittere cogitatis, idcirco mittuntur, ut ab his nostro nomine pacem accipiat Antonius, cur ab eo non rogamur? Quasi dicat, rogandi essemus, si modo ille pacem cuperet accipere. Si vero eunt, ut pacem nobis ab Antonio postulent, quid timemus? Non enim debemus timere, tot exercitibus præsidiisque muniti. FAERNUS.

Ad id consilium] In eorum numero sim, qui agant cum Antonio de pace? Nam si quid indulgenter concessum fuerit Antonio, dissentiente me, populus tamen existimabit, me quoque assensum dedisse. FERR.

Ejurabant] Ejurare, est jurejurando recusare aliquem, ut sibi iniquum et suspectum. IDEM.

Liberales esse cœpimus] Mittendis iterum legatis. IDEM.

Cap. 8. *Aquilæ primipili*] Est, primipili centurioni. Integra locutio legitur in V. ad Atticum: *At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipili nobilem sui generis*, ubi quoque MSS. *primipuli*. Postea ludit in ambigua voce *Aquilæ*, quæ centurionis nomen erat, et signi totius legionis. Non probo qui exponunt *Aquilæ* militibus primi ordinis, qui sub ea aquila, quæ signum fuit Romanorum, militabant. Aquila servabatur olim quidem a triariis, sed a tempore Marii translata erat ad cohortem primam, in qua etiam erant primipili; sed erat tamen Aquila totius legionis signum. Præterea *aquilæ primipili dare nummos*, pro primæ cohortis militibus, aut triariis nummos dare, quis ferat in Floro, aut Appuleio, aut inepto quodam declama-

tore, nedum in disertissimo Romuli nepotum? GRÆV.

Cum Dolabella fecerit] Dolabella, interfecto crudeliter Trebonio, effecit, ut optabilis mors esset sine cruciatibus. FERR.

Cap. 9. *Flaminia*] Ejus initium a porta Flumentana, quæ et Flaminia postea dicta, nunc populi, et extendebatur usque ad Ariminum ad mare Hadriaticum. MANUT.

Aurelia] Incipit a ponte Sublicio, sive a porta Aurelia, quæ nunc Pancratiana dicitur, et extenditur per Etruriam Pisas usque, sive potius in Galliam, ut Peirescius observavit. Hæc fuit Aurelia vetus. Nam et alia nova. De his viis imprimis videndus Nardinus de vetere Roma, et Raphael Fabrettus de aquis et aquæ ductibus, Dissert. I. n. 92. GRÆV.

Cassia] Ab auctore Cassio sic dicta est. Fuit ramus viæ Flaminiæ, quæ cum ea cohæret ad pontem Milvium, qui hodie *Ponte Mole* dicitur. Vide N. Bergerium de viis militaribus, lib. III. 22. IDEM.

Septemviralis auctoritas] Unus septemvirum, qui ab Antonio dividendis agris præfecti fuerant. CÆL. SEC.

Uno capite] Sola morte esse contentum: non autem me cum cruciatu interficere velle, ut Dolabella Trebonium. FERR.

Cap. 10. *Terminalibus*] Die, qui Termino deo dicatus erat, XI. nimirum Kalendas Martii, de quo Ovid. II. Fast. CÆL. SECUNDUS.

Oderint] Lamb. *fuderint*.

Semel] Clodianis temporibus.

Circumsessus] Lamb. *circumseptus*.

Cap. 11. *De suffragiis*] Populi, quibus non admisceri libertinos, sed in quatuor tantum urbanis tribubus, ut antea, suffragium ferre, Sylla volebat: Mariani contra, suffragii lationem eis esse in omnibus XXXV. tribubus. MANUT.

Conditiones] Forte delendum, tanquam interpretatio vocis *leges*, quæ ex margine in contextum irrepsit.

Non tenuit omnino colloquium illud fidem] Quia Scipionis exercitus, a Sylla corruptus, ducem suum reliquit: quem tamen Sylla, cum posset interficere, dimisit incolumem. Epitome, lib. LXXXV. Plutarchus in Sylla. MANUT.

Decem legatis] Qui mittebantur, ut victis gentibus leges darent, eaque regio, quæ redacta armis esset in populi Romani potestatem, provinciæ formam acciperet. Nobis, inquit, non idem, quod illis permissum est: sed nostra sententia nihil constituere, ad senatum rejicere omnia debemus. IDEM.

Ut levissime dicam] Possem dicere: Rejicit, odit, utpote quæ damnum potius, quam fructum afferet: sed hoc tantum dico: Non desiderat, quasi minime necessariam. IDEM.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA XIII.

ARGUMENTUM.

Sententia de mittendis iterum legatis jam abjecta, pacem laudat, sed eam cum Antonio negat ullam esse posse. Recitat, et interpretatur Antonio litteras ad Hirtium Cæsareinque missas. Servilii sententiam probat de mandatis litterisque M. Lepidi, ad pacem cohortantis. Sext. Pompeium, quod suam eorumque

quos secum haberet, operam senatui populoque Romano pollicitus esset, vel ea S. C. quod in Servilii sententiam de Lepidi litteris fieret, vel proprio laudandum esse censet. Et hæc absente Pansa consule, qui ad collegam Hirtium et Cæsarem cum iis copiis, quam ipse ex delectu compararat, profectus erat. MANUT.

Cap. 2. *Barbas, Cassios*] Intervalli nota fortasse delenda est: nam Barbam Cassium fuisse ex familiaribus Cæsaris, apparet ex XIII. lib. epist. ad Attic. in extremo, *Ac mihi Barba Cassius subvenit: custodes dedit.* FERR. Hanc tamen intervalli notam apponunt Muretus, Rob. Stephanus, Lambinus, Gruterus, M. Ant. Ferratius, &c.

Barbatios] Opinor legendum esse *Barbatos:* fuit enim *Barbatus* Antonii Quæstor, ut ex inscriptione antiqui denarii colligitur, et Appiano in libris bellorum civilium. F. URSIN.

Eutrapelum] Volumnium, ad quem sunt epistolæ duæ lib. VIII. Famil. MAN. Vide supra, Phil. II. c. 24. n. *Volumniam.*

Seminarium judicum decuriæ tertiæ] Vide Phil. I. IDEM.

Cap. 3. *Collegam*] Dolabellam, post interfectum Trebonium.

Tamen id ipsum vix] Pax fieri aliquo modo posset, *tamen*, si talia præcessissent facta, qualia et ab Antonio contra senatum, et a senatu contra Antonium, *id ipsum* fieri vix posset. ANONYMUS.

Tanquam pignora injuriæ] Tanquam ea, quæ si malis retinere, quam libertatem, injuste facias. Projice igitur, quibus projectis, nullam jam pati injuriam possumus. FERR.

Cap. 5. *Sed hanc*] *Sed*, locum non habet, et ortum est fortasse per errorem ex antecedente syllaba. MANUTIUS.

Dispensationem] Tantum pecuniæ decretum fuerat a senatu Pompeio, quantum redegisset Cæsar ex venditione eorum bonorum: sibi Cicero petebat hoc munus solvendæ Pompeio pecuniæ. FERR.

De Falerno] Fundo Cn. Pompeii quem Antonius poetæ cuidam, qui Anser vocabatur, eratque cum ipso Antonio in castris, dono dedit. Servius. MANUT. Anseribus non facile quidquam edacius invenitur, inquit S. Augustinus lib. contra epist. Manich. cap. 35. An hæc fortasse ratio est, cur Antonianos, qui Pompeii in agro Falerno villas possessionesque obtinebant, *Anseres* nominet Cicero? ANONYMUS.

An is] Opinantur hic notari Demetrium, Pompeii servum, qui hero trucidato, muneribus placavit Cæsarem, et inter ejus libertos numerari obtinuit. Ejus de insolentia quædam refert Plutarchus in Pompeio. ID.

Spopondistis] Non, spopondistis illud septies millies adolescenti: sed, quod vos esse facturos adolescenti spopondistis. Refertur enim ad illud, *ita describite.* MAN. Alii omnes, *ita describetur.*

Cap. 10. *Anni vertentis*] Completi. Interfecto enim Cæsare Id Mart. anni superioris, Trebonius interierat ante Id. Mart. hujus anni. FERR.

Seduxit] Ep. ad Trebonium, lib. X. *Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor.* MAN.

Ex Fadia] Libertini hominis filia. Phil. 2. et 3. IDEM.

Cap. 11. *Si quis acutior*] Ironia. Vocat autem Annibalem, quia ille etiam inter montium angustias a Fabio Dictatore circumsessus, vix inde se explicaverat. FERR.

Ut priora] Eodem modo similis potentes fieri Brutum et Cassium, quo Dolabellam hostem judicari a senatu passi estis. IDEM.

Cap. 12. *Ædilitii, Coricus*] Non displicet lectio vulgata *C. Oricus*, totumque locum quamvis continentem historiam mihi obscuram, ita interpungo: *C. Oricus, laterum et vocis meæ; Bestia, et fidei patronus.* Ut C. Oricum forte ab eo defensum, appellet patronum laterum et vocis suæ:

id est, ipsius Ciceronis. Bestiam vero etiam fidei suæ patronum. Antonius Augustinus existimat quidem nobiscum hos duos fuisse a Cicerone defensos: sed alterum damnatum, alterum absolutum. FABRNUS. Omnino verbum aliquod, et fortasse *testis*, desiderari crediderim: ut sit: *Laterum, et vocis meæ testis Bestia.* Deinde, *fidei patronus*, de Trebellio dictum: qui cum oppugnanda lege de tabulis novis, quam Dolabella tribunus plebis ferebat, fidei se patronum professus esset, postea creditores ipse fraudavit. Phil. 6. cap. 4. MANUT.

In porta] Quæ Hostilia dicebatur. Jure igitur quodam suo in porta nomen suum inscripsit. IDEM.

Imperatorem suum] Cæsarem adolescentem, aut D. Brutum potius, quam Hirtium. IDEM.

Quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem] Jocus est in voce *temperantem*. Cum enim dicere videatur σώφρονα, ad balneatorum munus respicit: quorum est aquam temperare. Horatius, *Quo Chium pretio cadum mercemur, quis aquam temperet ignibus.* MURET.

T. Plancus] Tribunus pl. fuit Plancus, quo anno Clodius a Milone occisus est: auctorque fuit, ut Clodii corpus in curia plebs cremaret: quo incendio curia quoque ipsa conflagravit. Eo crimine lege Pompeia de vi damnatum Cæsar restituit. Phil. X. XI. MANUT.

Aquilæ] Qui eum, crure fracto: Polentia expulit. Phil. XI. IDEM.

Cap. 14. *Duos Consules*] C. Marcellum, L. Lentulum, Pompeii comites, urbem primum, deinde Italiam relinquentis. IDEM.

Cap. 15. *Varo bis capto*] Quintilium Varum bis ceperat Cæsar: primum Corfinii cum L. Domitio, deinde in Africa, cui provinciæ præfuerat. Vide Orat. pro Ligario. FER.

Cascam] Servilium Cascam, unum e Cæsaris percussoribus. MAN.

Ut Marullum, ut Cæsetium] Tribunos pl. quos Cæsar a rep. removerat, quia, cum statuæ suæ coronam lauream fascia candida præligatam necio quis e turba imposuisset, fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent. Sueton. Plut. Appian. Dio. IDEM.

Ut neque idem hoc] Ne accidere posset id, quod acciderat Marullo, et Cæsetio, quos Cæsar potestate privaverat. IDEM.

Vectigalia Juliana Lupercis ademistis] Lupercis vectigal Cæsar dederat, eo mortuo senatus ademit. IDEM.

Cap. 16. *Lege Hirtia*] Hanc legem tulerat Hirtius Tribunus pl. seu Prætor, ne Pompeiani magistratus petere possent. Sic etiam Sylla tulerat de Proscriptorum filiis: quam tamen legem ne Cæsar quidem ipse servavit. FERR.

Non debemus illam Hirtii legem putare] Sed Cæsaris, cujus eam jussu tulerit Hirtius prætor. IDEM.

Brutum] Marcum. De Apuleio, vide Philipp. X. 10.

Ser. Galbam] Unum ex iis qui Cæsarem occiderunt, Sulpiciæ gentis, proavum, teste Suetonio, Galbæ imperatoris. Ejus exstat lib. X. ad Ciceronem epistola prælio ad Mutinam commisso. IDEM.

Eodem pugione] Quo Cæsarem percussit. IDEM.

Quæstoris sui] Quæstor Cæsaris Antonius fuerat in Gallia. Phil. 2. IDEM.

Imperatoris] Dux eorum civili bello fuerat Antonius: cui Pharsalica etiam pugna sinistrum cornu Cæsar præbuit. IDEM.

Cap. 17. *Quibus adhuc omnia integra sunt*] Nondum enim contra me in aciem descenderunt: licet iis, utram velint, partem adhuc sequi. Refellit hoc Cicero, et ostendit, iis qui Antonium tanto studio consensuque reliquerint, integra jam omnia non esse: unum quidem illud vere integrum iis esse, ut ipsum Antonium oppugnare incipiant, quem jam transeuntes ad Cæsarem *offenderint*. Sic enim lego: non, ut alii, *defenderint*. Quod ad Brutum referri non potest: quem veterani armis defen-

dere nondum cœperant. Nondum enim Mutinam pervenerant. IDEM.

Venenatis muneribus] Honoribus, qui exitio vobis erunt. IDEM.

Imperatorem] D. Brutum. *Reliquerunt*, Ironia. IDEM.

Non Dolabella prius imperatori suo] Non prius Dolabella imperatori suo Cæsari Trebonii nece parentasset, quam Antonius eidem Cæsari, collegæ suo, D. Bruto interfecto. IDEM.

Cap. 19. *Lanista Cicerone*] Quasi cives ita inter se committeret, ut lanista gladiatores, eorum magister. FERR.

Flaminium cur reliquisti] Legimus Phil. 2. flaminem Cæsaris, quem senatus ei tanquam deo decrevit, M. Antonium fuisse. Legimus et Phil. XI, cum L. Valerius Flaccus consul, idemque flamen Martialis, ad bellum iturus esset, P. Crassum, ejus collegam, qui pontifex max. erat, multam dixisse, si a sacris discessisset, flaminemque pontifici, jussu populi, paruisse. Cur tum igitur, inquit Cicero, flaminio Cæsaris relicto, ad bellum profectus es? IDEM.

Sedibus suis] Agris a Cæsare assignatis. Hoc ad conciliandos sibi veteranorum omnium animos: cum re vera de iis tantum laboraret, qui cum ipso erant. IDEM.

Metuam nunquam] Nunquam fore credam socium furoris tui. Aut nobiscum erit, aut quiescet. Vel, Metuam nunquam, quia non is est, qui nocere posse videatur. IDEM.

Plancum] L. Plancum, consulem designatum, qui Galliam ulteriorem regebat. Phil. 5. IDEM.

Cap. 20. *Quasi cornua duo*] Dextram et sinistram partem aciei duxerunt in Cæsaris exercitu, dum res illi fuit cum Pompeio. Significat præcipuas illorum partes fuisse in copiis et amicitia Cæsaris. ANONYM.

Cap. 21. *Prius undis, flamma*] Hoc ipso proverbio usus est postea Augustus: cum significare vellet se nunquam filiam in urbem revocaturum. Quod his verbis narrat Dio libro XV.: *τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ, ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, θύσειν, ἔφη, πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνον καταχθήσεσθαι.* MURET.

Unde Antoniorum nec facta, &c.] Alluditur ad illud ex vetere tragœdia:

——————— *Ubi*
Nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. IDEM.

IN

M. ANTONIUM.

PHILIPPICA XIV.

ARGUMENTUM.

Allatis de prælio ad Mutinam commisso, Antonioque victo litteris consulum, et Cæsaris, M. Cornutus, prætor urbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, more majorum sustinebat, cum senatum vocasset, easque litteras recitasset, sententias rogavit. Quid alii censuerint, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: unus tamen ex iis, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemque fortasse, decernendam consulibus et Cæsari supplicationem, censuit. Sententia vero Ciceronis hæc fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cujus causa saga sumpta essent, liberato: Antonium, quique una essent, hostes judi-

eundos: supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: milites eos, qui pro republica pugnantes interierunt, monumento quam amplissimo cohonestandos, quæque iis præmia senatus promiserat, ea parentibus liberis, conjugibus, fratribus eorum persolvenda. MANUT.

Cap. 3. *Vel madefacti potius*] Minus est, *madefacti*, quam, *imbuti*. Correctione unus est, ut legionum gladios nondum satiatos esse ostenderet hostium sanguine. MANUT.

Clarissimus vir] Qui supplicationem decreverat: P. Servilius. ID.

Non iustæ belli internecini notæ] Sic habent libri aliquot vulgati, et ita ediderunt Ferrarius, et Faernus. Muretus autem sic: *non justæ belli internecini notæ*. Quod minus probo. Cujacius autem Observ. lib. I. cap. 2, totum hunc locum suspicatur ita esse legendum, *non justæ belli notæ, internecina testamenta, credo subjiciunt*. Est autem testamentum internecinum, propter quod dominus necatus est, ut docet Festus. LAMB.

Quatuor consulibus] Pansæ et Hirtio consulatum gerentibus: Bruto et Planco consulibus designatis. MAN.

Crudelissimis exemplis interemit] Iis tormentis excruciatos, quæ exemplo esse possent. MAN.

Cap. 5. *Pridie Vinalia*] Vulgo, *per Idus Quinct.* Hic dies quo, senatus propter consulum, Cæsarisque litteras habitus est, fuit XI. Kal. Maii, ut ex epist. ad M. Brutum liquet: scripsit enim ad eum Cicero, nuncium victoriæ XII. Kal. Maii allatum esse. Postridie autem senatus fuit. Qui potest igitur locum habere mentio Quinctilis mensis? Hoc Ferrarius cum vidisset, opem a conjectura quæsivit, et pro *Per Idus Quinct.* legendum putavit *Pridie Vinalia:* nam Vinalia fuere X. Kal. Maii. Acute Ferrarius: nec ego dissentio, quanquam non omnis ejusmodi conjectura est, ut scopum veritatis attingat. MAN. Ferrarii conjecturam receperant ante nos Muretus et Lambinus. Quare non erat cur vulgata lectio, quam vitiosam esse nemo non videt, hic retineretur. Nemo interpretum hæc melius explicavit, quam Fabricius in *Ciceronis Historia*. OLIVET.

Cap. 6. *Ad illam curiam suis potius quam reip. infelicem*] Qui curiam Pompeianam, quod in ea Cæsar interfectus fuisset, infelicem ex eo nominaverant, hoc videlicet significare voluerant, eam reip. infelicem fuisse: utpote in qua patri patriæ nex allata esset. At Cicero eam eis potius infelicem esse ait, qui partes illas foverent, et, ut Cæsar fecerat, remp. opprimere molirentur. Itaque quod in aliis legebatur, *viribus suis*, aut *viris suis*, aut *vitiis suis:* addita hæc erant ab iis, qui, quam vim haberet illud, *suis*, non videbant. MURET.

Fons aperietur] Fontem hujus sceleris virum consularem, virtuti ex gloriæ Ciceronis invidentem, ea, quæ sequuntur, ostendunt: eaque non in quemquam magis, quam in Q. Fusium Calenum, Antonii procuratorem, defensoremque perpetuum, suspicio cadit. MAN.

Cap. 7. *Consules designati*] Cum de sententiis loquatur, quas a Kal. Jan. dixit, miror cur designati consules Pansa et Hirtius vocentur: ac vereor, ne verbum, *designati*, additum ex inscitia sit interpretis imperiti. MANUTIUS.

Cap. 10. *Qui Cæsaris beneficia servassent*] Nam qui ea comederant, rerum novarum studio tenebantur. Philipp. XI. et XIII. MAN.

Qua nullius pulchriorem] Hoc ait Imperatoris speciem nullam pulchriorem esse, quam inferentis aquilam. ANONYM.

Spem nominis ejus] Imperator ut appellaretur, cum haberet imperium. FERRAT.

Cap. 11. *Quas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia*] Quid sit *supplicationes sententia complecti*, id quidem me ignorare fateor. Sed *causas supplicationum sententia complecti*, quid notet, norunt omnes, qui Latine sciunt. Et sic omnino cum Mureto legendum,

qui procul dubio id in antiquis membranis reperit. Has causas, cur tam honorificis verbis eos prosequatur, commemorat in ultimo hujus orationis capite. GRÆ. Et plana et Latina est Mureti lectio: *Decerno igitur... supplicationes: causas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia.* Fidem tamen obligavi quatuor editoribus optimis, qui eam nesciunt. Itaque habeo quod edam cum cæteris, et quod cum Mureto sentiam. OLIVET.

Quibus senatus fides præstatur] Ut de solutione non dubitent. Præstatur autem et superiore S. C. quo promisimus, et hoc hodierno, quo promissa renovantur. MAN.

Alterum] Monumentum amplissimum. IDEM.

Alterum] Ut quæ ipsis promissa fuerant, ea parentibus, liberis, conjugibus eorum tribuantur. IDEM.

Cap. 12. *Pignerari*] Sibi quasi suos assumere. Nam in acie fortissimi quique moriuntur. MAN.

Erit igitur extructa moles] Multa sunt in hujus orationis extremo, quæ conformata videri possunt ad exemplum ejus, qua Pericles eos qui pro patria occubuerant, laudat apud Thucydidem lib. II. MURET.

Cap. 13. *Ara virtutis*] Cui inscribetur elogium, eorum virtutem immortalitati consecrans. Solebant enim in locis, ubi victoria erat parta, locari aræ, quibus inscribebantur res in illo loco gestæ, et illorum laus, quorum virtute gestæ erant, ut multis dudum docuerunt viri docti. GRÆ.

Cap. 14. *Legiones tironum*] Quatuor, ut scripsit Galba, quas ex delectu Italiæ consul Pansa comparaverat. MAN.

M. Cornutus] De quo Famil. ep. 12. lib. X. MAN.

JOS. OLIVETUS LECTORI.

His diebus domum ad me nescio qui casus hominem attulerat eorum ex ordine, qui in republica, ut vocant, litteraria id sunt, quod Romæ olim subrostrani; quibus est in colligendis dissipandisque rumoribus vel oblectamentum otii, vel perfugium. Is ut me offendit Ciceroni affixum, sicut meus est mos a toto jam biennio, et spissa ejus interpretum corona stipatum ante et pone, ad lævam et ad dextram: Nae tu, *inquit*, iratis, omnibus geniis natus es, qui bonas horas colloces tam male. Quid enim? in adnotationum infinitate eas deligis, quæ tibi plus habere utilitatis videntur, aut futilitatis minus. Quorum igitur hominum causa? Doctorumne? Tuo enim arbitrio stabunt; sapere nolent ex sese; tuo in delectu acquiescent. Cæci omnes; tu oculatus. An eorum forte, quorum turba est? At primum causa non fuit, cur de illis bene mererere. Deinde, quam ab iis gratiam initurum te speras, qui tuo delectu sibi ademptum vident, quod in libro admirantur præter cætera? Nam libros vulgus, si nescis, mole æstimat. *Hæc ille. Nec pauca ego contra: donec, ut fit, ita demum discessimus alter ab altero, ut neque illi meum ego institutum, neque vicissim suum ille mihi rationem probaret. Verum hæc subinde retractans animo, in eam veni cogitationem, posse, ut multa sunt hominum capita, aliquos existere, qui cum isto sentiant, neque adnotationum agi delectum vellint. Quibus satisfacere si est opus, perfacile est, reductis bona fide, et sub uno aspectu positis omnibus collectionis Grævianæ partibus, quascunque non admisit* Delectus *noster. Placet ergo hoc ipsum in una Oratione, eaque nobilissima, experiri. Tum denique nemini, quid spectarim, et quid sim secutus, latebit.*

AUCTARIUM GRÆVIANUM

IN

M. T. CICERONIS ORATIONEM

PRO DOMO SUA.

ARGUMENTUM.

Restitutus in patriam Cicero, Lentuli præcipue consulis opera, 16. mense, postquam in exilium iniquissima lege Clodii pulsus erat, statim habuit hanc orationem ad Pontifices, in qua nervos omnes intendit, ut domum suam, eadem lege publicatam et eversam, deinde, ne profana unquam fieri posset, Libertati consecratam, neque publicari, neque consecrari potuisse ostenderet. Qua de re sic in epist. I. lib. 4. ad Attic. *Nos tacemus, et eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc pontifices responderant: qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus.* Et in II. ejusdem lib. *Post illas datas litteras secuta est summa contentio de domo. Diximus apud Pontifices I. Kal. Oct. Acta res est accurate a nobis: et si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit.* Tantum autem de domo recuperanda laborabat, ut, cum esset in exilio, ita scripserit ad uxorem; *Quod de domo scribis, hoc est de area: ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta.* Ac domum quidem ei restitutam esse, satis constat ex eadem ad Atticum epistola: in qua sunt hæc; *Cum pontifices decressent, ita, si neque populi jussu, neque plebiscito, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset; videri posse sine religione jam partem areæ mihi restitui; mihi facta statim est gratulatio: nemo enim dubitat, quin domus nobis esset adjudicata.* Sed planissime in oratione de Harusp. resp. *Meam domum P. Lentulus consul, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messala, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius rex sacrorum; M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Cæsar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente omnes, liberaverunt.* Est autem omnis hæc in septem partes distributa oratio. Prima respondet Clodio, qui apud pontifices ea vituperaverat, quæ per eos dies Cicero in senatu de republica, id est de Cn. Pompeio rei frumentariæ præficiendo senserat. Secunda de jure publico agit, et in ea ostenditur, legibus iis, quibus Romana civitas uteretur, non posse quemquam civem ejici, aut de capite ejus, vel de bonis quidquam detrahi sine judicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti judices sint. In eadem rationes afferuntur, cur tribunus plebis esse Clo-

dius non potuerit. Quomodo enim, cum patricius esset, ad plebem transivit? adoptione? at ea rata esse non potest: primum quia servatum adoptandi jus non est. Nam cum adoptare debeat is, qui neque procreare jam liberos possit, et, cum potuerit, sit expertus: adoptavit Clodium senatorem annos viginti natus: qui liberos non modo procreare potest, cum habeat uxorem: sed procreavit etiam. Et cum quæri a pontificum collegio soleat, quæ causa sit adoptionis, quæ ratio generum, ac dignitatis, quæ sacrorum: nihil horum in illa adoptione quæsitum est. Atque hæc de non servato adoptionis jure, quæ omnis notio, cum pontificum esse debuit, apud ipsos pontifices dicuntur: ad augures autem, qui aderant, de curiata lege disputat, qua Clodius est adoptatus. Nefas, inquit, est, agi cum populo, cum de cælo servatur. At quo die lata lex est, Bibulus consul de cælo servavit. Rata igitur esse non potest. Quod si rata non est: qui potuit Clodius, contra auspicia adoptatus, tribunus plebis esse? Accedit ad infirmatam curiatam legem altera ratio. Quid servatur in ferendis legibus? trinundinum, id est, ut promulgata lex per tres nundinas, antequam feratur, populo pateat. Quod spatium, tantum abest, ut servatum sit, ut eam legem Cæsar consul vix per tres horas promulgatam tulerit. Tertia pars, vel si tribunus plebis, et per auspicia, et per leges Clodius esse potuerit, quod utrumque jam negatum est, ab eo tamen legem nominatim de capite civis indemnati ferri non potuisse demonstrat. Id enim privilegium est: quod sacratæ leges, et XII. tabulæ vetant. Neque vero hoc tantum contra leges, sed illud etiam, quod de ejus capite fortunisque omnibus, qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, legem illam Clodius tulerit: cum judicia populi ita moderata essent a majoribus constituta, primum ut ne pœna capitis cum pecunia conjungeretur; deinde, ne, nisi prodicta die, quis accusaretur: tum, ut ante magistratus accusaret intermissa die, quam multam irrogaret, aut judicaret: postremo, ut esset accusatio trinum nundinum, id est, ab eo die, quo quis ad populum accusari cœptus esset, ad diem judicii trinæ nundinæ intercederent; prodicta die, qua die judicium esset futurum: eamque diem si qua res auspiciis, aut excusatione sustulisset, tota causa judiciumque tolleretur. Nec verba legis vitio carent: sunt enim hæc: *Velitis, jubeatis, ut M. Tullio aqua, et igni interdictum sit.* Cum ferri debuerit, *ut interdicatur*, non, *ut interdictum sit.* Quo modo enim, quod factum non est, id ut sit factum ferri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari posset? Peccatum est igitur in forma legis: quid in ipsa veritate? non minus. Scriptum est enim: Quod M. Tullius falsum S. C. retulerit. Qui si falsum retulit, recte scripta lex est: si verum, nulla est. Verum autem retulisse, nec ipsum pro suo imperio, sed senatus jussu in conjuratos animadvertisse, senatus ipse, cum eum restituit, indicavit. Sunt igitur hæc in lege vitia, primum quod lata nominatim sit de capite civis indemnati: alterum, quod imperite, ut interdictum esset aqua, et igni, cui nondum interdictum esset: tertium, quod simul de pluribus rebus: quartum, quod per vim. Id quod Lentulus consul in lege vidit, quam de Ciceronis reditu tulit: non enim tulit, ut et venire Romam liceret, sed ut veniret. Quarta pars Clodii maledictum, exulem Ciceronem appellantis, refellit duabus causis, vel quod ex peccato, vel quod ex damnatione subeatur exulis nomen. Peccasse me, inquit, negant omnes: optime de patria meritum, senatus, equestris ordinis, scribarum, plebis urbanæ: id est, páganorum, et montanorum, denique etiam municipiorum, coloniarum, et totius Italiæ de meo reditu decreta declarant. In ferenda vero lege, quæ celebritas un-

quam major populi Romani, quantus omnis generis hominum, ætatum, ordinumque splendor? Quod ad damnationem attinet, exul non sum. Indemnatus enim discessi, nemo me ulla unquam lege interrogavit, nemo postulavit, nemo diem dixit. Libertatem vero, aut civitatem amittere civis Romanus nemo potest, nisi auctor ipse factus sit. Infirmatur Clodii maledictum ea quoque ratione, quod in ipsa rogatione nihil tulerat, quo minus Cicero esset non modo in civium, sed etiam in senatorum numero: et quod in lege illa suffragium tulerit non populus Romanus, sed multitudo hominum e servis conductis, et facinorosis, et egentibus congregata. Quinta, primum eidem Clodio respondet, accusanti Ciceronem, quod de se ipso gloriosius prædicaret: deinde iis, qui objicerent ei discessum e patria. Sexta de domo recuperanda quantum laboret, quamque improbe Clodius fecerit in ea dedicanda, et quid spectarit, ostendit. Dedicatio improbatur, quod non affuerit Collegium Pontificum, sed unus tantum pontifex, isque frater uxoris Clodii, adolescens imperitus, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, mente et lingua titubante. In extrema parte preces ad Jovem, Junonem, Minervam, ad patrios penates, et familiares, ad Vestam continentur: ut, si nefariam flammam ab eorum templis ac delubris depulerit; si suum caput pro eorum cæremonis atque templis perditissimorum civium furori ferroque objecerit; si nihil unquam magis, quam de reipublicæ salute laboraverit; hunc fructum ferat, ut sibi redire in suas sedes liceat. Iisdemque precibus, conversus ad pontifices, utitur, ut ab ipsis jam in patriam restitutus, nunc, auctore senatu, manibus eorum in suis sedibus collocetur. Habita est oratio iisdem consulibus, quibus in patriam rediit, id est Lentulo et Metello. De genere, de statu, de partibus orationis, quæ nonnulli ostentationis potius, quam utilitatis publicæ causa, sedulo persequuntur, nihil addam: vel quia sunt in promptu, satisque patent ex rhetorum libris: vel quod a veterum interpretum consuetudine non libenter discedo. MANUT.

CAPUT I.

A majoribus nostris inventa] Duo v. c. non habere præpos. *a*, Lambinus in margine notavit. Et probatur Torrentio ad Sueton. Jul. 19. Probarem et ego, nisi nostri codices et editiones priscæ refragarentur. De hoc ipso loquendi genere dixi non nihil ad rationem præcedentem. GRÆV.

Summæ republicæ] Nam qui pontifices, eorum plerique etiam Senatores, atque adeo publici consilii principes erant. Non omnes autem pontifices senatores fuisse, locus hic ex lib. IV. ad Attic. demonstrat: *Kal. Oct. habetur senatus frequens, adhibentur omnes pontifices qui erant senatores.* Et hanc ipsam illorum cognitionem bipartitam quoque fuisse, infra demonstrat: *Quæ cum sit in jus religionis et in jus reipublicæ distributa, &c.* HOT. Antiquissimis temporibus iidem sacerdotes erant, qui et Reges. Virgilius:

Rex Anio; rex idem hominum, divumque sacerdos.

Vide ibi Servium. Inde omnes legislatores non tantum de civilibus rebus, sed et de cultu divino leges præscripserunt, quoniam ut Aristoteles VII. Pol. 8. dicit, ἡ περὶ τὰ θεῖα ἐπιμελεία, omnium est in rebublica antiquissima. Apud Romanos XII. tabulæ de divinis plurima præceperunt:

Jus triplex tabulæ quod ter sanxere quaternæ:
Sacrum privatum, et populi commune quod usquam est.

Inde et Ulpianus jurisprudentiam definit; *Divinarum atque humanarum rerum notitiam.* Prima codicis Justinianei, Theodosiani vero ultima pars est de sacris, ut dudum viri docti observarunt, præcipue H. Grotius de imperio summarum potestatum circa sacra, quem vide. GRÆV.

Religiosissimi religiones sapienter, &c.] Sic restitui, conjectura ductus. Nam recepta lectio non erat ferenda, et erat perspicuum esse depravatam. Est autem antithesis concinna, *clarissim. cives remp. bene ger. religiosissima cives religion. sapienter interp. remp. conserv.* LAM. *Remp. bene gerendo: religiones religionibus sapienter interp.*] Ant. Augustinus delet *religionibus:* quod verbum certe parum aptum est. Non enim hic sensus est, qui solet usurpari; Aristotelem Aristotele optime declarari, et Platonem Platone. Itaque Pantagathus hunc locum ita emendabat: *Religiosissimi religiones sapienter interpretando eandem conservarent:* ut par pari referatur; ad rempublicam bene gerentes, *amplissimi et religiosissimi: ad religiones sapienter interpretantes, religiosissimi:* secundo loco *remp.* ineptum est; itaque libenter legerem, *eandem.* F. URSIN. *Pontifices, religiones*] Sic plerique Pall. Nam aliquot habent *religiones religionibus*, omisso eo *pontifices.* Vett. edd. *Pontifices religiones.* Pantagathus conjecit, *religiosissimi religiones*, quod invasit Lambinus. GRUTERIUS.

Magna causa sacerdotum populi Romani judicio ac potestate versata est] In Pall. et Ahalæ liber necnon S. Victoris, atque editio prima, sine præpositione *in.* GRUT. Sic sane et Dresd. et præter primam Mediolanesis editio. Primus tamen Francii agnoscit τὸ *in*, quod minime delendum censeo, quia repugnat genius Latini sermonis. *Versare causam judicio*, pro *tractare causam judicio* dici et ferri posse credo: sed *versare causam potestate*, quid sit, nemo Latine intelligens dixerit. Sed *versari causam in judicio et potestate sacerdotum*, recte dicitur, de qua judicandi potestas sacerdotibus est commissa. GRÆV.

Omnium civium salus] Consuetudo Ciceronis, ut ex ea causa quam agit, totius reipublicæ pendere salutem adfirmet, causam autem in extrema oratione ostendit: ne si ista Clodii dedicatio in civitate probetur, idem postea omnes seditiosi tribuni plebis audeant. HOTOM.

Amentes ac perditos magistratus] Magistratus modo dicit tribunos plebis. Nam P. Clodius in tribunatu Ciceronis domum everterat, et in area Libertatis atrium ædificarat. IDEM.

Sceleratorum civium] Quorum opera Clodius omnia illa in tribunatu gesserat. IDEM.

In republica ab altis oppressa] Particula *in* deest in libris manuscriptis, et recte. Paulo post, *rescindentur*, legebat Pantagathus pro *rescindantur.* F. URSINUS.

De republica sensi] Quo tempore Cicero ab exilio rediit, hoc est pridie Non. Sept. Lentulo et Metello consulibus, cum esset annonæ summa caritas, et ad eam procurationem bonorum omnium sermone Pompeius vocaretur, Cicero sententiam dixit, in ejusque sententiam S. C. factum est, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur postridie. Cicero concionem habuit, lex conscripta est, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur. HOTOM.

Sed convicio] *Convicium* dicitur de multis vocibus aut multorum simul, aut unius frequentatis. IDEM.

CAPUT II.

De summa religione] De consecrata Ciceronis domo a Clodio. Nam Cicerone necdum reverso eam consecrationem improbarant. Dicitur autem *summa religio*, ut summa respublica. HOTOM. *De summa hoc tempore religione, &c.*] Pal. nonus *hujus temporis.* Quarto utraque vox deest. GRUT. Deest *hoc tempore* etiam in Franc. et ed. prima. *Summa religio* est res a qua pendet fere tota religio. Sic *summa existimatio* in epistolas ad Atticum est res in qua agitur nostra omnis existimatio, de qua locutione diximus alibi plura, et multis egit exemplis J. Fr. Gronovius ad Livium. GRÆV.

Fuisti tu, inquit apud pontifices su-

perior] Puto legendum, *Fuisti tum.* Et mox: *Sed jam.* Pontifices optimates erant. Cic. autem quod populus expetebat, suaserat, ut frumentaria procuratio Pompeio mandaretur. HOTOM.

Quoniam te ad Pompeium contulisti] Sic legendum, vel libris omnibus invitis. Dicebat Clodius, M. Tullium, quod se ad Pompeium applicuisset, ejusque opibus niteretur, inferiorem, quam se, futurum apud eosdem pontifices: qui scilicet moleste hoc ferrent, Ciceronem ad opes Pompeii confugisse, eique extra ordinem totius rei frumentariæ potestatem sua sententia detulisse. LAMB. *Quoniam te ad populum contulisti*] Lambinus *ad Pompeium*, sed invitis omnibus Mss. GRUT. Recte hunc locum exponit Hotomanus, quamvis emendatione illius possumus carere.

CAPUT III.

Exercitus terrore] Cæsar tum propter Galliæ proconsulatum exercitum habebat; cujus metu, quasi ei Cæsar suffragaretur, Clodius adversarios terrebat. HOTOM.

Servorum dilectu] Sic habent libri Mss. et ita sine dubio legendum. LAMBINUS.

Obsessione templorum] Hæc omnia Clodii et in Sextiana, et aliis locis innumeris inculcantur. HOTOM.

Cedere curasti] Pro *coegisti*, non memini me similem apud hunc locutionem animadvertisse. IDEM.

Turbulento die] *Eo biduo* (inquit ad Atticum) *cum esset annonæ summæ caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent impulsu Clodii, mea opera frumenti inopiam esse clamarent, accurate sententiam dixi, &c.* IDEM.

Domo me tenui] Vulgo *domi*, sed contra omnes membranas, et antiquitus impressos. GRUT.

Turbulentum tempus] Quo multitudo, ut dixi, propter annonæ caritatem concitata in Capitolium convenerat. Itaque cum L. Cæcilius prætor ludos Apollinares faceret, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes qui in theatro spectandi gratia considerant, pellerentur. Hæc Pedianus in Milon. in qua ipsa Cicero scribit, hujus Cæcilii prætoris domum ob eandem causam oppugnatum fuisse. HOT.

A te jampridem ad bonorum cædem paratos] In manuscripto est, *ad rapinam, ad bonorum cædem paratos.* URSIN. *Ad rapinam, ad bonorum cædem*] Pal. non atque Erfur. *Ad impiam prædam.* GRUT.

Armatos in Capitolium] Non respuendam duxi voculam *etiam*, quam in duobus codicibus Dresd. et Francii reperi. GRÆV.

P. Lentulus, Metellus] Quibus consulibus et adjutoribus Cicero restitutus est. Metellus vero quas inimicitias cum Cicerone gerebat, eas reipublicæ condonavit. HOTOM.

Frater tuus] Nam Clodii sororem in matrimonio habebat, ut in ea pro Cœlio: *Non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas.* Sic infra: *A Q. Metello fratre tuo, consule.* HOTOM. Hæc verba, *frater tuus* non extant in primo Francii.

Dissensioni] Recte, cum in manuscripto, *discessioni* vitiose legatur HOT.

De qua agebatur] Abest hoc totum a libro antiquo vitiose. Nam et rem de qua agebatur, et consules qui agebant, conjunxit. IDEM. Non habentur etiam hæc verba in primo Francii et Dresdensi.

CAPUT IV.

Qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire] Prim. Franc. *qui statuerunt minus bonis temporibus in senatum ut ipsi non venirent.* Sic Dresd. et edit. prim. nisi quod hi *statuunt* retineant. Francii codicis scriptura non est damnanda. GRÆV.

Nonnulli] Omnes consulares, præter Messalam et Afranium, quod tuto se negarent posse sententiam dicere. HOTOM.

Suo quemque arbitratu timere oportere] Haud aliter S. Victor. Ah. Pal. nonus. recepta lectio, *arbitrio suo*

quemque timere oportere. GRUT. Vulgatam lectionem tuetur prima Francii, Dresden. et prima editio cum multis sequentibus.

Non posse, illuc irem?] P. Manutius e Bargæi Ms. *illi non item?* Erfurd. habet, *illi senserunt*, quod et in Pall. nono; sed idem etiam habet loco *existimassent, sensissent.* GRUT.

Duo consules] Est a Pal. nono et S. Victoris, pro eo quod vulgata, *duos.* IDEM.

Quorum lege] Nam lege Cornelia et Cæcilia duorum istorum consulum revocatus est. HOTOM.

Populi sermo in animis nostris] Cum per eos dies senatus de annona haberetur, et ad ejus procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, multitudoque a me nominatim ut id decernerem postularet, feci et accurate sententiam dixi. IDEM. *In animis nostris*] Placet *vestris*, ut est in antiquo. F. URSINUS. Sic et Dresdensis.

Nihil discerni] *Decerni* legendum nemo non videt. HOTOM.

CAPUT V.

Quæ res, quæ causa major esse] Pall. S. Victor, editioque vetus, *Fuit? vis. Quæ causa.* GRUT. Ed. prima: *Jus. Quæ causa major quam fames esse potuit.* Dresd. *Vis, quæ causa major esse, quæ fames patuit.* Prim. Franc. *Quæ vis, quæ causa major esse, quam fames potuit.* Quod sane non contemserim. Quæ vis major esse potest ad nova consilia capienda, et hanc rationem ineundam, quam iniit meam secutus sententiam senatus. Nam fames ad quævis scelera incendit homines, et ad summam desperationem redegit, quia nil fame est miserius in rebus humanis. Hinc Senec. de brevit. vitæ, cap. 18. famem vocat ultimum malorum etiam obsessis. Hinc vero dixit Theocritus, Idyll. XV.

——— ἀνάριστος Διοκλείδας·
χοὐκ ἔξος ἄγαν, πιοῦσά γε μαὶ ἐστ' ἐνθάδε.

——— *Impransus est adhuc Dioclidas;*
Est autem vir iracundus valde, esurienti
vero ne unquam occurras. GRÆV.

Illa funesta latrocinia ob annonæ causam putarunt] Longe præfero primi Francii codicis lectionem, *qui facultate oblata*, &c. *renovaturum te tua illa funesta latrocinia ob annonæ causam putavisti.* Clodio enim adscribit hujus tumultus et seditionis causam. Non longe abludit editio prima. Sane *putavisti* quoque in illa legitur, etsi aliter interpungatur. In Dresdensi vero *putavit*, proxime verum. IDEM.

Provincia frumentariæ] Quæ vectigal potius quam stipendium quotannis pendunt: ut Asia, Sicilia. HOTOM. Præter has erat Africa præcipue, unde magna vis frumenti adportabatur Romam.

Varietatem venditorum] Qui alias merces ex iis locis quo frumentum miserant, vehendas curabant, quam cujusmodi Romæ essent qui aliis in locis negotiabantur. HOTOM.

Sed in præsenti atque ante oculos posito periculo] Nata lectio ex editione P. Manutii, item veteris Lugdunensis: hæc enim habet illud *posito*, illa *præsenti.* At vulgata, *sed in præsentia atque ante oculos proposito*; quod idem in Mss. Pall. GRUT.

Ad templum Concordiæ] Gulielmius habet verbum *templum* pro spurio. ID.

Sin in causa fuit annona] Vulgus sic dixisset: si finalis, hoc est rationativa causa fuit annona, impulsiva, Clodius. Rectius tamen, *sin causa.* Potest etiam sic intelligi, ut *causam* pro speciem et prætextum, interpretemur: ut paulo ante, *ob annonæ causam.* HOTOM. *Sin in causa fuit annona*] Lib. manuscr. non habent, præpositionem, *in.* Et paulo ante doctissimi quidam viri, *capere debuit*, legendum contendunt, ubi et vulgati libri, et manuscr. habent, *potuit.* Infra autem paulo post, ubi vulgati habent, *stimulator*, liber manuscr. habet, *instimulator.* LAMB. Nullus dubito verum dixisse Manutium *vi* in delendum esse, licet repugnent libri: quia hoc genus loquendi adversatur

emendate loquentium consuetudini. Nullus melioris ætatis scriptor unquam dixit, *in causa hæc res fuit, ut hoc fieret.* Sed *hæc res fuit causa, ut id fieret.* Aliud est in epist. I. lib. I. ad Famil. *In causa hæc sunt*, subaudi acta, seu gesta, ut ex sequentibus patet. Τὸ *in* ortum est aut ex repetitione præcedentis voculæ *sin*, aut intrusum est a librario, aut sciolo, qui in consilio habuit suæ potius, quam ætatis Tullianæ usum. Hæc scripseram, antequam consulueram annotationes Lamb. His inspectis, cum in Mss. τὸ *in* non conspici intellexerim, et postea nec id in edit. prima invenirem, tuto id delendum existimavi, quippe quod contaminat candorem Ciceronianæ dictionis. GRÆV.

Seditionis quidem instimulator] Cur excluderem istud? inventum in Pall. pluribus (nam omnes excutere nimis operosum) et codice S. Victoris. Vulgo *stimulator*. GRUTER. Approbat Franc. primus *instimulator*.

In ulcere unguis] S. Victoris, *in viscere inguen*, quod *inguen* deprehendi item in Pal. nono. Nam cæteri fere *ungue*. GRUT.

Nativum, delatum] Insitum, adventitium: quod intus esset, quod extrinsecus obvenisset. Alibi dicitur *intestinum, oblatum*. HOTOM.

Fames. Non est satis: facta lapidatio] Sic habent libri Mss. et ita legendum. Quod autem ad vulgatam lectionem, quæ habet, *saxis facta*, &c. attinet, ne quis forte eam amplectatur, plane inepta est. Nulla enim lapidatio fit sine saxis: et omnis lapidatio fit saxis. Supra autem, ubi libri vulgati habent, *delectum malum*, manuscripti habent, *delictum malum*: quod consideret lector. LAMBINUS. *Non est satis: facta lapidatio*] Idem istud quoque in Pall. nostris, nec non Erfurd. ac S. Victor. Nam vulgata: *inde saxis facta lapidatio*: quod ne quidem in antiquis edd. quæ, *inde satisfacta lapidatio*. GRUT.

Causam abrepturum] Quidam legendum putant, *ansam arrepturum*. LAMBIN.

Per causam inopum] Recte Manutius. *Causa* sæpe est prætextus. Sueton. Jul. *Rumorem aluit intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per causam exigendæ pecuniæ; quæ deberetur cuidam libertino.* Sic Julius Cæsar, et alii. GRÆV.

Decuriatos] Decuriare et centuriare passim usurpatur pro conscribere. HOTOM.

Ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhæresceret] Franc. et ed. prima, *adolesceret*. Non frustra. Sed hoc si retinemus, legendum est: *ne in hac tanta materia seditionis ista funesta fax adolesceret*. Hoc est, illam magis incenderet, et flammam seditionis augeret. Virgil. IV. Georg.

Panchæis adolescunt ignibus aræ.

Vide ibi Servium. Qui non intellecto hoc vocabulo id mutarunt in *adhæresceret*: refinxerunt quoque præcedentia, et pro *in hac tanta materia seditionis*; scripserunt, *in hanc tantam materiam seditionis*. GRÆV.

CAPUT VI.

Annonam præstare] Caritatis eventum et periculum in se recipere. HOTOM.

Puerorum illa concursatio] Adposita puerorum multitudo fuerat, qui de caritate quiritarentur, et Ciceroni invidiam crearent. IDEM.

Operis] Conductis ad cædem tanquam operariis. Ediderat autem, quia tanta undique multitudo ad comitia et legem de Cicerone revocando jubendam confluxerat, ut annona multo gravior facta sit. IDEM.

Operis ediderat, imperitis injecerat] Pall. aliquot *operariis*. At enim nonus *peritis*, ediderat. Quod ad obryzam examinabunt otiosiores. Guliel. conjiciebat, *obæratis*. GRUT.

In templo Jovis] Paulo ante *templum Concordiæ* nominavit. HOTOM.

Uno isto dissentiente] P. Clodio. ID.

Qui, quod in meo reditu] Prius relativum suspectum video patri meo fuisse. J. GRONOV.

Annona flagitabatur] *flagellabatur*. PITAŒUS.

CAPUT VII.

Depulsis] Forte *dispulsis*. LAMB.

Reipublicæ saluberrimam ac mihi necessariam. Prim. Franc. Dresd. et editio princeps: *Reipublicæ saluberrimam necessariam*. Legendum: *Reipublicæ saluberrimam ac necessariam*. GRÆV.

Mei ratio non habebatur] Sic olim reposueram, *meæ valetudinis ratio non habebatur*, non quod ita legendum esse magnopere confiderem, sed quod me non longe a vera lectione abesse putarem. Proponam igitur scripturam vulgatam primum. Ea est hujusmodi, *aliquid in ea re gerenda: non habebatur*. Deinde antiquam, quæ talis est, *Aliquid in ea re generatio non habebatur*. Reperitur etiam hæc, *neque ratio non habebatur*. Quidam conjiciunt esse reponendum, *meæ personæ ratio non habebatur*. Sunt et qui hoc modo, *anni ratio non habebatur*. Ego nunc, *mei ratio*, &c. quam conjecturam audio, et quibusdam aliis venisse in mentem. Hæc igitur mihi nunc eo magis probatur, quod et minus longe abest ab antiqua scriptura, et sententiam exprimit huic loco consentaneam. Nam, *mei ratio non habebatur*, interpretor, meæ valetudinis, vel meæ personæ, vel mei commodi ratio non habebatur. Hoc totum autem, *mei ratio*, duobus asteriscis includi jussi, ut lector inde intelligat, hanc lectionem non esse satis firmam, aut certam: sed probabilem tantum. LAMBIN. *Quasi possem aliquid in ea re gerenda: non habebatur*] Ita habent Victorius et Manutius, vitiatis codicibus. Ant. Augustinus longe melius *gerenda: nominabar, flagitabar:* quæ correctio potest loco superiore confirmari. Pantagathus autem mutabat *non* in *boni: habe* in *præ: batur* in *cæteris*, legebatque hoc modo: *Quasi possem aliquid in ea re gerenda præ cæteris:* nec male. Nam præficiendum aliquem negotio gravi et molesto, et difficili, nominatim non sortito, ut æquum est, nemo diceret, nisi eum cui aliqua ars aut facultas illi negotio accommodata sit: alioqui fit ei injuria, si extra sortem nominetur: quam artem aut facultatem negat sibi esse Tullius, in Pompeio agnoscit. F. URSINUS. *Quasi possem aliquid in ea re gerenda: non habebatur*] Ita omnis lectio cusa, at scripti Pall. *non debebatur*. Unde aliquando conjiciebam; *annona debebatur*. Sed ab hac scriptura recedit Pal. nonus, in quo ne *quasi* illo: *possem aliquod mea regere accusatione habebatur*. S. Victor. *possem aliquid in ea re generatio non habebatur*. In Pal. octavo extat vulgata, sed a recenti manu emendatum, *hærebatur*, adnotatumque *dubitabatur*. GRUT.

Convicia] Clamores annonam flagitantium. Phædrus: *Convicio permotus Jupiter*, hoc est, clamore ranarum. GRÆV.

Amico locupletiori] Cn. Pompeio: et adludit ad verbum juris. Nam *delegare* dicuntur debitores, qui præsentem pecuniam non habent, cum alium debitorem quendam suum a pecunia paratiorem creditori suo adsignant. HOTOM.

Videbam id quod omnes] Abundat pronomen *id*. IDEM.

Pro tanto beneficio populi Romani præstare debui] Præstat scriptura lib. Franc. *Pro tanto beneficio populo Rom. præstare debui*. GRÆV.

CAPUT VIII.

Rem maximam eripui e peste summi periculi] Secutus sum vulgatam magis, quam antiquam scripturam. Hæc enim ita corrupta est, ut nulla ex ea sententia elici possit. Sic enim habent libri veteres: *Rem maximam potuisse summi periculi non solum ea me, sed etiam, &c.* Omnino hoc in loco subest aliquod ulcus. Per *rem maximam* autem, rem frumentariam, et annonam significari puto, ut infra eadem oratione: *Nos quod nominatim rei maxime, pene jam desperatæ, summum virum ad extrema reipublicæ tempora delectum præfecimus, a te repre-*

hendemur? LAMB. *Rem maximam eripui e peste summi periculi, non solum, sed etiam vos*] Pall. fere *a peste.* At nonus: *Rem maximam fuisse suum periculum non solum eam, sed etiam a cæde, &c.* S. Vict. *Rem maximam potuisse summi periculi, non solum eæ me, sed etiam a cæde.* Gulielmius tentabat, *po. fuisse et summi periculi, non solum jam me, sed, &c.* GRÆV. *A peste* est sane etiam in Franc. et ed. prima, ac nonnullis aliis. Et ei respondent, quæ sequuntur *a cæde.* GRÆV.

Cn. Pompeio] De extraordinariis ejus imperiis dictum est in Manilianæ comment. HOTOM.

Populi Romani pœnitere] Vetus liber hoc amplius, *necesse est pœnitere;* quod mihi non placet. IDEM. *Eum victoria populi Romani pœnitere*] Vetus liber habet, *Eum victoris populi Romani necesse est pœnitere.* F. URS. Prim. Franc. Dresd. ed. prima, Mediolanensis, et omnes, quas ego inspexi, ante Victorianam: *Eum victoriæ populi Romani necesse est pœnitere.* Si priscis codicibus volentibus has voces *necesse est* deleverunt, laudo. Sin, non esset ferendum. Nemo tamen ullius codicis meminit. Mirum Gruterum non docuisse, quid extet in Palatinis. Num credendum illos confirmasse Victorianam lectionem, quæ nunc obsidet editiones? In Erfurtensi optimo codice hic multa folia desiderantur. GRÆV.

Qua mihi quoque utendum fuit] Tum enim Lucullum, et alios complures Pompeii obtrectatores habuit. HOTOM.

Quo ille auctore] Cum enim lex Manilia de bello Mithridatico ferretur, Cicero eam suasit. Hi proprie *auctores legum* dicebantur, et extat oratio. IDEM. *Quo ille auctore*] Cur non dixit, quo ille suasore? Nam Manilio auctore potius, id est factum. Respondeo, Manilium quidem legis auctorem fuisse, Ciceronem autem, suasorem: sed Ciceronem populo auctorem fuisse, ut Pompeio bellum illud cum Mithridate et Tigrane gerendum extra ordinem traderet. LAMB. Male Manilium auctorem legis vocat Lambinus. Ille fuit legis istius lator, Cicero vero auctor, qui suasit. Sic enim dicebantur, qui legem suadebant promulgatam populo. Cicer. III. de Legibus: *Itaque illi rationi neque lator quisquam inventus est, nec auctor unquam bonus.* Sueton. Cæsar. 16. *Cæcilio Metello tribuno plebis, turbulentissimas leges adversus collegarum intercessiones ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit.* GRÆV.

Cur illis tamen possum aliquid disputare] Cum iis qui probabiles et speciosas quasdam rationes afferunt, disputare possum; Clodii vero impudentiam ferre non possum. HOTOM.

Eodem jure] Hereditario: ex paterna successione: socius autem a senatu nondum erat appellatus. ID.

Publicasses] Clodius legem tulerat, ut Cypri regnum universaque gaza regia publicaretur: in Sextian. et apud Dion. lib. XXXVIII. IDEM. De hac ipsa re, ut et de Ptolemæo vide Plutarch. in Catone Utic.

Patrocinium hujus imperii] Fortasse deest, *nomine.* HOTOM. *Patrocinium hujus imperii, &c.*] Reduxi lectionem veterum editionum, et omnium Pall. item Gembl. et S. Victoris: recentior enim *latrocinium.* Voce duriore forsan quam uti debuerit Cicero Romæ ad senatores populi Romani. GRUTER. Vellem docuisset etiam Gruterus, quid sit *patrocinium imperii immittere in regnum, et fortunas.* Retineo lectionem, quam Victorius, Manutius, Lambinus retinuit. *Latrocinium imperii* vocat scelus illud, quod commisit imperium Romanum contra jus et fas invadens, sine ulla causa, bona socii regis. Ciceroni *latrocinia* dici gravissima scelera, præcipue in cædibus et rapinis, quis potest, qui illum legit, ignorare? Itaque non dubitavi optimarum editionum scripturam reponere, quia quam libri veteres retinent, nullius est sententiæ. GRÆV.

Si quis jus suum defenderet] Prim. Franc. Dresd. princeps, et Mediol.

edd. *Si quis suum defenderet.* Non vulgatæ bellum denuntio, si profecta est a veteribus libris. Nam et alibi, ut in actione II. in Verr. Ciceronem sic loqui novi, sed nec illos libros damno; in quibus *jus* desideratur. Potest enim abesse sine ullo detrimento. IDEM.

Ratione vita mirabili ad laudem] Sic Franc. prim. ed. et Mediolanensis. Sed Dresdensis, P. Victor. Manut. Lambin. *Ratione vitæ mirabili ad laudem.* Scio consilium et rationem nonnunquam conjungi, ut in orat. pro Plancio: *Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Et sic alibi quoque loquitur, et consilium ac rationem opponit temeritati et impetui. Sed tamen illorum librorum, qui *ratione vitæ* legunt, scriptura hic est præferenda. Pro lege Manilia: *Honores autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed eadem illa nostra laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, consequemur.* Alibi, *O misera vitæ ratio!* Pro *ratio vitæ* Vell. Paterculus dixit *propositum* lib. II. 2. *Vir proposito sanctissimus.* ID.

CAPUT IX.

Qui negas esse verum] Sic habent codices Memmiani, et recte. *Verum* autem, id est, justum, par, æquum. Sic in orat. pro Murena: *Negat verum esse allici benevolentiam cibo.* Idem lib. II. ep. ad Attic. *Quid verius, quam in judicium venire, qui ob rem judicandam, pecuniam acceperat?* Horat. II. Ep. ad Mæc. l. 1. *Meti ipse quemque suo modulo, ac pede, verum est.* LAMB.

Produxeras] Productionem pro Rostris, non puto hic intelligi. Fortasse *producere* nunc dixit, pro evehere, promovere, ornare, augere illo extraordinario imperio. Sic de Finib. III. *Ut nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem, &c.* HOTOM. *Quem tu non pro illius dignitate produxeras*] Pal. nonus, *quem tu meo produxeras pro illius dignitate.* Edit. prima, *quem tu non modo pro illius, &c.* quod mutat Gulielmius in, *quem tu non domo.* Producebantur enim magistratus usque ad portam a familiaribus necessariisque inprimis, quorum lege aut suffragatione provenerant. GRUT. Pessime Gulielm. Recte Hotomanus, *produxeras* exponit ornaveras, mandata hac provincia, quamvis non consilium esset Clodii Catonem ornandi, sed, sub specie honoris, relegandi. Augustus epist. ad Livium, apud Sueton. in Claudio: *Nam si est ἄρτιος ut ita dicam, ὁλόκληρος, quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit.* Curt. VII. *Ad magna et honorata mysteria illius maxime suffragatione producti.* GRÆV.

Subduxeras] In Sextiana: *Non illi ornandum M. Catonem, sed relegandum putarunt.* HOTOM.

Carnificem civium] Significat ejus sententiam in senatu de necandis Catilinariis dictam. IDEM.

Nominibus] Abusive, pro *cognominibus.* IDEM. *Quod cognominibus tantum*] Sic restitui, conjectura certissima ductus. Nam *Cæsar, Pulcher,* cognomina sunt, non nomina. Natum erratum est ex similitudine vocum, cum librarius scripsisset, *cum nominibus,* pro *cognominibus:* quo facto postea alius sustulit, *quod:* quanquam appellatione nominis cognomen quoque et significatur, et intelligitur. Quod autem quidam reponunt, *Cæsar Clodio,* inscientiam, atque inscitiam suam arguunt. Nam *Cæsar,* cognomen est: *Clodius,* nomen. LAMB.

Quod idem in posterum M. Catonem] Illud, *idem in posterum* irreptitium arbitratur Gulielmius, ex membro statim sequenti, ubi præterea cuperet legi, *et quod eidem in posterum.* GRUTERUS.

Quod idem in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses] Non intelligo, nisi aut subandiatur aut addatur *intercedendi.* Nam Cæsarem extraordinaria imperia concupisse notum est. HOTOM. *Et quod idem in posterum de extraordinariis*

potestatibus libertatem ademisses] *Eidem* legendum esse suspicor, ex loco simili orationis Sextianæ: *Non illi*, inquit, *ornandum M. Catonem, sed relegandum: nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt: qui in concione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, quæ semper contra extraordinarias potestates libera fuisset, sentient ut spero brevi tempore manere libertatem illam, &c.* URSIN. Interpretationem Ursini sibi quoque vindicat P. Manutius, emendationem vero Gulielmius.

Consilium] De Catone per honoris speciem relegando. HOTOM.

Quis provinciam homini post homines natos] Lectio minus proba: neque enim dictio *provinciam*, visitur in olim excusis, in quibus: *Quid homini post*, neque aliter Pall. nisi quod ii, *quod homini*, isthæc annectentes superioribus. Solus tertius habet: *Quis hominum post, &c.* GRUT. Nec *provinciam* invenitur in Franc. Dresd. editione prima, Mediol. aliisque omnibus ante Victorianam. Et recte abest. Vide quæ vis sit hujus vocis, *quis*, cum sine τὸ *provinciam* repetitur. *Quis homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam optimam fertilemque Syriam.* GRÆ.

Ereptam vi ex Cæsaris rebus actis] Pall. omnes et S. Victoris, *Ereptam ex vi Cæsaris:* an fuit, *ereptam ex Sex. Cæsaris.* GRUT. Prim. Franc. *ereptam in Cæsaris rebus actis.* Dresd. *ereptam Cæsaris rebus actis.* Locus est contaminatus, qui sine melioris libri ope non potest purgari. *Actis* quid sibi velit nemo dixerit. Forte scripsit Cicero, *ereptam vi Cæsaris rebus, qui imperium infinitum dedit?* Videtur autem esse *erepta rebus Cæsaris pecunia*, quæ assignata erat Cæsari ad res gerendas in Gallia, vi ex ærario a Clodio ad ornandam provinciam Gabinii. Sed nihil decerno. GRÆ.

Cum Ciliciam dedisses] In Sextiana: *Ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur.* HOTOM.

Recenti lege generi ipsius] C. Cæsaris. Vide in indice nostro legum R. *Lex Julia de provinc.* et in orat. de Provinc. consular. IDEM. *Recenti lege soceri ipsius*] Lambinus *generi*, ex conjectura Passeratii, sed non respondentibus manuscriptis. GRUT.

C. Gracchus] Vide in eodem indice, *Lex Sempronia de provinc.* HOT.

Eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti?] Franc. Dresdens. edit. prim. Mediol. *Eas leges Sempronias per senatum decretas rescidisti?* nisi quod pro *Sempronias* scribatur *sempiternas* in editione principe. Vulgata lectio hic quoque laborat, et merito asteriscum apposuit Paulus suæ editionis margini. Ausit-ne quis affirmare Latine dici *rescindere provinciam?* Lex, decretum, testamentum dicitur rescindi, non vero provincia. Ex præcedente versu videtur *per senatum*, huc translatum et perperam repetitum irrepsisse, et Tullium dixisse: *Eas leges Sempronias tu rescidisti?* Præterea male interpungitur tota hæc περικοπή, quam sic constituendam decrevi: *Itane vero? tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit a senatu, sed etiam ut necesse esses quotannis constitui per senatum lege sanxit: eas leges Sempronias tu rescidisti: extra ordinem, sine sorte nominatim dedisti, non consulibus, sed reipublicæ pestibus, nos, quod nominatim*, et quæ sequuntur. *Leges Sempronias* pro *legem Sempronian* Cicero dixit, ut sæpe hoc numero utuntur prisci scriptores. Sic *legibus solvi* apud Sueton. et Cic. qui una tantum lege solvitur. GRÆ.

CAPUT X.

Perferre potuisset] Sic est legendum, non, ut in libris vulgatis, *perficere*. Supra autem non longe admodum, ubi libri vulgati habent, *recenti lege soceri ipsius*, reposui, *recenti lege generi*, Joan. Passeratii conjecturam secutus. LAMB.

Fractam malis, mutam, debilitatam] Quid hic potest esse *muta civitas?*

Aliter veteres libri. Franc. et prim. et Mediolanensis edit. *Fractam malis, mutatam, ac debilitatam.* Dresd. *Fractam, malis, mutam, ac debilitatam.* Cicero scripsit: *Fractam malis, nudatam, debilitatum:* ut Plancius ad Ciceronem, ep. X. 17. *Quod acerbissimo interitu consulem rempublicam nudatam tali cive prætore in urbanis officiis indigere existimabam.* Sic hoc loco dicit Cicero nudatam fuisse rempublicam nimirum omni præsidio, omnibus vindicibus et custodibus, cum nemo auderet reipublicæ causam suscipere, et contra vim Clodii eam tueri. GRÆ.

Heluoni spurcissimo, prægustatori] Non dubium est, quin eam fœditatem significet, quam et mox et aliquanto post notabit. HOTO. *Heluoni spurcissimo*] Codex vetus habet, *Heluoni purgatissimo:* unde conjicio legendum, *impuratissimo.* LAMB. *Heluoni spurcissimo*] Lambinus ex lectione S. Victoris facit *impuratissimo,* Gulielmius *spurcatissimo:* et propius litteras, et flagitio ejus convenientius. GRUTERUS.

Sex. Clodio] Pal. nonus *Delio.* Voluit forte *Clælio,* quod in S. Victoris codice, sicque semper hic invenit in melioribus manuscriptis Suffridus noster. IDEM.

Sex. Clodio socio tui sanguinis] *Facinoris* legebat Pantagathus pro *sanguinis,* sive ex ingenio, sive ex antiquo libro. In oratione de Harusp. responsis, de Clodio dixit, *Consules sceleris sui socios,* Pisonem scilicet et Gabinium. F. URSIN.

Qui sua lingua] Talis lingua mala est, etiam si taceat, ut verbis Arnobii utar, lib. VII. LAMB.

Lege tua] Vide Clodiam de annona, in indice legum R. HOTOM. Nimirum hæc fuit illa lex, quam tulit P. Clodius tribunus plebis, ut frumentum populo, quod antea senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur, et Sex. Claudio frumentaria procuratio mandaretur. Vide Asconium in Pisonem.

Privilegium] Contra XII. tabulas et sacratas leges. HOTOM.

Non licuit de salute populi Romani dicere sententiam] Gemblacensis, *salute publicam dicere sententiam,* ut appareat rescribendum, dempta littera, *publica.* GRUT.

CAPUT XI.

Iisdem machinis] Serendis inter me et Pompeium inimicitiis, excitandis apud illum suspicionibus. Satis enim constat Ciceronem a Pompeio desertum fuisse. HOTOM.

Quod enim par amicitiæ consularis fuit unquam in hac civitate conjunctius] Tò *consularis* in editis ante Victorium non reperitur. Num ex antiquis membranis hanc vocem hauserit, ignoro. Ego in iis, quos evolvi, non inveni, nec in editione prima et Mediolanensi. Poterat abesse. Sin ex Mss. revocata est, non improbo. GRÆ.

Quis senatui] Pro, *Quis apud senatum.* Simile loquendi genus non memini. HOTOM.

Satis audaciter] Non video, quamobrem hanc vocem quidam simii Ciceronis, tanquam barbaram, fugiant, cum eam veteres grammatici, tum a bonis omnibus Latinis scriptoribus, tum a Cicerone usurpatam esse testentur, quod et in scholiis orationis Roscianæ, et alibi admonuimus. LAMB.

Me iisdem inflare verbis] Sic est legendum, et ita est in codicibus Memmianis, cujus lectionis rationem afferrem, nisi se ipsa declararet, ac probaret. IDEM.

Ego vero, neque me tum desertum, sed pene deditum] *Plane* pro *pene* non dubito quin scribendum sit, vel repugnantibus antiquis libris. F. URSINUS. Alii legunt, teste Lambino, *pœnæ deditum.*

Si utile reipublicæ fuit] Propter novorum motuum formidinem. HOT. Servandæ reipublicæ causa nonnunquam mala sunt ferenda, et pacis victimæ etiam insontes sunt cædendæ, si nimirum servari aliter respublica non potest, aut bellum interne-

civum aliter nequit averti. De qua re plura diximus ad librum III. de Officiis. GRÆ.

CAPUT XII.

Idemque cum dixisset] Quidam legi volunt, *idemque cum dixit*. LAMB.

Pontificum, aut de republica, quam eum; &c.] Locus minime integer. Nam editio vetus et Pall. *Pontificis, aut de republica cujusquam.* Neque aliter S. Victor. quam quod is *pontifices*, quod etiam in nono. Adeo ut videatur rescribendum cum Gulielmio, *Aut de religione pontifex, aut de republica civis.* Sententia simillima illi, quam initio statim libri posuit. GRUT.

Quam aut opinio tuleris] Rectius Francii primus, *quam aut opinio tulerat*, quem sequor, quamvis perperam addat *nostra*. GRÆ.

De rebus divinis, de cæremoniis] Sic Francii, et hic melius. IDEM.

CAPUT XIII.

Nego potuisse jure publico] *Jus publicum* modo speciatim posuit, pro eo quod proprie ad magistratus pertinet, nam a pontificio jure id sejungit. Generaliter autem *jus publicum* est, *quod*, ut ait Ulpianus, *ad statum reipublicæ Romanæ spectat:* id est, *quod in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit.* HOTOM. Imo jus publicum hic non est jus quod pertinet ad civitatis statum, sed ad omnes cives, jus commune. Ut apud Sueton. in Octaviano, cap. 10. *Ne publicum quidem et translatitium jus ulla in re sibi, sine pactione gravissimæ mercedis in impertiente*, nim. Antonio. Et in Tib. 50. *Et peculio concesso a patre, præbitisque annuis fraudavit, per speciem publici juris, quod nihil de his Augustus testamento cavisset.* GRÆ.

Hoc juris in hac civitate etiam tum, cum reges essent] Vide de Horatii judicio, qui sororem occiderat, Livium et Dionys. Hal.

Sine judicio senatus] Quomodo *senatus?* Cum in Verrem III. ita scribat: *Quo confugient socii? ad senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? non est usitatum, non senatorium.* Ergo de superiorum temporum ratione hæc intelligenda sunt: *cum*, ut Polyb. VI. scribit, *Senatus de rebus capitalibus cognoscebat.* HOT.

Aut populi] Tantum in crimine perduellionis. IDEM.

De quaque re] De privata cujusque re, unde privati judices appellabantur. IDEM. Tam de privata, quam de criminibus, constitutis quæstionibus, quas exercebant prætores, qui hujus illiusve criminis quæstionem sortitus erat. GRÆV.

Videsne me non radicitus, &c.] Lambin. sustulit negativam, nolentibus libris; et statim pro *neque illud*, rescribit, *me illud.* Non male, si liceret auctori adfingere quod libet. GRUT.

Esse parricidium] Nihil immuto, tantum dico magis *esse te patricium* ad hunc locum pertinere, quam *esse parricidium.* HOTOM. *Hoc dico, te esse patricium*] Sic est legendum, et ita legitur in libris manuscriptis: non, ut vulgatis, *hoc dico esse parricidium.* Constat autem, patricio non licuisse per leges tribunum plebis fieri. LAM.

Hoc dico esse parricidium] Placet magis quod habet Pal. non. *esse patricium*, ejecto illo, *hoc dico.* GRUT.

Quæ ratio generum] Agell. V. cap. 19. Sed adrogationes non temere, nec inexplorate committuntur. Nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur. HOTOM.

Exheredabit] *Exheredare* posuit pro *emancipare*, propterea quod emancipatio jus omne et suitatis et agnationis, id est, ut paulo post loquitur, jus omne legitimum et hereditatum et tutelarum extinguit. Responsio est Clodii, qui dicit, non diu illum in filiorum numero retinebit, statim emancipabit. IDEM. *Suscepit etiam liberos. Exheredabit*] Edit. vet. item Pal. oct. *exheredavit.* Quod respondet priori clausulæ: quæ tamen sic habetur in Pal. non. atque Erfurd *suscipiet ex ea liberos.* Quod forsan verius. GRUT.

Cur intereunt] Sacra patriciæ gentis propria ab homine nunc plebeio facto, retineri non poterant. HOTOMANUS.

Cum adoptarere, esse debuit] Sic est legendum: vincit ratio et ipsa veritas: non, ut habent libri vulg. *adoptaret*. Clodium enim nunc alloquitur. At Clodius adoptatus est, nempe ut fieret plebeius, et ita tribunatum gerere posset. Hanc meam conjecturam adjuvat codex manuscr. in quo sic scriptum est, *adoptare: re*, scilicet postremum a librario omissum est. Jam vero Fonteius erat is, qui adoptabat. LAMB.

Adoptari, non ut filius esset] S. Victor. et Pal. nonus, *optari, non ut ejus filius esset*. Forsan rectius. GRUT.

M. Puppio] Legendum *M. Pupio* ex veterum lapidum auctoritate: itaque Piso, qui a M. Pupio adoptatus fuit, in antiquis monumentis. M. PUPIUS, M. F. PISO FRUGI describitur. F. URSINUS.

Neque patris heres] Cum jam emancipatus, et propterea exheredatus sis. Cogitandum tamen ecquid potius *partis* sit legendum, ut veteres dicebant *participem*. Terent. *Donec salvos redierit meus particeps*. Et Verr. III. *Quibuscum vivi bona nostra partimur, partis heres*, id est particeps, suus heres. Nam *pars* ad patrem refertur, non ad fratres. IDEM.

Et quam deseruisti] Refertur ad vocem *gentibus*, perturbatis ambabus gentibus, et quas, &c. IDEM.

CAPUT XIV.

Ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem] Sic est legendum, ordine verborum, qui perturbatus erat, restituto. Atque hanc meam emendationem adjuvat vetus codex, in quo ita scriptum est: *vel illi tibi loco per ætatem, &c.* LAMBIN. Prim. Franc. et edit. prima: *Ut is, qui te adoptavit, patris loco, vel illi tibi loco filii per ætatem*. Non fuit repudiandum *patris loco*, quod hic est singulari vi. Nam quamvis qui adoptat, semper patris locum et numerum obtinet, tamen hic oratorie additur *patris loco*, appositum *filii loco*, quod sequitur, ut magis feriat et advertat judicum et auditorum animos rei absurditas. GRÆ.

Vel eo quo fuit] Confirmant Dresdens. et editio prima, *vel eo quo fuit*. Primus autem Francii. *vel ea quæ fuit*. Forte Cicero scripsit, *vel ea quæ solet*. Nam *solere* rem obscœnam notare vix quisquam ignorat, et multis exemplis docuerunt politiores homines ad Plauti locum in Cist. l. 1.

Viris cum suis prædicant nos solere:
Suas pellices esse aiunt. GRÆVIUS.

Legitimo et pontificio jure] Sic Franc. et ed. prima. Vulgo geminatur copula *et legitimo et pontificio jure*. IDEM.

Ut hæc simulata adoptio filii] Pantagathus legebat *adeptio*, pro *adoptio*: quæ lectio si minus vera sit, ingeniosam esse nemo negabit. F. URSINUS. *Ut hæc simulata adoptio filii*] Pal. nonus et Gembl. *editio*. S. Victor *adjectio*. Quod esset *adlectio*: utrumque præponendum vulgato. GRUT. In prim. Franc. est, *ut hæc simulata adoptio*.

Venire imberbem adolescentulum] Hunc ipsum locum esse arbitror, quem testem producit Sosipater Carisius lib. I. ubi docet, *imberbos*, dici, non, *imberbeis*, his verbis: *Sic et Cicero imberbum protulit, non imberbem*. Quare hoc loco legendum esset, *imberbum*, quod mihi videtur. LAMB. *Venire imberbum*] Ita laudat Carisius libro I. non ut hodie vulgatur *imberbem*. Sed tamen an de hoc loco Tullii senserit nescio. Itaque viderit Lambinus, an istud hic potissimum intrudi debuerit. GRUT. Cur ergo ipse admisit in editionem suam?

Cur ergo adoptatur?] Codex manuscr. habet, *cur ergo adoptabat?* Ego nihil muto. LAMBIN. *Cur ergo adoptatur?* Videntur a glossa. Certe nihil habent quo firment sententiam. Variantque libri. Nam Pal. nonus legit *adoptabatur?* S. Victor *adoptabat*. Cæteri, *adoptat?* GRUT. Tota hæc περικοπή *cur ergo adoptatur?* usque pa-

tricius nemo relinquetur, non legitur in prim. Franc. et Dres.

Quia patricio non sit locus] Cur abjecerunt particulam *is*, quæ in manuscriptis, quos vidi, et editione prima, aliisque vetustioribus legitur: *quia patricio non fit is locus?* GRÆV.

Flamines, salios] Quos omnes e patriciis creari oportet. HOTOM.

Neque auctores centuriatorum et comitiorum] Idem intelligitur ex Liv. VI. horum comitiorum auctores patricios fuisse. IDEM. Manutium, et in primis J. Fr. Gronovium, Observat. I. 25.

CAPUT XV.

Quæ sæpe in concionibus responsa sunt] Moris fuit, ut qui quid per auspicia improbare vellet, is augures et eum qui cum auguribus de cælo servarat, in concionem productos interrogaret, ecquid signi animadvertissent. HOTOM.

Lex curiata] Julius Cæsar legem comitiis curiatis tulerat, ut Clodium a plebeio adoptari liceret. Sic de provinc. consular. *Oblitine erant tum, cum ille qui id egerat, plebeius est lege curiata factus, dici de cælo esse servatum.* IDEM.

Adest præsens] Pr. Franc. *At est præsens.*

Infirma sunt igitur] Objectio Clodii, qua Ciceroni Cæsaris invidiam conciliat. HOTOM. *Infirma sunt igitur, tua sententia, acta C. Cæsaris*] Vox *sententia*, non est a libris vetuste cusis, nedum plutearis nostris. Itaque vide num tollendum veniat pronomen, *tua*, an aliud quid sub eo lateat. GRUT.

Exceptis his telis] Id est, cum jam exceperim, cum jam mihi imposita sint vulnera. HOTOM.

Auspiciorum patronus] Ut quæ Cæsar contra auspicia egisset, rescinderes. Hujus autem rei causam exponit in ea de Harusp. resp. cum senatus sese nimiæ Cæsaris potentiæ opponere cœpisset, tum Clodium subito se ei venditasse, et in concionibus leges Julias oppugnare cœpisse. IDEM. *Sententia* nec ego reperi in editione principe, et Ms. Dresd. sed in primo Francii legitur, nec potest abesse sine sententiæ damno. GRÆV.

Tu M. Bibulum in concionem, tu augures produxisti] Mss. quos inspexi, editio prima, Victor. et vetustiores, *in concione*, hoc est dum concio est populi. IDEM.

Quod contra auspicia] Mendose habent libri vulgati, *quæ contra;* &c. Emendate manuscr. *quod contra:* quos secuti sumus. Ex iisdem aliquot verba, quæ in vulgatis deerant, quasi sepulta, in lucem revocavi. Iidem habent paulo post, *illigatus teneretur*, ubi vulgati, *alligatus.* LAMB. *Quæ contra auspicia essent acta*] *Quia* pro *quæ* habet Ant. Augustinus. F. URSINUS.

Videte hominis amentiam, ubi per suum tribunatum Cæsaris actis illigatus teneretur] Prim. Franc. *Videte hominis amentiam, ut per suum tribunatum Cæsaris actis irritatis teneretur.* Sic et Dresd. nisi quod pro *irritatis* in illo scribatur *illigatis.* Editio princeps: *Videte hominis amentiam, ut suum tribunatum Cæsaris actis illigatum teneret.* Jure asteriscum his verbis apposuit Victorius. In hac varietate mihi videtur aptissime legi posse, aut ipsum Ciceronem scripsisse: *Videte hominis amentiam, ut per suum tribunatum Cæsaris actis illigatus tenetur.* Ut homo amens se ipse damnat, cum Cæsaris acta damnat, cum ejus tribunatus sit Cæsaris actis illigatus, ut sine illis non possit esse tribunatus. In Victor. Lamb. et aliis editionibus legitur *alligatus*, quod et ipsum potest ferri. GRÆV.

CAPUT XVI.

Hora fortasse sexta diei] *Fortasse* est, circiter, plus minus: nihil auctoribus vulgatius, et tamen ecce, Lambinus præter libros emendat, *Horæ circiter sexta.* GRUT.

Ad quosdam viros fortes] Suetonius in Julio: *Cicerone in judicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus frustra jampridem*

a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die horaque nona transduxit. HOTOM.

Trinum nundinum] Hac de re dixi in comment. ad XII. tabulas. IDEM.

Sin eadem observanda, sicut decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam et Didiam latæ essent, populum non teneri jam intelligis, &c.] Ita hunc locum legebat Octav. Pantagathus. F. URSINUS. In hoc loco particula *si* prætermissa, quæ invenitur in optimo Francii, et editione prima, peperit obscuritatem, et pravam distinctionem in omnibus editionibus. Rescribo igitur ex illis, quos laudavi, libris, cum sit immutata interpunctione: *Sin eadem observanda sunt; si decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam et Didiam latæ essent, populum non teneri, jam intelligis omni genere juris, &c. te tribunum plebis non fuisse.* Si trinundinum, inquit, observandum est in lege curiata ferenda ad adoptionem, si statuit senatus Drusi leges non pro legibus esse habendas, quia contra legem Cæciliam et Didiam, quæ trinundinum in legibus ferendis sanxerant, latæ erant, satis per te cognoscis te tribunum non fuisse. Nam licet Drusi leges dicantur ab Asconio latæ fuisse contra auspicia, poterant tamen etiam latæ esse contra legem Cæciliam et Didiam, non servato trinundino. Delevi τελείαν στιγμὴν post, *teneri*, et notam interrogationis post, *tribunum plebis non fuisse*, et huic loco suam integritatem restitui. Vidi postea Pantagathum quoque in eadem fere fuisse sententia, et consensu viri acuti lætatus sum. GRÆV.

Decrevit senatus] Manuscripti libri habent, *judicavit senatus*. LAMB.

M. Drusi legibus] M. Livius Drusus tribunus plebis, multas leges tulerat. Philippus consul, qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur. Decretum est enim contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. Hæc Pædianus in Cornel. Cicero de Legibus II. *Quid leges non jure rogatas tollere? ut etiam decreto collegii, ut Livius consilio Philippi consulis et auguris?* HOTOM.

Cæciliam et Didiam] In hac caput hoc fuisse apparet, ut in legibus ferendis trinundinum servaretur. Ut Philipp. V. *Quid promulgata fuit? nonne ante lata quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? ubi lex Cacilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum?* IDEM.

Cum plebe jure agere] Quasi tum de cælo servatum non fuisset. IDEM. *Jure* non habetur in primo Francii.

Tua rogatione] De me in exilium ejiciendo. HOTOM.

Tam jure, quam lege] Adludit ad formulam adrogationis. IDEM.

De capite civis indemnati tulisti?] Hac de re dixi in comment. XII. tabularum. Idem iteratur in ea pro Sextio. IDEM.

CAPUT XVII.

Leges privatis hominibus irrogare] Male Lambinus *privatas*. Melius Joseph. Scaliger apud Festum in *Privos*, *privis hominibus*. Sequentia enim ita legendum clare evincunt. GRUT.

Prodicta die] Videtur idem esse, *diem dicere*, et *diem prodicere*. Magistratus diem dicere dicuntur reo, cum ei certum diem præstituunt, qua die eum ad populum accusaturum denuntiant. HOTOM. *Ne, nisi prodicta die*] Liber vetus habet, *prædicta die*. Verum tamen nihil muto. LAMB. *Prodicta* legitur in melioribus libris tam scriptis, quam editis. Et est hoc proprium in hac re verbum. Vide Festum. GRÆV.

Ut ante magistratus accuset] Recte in aliis, *ut ter ante*. Nam accusatio trinundinum durabat: id est accusator primo nundino, semel: altero, iterum: tertio, postremum. Ergo intermissam diem, pro intermissum tempus posuit: id est, intermissis atque interpositis aliquot diebus. HOT. *Ut te ante magistratus citet*] Sic reposui, libris omnibus invitis, in quibus

legitur, *accuset* pro *citet*, ratione et veritate approbante. Qua ratione? qua veritate? Ipso Cicerone infra paucis post versibus, *neque adesse jussus, neque citatus, &c.* Idem septem circiter post paginis, *qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno plebis citatus.* Postremo, *magistratus* est *citare*, non *accusare*. LAMB. *Ut ter ante magistratrus accuset.*] Lambinus; *magistus citet*, tanquam id ratio et veritas probet. Contra omnes libros; ideoque inepte. Ald. Nepos edidit: *Tertio ut ante, magistratus accuset.* Nimis profecto licentiose. GRUT.

Quarta sit accusatio trinum nundinum] Cum magistratus reum ter accusavit, tum rogationem per trinas nundinas promulgatam habuit, in qua crimen et pœnam criminis comprehendit, tertiis nundinis quartam accusationem infert, ac reo causam dicendi facit potestatem, inde diem prædicit, qua die ad populum de pœna certandum est. C. Sigon. III. de judiciis, cap. 6. quem et vide in sequentibus capitibus.

Illum diem] Ultimum trinundini. HOTOM. *Si qua res illum diem*] Legendum fortasse, *illam diem*. LAMB.

Aut auspiciis] *Auspicia* populi judicium tollebant, si quis obnuntiasset: quia sic quoque cum populo agebatur. HOTOM.

Aut excusatione] Pædianus scribit, moris fuisse, ut reis sæpe vel morbi vel alterius rei excusatio permitteretur. Sed difficile dictu est hoc loco tales excusationes intelligi, cum tantum in ista postremo die momenti sit: nisi forte de morbo sontico plane constet. Erat autem etiam excusationis genus aliud, de quo Liv. l. 3. *Cæso Quintius judicii die cum excusaretur solum vertisse exilii causa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati divisere concilium.* IDEM.

Tota causa] Id est, nihil eo judicio et illa tota accusatione actum videbatur, si accusatori novum de integro judicium altero trinundino instituendum erat. IDEM.

CAPUT XVIII.

Conductos et sicarios, egentes] Dresd. *Conductos, ut sicarios, egentes.* Prim. Franc. *per conductos sicarios.* Copula recte omittitur. Omnino enim legendum: *conductos sicarios egentes.* GRÆV.

Pecunia non expetebatur] Propter tenuitatem. HOTOM. Prim. Franc. et prim. ed. *pecunia non expectabatur.*

Intuemini paulisper animis juventutem] Expunxi *paulisper*, quod nec in scriptis nostris, nec in editione prima legitur. GRÆV.

Hoc jure firmato] Si constitutum sit hoc juris esse. HOTOM.

At quid tulit legum scriptor peritus et callidus] Copulam primus, ut puto, inseruit Lambinus. Nam ante hujus editionem nulla vetustior, nec Victor. nec Manut. nec Mss. eam agnoscunt. Ego existimo *peritus* esse interpretationem adscriptam margini, qua magister explicuit quid sit *callidus*, quæ vox post in contextum irrepsit. Nam *callidus* esse peritus quis ignorat. Cicero III. de nat. Deorum: *Callidos appello, quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit.* Plaut. Asin. I. 3. *Ad suum quemque hominem quæstum esse æquum est callidum.* Hoc est peritum rationis quæstum suum cum lucro exercendi. Cicero pro Rosc. Amer. 17. *Non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo.* Tacit. *Quo nemo ea tempestate callidior rei militaris.* GRÆV.

Spurciorem lingua sua] Offendi in aliquot manuscriptis *spurciciorem*, quod antiquariis forte non displicebit. GRUT.

Sexte noster: bona venia: dic, quoniam dialecticus] Verbum *dic*, semper mihi suspectum fuit. Itaque sic olim edideram, eo deleto, *Sexte noster, bona venia: quoniam, &c.* Hæc enim sententia est, *Sexte noster, bona venia abs te quæro:* cum tua bona gratia te interrogo: *quoniam, &c.* Sic autem loquuntur Latini, *bona tua venia dixerim*, non, *bona venia dic.* nisi fallor.

Itaque retento verbo, *dic*, sic nunc edidi: *bona venia: dic, quoniam, &c.* LAMB. *Bona venia, quoniam jam dialecticus, et hoc quoque liguris*] Ita Palatini sex, non ut vulgata, *bona venia dic, quoniam dialecticus es, et hoc quoque liguris.* Et vero binas illas voculas esse a Criticis, produnt et editiones primæ, quæ eas non habent. GRUT. In primo Francii *dic* invenitur. Sed *es* non quidem extat in meis libris, et editione prima. Extat tamen in Mediol. Victor. Manut. Lambin. et non potest abesse. Nam duriore illa ellipsi non utitur Tullius. Absorptum fuit *es* a sequente vocula *et*. Si *es* respuimus, abjicienda quoque est copula. GRÆV.

Liguris] Degustas. *Ligurire* dicuntur, qui non uno se cibo satiant: sed ex variis paululum delibant. Significatur Sex. Clodium varias disciplinas primoribus labris degustasse. HOTOM. Vide Manutium, qui hæc verius exponit. GRÆV.

Quadrupedum impurissimo] Et hic quoque fœditatem illius significat. HOTOM.

Alios, qui leges scribere] Sic habent libri veteres, non, ut vulg. et *alios esse, qui, &c.* Præterea paulo post, ubi vulgati habent, *scriptoribus iisdem:* in illis scriptum est, *scriptoribus isdem*, unico *i*. Et ita sæpenumero scriptum reperi in veteribus libris: quod semel dixisse satis sit, ne toties idem sit iterandum. Hac autem de re Cicero scripsit in oratore perf. LAMBINUS.

Neque operum architectis] *Architectum* habet vetus liber, quod magis placet. URSIN.

Mancipem] Adludit ad publicanorum societates, quorum quidam *mancipes* erant, qui publica a Censoribus redimebant: alii *prædes*, qui pro illis fidejubebant. HOTOM.

At denique suffragii latorem] Pal. nonus *suffragatorem*. Unde adblanditur scriptio codicis S. Victor. *suffragulatorem*. GRUT.

Nisi furem, aut sicarium] Franc. et Dres. *non furem ac sicarium*. In editione prima scribitur etiam *ac*. GRÆV.

CAPUT XIX.

Per medium forum scortum popularе volitares] Non putavi mihi hanc vocem, *scortum*, in vet. libris a me repertam, quod nulla sint in vulgatis ejus vestigia, idcirco esse repudiandam. Est enim acrimoniæ, et contumeliæ plena: et in Clodium impudicum, ac cinædum bellissime convenit. Iidem libri veteres, ubi alii, *scelerisque socius*, habent, *scelerisque socios*. LAMB. *Per medium forum popularis volitaris*] Lectio minus vera. Nam. Pal. et S. Victor. *per medium scortum popularе volitares*. Quod admisit Lambinus, sed præterea recepit illud *forum*, præter ullos libros; nam et editi vetuste, *per medium sortitum popularem volitares*. GRUT.

Qui se populo commiserant] Qui honores in comitiis petebant. HOT.

Ut etiam Palatinam tuam perderent] *Palatinam tribun tuam*, Pantagathus: sed Ant. Augustinus, *Palatinam illam tuam* legit. F. URSIN. Vide Manutium.

Damnabantur] Sic in Sextiana, *Quocunque venerant, quod judicium cumque subierant, damnabantur*. HOT.

Novitius Ligur] Sex. Ælium tribunum plebis significat, qui cognomen *Liguris* sibi, quasi ex antiqua Æliorum gente esset, adripuerat. ID. *Novitius Ligur*] Nihilo pejus Gembl. ac Pal. nonus, *Ligus;* qua terminatione et alibi usus. GRUT.

Judicio improbatus] Non substitutus heres, exheredatus inter cæteros. Probro dabatur fratribus præsertim, cum præteriti in testamentis fuissent. HOTOM.

Alienæ damnationis scelerisque socios] Significat illum cædis fraternæ conscium et participem fuisse. ID.

Ut se ipsa dissolvat] Ipso jure nulla sit. Non aliunde rescindatur, sed in ipsa vitium insit. IDEM.

Est enim, quod M. Tullius falsum S. C. retulerit] Franc. et ed. prima: *Etenim, quod M. Tullius falsum sena-*

tusconsultum retulit. In Dresdensi est etiam *retulit.*

Satisne tibi videtur] Puto quædam deesse, ex quibus istud quod jam infert, consequebatur. Fortasse autem hoc deest, *Recita senatusconsultum*, quod quia notis scriptum erat effluxit. HOTOM.

Bonus ille vir, M. Scaurus]. Quidam libri veteres habent, *in bonis illi vir.* Locus suspectus. Legendum forte, magnus ille vir. LAMBIN. *M. Drusus in legibus suis plerisque, bonus ille vir M. Scaurus, et L. Crassus consularis non obtinuerint*] Examinet quæso critica natio scripturam hanc. Pal. pr. et sec. *Tuis plerisque in bonis ille vir. M. Scauro, et L. Crasso consulibus, non obtinuerit.* Sensus sane inde resultat egregius, reformato *tuis* in *suis*, rejectoque *ille vir.* Ut bina faciat legum genera Drusi; bona, et mala. Ne in bonis quidem, inquit, obtinuit quæ voluit, anno quo consul erat Scaurus, anno quo Crassus. Inspexi obiter Fastos; sed nihil statim ultro occurrit. Sedere ad calculos non libuit, neque adeo licuit; flagitatus nimium ab eis, qui jamdudum prodire Ciceronem debuisse, clamitant. Et vero dum in ejus mari naviculor; naufragium vitæ fecerunt Bongarsius, Rittershusius, Casaubonus, Velserus, Freherus, Petavius, Vulcinius, amicissima illa mihi capita. Itaque ejusdem fere cum plerisque ætatis, ad portum adspirem oportet, nisi amem item exanimis ejici ad littus. GRUT. Franc. I. et Dresd. æque ut multi alii, *in bonis ille vir.* Sed ed. prim. *bonis ille vir.* MOX Franc. et ed prim. *obtinuerit.* GRÆV.

Omnium facinorum et stuprorum omnium] Suspicor de mendo, nam pro altero *omnium* desiderari videtur *principem*, aut tale quidpiam. HOTOM.

Decumis et Clodiis] Significat istos legem Clodiam suasisse. IDEM.

CAPUT XX.

Ne reciperer] Ne quis me tecto reciperet: si quis recepisset, is pœnam subiret. IDEM.

Quid nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac meorum bonorum direptio] Ita Pantagathus interpungit, et pro *direptio* legit *ereptio.* F. URSIN.

Per legem Liciniam] Ne ei qui legem de curatione potestateve aliqua tulerit, ejus collegis, cognatis, adfinibus ea potestas curatiove mandaretur. HOTOM.

Unum et idem videtur esse atque id] Franc. Dresd. et prim. *Unum et idem ratione videtur esse.* Latine quidem dicitur *ratione facere, ratione peccare.* Sed *videtur esse ratione idem*, nunquam placebit palato Latino; cui magis arrideret, *videtur una eademque esse ratio.* Nolui itaque recedere a vulgatis. GRÆV.

Exsules Byzantium] Byzantini cives rerum capitalium a suis condemnati, per Pisonis legatos reducti sunt. HOTOM.

Eidem, inquit, utraque de re negotium dedi] M. Catoni, cujus nominis auctoritate facinus istud tegebat. IDEM.

Ut in Asia cistophorum] Cistophorus, numus Asiaticus. Patet hæc omnia de Gabinio dici, non quod Clodius istis de rebus legem tulerit: sed ostendit quam absurdum sit dici una de re populum rogari, quia uno de homine multæ res rogentur. ID.

Ut in Asia cistophorum flagitaret] Ant. Augustinus interponit *millies* inter verba *cistophorum* et *flagitaret*, quod facit ad elegantiam, non ad intelligentiam: quando enim unquam populus Romanus aut senatus, cuiquam magistratui sive urbano, sive provinciali negotium dedit flagitandi quicquam? Quare si voluerimus sanare hunc locum, alio prorsus remedio opus est: aliud enim nobis verbum erit recipiendum, et pro *flagitaret*, vel *factitaret*, vel aliud simile reponendum. Paulo post, *Cum Romæ decessisset*, rectissime *Roma* legit Ant. Augustinus. Sed Pantagathus totum hunc ita legebat, *Ut in Asia cistophorum exæquaret. Inde iret in Hispaniam, cum Roma decessisset, &c.* F. URSIN. *Ut cistophorum flagitaret*, hoc

est, ut juberet in vectigalibus et tributis pendendis non alia pecunia, uti Asiaticos, quam cistophoris. Sic hunc locum intelligo. Cistophoros dictos esse nummos, quod cista mystica fuerint insigniti, docet amplissimus Cuperus, Observat. IV. 16. Æquat fere pretio cistophorus victoriatum Romanorum, seu denarii semissem ut viri docti præceperunt. GRÆV.

De ista lege consultus esset] Sic legendum esse indicant scripturæ veteris vestigia: et paulo ante, *cum inde decessisset*, ubi libri vulgati habent, *de Roma decessisset*. Paulo post, qui vulgati habent, *de exsulibus Byzantiis*, in antiquis scriptum est, *Byzantinis*. Nihil muto tamen. Βυζάντιος enim dicitur a Græcis, qui Byzantii natus est. LAMB.

Et non omnia per servos] Copulam *non* agnoscit prim. Franc. et prima editio Ms. Dresd. *Ne omnia per servos*. Potest abesse *et*, quod infultum fuit ab iis, qui putabant sine hac particula non constare sententiam: aut legendum est addita unica littera ex Dresd. *nec omnia per servos*. GRÆV.

CAPUT XXI.

Gradus Castoris] Quos ligneos et exemtitios fuisse multis ex locis intelligitur. HOTOM.

Qui in conventu virorum bonorum] Manuscripti, et edd. vett. quas vidi, *qui conventu virorum*, hoc est cum convenissent. Amant veteres nomina hujus inflexionis, sic adhibere omissis præponendi particulis. Cicero I. de Orat. I. *Consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen*, pro in consulatu. Sueton. Octav. 44. *Motus injuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat*. Vide plura hujus locutionis exempla, quæ notavi ad Suet. Octav. cap. 13. GRÆV.

Verba de salute mea fecerant] Vetus liber *facerent*. F. URSIN.

Advocationem] Amicos, a quibus comitati eo venerant. HOTOM.

Tibi speratos centuriones] Sic est scriptum in libris manuscriptis. Neque vero dubium est, quin ita sit legendum. *Sperati* autem sunt, *sparis armati*. Sparus porro teli genus. Cicero pro Milone, *sparorum, pilorumque multitudo*. Sallust. conjur. Catil. *Sed ex omni copia circiter quarta pars erat militaribus armis instructa: cæteri, ut quemque casus armaverat, sparos, lanceas, alii præacutas sudes portabant*. Virgil. lib. XI. Æneid. *Agrestesque manus armat sparus*. Mendose autem habent libri vulg. *tibi suos paratos, &c.* Deinceps autem iidem libri veteres habent, *tibi pecuniam, tibi familiam*. LAMB. *Tibi suos speratos centuriones, &c*] Est a Gemblacensi, S. Victor. et Pal. nono, fateturque eodem modo scriptum in suis Lambinus, qui ridicule inde facit *sparatos*. Eos enim innuit quos se in Syriam educturum sperabat, aves concolores scilicet. GRUT. Nihil ineptius *speratis centurionibus*. An illi sint sperati tribuni, quos consul legit, et secum abducere in provinciam constituit. Si sperati possunt dici centuriones, illi sunt, quos quis selecturum et paraturum sperat: sed hos nondum lectos non poterant præstare Clodio consules. Non interpolanda est vulgata scriptura, quam tuetur uterque manuscr. et editio prima. Vitium, quod obsidet libros, in quibus legitur *speratos*, videtur natum esse ex eo, quod librarii ultimam litteram in *suos* iterarint, quæ adhæsit τῷ *paratos*, pro quo in Mss. nonnullis legitur *Patos*, quod tam *peratos*, quam *paratos* notat. GRÆV.

Amplissimum ordinem] Similem iterationem nusquam me animadvertisse memini. Itaque si quis vetus codex reperiretur, in quo sic legeretur, *Amplissimum ordinem pro me non modo, &c.* eam scripturam lubenter cum hac commutarem: ut VOX *Senatus* ex glossa ascita videatur. HOT.

CAPUT XXII.

Quid igitur ego gessi] *Cessi* Pantagathus, a quo accepit Manutius. F. URSIN.

Quid nostri equites Romani] Haud

aliter quoque S. Victor. et Pall. primores. Recepta lectio, *quid? illi equi, illi equites Romani*, ridicule, et præter edd. vett. GRUT.

Ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem probarit?] Forte: *Ut ea ipsa se non modo præsente me, sed etiam absente, per se probarit?* LAMB. *Sed etiam me absentem probarit*] Vulgo amplius, *absentem per se probarit.* Quas voculas abjeci suasu Pall. noni. Alia hic molitur Lambinus, sed sine Mss. miser. GRUT. Cur unius codicis suasu duas has voculas, quarum tamen hic magna vis est et ἐνάργεια, et suavitas etiam Gruterus expunxerit, nulla justa est causa. Retinent eas omnes Mss. quos vidi, et vetustiores editiones. Pulchre dicitur et efficaciter, causa non modo se ipsa, sed etiam me absentem per se ipsa probavit. *Per se ipsa* est ipsa sola, sine alius rei, aut patroni adminiculo et subsidio. Sueton. Octav. 64: *Nepotes litteras, et natare, aliaque rudimenta per se plerumque docuit.* Jul. 58: *Neque ante in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus et navigationem, et accessum ad insulam explorasset.* GRÆV.

An ordines ii] Franc. Dresd. ed. prim. et meliores omnes præter veteres edd. *An ordines? an ii.* Quam particulam Gruterum et nonnullos alios repudiasse nollem, cum sententia illam exigat. Qui enim sunt illi ordines, qui ex Italia convolarunt? Qui ex Italia convolarunt, sunt cives Romani, qui habitabant in municipiis, coloniis, præfecturis, qui per se non ordines constituebant, sed Romæ aut equestri ordini, aut tertio erant adscripti. Merito τὸ *an* V. Cl. Jacobus Gronovius etiam reposuit. IDEM.

Ad meam pristinam dignitatem expectatum atque revocatum] Non puto Tullianam manum esse, *ad pristinam dignitatem expectatum esse.* Aliud est, *expectatum venire, redire.* Veram scripturam, quam recepi, servavit nobis Francii primus: *ad pristinam dignitatem expetitum atque revocatum queratur.* Eam quoque post deprehendi in sola Manutii editione anni 1583, sed quam hausit ex Fulvio Ursino, ut deinde cognovi. Sic enim is ad hunc locum notavit: Pantagathus legit *expetitum* pro *expectatum.* IDEM.

An vero in judicio periculi nihil fuit: privilegium pertimui] Sensus loci clamat particulam hic excidisse, quæ sensum turbat. Legendum existimo: *An vero si in judicio periculi nihil fuit, privilegium pertimui.* Jam ostenderat judicium sibi non fuisse pertimescendum. Si ergo id non fuit timendum, privilegium tamen, inquit, mihi metum forte incussit: quod etiam refellit. IDEM.

Nemo intercederet] Magistratibus multam inrogantibus alios intercedere potuisse, patet ex aliis Ciceronis locis. HOTOM.

Nova vis sceleratissimorum consulum] *Nova vis consulum*, quid sit, non intelligere me fateor. *Magna vis hominum* sæpe legitur, ut apud Flor. 1: *et statim mira vis hominum.* Mss. hic recedunt ab editis. Dresd. et ed. prima: *novatos nos sceleratissimorum consulum.* Hic quoque primo Francii debemus veræ scripturæ conservationem, in quo legitur: *nova manus sceleratissimorum consulum.* Vestigia hujus lectionis sunt in Dresdensi et editione prima, ut vides. *Nova manus consulum* novæ sunt copiæ facinorosorum, quos collegerant consules ad vim faciendum cum veteribus copiis conjuratorum. Flor. II. 10: *Jam diebus, jam noctibus nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, &c. prodibat.* GRÆVIUS.

Cum eorum omnium crudelitati scelerique cessissem] *Scelerique* puto primum a Victorio in editiones profectum esse. Nam hæc vox nec in Mss. quos evolvi, nec in edit. prim. Mediol. nec in ulla ante Victorianam conspicitur. Equidem huic loco non satis apposita videtur.

CAPUT XXIII.

Ex provincia] Cilicia, in qua proprætor triennium fuerat. HOTOM.

Male! non in *Cilicia*, sed in Asia fuerat pro prætore.

Qui parietibus, qui tectis, &c.] S. Victoris prætermittit, *his qui parietibus*. Videndum, an sub aspectum oratoris cadere poterat aliquid suorum, eo loci ubi perorabat. GRUT.

Horrificum quoddam et nefarium] Libri manuscr. habent, *hostificum:* unde suspicor legendum, *hosticum*. LAMB. *Horrificum quoddam*] S. Victor Pal. nonus ad oram primi, *hostificum*. Quod nolim mutare cum Lambino in aliud quid, si præcedere debet vulgatam. GRUT.

Campanum illum consulem] Invidiose pro *duumvirum*. Qua de re dixi in Pison. et in ea post redit. in senatu. HOTOM.

Cæmentis ac testis lectorum meorum] Vetus editio habebat *tectis*, itaque recepi *testis:* quod erat in Pal. nono, in Erfurd. in S. Victoris. Recentius cusi substituerunt *tegulæ*, quod in nullo est Pall. qui mediam ostentant lectionem. GRUT. In primo Francii scribitur *tectis*, sed illa ipsa manus apposuerat al. *tignis*, quod et in aliis libris reperisse viros doctos Manutii editio, ut cæteras taceam, ostendit. Quod sane non contemnendum. Tignis sustinetur tectum ac lacunaria. GRÆV.

Acerbum bellum intestinumque] *Intestinumque bellum* dici notandum est, non tantum domesticum, verum etiam insitum et penitus in animis infixum. HOTOM. *Intestinumque suscepimus*] Quidam legi volunt, *internecinumque*. Quibus assentior. LAMB. *Quibuscum acerbum bellum intestinumque*] Vox *intestinumque* non agnoscit idem nonus, habetque *quiscum*. Utrumque placet. GRUT.

Solemus excipere] Reposui quod erat in omn. Pall. et edd. vett. Vulgata *excidere*, Lambinus *exscindere*. GRUT.

Residere aliquod bellum semper videtur] Deest, nisi fallor, ἀνταπόδοσις, quæ respondeat πρότασι, id est, priori parti similitudinis: quæ ἀνταπόδοσις talem quandam sententiam complectatur. Sic vos vestrum in me crudele, et immane odium in meam domum profudistis. LAMB. *Residere aliquando bellum semper videtur*] Unde profectum est istud *aliquando* in Gruterianam? Quomodo possunt in eadem re eodem tempore morari *aliquando* et *semper*. Atqui omnes libri scripti et editi *aliquod* scribunt recte. GRÆV.

Non citatus. Afueram] Sic distinguendum ac legendum ex S. Victoris, in quo *afueram;* quod ab aliis male mutatum in *affueram*, quomodo edd. vett. et Mss. plerique: recentiores enim, *non citatus fueram*. GRUT.

Altera ad alterum consulem transferebatur] Hunc locum sive culpa, sive errore librarii lacerum et mutilum redintegravi ex oratione habita in senatu post reditum: ubi hæc posita sunt, *uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat. Bona ad vicinum consulem de palatio: de Tusculano ad item vicinum alterum consulem deferebatur*. Nam in libris vulgatis sic legitur, *villa in Tusculano altera ad alterum consulem transferebatur: sen*. Licet etiam sic restituere, *cum domus in Palatio ad alterum, villa in Tusculano ad alterum consulem transferebatur*. LAMB.

CAPUT XXIV.

Ad socerum consulis] Lambinus, *socrum:* nescio quam vere: certe soceri hujus supra meminit cap. 9. GRUT. Quamvis omnes libri tueantur vulgatam, recte tamen P. Manutius emendavit, unde hausit Lambinus, *ad socrum*, quem vide. GRÆV.

Non instrumentum aut ornamenta] Ita ad unum omnes Pall. S. Victor. edd. antiq. Nam musteæ: *non modo instrumentum*. GRUT.

Domus ardebat] Hæc ipsa totidem verbis in Sextiana. HOTOM.

Catilinæ delicias] Gabinium significat. IDEM.

Cethegi consobrinum] Pisonem. ID.

Jam erumpebat, nactæ tam audaces duces] Hunc locum sic restituit Mu-

retus ex libris veteribus, cum ita legatur in vulg. *jam erumpebat in actum*, plane mendose. LAMB. *Nacta tam audaces duces*] Emendatio manavit a Mureto libro VI. Var. lect. cap. 19. nec recedit Pal. nonus, quam quod is, *nactam audacis ducis*. Vulgata, *in actum tam audaces duces*. GRUT.

Cum magna internecione bonorum] Franc. *Cum magna interemptione bonorum*. Sic et in Mss. In orat. pro Sylla cap. 11. *interemptio* legitur, pro quo in vulgatis æque ut hic *internecio*, ut et in orat. pro leg. Manil. GRÆV.

Clarissimos.] Utrumque Decium. HOTOM.

Dubitarem hoc meliore conditione esse quam Decii? Distinctio a me est. Lambinus non se expediit sine mutatione vocis. GRUT. Distinctionem Gruteri non probo, sed illam, quam Francii liber et veteres editiones retinent. *Dubitarem? hoc meliore conditione, quam Decii*, aut, ut Dresd. ed. prima, et cæteræ omnes ante Victorianam: *Dubitarem? hoc meliore conditione quam Decius, quod ille ne auditor quidem suæ gloriæ, ego etiam spectator meæ laudis esse potuissem.* Spero Victorianæ scripturæ auctores esse ventustiores libros, præsertim cum nihil de Palatinorum varietate moneat Gruterus: itaque nihil muto, nisi quod pristinam distinctionem restituerim, et τὸ *esse* deleverim, quod in nullo est vetustiore; et sententia, cum abest, venustior est meo judicio. GRÆV.

CAPUT XXV.

Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus] Sic Pall. omn. sententia non incommoda. Sed cum in veterrima extaret ed. *Furor tuus immanis, faciebat ipse impetus;* mutabat id Gulielmius in, *fatiscebat ipse impetus.* GRUT.

Cato fuerit proximus] Adhæsimus Mss. nostris Pall. quibus paria fere faciebant vetustius cusa exemplaria. Lambinus multa admiscuit, quorum nihil extat in nostris. Sed et Henr. Stephani Ms. mihi hic nimium quam suspectus est. IDEM.

Ut qui modus moribus fuerat, idem esset injuriæ] Vetus liber: *Quid ageres, non erat: nisi ut qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, socius idem esset injuria. Quid? ejicere posset? non: quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam? præda perierit. Alia non deerit. Hic modo amandatus sit.* HOT. *Quod ageres, non erat, nisi, ut, qui mihi dux omnibus in rebus fuerat, idem esset injuriæ socius, &c.* Errici Stephani fidem secutus, qui hunc locum ita scriptum esse in veteri codice testatur, sic edendum curavi. Ego autem, antequam hanc emendationem vidissem, hunc eundem locum sic purgare conabar: *Cato mihi in consiliis capiendis, rebusque gerendis fuerat proximus. Quid ageres? non erat ut, qui modus omnium moribus fuerat, idem tibi esset adjutor injuriæ. Non erat, ut*, id est, non poterat fieri, ut. Sed quid conjecturas commemorare, aut proferre attinet, ubi extat librorum antiquorum auctoritas? LAMB. Si in meis codicibus, aut Gruterus et Gulielmius in suis reperissent, quæ in antiquo codice legi testantur Hotomanus, et Stephanus, nullus dubitarem illa recipere. Sed nunc omnes refragantur. Quamvis vero vulgata sint mendosa, non ausim sine melioris libri subsidio quicquam refingere. GRÆV.

Sic M. Cato invisus] Fortasse legendum est, *invitus*. Nam hoc, *invisus*, nisi addatur, *perditis hominibus*, aut aliquid simile, non placet. LAM.

Quasi per beneficium Cyprum relegatur] Vetus est mos sub specie honoris et beneficii relegare suspectos et invisos. Vide Gruteri dissertationes politicas libro II.

Ejiciuntur duo] Cato et Cicero. HOTOM.

Quo auctore] Sic multis locis, et præsertim in Sextiana: *Omnibus in concionibus illa furia clamabat, se, quæ faceret, contra salutem meam facere auctore Cn. Pompeio.* IDEM.

Se fecisse et facere] Pal. nonus et

S. Vict. liber (sic et prim. Franc.) *se effecisse*. Facit inde Guliel. *se et fecisse, et facere*. GRUT.

Cn. Pompeium, quem omnium judicio, &c. veniam daturum non arbitrabatur] Non male Francii, et ed. prima: *Cn. Pompeius, quem omnium judicio, &c. veniam daturum non arbitrabatur*. Consentit Dresd. nisi quod in illo legatur cum editis *daturum*. GRÆV.

Domumque conjecerit vidistis] *Inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu*. In Sext. HOT.

Ex quo judicare potestis] Videtur melius esse in antiquo, *potuistis*. URSIN. Quod omnino firmat prim. Franc. et editio princeps, quibus cum Ursino subscribo. GRÆV.

Quanta vis illa fuerit oriens et congregata] Editio prima: *quanta vis illa fuerit oriens et aggregata*. Quod cum sine dubio ex codice, unde illa est expressa, sit profectum, non est contemnendum. Nam pro hoc minus trito supposuerunt alii sive librarii sive scioli pervulgatum *congregata*. Est autem *aggregata*, conjuncta. Cic. I. Catil. *Si secum suos eduxerit, eodemque cæteros undique collectos naufragos aggregaverit*. Alibi Cicero quoque hac voce utitur. Non tamen aliorum codicum scripturam damno. IDEM.

CAPUT XXVI.

Dicenda Kal. Januariis] Pal. nonus et Erfurd. *dicenda* III. *Kalend. Januar.* et verum videtur. GRUT.

Nihil esse inscriptum] Hoc quid sit, non intelligo: nisi forte *jure scriptum* potius legendum sit. Ut in Sextiana, ubi hac ipsa de re loquens: *Ita de me*, inquit, *scripsisse illum quæ scripserat, iis verbis, rebus sententiis: ut etiam si jure esset rogatum, tamen vim habere non posset*. HOT. *Nihil esse ascriptum*] *Jure scitum* Pantagathus. Infra dixit, *jure actum*. URSIN. *Nihil esse inscriptum, &c.*] Potior forsan scriptura Pal. noni et Erfurd. *proscriptum*. Nam Lambini *jure scriptum*, non est a libris. GRUT.

Nec referre ad senatum] Nam quoddam legis caput Clodius in curiæ poste fixerat, ne referri neve dici liceret. Ad Attic. III. ep. 15. et in ea post redit. in senatu. HOTOM.

Non vidistis illam esse nullam] Pro *illam* legebat Pantagathus *legem*. URSIN.

Interdictum sceleris] Puto *interdictum* hoc loco usurpari antique pro severo et imperioso edicto: ut in comment. ad Instit. diximus. HOTOM. Vos utique vidistis illam legem, non esse legem, sed tantum inania verba iniquo tempore ad concitandum incendium dissensionis civilis facta, quo periret respublica et libertas; sed interdictum scelestum, quo mihi patriæ servatori aqua et ignis interdicebatur, sed rabiosi hominis voces. GRÆV.

Scripto illo istius] Quod ad curiæ postem, ut dixi, fixerat. HOT.

Sententiam dicere vetabatur] Sic recte Gruterus, aliæque nonnullæ meliores editiones. Vulgatæ *videbantur*, perperam. Pejus Gothofredus *jubebantur*, plane contra Tullii mentem. Vide superius orationem post reditum in senatu. GRÆV.

CAPUT XXVII.

De Macedonia] Id est, provinciis, quas pro præmio acceperant. HOT.

Tribunis plebis] Post 4. Id. Decembr. quibus T. Annius, P. Sextius, et alii tribunatum inierunt. IDEM.

Hunc tu etiam, perniciosa pestis] Libri veteres habent, *portentosa pestis*. LAMB.

Nunc tu etiam, perniciosa pestis] Liber manuscriptus habet *portentuosa*, pro *perniciosa*. URSIN. Prim. Franc. *portentuosa*. Sed Dresd. et prim. *portentosa*.

Cum tantis sceleribus esses et factis notatus] Quid hic *facta* post *scelera*? Merito ista verba *et factis* ignorant Franc. Dresd. editio prima: quorum subsidio illa minime huc apta delevi. GRÆV.

Ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis] Vide Senecæ Consola-

tionem ad Helviam matrem, cap. 6. et seqq. IDEM.

Felicem Catilinam] Qui, quod Catilina non potuit, Ciceronem ejecerit. HOTOM.

Neque quisquam eorum qui solebant] S. Vict. et noster nonus, *qui ei solebant*. GRUT.

CAPUT XXVIII.

Summum est populi Romani populorumque et gentium omnium ac regum consilium senatus] Emendata interpunctione hunc locum antea perturbatum expedivi, facilemque reddidi. Sic enim vulgo interpungitur, *Summum est populi Romani populorumque et gentium omnium ac regum consilium, senatus decrevit, &c.* plane mendose. Licet vel sic legere, ut est in hoc contextu, sine verbo substantivo, *est*, adhibita tali distinctione, qualem apponendam curavi: vel sic, ut est in ora libri, sine verbo substant. *est*, ea distinctione servata, quam præscripsi. LAMB. *Summum est populi Romani, &c.*] Haud aliter quoque S. Victor. aut Pal. nonus, cæterique. GRUTER. In Dresd. et ed. prima legitur sine copula: *Populi Romani, populorum et gentium omnium*. Sed in Francii firmatur vulgata, et interpunctio Lambini et Gruteri. GRÆV.

Decrevit] De hoc decreto in ea post reditum in senatu. HOT.

Si ego non fuissem restitutus] Vox, *restitutus*, abest a libris manuscriptis. Et vero, si quis attente leget, intelliget, eam esse ab aliquo semidocto adjectam. LAMBIN. *Si ego non fuissem, nec, &c.*] Vulgata interjecit, *fuissem restitutus, nec, &c.* Sed ea non est in S. Victor. aut Pal. nono. GRUT. Pal. et S. Victoris liber hic est corruptus. Sententia hujus loci non patitur *restitutus* abesse. Num non stetisset respublica, si Cicero non fuisset, hoc est si fuisset mortuus, aut pro mortuo habitus? Nequaquam. Si non revocatus fuisset ab exilio, non potuisset respublica stare propter impunitatem tanti sceleris, cum conservatorem reipublicæ, hoc ipso nomine, quod rempublicam servasset, in exilium expulissent homines scelerati, quæ ad majora audenda, et ad evertendam totam rempublicam illos invitasset. Hinc idem dixit aliis verbis in iis, quæ statim sequuntur, *nec futuram esse ullam, si non rediissem*, et id toties in hac orat. et duabus præcedentibus dixit. GRÆV.

Omnes omnium publicanorum societates] Qui omnes equestris erant ordinis. HOT. *Omnes omnium publicorum societates*] Recepta lectio *publicanorum*, sed præter Palatinos omnes exemplarque S. Victoris. Sic Plautus Truculento: *Metuit publicos*, id est, qui redemerunt opera publica. GRUT. Publicanos dictos esse *publicos* non puto ullo posse declarari exemplo: dicebantur ii publicum *conduxisse*, hoc est vectigal. Locus Plauti, quem affert Gruterus, non loquitur de publicanis, sed de ædilibus plebis, ut olim docti viri observarunt. Dresdensis liber stat pro vulgatis. In editione prima corrupte scribitur, *populorum societates*. In Franc. primo: *publicorum societates*, sed si non eadem, æque tamen vetusta manus minoribus litteris adscripserat. Alias *publicanorum*. Quod reducendum duxi. Nam quamvis *publica* pro vectigalibus ponatur, ut apud Senecam ep. 501. *Quid ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat;* hoc est, qui publicanus fuerat, et apud Ciceronem alio in loco, tamen quis ferat *vectigalium*, aut, quod idem est, *publicorum societates*, pro publicanorum? Perinde esset ac si quis diceret *vini* aut *librorum collegium*, pro vinariorum aut bibliopolarum collegium. Jam vero infinitis in locis Cicero commemorat *societates publicanorum*: cur hic vocet *publicorum societates?* Est librarii hallucinatio, quam non debebat Gruterus arripere.

Scribæ] De scribis vide Sigon. de antiquo jure civium Romanorum II. 9. quem ordinem tamen cum minus honestum esse putat, ex hoc loco re-

vincitur, ubi statim equestri ordini subjiciuntur. GRÆV.

Nulli pagani] Plebs urbana in pagos est a Ser. Tullio, teste Dionysio tributa. Unde et Q. Frater in libello de petitione: *Deinde habe oratores urbis totius, collegium omnium pagorum, vicinitatum. Ex iis principes ad amicitiam tuam si adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis.* C. Sigon. II. de jure antiquo civium cap. 7.

Aut montani] Qui illi ex plebe Romana montani, distincti a paganis? Romæ in montibus habitabant plerumque propter aeris salubritates cives beatiores, unde dicebantur descendere, cum prodirent, ut alibi notavimus. Populus vero degebat in plano et vallibus, qui inter illos erant montes. Cogitabam viliores cives forte habitasse in Janiculo, Vaticano, aut in Aventino, qui tum erat extra pomœrium urbis, eosque dictos esse montanos: sed qui illorum meminerit præter Tullium hoc in loco, non invenio, nec satis causæ video, cur illi præcipue commemorentur. Ampliandum itaque censeo. GRÆV.

Conventicula] A Numa rege instituta, ut Plutarchus, Plinius et Florus testantur. HOTOM. Vide de his collegiis et conventiculis opificum et artificum Sigon. de antiq. jure civium Roman. lib. II. cap. 12.

Legem de me ferentem] Vide in Indice nostro, *lex Cornelia de reditu Ciceronis.* HOT.

Ille vero dies qui fuit? cum te P. Lentule legem de me ferente, populus Romanus ipse se vidit, sensitque quantus et quanta dignitate esset] Ita hunc locum correxit Faernus, partim conjectura ductus, partim veteres libros secutus. F. URSIN. *Populus Romanus ipse vidit, sensitque, &c. esses.*] Arridet Faerni conjectura, *ipse se vidit, sensitque, &c. esset.* Sed ita nulli scripti; qui fere destituuntur præterea illo *ipse*, præferuntque *essem.* GRUTER. *Ipse* nec Franc. nec Dresd. nec prima editio, multæque vetustiores agnoscunt. In Dresdensi etiam *Romanus* non legitur. In sequentibus cur *enim* deleverunt, quod est in vetustis tam manuscriptis, quam editis libris? Grut. edidit, et qui eum secuti sunt: *Constat nullis unquam comitiis.* GRÆV.

A porta in Capitolium] Hæc pluribus scribit ad Attic. 4. ep. 1. HOT.

Sua celebritate lætitiaque comitatum honestavit] Franc. *Sua celebritate lætitiaque ac comitatu honestavit.* Quod vulgatis prætulerim. GRÆV.

CAPUT XXIX.

In discrimen adducerem] Franc. *in discrimen advocarem.* Sic *in invidiam, in odium vocari* apud nostrum. GRÆ.

Ulla lege interrogavit] *Interrogare legibus* quid sit, exposui in Comment. verb. jur. HOT.

Hoc tribunitium est? hoc populare est] Optime, ut videtur, legebat Pantagathus, *hoc tribunitium? hoc populare est?* F. URSIN. Franc. Dresd. et ed. prim. *hoc tribunitium est populare?* GRÆV.

Nisi cum pro populo fecisti] In arcanum bonæ deæ muliebri habitu ingressus es. HOT. *Nisi cum pro populo fecisti*] Si sequimur scripta exemplaria, tollenda syllaba *pro.* In nullo enim nostrorum visitur. In antecedenti proxime quædam addidi, quædam delevi; sed membranis iisdem auctoribus. GRUT.

Scilicet hoc juris a majoribus proditum sit] Hunc locum, absit verbo invidia, valde ἰστίχως emendavi, a sententia ipsa ad hanc conjecturam quasi manu ductus. Sic enim lego: *Potest desinere civis esse, cum hoc juris a majoribus, &c.* Inductus autem fuit librarius in fraudem a similitudine vocum, *potes dicere, potest desinere.* Deinde ex, *civis esse*, factum postea est, *scilicet.* Ita totus locus miserabilem in modum depravatus, nobis per manus traditus est. Referenda autem sunt hæc ad illa superiora: *Potest igitur, damnati pœnam sustinere indemnatus, &c.* LAMB. Hanc audacem conjecturam in contextum recepit Lambinus.

Nisi ipse auctor factus sit] Locum hunc in Comment. orat. pro Cæcina interpretati sumus. Hot.

Ut in filio] *Utri patri endo filio est:* ut in formula quam Agellius prodit lib. 5. cap. 19. Idem. *Potestatem haberet, ut in filium*] Hoc totum, *ut in filium*, alienum esse puto, non Ciceronis. Lamb.

XXX. *Curiæ*] Curiata lex quemadmodum ferretur vide in Indice, *Lex curiata*. Hot. In prim. Franc. scribitur XXX. *cives*. Quod non improbem. Nam loco XXX. curiarum, tum XXX. lictores ferebant legem curiatam, ut nemo ignorat. Græv.

Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent] Decemviri litibus judicandis a centum virorum numero: apud quos sacramento certabatur de certis causis, et in his de causis liberalibus. Quod judicium tribus semper actionibus constitisse patet ex l. 2. C. de adscrt. toll. unde *adsertiones secundæ* apud Fab. lib. 5. cap. 2. lib. 2. cap. 1. quod hoc loco Cicero significat, cum ait, *hoc in genere solo rem judicatam referri potuisse*. Hot. Nihil aliud hæc verba sibi volunt, quam etsi decemviri pronuntiarint illum, qui sacramento contenderet, *ni liber esset*, pecuniam perdidisse. Græv.

In hoc genere solo rem judicatam referri] Retractari. Sic *referri mysteria* dixit in lib. de Orat. 2. pro iterari. Hotom. *Referre posse voluerunt*] Libri vulgati omnes, a quibus non discrepant manuscr. sic habent, *referre*, inquam: quæ scriptura cum me offenderet, scripseram olim e regione hujus loci hanc meam conjecturam, *rescindere posse voluerunt:* quam operarii, meo injussu, olim secuti sunt. Restituatur igitur lectio recepta, quamvis sit obscura, et pene inaudita, potius, quam nostro jure quidquam immutemus. Verum tamen, ne hic nihil dicamus, arbitror, *referre rem judicatam*, esse rem jam judicatam, quasi nondum judicatam, et adhuc controversam, judicum sententiis, et potestati permittere, ut rursum de ea, quasi nunquam antea in judicium adducta, atque incognita, cognoscant, ac sententias ferant. Lambin. *Tamen quotiescumque vellet quis hoc in genere solo rem judicatam referri posse voluerunt.* Ita Faernus hunc locum correxit, veterum librorum auctoritatem secutus, in quibus est pro *solo rem, sororem*. Ant. Augustinus et Pantagathus, ex vulgata lectione delent *se*. Sed Faerni correctio magis placet. F. Ursin. *Genere solo rem judicatam referri posse voluerunt*] Est a conjectura Faerni, quam admisit P. Manutius. Nam Rom. liber, item S. Victor. et Pal. nonus, *genere, sororem jud.* vulgo, *genere se rem jud. &c.* Grut. In Francii primo libro integre scriptum est, ut conjecit Faernus, et docti receperunt, *in hoc genere solo rem judicatam referre.*

CAPUT XXX.

L. Sylla] Vide, *lex Cornelia de civitate*, et in orat. pro Cæcin. quam nos exposuimus. Appianus quoque Civ. 2. scribit, eum, posteaquam in singulis hominibus crudelitatem exercuisset, oppida adortum, ea aut mœnibus nudasse, aut tributis adflixisse, aut civitatem paulo ante a senatu datam eripuisse. Hinc illud Sallustii in Catilinario: *Etruriam novarum rerum cupidam consule Cicerone fuisse, quod Syllæ dominatione agros bonaque omnia amiserat.* Hot.

Hanc vero Volaterranis] Cum in libris vulgatis sæpe me offendisset hic locus, qui in eis ita legitur, *hanc vero, &c.* levi immutatione facta, pro *hanc, an* reposui. Quo facto totum locum, facilem ac planum reddidi. Est autem argumentum a majori. Sylla non potuit Volaterranis civitatem adimere, &c. Clodius Ciceroni consulari potuit? Admonendus autem lector est, ubi libri vulgati habent, *se illo die confirmavit Romæ non fuisse;* manuscriptos habere, *se illo die confirmat Romæ non fuisse.* Et infra, ubi illi, *pernoctans:* hos habere *pernoctasse.* Lamb.

Concilio advocato] *Concilium* solius plebis esse, sæpe a nobis dictum est. Itaque centuriata comitia concilio advocato nunc opponit. HOT.

Sedulio principe qui se illo die confirmavit] Gembl. et Turing. *Fidulio principe, Quæstoris filio, qui se.* Ex quo fingit Gulielmius, *Q. F.* sed ego putavi illud *filio*, natum ex *se illo:* sane Pal. nonus tantum habet, *Fiduli principe filio illo diem confirmat*, et vero *Fidulius* iste postea recipitur ab omnibus Pall. et S. Vict. ut excludendus hinc non videatur. GRUT. Nostri libri et edit. prim. *Sidulio principe*, non *Fidulio*. Et sic quoque paulo post. Iidem cum aliis *confirmat*, quos sequor. GRÆV.

Qui in ejus nomen incideris] Utrum hoc significat, qui eum imprudens et incautus nominaris: an fortasse sic legendum: *Qui in tabulis ejus nomen incideris:* ut tabulas æreas significet, in quibus suam legem Clodius auctore laudato inciderat. HOTOM. *Quid te audacius, qui in ejus nomen incideris:* Ant. Augustinus, *qui in æs ejus nomen incideris:* Pantagathus eandem retinet lectionem, sed *ejus* in *æs* commutato. Uterque autem acutissime emendarunt, qui scirent prærogativæ auctorem in æs incidi ante legem solere. F. URSIN. *Qui in æs ejus nomen incideris*] Est rursus a conjectura P. Manutii aut Faerni; nam editi, *qui in ejus nomen incideris.* Pal. nonus habet, *quis ei nomen incideris.* Reliqui, *qui ejus nomen incideris*, quod ultimum placere cui posset, ut subaudiretur in æs, in tabulas ærarii, aut simile quid. GRUT.

Cur non juret se Gadibus fuisse] Ant. Augustinus *in gradibus* legit: quam lectionem retinerem, si Sedulius affirmaret se Romæ fuisse et primum scivisse: sed cum negaret se Romæ fuisse, essetque fortasse oriundus Gadibus, acute contulit Cicero Interamnam Gadibus. Præter hanc necessariam rationem, est mihi suspectum *in gradibus:* nam si hæc comitia Clodiana habita sunt in foro, puto potius in comitio, quam in alia fori parte: gradus vero Aurelii, qui erant ad ædem Castoris, distabant a comitio tota fori longitudine. F. URSIN. Prim. Franc. et ed. prim. *Cur non juret Gadimus fuisse.* Dresd. *Cum non juret se Gradimus fuisse.* In præcedentibus non male Dresdensis: *Si autem in primis scivit*, pro vulgato, *si autem is primus scivit.* GRÆV.

Interamnæ] Nam P. Clodius de incestu accusatus juravit se illo die *Interamnæ* fuisse. HOT.

Velitis jubeatisne] Sic plerique etiam Mss. Pal. Gembl. S. Victor. non. *ve.* GRUTER. *Nec potentia magistratuum*] Adnotatum Gulielm. forte legendum *impotentia.* IDEM.

Nec res tum judicata] Pantagathus delebat *tum:* et paulo post, pro *tamen si* legebat *tametsi.* F. URSIN. Sane *tum* nec Franc. nec Dresd. nec edit. princeps agnoscit. GRÆV.

Municipibus Anagninis ornatissimis] Vox *ornatissimis*, abest a codicibus antiquis: et vero si non sit, *viris*, aut *hominibus*, *ornatissimis*, non videtur esse e consuetudine Ciceronis posita. Admonendus præterea lector est, ubicunque lib. vulg. habent, *Sedulius*, antiquos habere, *Fidulus.* LAMB.

CAPUT XXXI.

Quod si ne scriptum quidem unquam est] Etiam pag. insequenti negat pœnam interdictionis in ipsa rogatione perscriptam fuisse. HOTOM. *Ne scriptum quidem unquam est*] Fortean, inquit Gulielm. *usquam*, hoc est ulla parte privilegii Clodiani. GRUT.

Hominis dignitate honestes] Sic rescripsi ex Franc. Dresdensi et editione prima. Vulgati *cohonestes.* GRÆV.

Non, ut esset interdictum, quod fieri non poterat, tulerunt] Franc. Dresd. ed. prim. *Non ut esset interdictum, quod ferre non poterant, tulerunt.* Hoc nemo sani judicii non probat præ vulgato. IDEM.

Quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est] Placuit mihi Petri Fabri Tolosani conjectura, arbitrantis, hic esse legendum, *quibus damnatis*, pro, *quibusdam damnatis*, de-

leta una syllaba supervacanea, *dam*. Quin aliquanto post tempore, quam ille mihi suam conjecturam exposuisset, ita impressum reperi in uno quodam exemplo, Lugduni excuso. LAMBIN. *Quod de omnibus, etiam quibusdam damnatis interdictum est*] Pantagathus pro *quibusdam* emendabat *civibus jam*, et recte, ut videtur. F. URSIN. *Etiam quibusdam damnatis*] Et Fabri et Pantagathi conjecturam respuunt libri nostri. GRUT. Vera tamen est P. Fabri emendatio, quam et Manutius recepit, licet repugnent libri. Syllaba *dam* ex sequentis vocis *damnatis* perperam est repetita librariorum oscitantia. GRÆV.

Quære hoc ex Clodio] Legendum puto, *e Sexto*: seu *e Sexto Clodio*. Immo vero sine dubio ita legi debet, *e Sexto Clodio*. Nam et codices omnes hanc lectionem adjuvant, et ratio flagitat. Fuit autem facilis, et proclivis lapsus ad hac recta scriptura ad vitiosam illam, si litteras spectes. LAMBIN. Nostri tamen omnes libri, et omnes editiones ante Lambinianam *ex Clodio*.

Eique imperium est abrogatum] Sic editiones posteriores. Sed prima cum Dresdensi et Francii: *et æque imperium est abrogatum*. Copulæ *que* hic nullum esse locum facile quivis, qui animum attendet, intelliget. Corruptum esse locum varietas scripturæ indicat. Scripsit, credo, Tullius, *ei inique imperium est abrogatum*. Ut inferius cap. 33. *Illis, qui expulsi sunt inique*. Mox Franc. Dresd. ed. prima, et aliæ vetustiores: *cui dies dicta non est*, pro vulgato *nunquam est*. GRÆV.

CAPUT XXXII.

Ne in ipsa quidem rogatione perscripta est?] Libri veteres habent, *præscripta est?* LAMB. Sic et quos ego inspexi Mss. et ed. prima. Legendum, *ne ipsa quidem rogatione proscripta est?* ut supra. Addidi notam interrogandi, quæ male in Gruteriana, et aliis fuit omissa. IDEM.

Judicem subdidit] Erant judicum decuriæ perscriptæ ex senatorum numero. In demortui autem locum al ersufficiebatur. HOTOM.

Discessu meo] Notanda locutio pro, *me absente*. IDEM. De hujus generis locutionibus, vide quæ supra notavi ad cap. 21. hujus orationis. GRÆ.

Quod et si adessem] Consentiunt, fateor, omnes libri. Sed vide num sententia ferat hæc verba: et an non Tullius scripserit: *quam si adessem*, aut *adfuissem*. Si tamen Tulliana manus est, quæ in libris extat, ex præcedentibus sic est intelligenda et supplenda, *quod et mihi tribuerent, si adessem*. Sed Ciceronis facilitati illi perspicue videtur id non satis convenire. IDEM.

Cæso ille Quintius] Sic legendum, non, ut vulgo, *Censor ille Quintius*. Significatur enim Cæso Quintius, L. Quintii Cincinnati filius, qui, populo clamoribus tribunitiis concitato, juvenis optime de republica meritus ad Tuscos exulatum abiit. T. Livius libro III. Annalium. LAMB. *Censor ille Quintius*] Ita scriptum est in omnibus vulgatis codicibus. Ant. Augustinus, pro *Censor* legit *Kæso*, et optime quidem: quod præter Dionysium et Livium, sequentia etiam prænomina ostendunt. F. URSIN. *Cæso ille Quintius*] Haud aliter Erfurd. atque Pal. nonus. P. Manutius maluit *Kæso*. Vulgata, *Censor ille*, inepte. GRUT.

Mihi sine ullo judicio] Mihi pro, *in me* positum videtur. HOTOM.

P. Popilius] Et de Popilio et de Metello dictum est in extremo orationis post reditum in senatu. IDEM.

CAPUT XXXIII.

Abfui simul cum republica, redii cum maxima dignitate te vivo] Ita hunc locum olim emendavit Pantagathus, a quo accepit Manutius. Postea *vivo*, mutavit in *invito*. F. URSIN. *Dicam maxima cum dignitate*] Visitur passim hodie in libris *redii maxima, &c.* Sed est a conjectura Pantagathi. Scripti editique omnes stant a nostra. GRUT. Franc.

Abfui simul cum republica, cum maxima dignitate. Dresd. et ed. prima: *Affui simul cum republica dicam maxima dignitate.* Sic et ed. prim. nisi quod pro *republica* scribat *rei publ.* Corrupte *affui* pro *afui*, ut semper antiquiores codices. Sed τῷ *dicam* quid hic rei est et loci? Mihi certissima videtur emendatio Pantagathi, quam merito probavit P. Manutius, quæ ex vestigiis veterum codicum est nata. Quid enim aliud annuit Francii primus, in quo est: *Afui simul cum republ. cum maxima dignitate.* Alii interponunt *dicam.* Nimirum *reip.* absorpsit primam syllabam sequentis vocis * earumdem litteram, *redii*, dein sequens *cum*, cum remansisset *dii* mutatum est in *eam*, unde ortum *dicam*, quod hic sine sensu legitur; τὸ *cum* autem, quod exigebat syntaxeos ratio, positum fuit ab editoribus post *maxima* contra veterum librorum fidem. Nos cum Man. veram scripturam reposuimus. GRÆ.

Altero prætore petente] Aldus Nepos edidit *patiente.* Habebat Pal. nonus, *dicente*, Gembl. *ducente*, quod ultimum excutiendum est. GRÆV.

Quid est, quare quisquam mihi se in ipsa populari ratione anteponatur] Ita legebat Pantagathus. F. URSIN. Dele *se* ex sententia Pantag. Id irrepsit, aut non deletum est in Ciceronis contextu, vitio librarii.

Frequentare] Cogere, congregare. HOTOM.

Lentidios] Hunc nominat in Sextiana: *Accusa Lentidium, non percussit locum.* IDEM.

Plaguleios] Erfurd. *Placuleios.* Et sic quoque Pal. nonus, nisi quod etiam esse posset *Placuleios.* Editionibus vulgatis, totum istud nomen deest. GRUT. Puto Gruterum scripsisse *Plaguleios* ultimo loco.

Quam gentes ultimæ pertimescunt] Rectius scribi in Franc. Dresd. et ed. prima: *quam gentes ultimæ pertimescant*, nemo, credo, ambiget. Mox ex iisdem libris recepi, *ex servis, ex conductis.* Cum in vulgatis sit, *ex servis conductis:* sed non servi conducebantur, suos enim servos armarat Clodius, sed ex fæce plebis seditiosi homines conducebantur, quos paucis versibus præcedentibus descripsit. GRÆV.

CAPUT XXXIV.

Minervam Jovis filiam, Jovis sororem] Sic restitui, conjectura ductus. Sed Joan Passeratius legit: *qui Minervam Jovis, Sororem meam, &c.* In *Minervam Jovis*, autem subintelligit, *filiam.* LAMB. *Non tam ineruditus, qui Minervam Jovis sororem meam esse sororem existimem*] Ita est in manuscripto quodam libro (si recte memini) Ant. Augustini; bis male: primum, quod asserat Minervam esse Jovis sororem; iterum, quod neget Ciceronem fateri Minervam esse sororem suam, cum infra dicat: *Ego mihi virginem sororem ascisco.* Victorius ita habet, *Non tam insolens sum, quod Jovem me esse dico; quam eruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo:* et his bis peccat: primum, quod velit Tullium gloriari se esse Jovem, quod nemo nisi furiosus diceret; iterum, quod putet Tullium dicere se eruditum, asserentem Minervam sororem Jovis, cum sit filia. Manutius ita, *Non tam insolens sum, qui Jovem esse me dicam; non tam ineruditus, qui Minervam Jovis sororem meam esse sororem existimem:* hic in primo membro recte habet, quod Cicero neget se gloriatum esse, se Jovem esse: in altero membro bis peccat; primum, quod velit Ciceronem putare Minervam esse Jovis sororem: iterum, quod inducat illum negare Minervam esse sororem suam, cum infra dicat sibi asciscere sororem virginem, nempe Minervam. Ant. Augustinus legit, *Non tam ineruditus, qui Minervam Jovis esse sororem existimem:* in quo recte sentit; qui videat Ciceronem erudite negare Minervam esse Jovis sororem: sed cum tollit ab eo, quod non asciscat sibi Minervam sororem, videat quam recte id faciat. Ego Pantagathum secutus, rectissime legi existimo, *Non*

tam insolens sum, qui Jovem esse me dicam: nec tam ineruditus, qui Minervam sororem meam, Jovis sororem existimem: et ita postea scriptum animadverti in manuscripto apud me libro, qui fuit Nicolai Perotti. URSIN. *Quod Jovem esse me dico, quam ineruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo*] Exhibui scripturam Gemblacensis scripti, cui adstipulatur liber S. Victoris; nisi quod is, *eruditus*, quomodo et Pal. nonus: qui tamen, *me dicam tam eruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo.* Ineptissime vulgata, *qui Jovem esse me dicam: non tam ineruditus qui Minervam Jovis sororem, meam esse sororem existimem.* Neque adstipulantur ei meliores Palatini. GRUT. Franc. Dresd. ed. prim. et multæ vetustiores: *Non tam ineruditus quod Minervam Jovis sororem, meam esse sororem existimem.* Gruterus, *meam esse sororem*, ex suis codicibus recte delevit, sed *non tam* retineo ex illis, quos ego consului, et vetustis editionibus. GRÆV.

Ne tu te debeas Jovem dicere] Pal. nonus, Gembl. Victor. *soleas.* Quod si recipimus, rescribendum præterea *ducere.* GRUT.

CAPUT XXXV.

Quam de objectis non confiteri] Examinent quæso pensius otiosiores lectionem Pall. noni et cod. Victorini, quibus abest negativa. Oratorio acumine ita loqui posset, quoniam nihil ad objecta respondeat. Tu Contarene, tu Rigalti, tu Meursi, conferte consilium. GRUT.

Crudelitas illius temporis] Quo Catilinæ conjurationem oppressit. HOT. *Crudelitas illius temporis*] Turing. Victor. Pal. IX. *crudelitas ea unius.* GRUT.

Demisse] Lente, non acriter, non vehementer. HOTOM.

Audiente populo Romano] Significat insimulandum illud, de quo Famil. lib. 5. ep. 2. et in Pison. IDEM.

CAPUT XXXVI.

De me dixi sublatius] Forte *sufflatius*, adnotavit rescribendum Gulielmius; sed nihil ejus aves addicunt, hoc est, libri veteres. GRUT. Miror Gulielmium. An non meminit Ciceronem sic locutum etiam esse in Bruto: *Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quærimus) duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium.* GRÆ.

Cum omnium perditorum et conjuratorum incita vis] Sic Pal. nonus et S. Vict. nec vidi cur hic æque ferri non posset, quam vulgatum *incitata;* quod non comparet alioquin in Pal. tertio, quarto, octavo. GRUT. Ego vero *incita* in Lucretio ferrem, non in Tullio. Recte Franc. Dresd. editio prima cum vulgatis, *incitata*, quod non erat refingendum ex codicibus, in quibus ultima syllaba forte somnolentia librarii exciderat. Sic paulo ante: *Populi incitati vim et iracundiam.* Et statim: *Populus Romanus incitatus iracundia aut invidia.* GRÆ.

Conjugis miseræ discidium] Sic est legendum, non ut vulgo, *conjugis miseræ dissidium.* Non enim fuit inter M. Tullium et Terentiam dissidium, sed, M. Tullio in exilium pulso, factum est viri et uxoris dissidium. *Dissidium* autem, id est, distractio, divulsio, discissio, a verbo discindo, ut sæpius jam diximus, et pluribus verbis docuimus in commentar. Lucretianis. LAMB.

Concidere, quam occidere] Plus ergo hoc quam illud est: quasi *concidere*, cadere sit cum dolore: *occidere*, cum interitu. HOT. *Remque publicam concidere unius discessu*] Libri manuscripti habent, *remque publicam concedere*, ubi vulgati, *condere:* ex quo feci, *concidere.* Significat autem Cicero, rempublicam suo discessu concidisse: sin autem omnes interiissent, funditus occasuram fuisse. LAM. *Remque publicam condere unius discessu*] Ita scriptum est in veteribus libris et recte, si verba Ciceronis attente inspiciantur: nam gloriatur se patriam discedendo servasse, quam resistendo delevisset. URSIN. *Concedere unius discessu, quam omnium inte-*

ritu occidere] Ita Pal. pr. non S. Vict. aliorumque manuscr. non ut vulgo *condere*. Lambinus fecit *concidere;* inepte. Quod enim discrimen ejus quod *concidit* et *occidit?* Audacius Gulielmius, *concedere* et *int. occedere?* hac sententia; maluisse Ciceronem, rempublicam furori Clodiano cedere suo discessu, quam eandem conductæ multitudini obviam ire, et repugnare cum omnium interitu: in quam sententiam sæpius hoc libro locutus est. *Concedere* pro cedere, usus est noster pro Murena. *Occedere* autem esse obviam ire, notum vel e Plauto. GRUT. Hoc est argutari, ne quid dicam gravius de viris doctis. Sententiam vidit Lambinus. Procul dubio Cicero lusit in vocibus *concidere* et *occidere*. Quoties in hac oratione et præcedente, dicit rempublicam suo discessu fuisse afflictam, et, si non redfisset, plane perituram fuisse? Superius cap. 33: *Afuisse secum rempublicam* ait, hoc est, fere fuisse rempublicam, sive concidisse. Cap. 29: *Utrum me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit.* Et passim. GRÆV.

CAPUT XXXVII.

Prætextatos inimicos] Quod magistratuum est insigne. HOT. *Videre prætextatos inimicos, &c.*] Pall. omnes *prætextos*, et sic quoque S. Victor. Neque omnino displicet; ut agmine magno et quasi indagine quadam institerint. GRUT. Nugæ. Excidit una syllaba.

Arbitria petentes funeris] Dixi in ea post reditum, arbitria aliquot locis dici, pro mercede libitinariorum. HOTOM. Vide quæ ibi notavimus, ad c. 7.

Atque ita ut dolenter abeis] Francii: *atque ita ut, cum dolenter abeis.* Quod verum est. In Dresd. legitur etiam *cum*, sed desideratur *ut*, in editione prima utraque particula deest. Vides in aliis libris alterutram, in aliis utramque, quam sententia flagitat, excidisse particulam. Præterea puto aliud verbum desiderari, quod in nullo librorum, quos docti excusserunt, comparet, nimirum *videaris*, aut *habearis*, in his verbis, *ut cum dolenter abeis, non tam sapiens* scilicet *ducaris.* Sed nihil addo invitis libris. GRÆVIUS.

Qui autem ea relinquit reip. causa, a quibus cum summo dolore divellitur] Nam

Est virtus placitis abstinuisse rebus.

Quid est aliud quod Christus Servator præcipit, relinquenda esse illius causa, quæ maxime nobis cara sunt: eos demum, qui hoc faciunt ostendere, se Christum vere amare, illiusque dignos esse amoris? IDEM.

Quare remp. (dirumpatur licet) ista furia] Voces duas, *remp.* ita scriptas, *r. p.* ut scribi solent, omissas a librario propter similitudinem vocis superioris, restitui: quo facto totum hunc locum, cujus antea sententia erat perobscura, et inexplicabilis, planum reddidi. Tum versus duos, qui deinceps sequuntur, in libris vulgatis fœde depravatos, et aliquot vocibus spoliatos ac deformatos, in integrum restitui. Sic enim vulgo leguntur, *bis servari, ut consul togatus armatos vicerim: privatus consulibus armatis cesserim.* Ego autem sic restituo: *Bis servavi, et cum consul togatus armatos vici, et cum privatus consulibus armatis cessi.* Natum autem utrumque mendum est ex copulatione, *et*, versa in *ut* a scriptore, et particula, *cum*, prætermissa propter syllabam primam vocis deinceps sequentis *consul.* Quibus admissis, versa sunt jam a conjectoribus, *vici*, et *cessi*, in *vicerim* et *cesserim.* Quod autem paulo plenius ac planius olim edideram. *Bis servavi: semel consul, cum togatus armatos vici: iterum privatus, cum consulibus armatis cessi, cujus utriusque temp. &c.* id nunc muto factum, quia nimis longe ab antiqua scriptura remotum est. LAMB. *Quare dirumpatur*] Reddidimus lectoris omnium ætatum lectionem, miriſica inquinatam nugis Lamb. GRUT.

Id quod in omni mea causa] Sic in extrema orat. *Quæso obtestorque vos,*

Pontifices, ut ne quem auctoritate, studio, sententiis restitutis, nunc manibus vestris collocetis. Significat eos, cum in senatu sententias dicerent, sibi perpetuo suffragatos fuisse. HOT.

In conspectu præterea] In Palatino colle, loco edito et celebri. Ut paulo post: *In palatio atque in pulcherrimo urbis loco.* IDEM.

In ea urbe, in qua tropæa et de me] Plane, et sine ulla varietate ita scripta est vox *tropæa*, in codicibus manuscriptis, neque forte pravæ consuetudinis defensor pertinax, dicat me sine librorum antiquorum auctoritate usitatam scribendi rationem immutasse. Quod tamen in hac voce, ut et in aliis, veritate fretus facere non veritus essem. LAMB.

CAPUT XXXVIII.

Et ab eodem extructam] Sic in extremo: *per religionis vim sceleratius ædificata.* HOTOM. *Et ab eodem ædem extructam*] Vocem, *ædem*, quæ fuerat omissa a librario decepto similitudine vocis, quæ antecedit, restitui certa conjectura ductus. LAMBIN. *Et ab eodem extructam, et positam in oculis civitatis*] Pantagathus emendabat, *Extructam sepulturam in oculis civitatis.* URSIN. Si annuerent libri, non repugnarem Lambino. Sed nunc, cum omnes codices consentiant, subaudiendum puto ex precedentibus *domum.* An possum ferre domum, quæ in locum meæ eversæ extructa est a communi hoste? GRÆV.

Sp. Melii] Nota est historia ex Livii lib. 15. et Valer. lib. VI. cap. 3. ubi hæc omnia commemorantur. HOT. Vide et Flor. lib. 1. cap. ult. et quæ ibi docti notarunt.

Ecquid aliud æquum] Puto *æquum* dictum pro *planicie.* Ut hic noster alibi dixit, *æquora camporum.* Et prius *æquum Melii*, pro *planicie et area Melii* dictum, post vero conjuncte *Æquimelium.* HOT.

Nomine ipso Æquimelii] *Domum deinde*, inquit Livius, *ut monumento area esset, oppressa nefariæ spei, dirui exemplo jussit. Id Æquimelium appellatum est.* IDEM.

Duobus lucis convestitam videtis] Inter duos lucos sitam. Videntur fuisse illi duo luci, qui erant extra portam Capenam, ubi erat Camœnarum ædes luco ornata a Fulvio Nobiliore, et alter lucus in quo fons erat Egeriæ, et ipse Camœnis sacer. Fuerunt enim luci duo Camœnarum. ID.

Cum domo Fulvii Flacci] Hic ille est M. Fulvius Flaccus, qui cum C. Graccho Tiberii fratre, a L. Opimio consule interfectus est. LAMB.

CAPUT XXXIX.

O rem, quam homines soluti videre, &c.] Expressi quod erat in Pal. nono et Gemblacensi: vulgati amplius, *soluti, a cura liberati*, notabili glossemate. Quod mirum a Lambino non animadversum: qui variis conjecturis hic usus. GRUT.

Ex Pontificis Max. domo] C. Cæsaris, cum in opertum Bonæ deæ ingressus est. HOT.

Hucein' vos qui estis] Haud secus Pal. non. et S. Vict. Editi amplius, *hunc, inquam, etiam vos qui estis, &c.* cui bono? GRUT.

Cum tu eodem ore] Pudenter, et verecunde hunc locum emendavi. Nam ex, *cum*, quod erat in vulgatis et antiquis, ego feci, *quam.* Ad religionem autem referendum est. LAMB.

CAPUT XL.

Nimium esse superstitiosum non oportere] Suspectus mihi locus. Nam quid est hoc, *nimium esse superstitiosum?* quale est, *nimis avarum*, et *nimis intemperantem esse*, et similia. Quo modo si quis loquatur, significet, vitium horum habituum nasci ex eo, quod est nimium non ex rebus ipsis: et eum, qui sit avarus, aut intemperans, modo non sit nimis avarus, aut nimis intemperans, non esse vituperandum. Quod absurdum dictu est. At, ut, avaritia, et intemperantia, vitiorum sunt nomina, ita et superstitio, vitii nomen est. Ut igitur aliquis reprehendatur, nimis superstitiosum

esse non necesse est, sed quisquis superstitiosus est, eo ipso vituperandus est. IDEM. Hæc si in schola Stoica Lambinus disputaret, faciles ei præberemus aures. Sed in oratore qui cum vulgo loquitur, nemo hæc reprehendat. Sunt homines avari, sed sunt Eucliones, qui modum omnem excedunt. Tullius hic salse exagitat Clodium, quasi nimis fuisset superstitiosus, qui voluerit videre mysteria, quæ nulli viro videre fas est. Quamvis extra jocum verum sit quod vetus poeta cecinit apud Gellium IV. 9.

Religentem esse oportet, religionum nefas.
GRÆV.

Anili superstitione] Iterum ejus in apertum bonæ deæ ingressum significat. HOTOM.

Non exceperus] Significat caput translatitium: *Si quid non fuit jus rogari, ejus hac lege nihilum rogatum.* De quo in orat. pro Cæcina. HOT.

Quod est præsentis infamiæ] Levi mutatione facta, etiam hunc locum restitui, ex *insaniæ* facto *infamiæ*, quemadmodum paulo post, primo versu, pagina proxima, ex *una justa*, quod est in omnibus libris, feci, *universa*. LAMB.

CAPUT XLI.

Nec est ulla erga Deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio] Vere Augustinus lib. I. de lib. arb. cap. 2. *De Deo optime existimare, pietatis est exordium.* Nam ex illa recta et honesta opinione pietas et cultus oritur. Quæ sit illa honesta opinio, et quod pariat virtutem, docet imprimis pulcherrime Arrianus apud Epictetum lib. II. 14. Μαθεῖν δεῖ πρῶτον τοῦτο, &c. Latine tantum adscribam, quia locus est prolixior. *Primum illud est discendum, esse Deum, et providere rebus universis, ac non modo facta, sed ne cogitationes quidem ac motus animorum eum latere posse. Deinde cujusmodi sunt Dii? Nam quales illi reperirentur, talis ut sit etiam is, qui illis placere ac parere volet, opera necessario danda erit, et ut quam proxime ad eorum similitudinem accedat. Si numen fidele est, illum quoque fidelem esse oportet. Si liberum, illum quoque liberum. Si beneficum, illum quoque beneficum. Si magnanimum, illum quoque magnanimum esse oportebit.* GRÆV.

Cum expeti nihil ab iis, quod sit injustum atque inhonestum] Itaque Plato et alii philosophi sentiunt non nisi sapientem tenere artem orandi. Hinc Persius Sat. 2. et Juvenalis Satyra 10. exagitarunt illos, qui vana et inania, et sibi noxia petebant a Diis, quod plerique faciunt homines. ID.

Ipse cum loci illius, tum ædium cupiditate] Franc. *Ipse cum loci illius, tum ædium cupiditate.* IDEM.

Ob eamque causam unam, una justa illa rogatione] Forte, *unam, ista illa rogatione.* GRUT.

Et aversam per vim hominis] Est a Pal. nono et S. Victor. editi, *per unius hominis.* IDEM. Sed si hic legas, ut ex suis correxit Gruterus, quid facias sequentibus, *nefarium latrocinium?* aut copula est interponenda, aut scribendum *nefario latrocinio.* Sed non addicunt libri. Restitui itaque necessario priorum editionum lectionem firmatam Francii, Dresd. et editionis primæ præsidio: *Eversam per unius hominis sceleratissimi nefarium latrocinium.* GRÆV.

Deos penates et familiares meos Lares expulit] Cornelia Gracchorum mater in epistola ad filium, quam princeps publicavit And. Schottus inter fragmenta Corn. Nepotis: *Ubi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis Deos manes parentis. In eo temporene pudebit te eorum Deum paces expetere, quos vivos atque præsentes relictos atque desertos habueris.* Sic hunc locum recte emendavit maximus Salmasius in exercitationibus Plinianis. Lares familiares erant manes parentum. Hinc duo erant Lares. Ovidius V. Fastor.

Bina gemellorum quærebam [illegible] Deorum,
Viribus annosæ facta [illegible] mora.
Mille Lares geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, et vici numina terna colunt.

Loquitur quidem de Laribus publicis, seu Compitalitiis, quos duos tantum fuisse, quibus accesserit postea Genius Augusti; sed tamen et privati Lares erant quoque tantum duo, et cum Genius Augusti inter Lares quoque coleretur, tria erant Numina, quæ et publice in compitis, et domi colebantur in Larario. Et Vitellius Narcissi et Pallantis imagines aureas inter Lares coluit, teste eodem Suetonio. Sed *penates* aut erant manes majorum cujuslibet familiæ, aut quos etiam ex majoribus Diis præcipue colebant, singuli tanquam custodes salutis domesticæ. Patet hoc ex Ciceronis lib. IV. in Verr. *Quærendum est, credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, ut Deos patrios venderet.* Dicebantur enim penates ab aliis quoque scriptoribus Dii patrii. Quinam fuerint illi penates in eadem oratione docet Tullius: *Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in ædibus, a majoribus suis traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, Cupido Praxitelis, Hercules Myronis, duæ Canephoræ Polycleti.* Talis fuit Fortuna cubitalis Galbæ, de qua Sueton. Galbæ 4. Colebantur Lares in larario, quod vocat Suetonius, *partem ædium consecratarum.* Erat id lararium sæpe in cubiculo: Vide Sueton. Domit. cap. 17. Penatium vero sedes erat plerumque focus. Hinc Græcis dicebatur ἑστία. GRÆV.

Ut te ipsa tanquam in captivis sedibus collocaret?] Ita scriptum est in libris manuscriptis: eamque scripturam rectam esse arbitror: vulgatam autem, *ut a te ipsa tanquam in captivis sedibus collocarentur*, vitiosam. Quanquam hoc argumento defendi potest: quod paulo post dicit interrogando, hanc Libertatem a Clodio domi suæ collocatam. Sed nihil hic valet adversus hanc veterem scripturam. Nam eo consilio Libertatis signum in domo Ciceronis Clodius collocavit, ut ea ipsum Clodium in domo Ciceronis collocaret, id est, ut ipse Clodius domum Ciceronis possideret, cujus cupiditate inflammatus erat, ut supra a Cicerone dictum est. Sed non dissimulabo, quibusdam placere legi, *in captivis ædibus*, non, ut est in libris omnibus, *in captivis sedibus.* LAMB. *Ut te ipsa tanquam, &c. collocaret?*] Sic quoque Pal. nonus et S. Victoris, exhibuitque item ex suis Lambinus. Vulgata; *ut a te ipsa, &c. collocaretur.* Minus nervose. GRUT. Quando Clodium Libertas collocavit in Ciceronis domum? Si ipsa ibi esset dedicata, illique locus illarum ædium consecratus, ut ex hac patet oratione, quomodo collocare poterat in illo Clodium, licet flagraret illius loci cupiditate? Recepi itaque scriptam veterum codicum et editionum male a Lambino et Grutero repudiatam, sed quam stabilit Franc. et editio prima. GRÆV.

CAPUT XLII.

Quandoquidem est ab te dedicata] Franc. et ed. prima: *quoniam quidem est abs te dedicata.* Dresd. *quin quidem est abs te dedicata.* Existimo Tullium scripsisse, *quæ quidem est abs te dedicata.* IDEM.

Negares liberos esse] Elatorie, pro negares intercedendi jus habere. HOTOM.

Cum principem orbis terræ virum] Non damno hanc scripturam. Magis tamen blanditur, quæ in Francii reperitur, quia numerosior est lectio: *Cum principem orbis terrarum.* Nam sic sæpe loquitur Tullius. Pro Sexto Roscio: *Africa pars tertia orbis terrarum.* GRÆV.

Cum forum armatis catervis perditorum hominum possideres] Nihil hic movent manuscripti. Mihi tamen hæc sunt suspecta. Quin ausim affirmare vetus ulcus hic latere. Num quis legit apud ullum scriptorem probatum, *possidere urbem*, aut *locum armis*, aut *hominibus?* Novi Ciceronem alibi dicere, *Cum calumniæ licentiam auctoritate sua possideret.* Sed hoc est per auctoritatem suam. Possea

dicere, *possidere forum armatis*, esse per armatos, aut cum armatis. Sed hoc insolens est, ut puto, Latinis auribus. Credo itaque litteras esse transpositas, et Ciceronem scripsisse: *Cum forum armatis catervis obsedisses*, ut nulli pateret aditus ad reprimendos ejus sceleratos conatus. In Rullum: *Totam Italiam suis præsidiis obsidere et occupare cogitat*. Idem XI. Philipp. *aditus armati obsident*. Si quis tamen præfracte vulgatam velit tueri, poterit sane illam tueri, isto in Vatin. loco: *tenebat templum armatis hominibus*. Nec propterea velim cum quoquam contendere. Mihi tamen *obsideres* huic loco videtur esse aptius et accommodatius. GRÆV.

Curiositati nunc demum hæc, opinor, sufficiunt. OLIVET.

ORATIONES SUPPOSITÆ.

Accedent oratiunculæ, Ciceronianis vulgo subjunctæ; inelegantes tamen, ætate nescio qua scriptæ, vir Latinæ. Quas etsi non omitto, velim omittat lector eruditus: neque ad glandem æger confugiat, ubi est sanis tanta frugum copia. OLIVET.

DE PACE.

ORATIO.

ARG. *Postridie quam C. Julius Cæsar in Senatu interfectus est, M. Antonius, ejus in consulatu collega, in ædem Telluris Senatum convocavit. Hanc ibi orationem Cicero, sententiam rogatus, habuit. Hujus ipse initio Philippicæ primæ meminit. Sic enim loquitur.* Nec vero usquam discedebam, nec a Republica dejiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris convenimus. In quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. *Hanc eandem orationem Dio Cassius, libro historiarum quadragesimo quarto, verbo ad verbum integram refert.* MEROVILLÆUS.

Semper existimavi, P. C. rectum esse, ut qui sententiam hoc loco dicturi sunt, ii neque odio, neque gratia moveantur: sed quod optimum Reip. quisque judicat, id in medium afferre studeat. Nam si ab imperatoribus, et consulibus consilio gerenda esse omnia ducimus: eosdemque, si quid commiserint, judiciorum severitati, etiam in iis, quæ casus aut fortuna affert, subjectos esse putamus: indignum sit in dando consilio, in quo animum mentemque nostram in nostra potestate habemus, privata commoda publicis anteferre. Ego, P. C. semper ea mente fui, ut, quæ utilia æquaque viderentur, consilia de Rep. afferrem: quod quidem hoc præsertim tempore facturus sum: in quo si concordiam, abjecta contentione et fastidio, inter nos confirmabimus, et ipsi incolumes erimus, et alios vel invitos conservare poterimus. Ac metuo ne male. Sed nolo initio orationis meæ male quidquam ominari: nam non dudum est, cum qui arma in manibus habebant, ii non raro dominatum in civitate tenebant: ita ut vobis quæ fieri vellent, ut statueretis, imperarent: vos autem nihil statuebatis eorum, quæ ab ipsis fieri vellctis. Nunc vero res eo loco sunt, ut vestro arbitrio liceat vobis constituere quid placeat: in vestra enim potestate est, aut concordiam una cum libertate amplecti, aut seditionem, bellumque civile suscipere: quo fiet, ut postea tyranno serviatis: atque in eo, quod hodie a vobis decretum fuerit, reliqui omnes mortales consen-

tient. Quæ cum ita sint, P. C. necessarium arbitror, ut discordias atque inimicitias omnes, quæ inter vos fuerunt, deponatis: et ad illam antiquam pacem concordiamque redeatis: illud saltem vobiscum reputantes, quamdiu illi in hac civitate viguerunt, gloriam, opes, urbes, socios accessisse. Postea vero quam dissidere inter nos armis cœpimus, non modo non potentiores, sed longe debiliores, nos in dies factos esse.

Equidem, P. C. usque adeo nulla ratione hoc rerum statu posse conservari civitatem judico, ut si hodierno die statim bonum ceperimus consilium, ea post erigere ac relevare non possimus. Cogitate quam verum sit, quod dico, tum præsentia cernentes, tum vetera memoria repetentes. Quid agatur, vos ipsi videtis. Populus R. iterum distrahitur atque discerpitur: hi unam, illi aliam partem secuti. In duas partes abiere: duo exercitus in urbe sunt. Pars Capitolium cepere, tanquam urbe a Gallis capta: pars forum obsidere parant, tanquam sint Carthaginenses, non Romani. Annon audivistis secessionem in hac urbe factam sæpe numero fuisse, adeo ut alii Aventinum, alii Capitolium, pars montem sacrum occuparint? Quoties in concordiam aut æquis conditionibus, aut alii aliis de suo jure nonnihil remittentes redierunt, statimque odia deposuerunt, reliquum tempus in tanta pace in tantaque concordia permanserunt, ut multis et magnis victoriis communiter potirentur. Quoties vero cunque in se conversis armis mutuam cladem atque perniciem procuraverunt, alteri ut eos, qui priores arma cepissent, ulciscerentur: alteri ne quo modo inferiores esse viderentur: ex eo nullum commodum est consecutum. Quid enim apud vos, P. C. qui optime nostis, plura dicam de Valerio, de Horatio, de Saturnino, et Glaucia, de Gracchis, quorum exempla, et ea non externa, sed domestica, partim imitari, partim fugere omni contentione debetis? Ac tanquam re ipsa finem earum rerum, de quibus deliberatis, ante perspectum habueritis, nequaquam existimate, me hac oratione verba tantum fundere: sed vetera cum præsentibus conferre, ut, quantum intersit Reip. mature prospicere, intelligatis. Ita fiet ut non opinione incerta ducti, spes inanes sequamini, sed rationum firmitate nixi, tutissima consilia capiatis. Nam nec exemplis externis uti volui, quamvis innumeris uti potuissem. Unum tamen illius præstantissimæ atque antiquissimæ civitatis commemorabo e qua majores nostri leges nonnullas petere non dubitaverunt. Turpe namque fuerit, si cum et potentia et sapientia multo superiores Atheniensibus simus, deteriora illis consilia ceperimus. Itaque hi cum inter se valde dissiderent, ac non modo intestinis malis, verum etiam Lacedæmoniorum armis subacti essent, ab his miseriis se ante liberare non potuerunt, quam in concordiam redierunt, et decretum fecerunt, ut quamvis inter eos multæ res indignæ intercessissent ἀμνηστία tamen illa salutari, oblivioneque sempiterna abolerentur: nec ullo modo quisquam vindictam adversus alterum moliretur. Hac moderatione, lenissimoque decreto, non modo se a seditione et tyrannide asseruerunt, verum etiam cæteris rebus omnibus floruerunt: civitatem recuperaverunt: Græciæ imperium obtinuerunt: ac denique Lacedæmonios Thebanosque, ut, vel conservarent, vel everterent, sæpe in sua potestate habuerunt. Quod si qui Phylen occupaverunt, et e Piræo in urbem ab exilio redierant, ulcisci eos propter injurias acceptas, qui in urbe remanserant, voluissent, non temere fortasse fecisse viderentur: multorum tamen malorum causas et dedissent, et accepissent. Ut enim adversariis superiores præter spem fuerant, sic forsitan post inferiores extitissent. Nihil in hujusmodi rebus stabile, nihi firmum est, ne tum quidem cum maxime fortuna blanditur: multique qui ea confisi sunt, post ceciderunt: multi

quoque vindictam de suis adversariis sumere volentes, tantum abest, ut ulti sint, ut potius ipsi pericrint. Neque etiam si cui facta injuria est, idcirco superior est, nec qui patientia superior est: idem statim victoria: sed uterque humanæ inconstantiæ, fortunæque temeritati subjectus est; ac sæpenumero non eum exitum habent res, quem homines sperant, sed quem fortunæ temeritas affert. Cum his de causis, tum contentionis studio quodam homines fiunt audaces (qui enim injuria affectus est, aut qui se affectum existimat, in furorem agitur) sæpeque supra vires est periculosas aggrediuntur, sperantes se, aut superiores fore, aut certe non sine amici sanguine inferiores. Idem quoque nunc victores, nunc victi: nunc viribus superiores, nunc inferiores: hi funditus pereunt, illi Cadmea victoria potiuntur: ac progressu temporis cum mala, quæ secuta sunt, corrigi nequeunt, se tum demum malo usos consilio vident: quod quidem vos re ipsa discere potuistis: et nunc id ipsum in nostrorum hominum exemplis attendite.

Marium in discordia civili ad tempus potentem vidimus. Qui cum urbe profligatus esset, alterum exercitum post comparasset, quantas clades dederit, vos optime meministis: et ut Cinnam, Strabonem, atque alios taceam, qui medio tempore extiterunt; Sylla cum initio potens fuisset, nonne post ipse inferior fuit? qui cum iterum crevisset, nullum genus crudelitatis sibi reliquum fecit. Quid de altero Mario, deque eodem Cinna, de Carbone, de Lepidó, qui novos primum motus excitavit, ac totam fere Italiam perturbavit? Postea vero quam ab hoc tandem liberati fuimus, quis vestrum ignorat quot et quanta mala a Sertorio, atque ab aliis qui cum eo ejusdem fugæ comites fuerunt, sustinuerimus? Quid de Pompeio et hoc ipso Cæsare dicam (ut omittam Catilinam et Clodium) nonne contempta affinitate qua juncti fuerant, infestis signis in pugnam descenderunt? Post non modo civitatem nostram et reliquam Italiam, verum etiam terrarum orbem universum, infinitis miseriis et calamitatibus impleverunt. Sed dicat aliquis, post Pompeii necem et tantam civium cladem, requies quædam ac tranquillitas secuta est. Quonam modo? longe enim a pace abfuimus. Testis est Africa, testis est Hispania, quæ tot civium Romanorum corpora gremio suo exceperunt. At post has clades pacati fuimus: quid ita? Postquam Cæsar trucidatus, credo, hoc modo jacet: et Capitolium occupatum est: et forum armatis refertum est; et tota ferme civitas trepidat.

Atque ita fieri solet, ut cum discordiæ inter aliquos exardescunt, hique semper vim vi opponere conantur, ignari vim omnem æquitatis et humanitatis expertem esse, omniaque ex libidine et licentia, quam armis obtinet, gerere: necessario infinitorum malorum orbis quidam conflatur, et continua crudelitatis vicissitudo. Nam et victor injuriis victum onerat, nec finem ullum facit nocendi: et qui victus est, nisi forte statim perierit, suam calamitatem indignatus, in continua est ulciscendi libidine eum a quo læsus est, donec animus ejus expleatur. Quo fit ut reliqua multitudo, quamvis expers fuerit earum partium, ex misericordia tamen erga eum qui victus est, et ex invidia adversus victorem, simul eadem timens, simul se posse eadem in alium facere confidens, ad opem ferendam accurrat; atque ita integri et quieti cives ad novam seditionem excitantur, et alii aliis in eadem calamitate succedunt: quæ res, tanquam legitima, in orbem ducitur, dum se illa ratione tuentur, velle se eos, qui oppressi fuerunt, ulcisci: qui quanquam ut sors tulerit, discedunt, Remp. tamen prorsus evertunt. Quid? nonne ipsi cernitis, quot jam annos civilibus bellis attriti simus? quot et quæ mala interea et sustinuerimus ipsi et

alios sustinere coegerimus? Quid hoc gravius dici potest? quis magnitudinem pecuniarum, quibus socios nostros exhausimus, et quibus fana spoliavimus, enumerare possit? quam pecuniam in eos contulimus, in quos minime debeamus: atque in mutuas cædes exitiumque consensimus. Quis multitudinem eorum, qui ceciderunt, non dico aliorum, quorum numerus reperiri non potest, sed equitum et senatorum, qui singuli non modo vita, verum etiam morte sua hanc Remp. contra externa arma tutari potuissent? Quot quæso Curtii, quot Decii, quot Fabii, quot Marcelli, quot Scipiones interfecti sunt: non contra Samnites, aut Latinos, aut Hispanos, sed contra suos cives, contra patriam pugnantes ipsi quoque perierunt? Ac de iis qui in acie ceciderunt, etsi queri possumus, non tamen quantum de aliis, qui extra pugnam interfecti sunt: quod hi volenter depugnarunt (si volentes dici possunt, qui metu compulsi sunt) qui quanquam non merita morte affecti sunt, tamen fortiter in communi Marte occubuerunt: ac dum Martis eventum expectant, ut vel vincerent, vel vincerentur, sine metu ceciderunt. Sed quis pro merito eos deplorare possit, qui miserabiliter in viis, in foro, in Senatu, in Capitolio, non modo viri, sed etiam mulieres, nec juvenes tantum, verum etiam senes et pueri necati sunt? Tantis enim nos mutuo affecimus malis, quanta ab hostibus nostris nunquam passi sumus, quantaque illi a nobis nunquam sustinuerunt. Necdum tamen ingemiscimus: necdum nos fortiter a tantis malis vindicare contendimus: verum lætamur, et dies festos agitamus, eosque, qui horum auctores malorum extiterunt, beneficos (si diis placet) appellamus. Equidem hanc barbariem belluarum potius, quæ se mutuo conficiunt, esse existimo, quam hominum. Sed quoniam præterita mutare non possumus, de iis quæ facta sunt, jam queri desinamus: et ad ea potius, quæ futura sunt, animum intendamus. Idcirco enim præteritorum mentionem feci, ut ex illis futura provideremus, non ut communes nostras miserias enumerarem (quæ utinam nunquam evenissent) sed ut eorum commemoratione exemplorum efficerem, ut, quæ reliqua sunt, possetis conservare. Is etenim solus ex malorum commemoratione fructus percipi potest, ut caveamus in posterum, ne in eadem mala rursum incidamus. At nos, P. C. hoc tempore id ipsum facere præclare possumus, dum recens est malum: nec dum multi convenere. Et qui commoti sunt, partim spe victoriæ elati, partim imperium detrectantes, etiam contra privatæ utilitatis rationem temere in discrimen sese conjiciunt. Vos igitur hæc omnia sine labore, sine periculo, sine sumptu, sine hominum cædibus ad exitum optatum deducetis, si modo S. C. feceritis, ut mutuæ injuriæ perpetua oblivione deleantur. Quod si a quibusdam peccatum est, nunc tamen tempus non est vel curiosius indagandi, vel coarguendi, vel ulciscendi: neque enim nunc nobis propositum est judicia severa facere, aut diligentius in quenquam inquirere. Illud potius videndum, qua ratione res præsentes in tutum collocari possint: quod quidem efficere non poteritis, nisi aliqua in parte cesseritis, feceritisque, quod patres erga filios solent, quorum non omnia delicta pro suo jure casigant, in plerisque vel necessario conniventes. Nam mediocria peccata non sunt acriore pœna animadvertenda, sed potius moderate corrigenda. Jam igitur nos, qui vere, et re ipsa, non sola appellatione, populi Romani communes patres sumus, omnia exquisitius perquirere haud decet, ne simul conficiamur. Possent Cæsari multa objici, quibus jure cæsus videri posset: multa quoque iis, qui eum occiderunt, quibus pœna digni forte viderentur: verum id esset eorum, qui denuo rem in certamen vellent adducere. Itaque qui bonum et utile consilium volunt capere, eos summo jure agere non oper-

tet, quod eis incommodare possit, sed potius æquitate retinenda studere debent se ipsi conservare.

Quæ cum ita sint, P. C. præterita oblivione obruite, quasi tempestate aut alluvione aliqua ceciderint, atque inter nos sit summa consensio: utpote inter proximos, ut inter cives, ut propinquos. Ac ne quis existimet, me iis, qui Cæsarem interfecerunt, gratificari velle, quod partes Pompeii secutus fuerim, unum modo verbum dicam (nam omnino vos omnes ita de me persuasos arbitror, ut me nunquam mea causa quemquam vel amasse, vel odisse, sed vestra tantum, ac communis concordiæ et libertatis, sentiatis) illud, inquam, unum dicam: a me tantum abesse, ut in alium finem hæc verba faciam, quam ad communem salutem, ut censeam a vobis reliquis Cæsaris amicis non solum ea condonari debere, quæ præter consuetudinem Cæsare freti admiserunt, verum etiam honores, beneficia, magistratus, quæ ab illo acceperunt, conservari: quanquam eorum quædam mihi non probentur. Neque enim auctor vobis sim, ut hujusmodi nunc decernatis: verum quando ea sic ceciderunt, utilius esse censeo, vos non nimium severos earum rerum judices agere. Detrimenta enim, quæ ab hoc, vel illo accipietis, qui plus habent, quam æquum, quanquam merita eorum postulare videantur, non erunt tanta, quanta erunt commoda, quæ ex concordia consequentur, si neque metum, neque contentionem inter eos excitabitis, qui aliquando potentes extiterunt. Hæc ad præsentis temporis necessitatem, mihi, quæ dicerem, in mentem venerunt. Cum vero res compositæ fuerint, tunc de reliquis deliberandum erit.

M. T. CICERO

AD OCTAVIUM.

ARGUMENTUM. *Cæsare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos, et inde in Parthos destinante, Octavius præmissus Apollonium, studiis vacavit. Utque primum occisum eum, heredemque se comperit, diu cunctatus an proximas legiones imploraret, id quidem consilium ut præceps immaturumque omisit: cæterum urbe repetita, hereditatem adiit. Nihil autem convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare, tuerique acta, ad optimates, et ad Ciceronem maxime, se contulit, quibus Antonium invisum sentiebat. Veteranos, auctore Cicerone, in suum ac reipubl. auxilium quanta potuit largitione contraxit. Jussusque comparato exercitui pro prætore esse, et cum Hirtio ac Pansa qui consulatum susceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus prœliis. Hoc bello cum Hirtius in acie, Pansaque post ex vulnere, periissent, et cognovisset Antonium post fugam a M. Lepido receptum, cæterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit. Hæc Suetonius. Inita cum Antonio et Lepido societate, imperio partito, proscriptionis tabula confecta, Cicerone morti destinato, jam populo tumultuante, præmittuntur equites in urbem, et paucæ legiones, quæ loca ad Quirinalem collem sita occuparent. Trepidabat Senatus cohortibus armatis circumseptus. Decernebat omnia metu. Erant in Capitolio signa, in urbe milites vagabantur, et in campo Martio castra ponebantur. Tum libertate pene deplorata, scripsit hanc epistolam: mox effugit, ut in Macedoniam ad M. Brutum transiturus: at in itinere cæsus est. Cætera leges in Plutarcho.*

Accusatio est. Status qualitatis. Genus ardens et patheticum. Præcipua vis ejus in affectu et amplificationibus. In hoc epistolæ genere non alia vis artis est, quam in illa forensi accusatione. Quod si non missa, sed habita coram fuisset, sicut actio forensis, ita et hæc orationis nomine diceretur: et certe quidem sic nominari potest. STREBÆUS.

Si per tuas legiones mihi licitum fuisset, quæ nomini meo populoque Romano sunt inimicissimæ, venire in senatum, coramque de republica disputare, fecissem: neque tam libenter, quam necessario. Nulla enim remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus senatus, nihil aliud vere potest discernere, nisi timere, (in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in campo castra ponuntur, et Italia tota legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque exterarum nationum, distinetur) cedam tibi in præsentia foro, curia, et sanctissimis eorum immortalium templis: in quibus, reviviscente jam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiam paulo temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. Cedam vita, quæ quanquam sollicita est, tamen, si profutura est reipublicæ, bona spe posteritatis me consolatur: qua sublata non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna judicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud vero, quod et præsentis doloris est indicium, et præteritæ injuriæ testimonium, et absentium sensus significatio, non prætermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens proeim: siquidem mea salus aut utilis reipublicæ est, aut conjuncta certe publicæ saluti. Nam, per deum immortalium fidem! (nisi forte frustra eos appello,

quorum aures atque animus a nobis abhorrent) perque fortunam populi Romani (quæ quanquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, et, ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis hujus urbis nomini ac sedibus usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam ut ordiar ab initio, et perducam ad extremam, et novissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore? et quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi (utinam etiam sapientis consili fuisset!) C. Cæsare, fortissime, sed parum feliciter, a reipublicæ dominatione summoto, concupierat magis regium, quam libera civitas pati poterat, principatum. Publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat civitates ex commentario: Dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; ipse regnabat in consulatu: provincias unus omnes concupiebat. Cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Cæsar, quid de hoc sperare, aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostræ libertatis, ut tunc quidem, optimus, (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!) et veteranis in unum conductis, et duabus legionibus a pernicie patriæ ad salutem avocatis, subito prope jam affectam ac prostratam rempublicam tuis opibus extulisti. Quæ tibi non, ante quam postulares, majora quam velles, plura quam sperares, detulit senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se adversum armaret. Appellavit imperatorem, hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non ut sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid alius est majus, quod velis sumere? Sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam, tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii scelerate circumscribis senatum? Quo te misimus? a quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? a quibus exercitum abducis? et quos adversus aciem struis? Cur hostis relinquitur? cives hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius adversariorum castris et propius urbem moventur? O me nunquam sapientem, et aliquando id, quod non eram, frustra existimatum! Quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitosam ac præcipitem senectutem! O turpem exacta dementique ætate caniciem! Ego patres conscriptos ad parricidium induxi: ego rempublicam fefelli: ego ipse senatum sibi manus afferre coegi, cum te Junonium puerum, et matris tuæ partum aureum esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatum in Castris habiturus esses. O miseram, et in brevi

Novissima] Falsus est A. Gellius, qui scripsit cap. 21. lib. X. *novissimus* et *novissime* abstinuisse Ciceronem, quia non esse Latinum judicaret. Idem. Sed falsus est Strebæus ipse, qui hæc putarit e Tullianis fontibus manare. Olivet.

Junonium puerum] Plutarchus in vita M. Ciceronis hoc ejus refert somnium. Per quietem videre videbatur pueros multos adstare Jovi Capitolino. Jupiter unum ex omnibus maxime intuens inquit, Hic princeps factus bellis civilibus modum imponet. Cicero, qui puerum non cognosceret, ejus effigiem impressit animo, cumque venisset in campum Martium, ubi ludis exercebantur pueri, eum quem viderat in somno puerum agnovit: quinam esset rogavit, ac didicit. Hoc somnio commotus, dixit hunc puerum Junonium, quem nascentem Juno Lucina videbatur adoptasse,

tam celerem, et tam variam reipublicæ commutationem! Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit hæc ita mandare litteris, ut facta non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quæ verissime memoria propagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem judicatum, ab eo circumcessum consulem designatum, eundemque reipublicæ parentem: te profectum ad consulem liberandum, et hostem opprimendum, hostemque a te fugatum, et consulem obsidione liberatum: deinde paulo post fugatum illum hostem arcessitum, tanquam coheredem mortua republica, ad bona populi Romani rapienda: consulem designatum rursum inclusum eo, ubi se non mœnibus, sed fluminibus et montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? Liceat semel impune peccasse: sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam. Utinam te potius, Antoni, dominum non expulissemus, quam hunc reciperemus! non quo ulla sit optanda servitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna servi. In duobus autem malis, cum fugiendum majus sit, levius est eligendum. Ille tamen ea exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques. Ille consul provinciam petebat: tu privatus concupisti. Ille ad malorum salutem judicia constituebat, et leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille a sanguine et incendio servorum Capitolium tuebatur: tu cruore et flamma cuncta delere vis. Si qui dabat provincias Cassio, et Brutis, et illis custodibus nominis nostri, regnabat: quid faciet, qui vitam adimit? si qui urbe ejiciebat, tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exilio? Itaque si quid illæ majorum nostrorum sepultæ reliquiæ sapiunt, si non una cum corpore sensus omnis una atque eodem consumptus est igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Romanus, respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam æternam domum decesserit? aut quem accipient de suis posteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Paulli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spoliis triumphisque decorarunt? an esse quendam annos XVII. natum, cujus avus fuerit argentarius, astipulator pater; uterque vero precarium quæstum fecerit, sed alter usque ad senectutem, ut non negaret; alter a pueritia, ut non posset non confiteri: eum agere, rapere rempublicam, cui nulla virtus, nullæ bello subactæ et ad imperium adjunctæ provinciæ, nulla dignitas majorum conciliasset eam potentiam, sed forma per dedecus, pecuniam et nomen nobile consceleratum impudicitia dedisset: veteres vulneribus et ætate confectos Julianos gladiatores, egentes reliquias Cæsaris ludi, ad rudem compulisset? quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi viveret. Qui tanquam in dotali matrimonio rempublicam testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decii servire eos cives, qui ut hostibus imperarent, victoriæ se devoverunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies ejus a regibus liberavit, pro turpi stupro datum in servitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter deferentur. Nam si vivus ista subterfugere non potero, una cum istis vitam simul fugere decrevi.

---

et magnis honoribus destinasse, quo duce compositis civilibus bellis aureum seculum futurum esset. Talia quædam cecinit Virgilius, nec desunt qui referant ad hunc Octavium,

Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
Casta fave Lucina.

STREBÆUS.

ORATIONUM CHRONOLOGIA,

Ad. Fr. Fabricii, et And. Schotti rationes exacta.

Anno U. C.	Anno Cicer.	Consules Rom.	Orationes.
672	26	M. Tullius Decula. L. Cornelius Dolabella.	CICERO causas agere cœpit publicas, ut in Bruto ait. Privatam pro QUINTIO apud Aquilium Gallum egit, an. agens sextum et vicesimum.
673	27	L. Cornelius Sylla Felix, II. Q. Cæcilius Metellus Pius.	SEX. ROSCIUM parricidii reum defendit, anno ætatis XXVII. quo et Demosthenem Athen. Oratorem dicere cœpisse κατὰ Ἀνδροτίωνος, observat. Gellius XV. 28.
674	28	App. Claudius Pulcher. P. Servilius Vatia Isauricus.	
675	29	M. Æmilius Lepidus. Q. Lutatius Catulus.	
676	30	Mamercus Æmilius Lepidus. D. Junius Brutus.	
677	31	Cn. Octavius. C. Scribonius Curio.	Pro Q. ROSCIO COMŒDO dixit. Quæstor creatur.
678	32	L. Octavius. C. Aurelius Cotta.	
679	33	L. Licinius Lucullus. M. Aurelius Cotta.	
680	34	M. Terentius Varro Lucullus. C. Cassius Varus.	
681	35	L. Gellius Poplicola. Cn. Corn. Lentulus Clodianus.	
682	36	Cn. Aufidius Orestes. P. Cornelius Lentulus Sura.	

Anno U. C.	Anno Cicer.	Consules Rom.	Orationes.
683	37	M. Licinius Crassus. Cn. Pompeius Magnus.	Ædilis Curulis creatur. In Q. Cæc. et in Verrem.
684	38	Q. Hortensius. Q. Cæcilius Metellus Creticus.	Pro M. Fonteio dixit, et pro A. Cæcina. Ædilitatem gerit.
685	39	Q. Marcius Rex. T. Cæcilius Metellus.	
686	40	C. Calpurnius Piso. M. Acilius Glabrio.	
687	41	M. Æmilius Lepidus. L. Volcatius Tullus.	Prætor Cicero Legem Maniliam suasit: dixit et pro A. Cluentio Avito.
688	42	L. Aurelius Cotta. L. Manlius Torquatus.	
689	43	L. Julius Cæsar. C. Marcius Figulus.	
690	44	M. Tullius Cicero. C. Antonius Nepos.	Agrariæ tres. Pro C. Rabirio, perduellionis reo. In Catilinam, quatuor. Pro L. Murena.
691	45	D. Junius Silanus. L. Licinius Murena.	Pro P. Corn. Sylla.
692	46	M. Pupius Piso. M. Valerius Messala.	Pro Archia Poeta.
693	47	Q. Cæcilius Metellus Celer. L. Infranius.	
694	48	C. Julius Cæsar. M. Calpurnius Bibulus.	Pro L. Flacco.
695	49	A. Gabinius. L. Calpurnius Piso Cæsoninus.	His Coss. adjutantibus, M. Tullius a P. Clodio in exilium ejectus.
696	50	P. Corn. Lentulus Spinther. Q. Cæcilius Metellus Nepos.	De Reditu suo, et in Senatu, et ad Quirites. Pro Domo sua, ad Pontific.
697	51	Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus. L. Marcius Philippus.	De Haruspicum Responsis. Pro P. Sextio. In Vatinium. Pro L. Cornelio Balbo. De Provinciis Consularibus. Pro M. Cælio.
698	52	Cn. Pompeius Magnus, II. M. Licinius Crassus, II.	In Pisonem.

Anno U. C.	Anno Cicer.	Consules Rom.	Orationes.
699	53	L. Domitius Ahenobarbus. App. Claudius Pulcher.	Pro Cn. Plancio, et pro C. Rabirio Postumo.
700	54	Cn. Domitius Calvinus. M. Valerius Messala.	Augur fit Cicero.
701	55	Cn. Pompeius Magnus, III. sine Collega.	Pro Milone dixit.
702	56	Serv. Sulpicius Rufus. M. Claudius Marcellus.	Provinciam Ciliciam sortitus Cicero, eo Proconsul proficiscitur.
703	57	L. Æmilius Paulus. C. Claudius Marcellus.	
704	58	L. Cornelius Lentulus. C. Claudius Marcellus.	
705	59	C. Julius Cæsar, II. P. Servilius Vatia Isauricus.	
706	60	C. Julius Cæsar, Dictator, II. M. Antonius, Mag. Equit.	
707	61	C. Julius Cæsar, III. M. Æmilius Lepidus.	Habita Oratio pro Marcello, et pro Q. Ligario.
708	62	C. Julius Cæsar, III. Dictator. M. Æmilius Lepidus, Mag. Equit. Eodem Anno C. Julius Cæsar, IV. sine Collega.	Dixit pro Deiotaro Rege ad Cæsarem.
709	63	C. Julius Cæsar, V. M. Antonius.	Philippicam primam, et tertiam habuit in Senatu; quartam ad Quirites: secundam scripsit, non habuit.
710	64	C. Vibius Pansa. A. Hirtius.	Quintam Philippicam dixit in Senatu, sextam ad Quirites, septimam et reliquas in Senatu. Interficitur a M. Antonio vii. Id. Decemb.

Londoni imprimebat J. F. DOVE, in Area quæ est Divi Joannis.